

CRONICA SVRII

Pana Słowskiego



Rudego bent [illegible] [illegible]
[illegible] [illegible] [illegible] in hoc
tempore 1592

W[illegible] [illegible] nie [illegible]
[illegible] [illegible] [illegible]



COMMENTARIVS BREVIS RERVM IN ORBE GESTARVM, AB ANNO SALVTIS M. D. VSQVE IN ANNVM M. D. LXXIIII.

ex optimis quibusque Scriptoribus congestus, per F. LAVRENTIVM SVRIVM Carthusianum.

Nunc verò recèns ab anno M. D. L X X. auctus, & ad annum M. D. LXXXVI. opera & studio MICHAELIS AB ISSELT Amorfortij, perductus.

Cum INDICE copiosissimo.



COLONIAE,

Apud Geruinum Calenium, & hæredes Ioannis Quentelij, Anno M. D. LXXXVI.

Cum gratia & priuilegio Imperiali in decennium.

ILLVSTRISSIMO PRINCIPI AC DOMINO, D. ALBERTO, COMITI PALATINO Rheni, ac vtriusque Bauariæ Duci, &c. Domino suo clementissimo, S. P. D.



VM ante annos non multos D. Naucleri Chronica in officina Quenteliana denuò essent excudenda, illustriss. Princeps, clementiss. Domine, rogauit me D. Geruinus Calenius, Iuris Licentiatus, mihi ob animi candorem & morum integritatem charus, vt ad Nauclerum adijcerem eius temporis historiam, quod ab illius Chronicis interim effluxisset. Maluissem ego alterius ea in re opera illum vti potiùs voluisse, quòd illi argumento parùm essem idoneus: sed cùm non occurreret alius, coactus est à me petere, quod permulti alij longè & feliciùs & absolutiùs atque etiàm accuratiùs præstare potuissent. Feci ergò quod rogatus eram, & vt non prorsùs lectu indigna scriberem, multorum doctissimorũ hominum libros historicos cursìm perlégi, atque ex ijs non sinè labore collegi, quæ possent Lectori aliquam adferre vtilitatem. Et nè planè sterilis esset narratio, si nihil præter nudam historiam contineret, admiscui interìm pias quasdam admonitiones, nonnun-

quàm etiam sanctiss. Patrum insignes sententias, vt vberior ad Lectorem fructus rediret. Deindè autem etiàm separatìm excudi placuit eam historiam, iam multis locis auctam & recognitam: quæ quidem breui tempore facilè distracta est. Sed interìm tamen ad me perfertur, non deesse, qui dicant parùm decuisse, Carthusianum scribere historiam, alios etiàm, qui me putent plusculùm indulsisse affectibus, nonnullos verò, qui me etiàm maledicum vocent. Quibus omnibus vt breuissimè satisfaciam, nôrint primi, me non facilè hanc scribendi prouinciam suscepturum fuisse, si vel ipsi eam suscipere, vel alios doctiores, vt susciperent, adhortari voluissent. Porrò alij id certum habeant, me nihil aut odio cuiusquam aut amore scripsisse secùs, quàm haberet rei veritas, quantùm equidem scire potui: nec debet mihi vitio verti, si laudaui præclarè de Repub. Christiana meritos, & acriùs interìm perstrinxi proditores & perditores inclytę Germanię nostrę: quales sunt ij, qui sub prætextu Euangelij & puræ doctrinæ teterrimos errores & iam olìm damnatas hæreses in orbem inuexerunt. Postremi autem, qui me maledicentiæ insimulant, desinant (oro) esse schismatici: desinant populum Christianum, Christi Iesu precioso sanguine redemptum, in errores inducere: desinant atrocissimè & impijssimè lacerare ac proscindere Christi Catholicam Ecclesiam, Romanos Pontifices, Sacramenta & instituta Ecclesiæ, & id genus alia: desinant dicere bonum malum, & malum bonum, redeántque ad pacem & vnitatem filiorum Dei: & tum sentient me, etsi nonnunquàm asperiùs scripsisse videar, tamen longè fuisse

fuisse modestiorem, quàm res ipsæ poscere viderentur. Atque his ego in præsens responsum esse velim ijs, quos suprà dixi. Nam prolixè contendere mihi sanè integrum non est. Quanquàm quòd ad postremos attinet, qui me maledicum vocant, possem facilè ostendere, si mea scripta cum eorum scriptis conferantur, illos se potiùs quàm me perstringere voluisse. In ijs enim est Casparus Peucerus Melanchthonis gener, qui in suo illo v. Carionis libro, dum eum illustriss. Saxoniæ Electori Augusto dedicat, adeò furiosus & rabidus in me incurrit, vt non modò scurram, sed etiàm blasphemum filij Dei hostem me vocet, nec dicere vereatur, quod tamen docere nunquàm poterit, me impudentèr res manifestè veras calumniari ac deprauare. Tum verò in ipsa historia tam impotenter incurrit in Summos Pontifices, quorum odio isti infelices & miseri deflagrant, vt sanè bellissimum & germanissimum Luteri discipulum se probet. Dolet scilicet viro euangelico, quòd fraudes, mendacia, antilogiæ, mutuæ eædémque acerbissimæ dissensiones, contentiones, odia plùs quàm Vatiniana, noui huius Euangelij buccinatorum in mea historia annotantur, & identidèm verissimè commemorantur: nec pudet eum iactare doctrinæ Lutericæ irrefragabilem authoritatem & perspicuitatem, cùm certissimè constet & Luterum ipsum sæpè pugnantia docuisse, & Luteranos inter se odiosissimè & pertinacissimè dissidere: tum quoquè Philippum Melanchthonem Confessionem Augustanam non semèl mutâsse, atque ab Illyrico discipulo suo falsi insimulatum

esse, & in ipsos quoquè symmystas suos Luteranos acerbè sanè scripsisse, potiúsque in doctrina Eucharistiæ ad Zuinglij, quàm Luteri, partes accessisse. Hæc & eius generis alia cùm nos citra vllum mendacium ex ipsorum editis libris proferimus, maledicos nos vocant, & blasphemos hostes filij Dei. Cùm autem illi immanitèr conspuunt & calumniantur etiàm optimos & sanctissimos Pontifices, Sacramenta & instituta Ecclesiæ Catholicæ, aliáque similia, non solùm non maledici, sed etiàm egregiè Euangelici videri volunt. Sed tamen vtcunquè sæuiant & tumultuentur viri optimi, veniet quandoquè ille dies, vt intelligant homines, quàm luculentèr sub Euãgelij ementita specie ipsis impositum & illusum adhùc sit ab ipsis. Atque vt id faciliùs possint, operam dedi, vt in meo hoc qualicunque Commentario doctrinæ inconstantiam, fœdissimas antilogias, atrocissimas altercationes, & his consimilia multa, quæ in nostris Euangelicis dogmatistis & præconibus visuntur, diligentèr Lectori ob oculos ponerem, & quædam etiàm identidèm inculcarem, vt magìs moueant, & tenaciùs animis affigantur. Nec ego vel tantilli facio, hoc nomine à Peucero me maledicum appellari. Ille enim non didicit aliud à suo Lutero & Melanchthone, quàm monachis maledicere, & monachos calumniari, quemadmodùm etiàm præclarè facit, dum in eadem sua Epistola dedicatoria monachos vocat deploratum & profligatum genus hominum: quasi verò nesciat monachorum institutum semper omnibus seculis præcipuè apud Christianos, atque etiàm potentissimos reges & principes fu-

iſſe venerationi, adeò vt etiàm Magnus ille Conſtantinus, teſte Athanaſio, & eius liberi Conſtans atque Conſtantius, crebrò ad S. Antonium quaſi ad patrem ſcripſerint, & tum illorum fauor, vt idem ait, tum omnis aula regalis illum celebrârit: Theodoſius quoquè maior bellum aduersùs Eugenium tyrannum ſuſcepturus, Iohannem monachum Aegyptium, miſſo ad illum fidiſſimo eunucho Eutropio, de belli euentu conſuluerit: porrò Carolus Magnus in literis quibuſdam, quarum exemplum legi, affirmare non dubitârit, ſe ſanctorum monaſteriorum loca ſuſtentando & ditando, non ſolùm Deum hoc ipſo ſibi placare, ſed etiàm totius regni ſui ſtatum corroborare. Eat ſanè Peucerus & maledicat monachis: nos interìm eius maledictis nihil prorsùs abſterriti, pergemus Deo propitio hominibus oſtendere malas artes, portentoſam vanitatem, impias hæreſes, turpiſſimas antilogias, immania aliorum in alios conuicia, & id genus alia pulcherrima emblemata fratrum euangelicorum. Quòd ſi id Peucerus ferre non poteſt, ſeparet ſe ab illorum hominum ſodalitio, redeátque ad Eccleſiam, & eiuſmodi noſtro labore etiàm gratulabitur: porrò etiàm in pertexendo illo ſuo Carione deſinat criminari Pontifices, & res geſtas ſcribat bona fide: non imitetur Sebaſtiani Franci maledicentiam, non Sleidani vanitatem, cuius poſterioris Commentarij ſanè eiuſmodi ſunt, vt grauiſſimi viri eos non immeritò ſint deteſtati & execrati. Atque ipſe etiàm Romanorum inuictiſſimus & pientiſſimus Imperator Carolus V. cùm eos interdùm legi audiuiſſet, iden-

In vita S. Antonij.

Nicephor. Hiſt. Eccl. libr. 12. cap. 39.

tidèm exclamauit, Mentitur nebulo, mentitur nebulo. Quod idem non semèl auditum est ex ore doctissimi Numburgensis Episcopi Iulij Pflugij, cùm illi ad mensam prælegerentur. Et illi certè, quòd res Imperij probè cognitas haberent, & plerunquè præsentes interfuissent ijs, quæ à Sleidano narrantur, facilè de hominis fide pronunciare potuerunt: vt haud immeritò dolendum sit, apud plerosque, immò plurimos, tanti fieri illos putidos & nugaces Commentarios, quosdam etiàm vix æquo ferre animo, si Catholici res ab illo mala fide relatas, bona fide commemorent, eiúsque mendacia incauto Lectori prodant. Id quod non indiligenter à quibusdam præstitum est, sed accuratiùs & elaboratiùs etiàm præstitum fuisset, si clarissimis & doctissimis viris Iohanni Groppero, & Euerhardo Billico, tum etiàm Sleidano longior vita contigisset. Quin etiàm is, quem dixi, potentissimus Imperator Carolus V. cuidam egregio viro Acta publica, literas & alia instrumenta, sua manu tradidit, vt ex ijs Sleidani mendacia detegerentur. Quæ quidem eò faciunt, vt nemo mirari debeat, identidèm à me perstringi Sleidanum, & eius vanitatem non vno loco indicari. Expedit enim Lectori parùm perito, hominis malam fidem aperiri, vt caueat sibi ab infido historico, qui in suis illis bellissimis Commentarijs sic historiam texit, vt non nisì execrabilium errorum, damnatarum hæresum, seditiosorum dogmatum & turbulentorum hominum, quales fuêre Luterus, Zuinglius, Caluinus, &c. patronum agere velle videatur, idq; non sinè imperiti Lectoris multiplici pernicie, quandò homo versutus

ſutus religionis negocium cum hiſtoria ità permiſcet, vt dum animum Lectoris & rerum inſida plerunquè narratione, & multa ſermonis blandiloquentia & ſuauitate demulcet, vnà inſtillet impios errores & execranda dogmata. Erunt autem fortaſsis, qui quandoquè totam eius hiſtoriam exactè ſibi confutandam ſumant: quod difficile non erit, ſi poſſint habere copiam eorum, quæ in Comitijs acta ſunt, & quorundam aliorum. Mihi id integrum non fuit, nec libet ſanè cum iſtis portentoſis hominibus contendere. Prodeſſe autem certè hoc meo qualicunque labore volui Lectoribus, præſertìm parum doctis, & imperitæ multitudini, quam iſti ſuis mendacijs & præſtigijs miſerè euertunt. Atque tametſi non deſunt forſan, qui meam operam carpendam putent, tamen me plurimùm conſolatur, quòd cùm alijs multis bonis & doctis viris, tum inprimìs tuæ illuſtriſſimę Celſitudini, Princeps celeberrime, eam probari intelligam: quemadmodùm etiàm nupèr ad me datis humaniſſimè literis haud obſcurè indicauit. Quæ etiàm res, tum I. C. T. apud omnes peruulgata virtus, & in fide Catholica inuicta animi conſtantia, me permouerunt, vt poſteaquàm diem ſuum obijt Reuerendiſſimus Treuericus Elector, cui ſuperiores editiones inſcripſeram, hanc poſtremam aliquot annorum acceſſione locupletatam, eidem I. C. T. ſumma animi ſummiſſione & promptitudine nuncuparem, vt habeat contra obtrectatores tam inſignem & eximium patronum, quem iam longè lateq; celeberrimum reddidit, magisq; etiàm in poſterum redditura eſt Principe Germano digniſſima in auita religione fortis &

immota constantia, præter alias multas eásque egregias corporis & animi dotes, quibus eam cumulauit rerum omnium præpotens Deus. Oro autem, & quidem enixissimè, vt T. I. C. hanc meam exiguam opellam boni consulat, & eo quo solet fauore prosequatur. Christus Opt. Max. seruet nobis diù incolumem I. C. T. cum omnibus suis. Ex Carthusia Coloniensi, Idibus Martij, Anno M. D. LXIIII.

T. I. C. obsequentissimus
clientulus

F. Laurentius Surius
Carthusianus.

REVE-

REVERENDO, NOBILI ET GENEROSO VIRO, DN. IOANNI A BRVHEZEN, I. V. DOCTORI, SEDIS APOSTOlicæ Protonotario; Metropolit. Ecclesiarum Vltraiectinæ Decano, & Coloniensis Canonico presbytero, nec non Cath. Regis Hispaniarũ in suo arcano Belgij Senatu consiliario, Domino suo plurimũ honorando.



AXIMAM vim esse fortunæ, Reuerende, & generose Domine, multas eius, volubilesq́; mutationes, in vtranque partem, vel secundas ad res vel aduersas, ethnici quondàm Philosophi crediderũt. Quãobrem regna, imperia, honores, nobilitatem, diuitias atque opes, & quæ his sunt contraria, in casu sita, & temporibus gubernari dicebant. Videbant enim diuersas rerum vicißitudines, & admirandas prouinciarum, regnorumq́; mutationes, quas soli Fortunæ adscribebant, ignorantes Deum mutare tempora, & ætates; transferre regna, & constituere, vt ait Propheta: eius enim prouidentia ab initio Dan. 2. *cuncta gubernat. Et quia harum mutationum causas* Sap. 4. *inuenire non potuerunt, ideò Fortunam cæcam, insanam, & brutam appellàrunt: iusto illo ac simplici Hus-* Cic. ad Heren. lib. 2. *sita insipiẽtiores, qui nihil in terra sinè causa fieri dicebat. Regnorum etenim interitus, populorumq́; collisio-* Iob 5. *nes, magna cælestis prouidentiæ sunt argumenta, vtilissimæq́; Dei dispositiones. Voluit enim Deus, vt cùm homines*

mines rebus terrenis & cupiditatibus suis, heu, nimiùm immersi, omnia quæ infra Lunam sunt, mutabilia, varietatiq; & vanitati obnoxia esse cernunt, nihilq; in eodem statu permanere; de firmis, fixis, atq; æternis rebus cogitare, ad easq; spiritu atque animo aspirare.

Huiusmodi rerum vicißitudines, etsi iam indè ab initio mundi apud Berosum, Trogum, Iustinum, Herodotum, Varronem, apud Eusebium item, Orosium, Iornandem, & alios legantur: tamen vix plures & maiores per omnia terrarum climata, simul extitisse credo, quàm nos ætate nostra, vltimoq; hoc exulcerato seculo, aut ipsi vidimus, aut parentum nostrorum fideli narratione didicimus. Vt enim bella per Galliam, Angliam, Hispaniam, Italiam, vtranq; Germaniam, Daniam, totam deniquè Europam gesta prætercam; quæ gens in Asia, quæ in Africa, quæ in America ab armorum strepitu, bellorumq; rabie fuit immunis? Christianorum populus omni quondàm humanitate, pietateq; cultus, nunc Barbarorum mores amplectitur: Barbari verò & ab omni humanitate alieni, abiecta feritate, nũc ad mansuetudinem Christianã perueniunt. Fidẽ in qua nati, in qua educati erãt Europæi, exuerũt: qui verò vltimas, & hactenùs incognitas terrarũ oras habitant, eandẽ certatim induerunt: hîc regnũ Christi decrescit, illic accrescit: hic oues in lupos, illic lupi in oues cõuertuntur.

In hac tanta rerùm Metamorphosi, Reuerende, & generose Domine, Catholicorum nostrorum ignauiam mirari satis non possum: vt cùm videmus aduersarios nostros tot historijs, commentarijs, & chronologijs perniciosas Synagogæ suæ propagationes, dogmata, & acta scribere, prædicare, & editis voluminibus diuulgare: nos tamen ignauo ocio, luxuq; diffluere maluimus hactenùs,

tenus, quàm honesto studio periculosissimas, grauissimasque Ecclesiæ nostræ persecutiones, concertationes, victorias, eius decrementa, atque incrementa describere, & posteritati consecrare. Inueniuntur quidē non pauci, qui particulares huius ætatis historias ediderunt; qui verò vniuersales, paucissimi. Laborauit hac in parte quondàm D. Laurentius Surius Carthusianus, vir incredibili labore, eruditioneque & pietate clarus; sed succinctior est, quàm multi expectârant: non enim tam ex professo historiam scribere voluit, quàm Sleidani, aliorumque malè Catholicorum commenta atque errores impugnare. Eum nihilominùs ordinem, eumque scribendi modū perpetuò obseruauit, qui plurimis hactenùs placuerunt. Cùm verò morte præuentus, suū hunc Commentarium, initio anni 1574. abrūpere coactus, vlteriùs non potuerit continuare; ego me operæpreciū facturum existimaui, si subsequentium rerum in orbe gestarū narrationē, appēdicis loco subnectere potiùs, quàm opus edere separatum; quò sic istius Cōmentarij Suriani, quam nunc vsu obtinuit authoritas, nouitiū hunc nostrū laborem cōmendaret, & noster labor eundem Commentariū Lectori, ob continuā rerum in orbe gestarū seriē, redderet gratiorem, & iam quasi obsoletum renouaret. Ad prouinciā hanc arduā & difficilem suscipiendam, me vir integerrimus, optimeque de literis meritus, I. V. Licentiatus Geruinus Calenius inuitauit, qui me huc faciliùs induxit, quòd viderē atque audirem, fidei nostræ Catholicæ aduersarios, in cōtinuando suo Sleidano nullā operam intermittere, vt hoc modo perniciosa ipsorū dogmata, sub falsis istis narrationibus, lectori incauto cōmodiùs instillarent. Nè itaque Catholici rerum sua ætate gestarum prorsus essent ignari, aut eas ex hæreticorū commentarijs petere cogeren-

gerentur, partim ex priuatis annotationibus, partim ex optimæ fidei quos habere potui authoribus, contextam hanc appendicem Suriano Commentario subieci.

Etsi autem in optimã spem venio, futurum, vt nemo Catholicus (nã quid obganniant hæretici, coniurati hostes nostri, & veritatis inimici, ne flocci quidem facio) vel in Suriũ ipsum, vel in me cõuitijs inuehatur: tamen quia nil hodiè tam sanctũ, tam concinnũ in lucem prodire potest, quin in reprehensionem & hominũ procacitatem incurrat, omninò & illi, & mihi defensorem parandum esse duxi, in cuius patrocinio tãquàm in tranquillo portu conquiesceremus. Ad hanc rem nullus mihi N.R.T. dignior atq; aptior esse visus est. Sunt quidem multæ causæ, cur hoc opusculũ tibi potiùs, quàm alteri debeatur: cùm quòd lectione historiarũ, maximè domesticarum, plurimùm N.T.R. delectetur, eaq; huius historiæ non infima pars ipsa fuerit: tum quòd vtì Carthusiani Ordinis ab ineunte ætate singularis amator fuisti, ità etiàm Surij Carthusiani lucubrationũ diligentissimus lector esse consueuisti: Tamen vnũ hoc ante reliqua me mouit, quòd acerrimũ tuum iudiciũ, & summæ prudẽtiæ par authoritas, nos facilè aduersùs sycophantarũ vim atq; virus tueri possit. Quin & ea tua est multiplici historiarũ lectione, longo rerum vsu, diuersisq; quas obiuisti officijs & dignitatibus acquisita experientia, vt rerũ quas narramus, & testis & iudex esse possis.

Nam primùm tuorum decursu studiorũ diuersis in Academijs felicitèr absoluto, in Illustris D. Georgij, Comitis Egmondani, Episcopi Vltraiectensis familiã accitus, in omnibus aulicus negocijs illi adiutor, multarumq; legationum atq; itinerum socius extitisti: à cuius latere nunquàm discedebas. Posteà verò Archiepiscopalis, & insignis

insignis isti⁹ Ecclesiæ Vltraiectinæ Officialatus totos annos vndecim summa cū nominis tui laude munere perfunctus, atq; inde Thesaurarij dignitate donatus, tantas deinceps & multiplices tā Ordinū q̄ Cleri Vltraiectēsis nomine legationes magno ac singulari Ecclesiæ huius & cōmunis Reip. commodo obiuisti, vt aliquot retrò acta tēpora tui in hac palæstra similē non habuerint. In quibus quid videris, quid audieris, earū rerum, quæ tunc per orbē terrarū gerebantur, quis posset facilè cōmemorare? Ex Thesaurario tādem primarius eiusdē Ecclesiæ pari omniū studio & volūtate renūciatus Decanus, prouinciæ nostræ vt apex & Statuū caput magna cū gloria omniumq; congratulatione & applausu aliquādiù præfuisti. Quod quidē onus ità pro tua diligentia, cura & vigilantia administrâsti, vt viris principibus, & populo peræquè charus esses. Donèc Ordinū rebellione crescēte, vrbē ingratā, & te tunc indignā deserens, postquàm apud Amorfortios pacis atq; trāquillitatis studiosos primùm; deindè apud Embricenses aliquandiù exulaueras, tandèm ad hanc sanctā vrbem Agrippinā cōmigrâsti. Quo in exilio, ob morū integritatem, generisq; splēdorem, summā prudentiam, aliasq; animi raras dotes, abs Rege Hispaniarū primùm in arcani sui Cōcilij Senatū, deindè à Pontifice Max. in celeberrimum Ecclesiæ Metropolitanæ Coloniēsis Collegiū adscitus es: ità vt etiàm exul, eius semper fueris authoritatis, vt consiliorū, factorumq; Regū ac Principū, nunquàm fueris ignarus. Quare si quis pectus illud tuū historiarum nostri seculi scriniū appellare velit, nō video qua in re peccaret. Talis erat igitur patronus mihi quærēdus, qui laborem nostrū ab æmulorum calumnijs posset, velletq; vindicare.

Præter hæc omnia, Reuerende, & generose Domi-

ne, aliquid etiã amicitia nostra iampridèm cœpta, diuturnitate tẽporis, vicißitudine officiorum, & summa beneuolentia aucta ad hunc diem, confirmataq́ postulare videbatur. Non ignoro quidẽ, te, quẽadmodùm ipse disertißimus, & in Romana eloquentia exercitatißimus es, ità & in alijs stylum quærere tersum, & omninò delicatum: facileq́ in hac appẽdice nostra aliquid inuenturũ, tuo quod nõ sapiat palato. Sed id seculo nostro indulgendũ puta, in quo multis rebus, multisq́ vocabulis vtì debemus, quæ nunq̃ Latinitate donata fuerunt. Aut igitur loquendum erat vt multi, & barbari sumus: aut longis periphrasibus vtendũ, & obscuri fuissemus. Veritatẽ ipsam, summũ historiæ robur & ornamentum, ità per omnia obseruauimus, vt nisì decepti priùs ab alijs fuerimus, neminẽ decipiamus. In Italicis Italos, in Belgicis Belgas, in Polonicis Polonos, in Gallicis, Scoticis, & Anglicis, Gallos, Scotos, & Anglos sequimur: literis verò nisì indubitatæ fidei & lõgè certißimis credendũ non duximus, incertis & fabulosis ferè erraticorũ hominũ & extra suas vagãtium prouincias narrationibus contẽptis atq; reiectis. Accipe itaq; Reuerende, & generose Domine, serena fronte exiguũ hoc munusculum, & me in Clientum tuorũ numero retinere perge. Faxit Deus, vt in cursu illarũ virtutũ, quæ hactenùs clarißimè ex te eluxerunt, felicißimè diutißmeq́ florere poßis, donèc tandèm post seros longæui Nestoris annos in cælum commigres. Vale, 17 Augusti, quo die pax inter Principem Parmensem & Antuerpianos est in Beueren composita. Ex musæo meo Coloniensi.

R. N. T. obseruantißimus

Michael ab Isselt.

INDEX

INDEX RERVM AC VERBORVM MAXIME INSIGNIVM, IN SEQVENTEM RErum in orbe gestarum, ab anno M.D. vsque in annum LXXXVI. Commentarium.

A

apo-

odiſſe

corpo-

Collo-

gene-

 gis

per-

lutera-

M.

michael

N

natali-

philip-

T

X

Z

Zibiti-

PIO

PIO ET CANDIDO LECTORI S.

*Q*Via præsens liber nihil continet, quod Catholicæ fidei aut bonis moribus aduersetur, aut quod in alicuius siue viuentis siue demortui sugillationem tendat: Idcirco ex permissione officij inquisitionis, typis excusus prodit in lucem, vt multorũ expectationi satisfiat, qui res in orbe diuersis temporibus & locis gestas auidè cognoscere gestiunt & percupiunt: Bona, vt imitentur: Mala, vt ab ijs & similibus absterreantur: Sicq; in omnibus glorificetur Deus & pater Domini nostri Iesu Christi, floreatq; eiusdem Christi Dei & Domini nostri vnicè dilecta sponsa Ecclesia, inter persecutionum turbines, sicut lilium inter spinas. Eò siquidem vergit scriptoris syncera intentio, eiusdemq; candidus affectus, cupiens prodesse omnibus, obesse nemini. Benè vale amice lector, & Deum Opt. Max. fideliter pro pace ecclesiarum & consolatione populi Christiani exora, quem propter peccata, quæ in immensum excreuerunt, necnon propter hæreses & schismata (quæ vt peccatorum præcedentium sunt pœnæ horrendæ, ità subsequentium causæ & omnium malorum lernæ) grauissimè nobis offensum experimur. Quis scit, si conuertatur & ignoscat

ignoscat Deus, & reuertatur à furore iræ suæ, & non peribimus? Mirabiles quidem hodiè elationes maris, manet tamen mirabilis in altis Dominus. Et quanuìs, dicente Propheta, Non dormiet neque dormitabit qui custodit Israel, nihilominùs peccatis nostris id exigentibus, ad instar dormientis se habet in nauicula fluctuantis Ecclesiæ, donèc excitatus gementium oppressorum, & exulantium piorum Catholicorum precibus exurgat, vt dißipentur inimici eius, & gentes quæ bella volunt, imperetq; ventis & mari, & obedient ei : tum enim sequetur tranquillitas magna. Quod vt quantocyùs fiat, tacti dolore cordis intrinsecùs, exaltemus in fortitudine vocem, & clamemus cum Iuda Machabæo in cælum, & miserebitur nostrî Dominus, finemque malis imponet, vt populus fidelis dignis flagellationibus castigatus, in ipsius miseratione respiret. Non enim in arcu nostro speramus, & gladius non saluabit nos, sed humilis & aßidua oratio cælestem Aquilam ad protegendum nos sub vmbra alarum suarum inclinabit.

F. Theodoricus Buscoducensis Theologus, Ordinis S. Dominici intra Coloniã Prior & Apostolicus Inquisitor.

COM-

COMMENTARIVS BREVIS RERVM IN ORBE GESTARVM, AB ANNO *Salutis millesimo quingentesimo, vsque in annum* LXXXVI. *ex optimis quibusque Scriptoribus congestus.*



Cripturus histôriam breuem nôstri seculi, non incommodè, neque incongruè ab illo mihi initiũ facturus videor, qui fuit eius seculi singulare quoddã & eximiũ decus ac ornamentum, nempe CAROLO V. Romanorũ Imp. qui à multis (vt est à quodã viro graui & nobili annotatum) amor & deliciæ generis Christiani dicebatur. Atq; eius optimi & potentiss. Imperatoris crebra, eaque honorifica in hoc Commentario fiet mentio : qua in re nôlim me quisquam putet aut confingere aliquid, aut date affectibus : sed scribere bona fide, quæ apud grauissimos scriptores inuenerim. Et poteram ego his adferre multò plura atque maiora, sed breuitati aliquid donandum erat, & declinanda hominum sinistra iudicia, qui ferè ex seipsis de alijs æstimant, quæque se aut nolle, aut non posse prestare nôrunt, ea nec ab alijs fieri potuisse arbitrantur. Quòd si verò in illius prædicandis virtutibus copiosiores erimus, quàm aliorum etiàm laudatissimorum regum & principum, nemo id putet cuiusquã contemptu fieri: neque enim operis breuitas permisit omnia omnium præclarè gesta cõmemorare, & certè tanta huius principis in Remp. Christianam merita extitêre, vt cùm omnium nõ possimus, vel eius vnius encomia pau-

1500 lò vberiùs celebrare iurè meritoque debeamus. Sed nunc rem ipsam aggrediamur.

Carolus V. nascitur Gandaui.

Anno à virginis partu millesimo quingentesimo natus est Gandaui ipsis ferijs D. Matthiæ Apostoli CAROLVS Austriacus, qui posteà fuit eius nominis quintus Romanorum potentissimus, idemque religiosissimus Imperator. Natus est autem anno Iubileo, qui est annus gratiæ, & tertia post mediam noctem hora, & quidem (vt dixi) Gandaui, quod est maximum ferè totius Europæ oppidum. Aiunt enim incolæ, eam vrbem cum suis fossis septem milliaria Belgica in circuitu cōtinere. Sunt ibì septem parœciæ, quarum ea, quæ est Diui Michaëlis, fertur ad viginti octo hominum millia habere, quotannìs sacram Eucharistiam sumentium. Flumen Scaldis rapidissimum septem in ipsa vrbe pontibus marmoreis magnificentissimè constratum est. Olìm septem principes toto septennio eam oppugnârunt quidem, sed expugnare non potuerunt: hodieq; septem templa in totidem castris à septem regibus ædificata visuntur. Is ergò Caroli natalis locus, visus est quasi præsignificare illius futuram amplitudinem & excellentiam. Obseruatum est etiàm à nonnullis, quòd ab Augusto Cæsare, qui fuit Christi temporibus, quibus lux Christianæ fidei sedentibus in regione vmbræ mortis illata est, totidem ferè fluxêre anni ad Carolum Magnum primum Germanorum Imperatorem, qui fuit longè potentissimus, & præter alios, etiàm Saxones multis bellis annis triginta ægrè tandèm domitos coëgit recipere fidèm Christi, quot ab ipso Carolo Magno vsque ad hunc Carolum Quintum, qui fidem Christi in amplissimas ab ipso reperti & occupati noui orbis prouincias, piorum hominum opera mirabilitèr inuexit ac propagauit. Vt autem in Germaniam & alios quosdam huius orbis populos Christi fides tum illata est, cùm Græci tumultuarentur, & in res nouas auidi viderentur, nec à prauis complectendis dogmatìs abhorrerent, quod fuit ferè ætate Caroli Magni: ità quoquè nostro æuo, dum Germani & vicinæ nationes, Luteri & aliorum similium hominum peregrinas amplectuntur doctrinas, & à catholica fide, quam ipsis Papisticam libuit appellare, atque à veterum Germanorum toto orbe celebrata constantia deficiunt, apud Antipodes & in nouo Carolino orbe, (Sic enim vocant quidam) atque etiàm illis in locis & regionibus amplissimis, quę Lusitani partìm adiêrunt, partìm vel vi expugnatas, vel deditione acceptas,

Gandauū quàm amplū & populosum.

ceptas, suis regibus subdiderunt, Catholica Christi fides & religio, quam Luterus cum suis impugnat, ab innumeris populis cupidissimè recepta est, hodieq; recipitur. Sed hæc possent quidem fusiùs non absque summa horum temporum deploratione dici, at suum habebunt, Deo fauente, locum. 1500

Sub id tempus, quo Gandaui natus est Carolus, porticus insignis è palatio in ædem Diui Iohannis producta fuit opere mirabili, & magno sumptu, lōga pedes tèr mille quingentos; septem lata, septem etiàm pedes in altum subleuata, vt infrà commodè pateret trāsitus, triplici colore, flauo, rubro, candido, conspicua. Multa in ea porticu erant visu stupenda, sed quæ breuitatis studio præterimus. Ardebant in ea porticu ambulatoria bis mille & centum faces: visebantur quadraginta arcus triumphales, portarum magnarum instàr, è quibus tres cæteris augustiores erant, & vna quidem Sapientiæ, altera Iustitiæ, tertia Pacis & Concordiæ dicebatur. Fuit & alia mirabilis porticus aërea, ex funibus compacta è fastigio ædis D. Nicolai ad apicem turris Capitolinæ, plena ardentibus facibus. Per priorem illam porticum die tertiodecimo, postquàm in hanc lucem editus est, infans Carolus ductus est in templum D. Iohannis. Multi hoc sanè admiratione dignum duxêre, quòd puerulus salutari tingendus lauacro, ità ad baptisterium allatus est, vt terram non attingerēt ij, à quibus adducebatur. Et certè quàm ille princeps posteà terrena omnia facilè animo excesserit atque transcenderit, opportunis locis infrà videre licebit, & quidem tum vel maximè patuit, cùm filio Philippo serenissimo Hispaniarum principi regna & ditiones suas omnes, porrò Ferdinando Romanorum pientissimo regi Imperij fasces sua sponte ac vltrò tradidit, vt infrà dicetur. Ad sacrum fontem duo aurei velleris equites & dynastæ clarissimi, Carolus à Croia, & Bergensis Satrapa, itemque duę regij stemmatis heroinę, Margareta Britannica, Eduardi V. Anglorum regis soror, & Margareta Austriaca, Maximiliani Cæsaris filia, sponsores Caroli infantis fuêre. Multa quoquè hac die ipsi eidem infanti pręclarissima tum à sponsoribus, tum ab alijs quibusdā sunt dona oblata: & ea quidem eiusmodi erant, vt haud obscurè magnifica & rara quædam de illo infante portēdere viderentur.

Porticus insignis Gandaui extructa.

Porrò verò si ad genus eius respicias, fuit illud perquàm vetustum, illustre & nobile: quippe ex Archiduci-

Genus Caroli V.

1500 bus Austriæ primò, deindè ex comitibus Habsburgensibus, deniquè ex antiquissimis Francorum regibus, (fuerunt autem, nè quem id lateat, Franci origine Germani, non Galli, ijque Galliam occupârunt, vndè hodieque à Francis Germanis, Franciæ regnum nomen habet) è quibus primus Pharamundus longè potētissimus Romanos Gallia expulit. Clodius rex Turingos compulit vectigal pendere. Merqueus rex Saracenos ab Aurelia profligauit. Clodoueus primus Christianam est religionem complexus. Et Pharamundus quidem rex legem Salicam tulit, qua cautum est, nè fœminæ sint regni hæredes. Quidam grauissimus scriptor ait Clodium regem, huius, quem diximus, Clodouei patrem, anno regni sui 15. victoriam ex Germanis reportâsse, atque eo nomine baptismum percepisse à Remigio sanctissimo præsule Rhemensi, vnctumque fuisse oleo cælitùs allato, eique lilia tradita esse, templumque eum D. Genouefæ virgini in colle Parisijs vouisse, deniquè vita functum anno Domini 514. Verùm quandò hæc plerique omnes Clodoueo tribuunt, nec vllam faciunt Clodij mētionem, incertum est quem in hac opinione secutus sit authorem. Cùm autem deindè regum liberi multiplicarentur, regna fuêre distracta, & tum Austrasię regnum succreuit, quod quidem duas habuit curias regias, alteram apud Metensium vrbem, alteram Coloniæ Agrippinæ: limites eius non ijdem ab omnibus assignantur. Sunt enim qui putent ab Alpibus per Burgundiam inter Rhenum & Scaldim suos eam habuisse fines: quo spatio compræhendebantur, vt ipsi volunt, Vltraiectum, Colonia, Treuiris, Moguntia, Geldria, Cliuia, Iulia, Hollandia, Zelādia, Hannonia, Hasbania, Leodium, Limburgum, Alsatia, Palatinatus Rhenensis, Sylua Arduenna, Barrium cum ea parte Campaniæ Gallicæ, vbì Mosa sumit initium. sed alij longè contractiores ponunt limites. Verùm de his magnoperè contendere nihil attinet. Satìs est ostendisse, Carolum nostrum, de quo agimus, amplissimo & antiquissimo stemmate prognatum, sed ità tamen, vt ille suum genus eximiè illustrârit. Patrem autem habuit Philippum Austriacum, Maximiliani sapientissimi & moderatissimi Cęsaris filium, regem Castellæ & Legionis, Brugis in Flādria natum: cuius vxor fuit Iohanna filia Ferdinandi & Elizabethæ Catholicorum regum Castellæ & Aragoniæ. Sed hoc loco tantùm de Carolo principe dixisse sufficiat. locis opportunis plura dicentur. Potest quidē nostra ętas,

tot

tot agitata infandarum hæresum & immanissimorum bellorum tempestatibus, non immeritò sibi gratulari, quòd eiusmodi Imperatorem habere meruit, cuius esset insignis & valdè rara pietas in Deum, & tot accessione regnorum atque affinitatum, amplissima ditio & potētia. Nec quisquam certè dubitare potest, quin Carolus Cæsar vel cum potentissimis superiorum ætatum Imperatoribus conferri possit, cuius vires vel fortunam potiùs (sic enim dicere solebat) etiàm potentissimus Turcarum rex Solimannus reformidârit. Quantùm autem ille pro Catholicæ Ecclesiæ defensione egerit, dicetur infrà. nec dubium, quin Turcarum vires valdè eneruari ab illo potuerint, immò etiàm eneruatæ fuissent, nisì quidā Christiani principes eius sanctissimos conatus multis modis retardâssent. Vndè etiàm factum est, vt perpetuis ferè distentus bellis, non potuerit seuerè animaduertere in hæreticos, sub prętextu Euangelij & verbi Dei fœdos & iam olìm à tota Ecclesia damnatos errores excitantes, & pronis in mala hominum animis carnis libertatem, quæ dirissima seruitus est, offerentes, qui sub eius imperio mirum in modum excreuêre, sed ità tamen, vt etsi Martinus Luterus Augustinianus monachus horum omnium primus parēs non immeritò dici possit, adeò tamen in multas sint distracti sectas, vt earum certum numerum inire penè impossibile sit, & Luterus ipse propemodùm hodiè contemptus iaceat, paucissimis eius dogmata omnia sequentibus, sicut alibi videbimus. 1500

Solimannus Turca Caroli V. fortunam extimuit.

Porrò verò cùm præuideret Deus, fore vt in Europa breuì existerent prodigiosæ hęreses & horrenda schismata, cùm non possit ille nisì in pace & animorum & religionis suaui concordia degere, animum Lusitani regis potentissimi excitauit ad inquirendas regiones ad Austrum sitas. Iam anteà Castellani nouum repererant orbem & terras hactenùs incognitas. Nè qua autem inter Castellanos & Lusitanos dissensio perniciosa oriretur, Romanus Pontifex Alexāder VI. sua interposita authoritate id effecit, vt Castellani ad Occidentem, Lusitani ad Australem polum nauigarent. Ità factū est, vt Castellani continentem amplissimam, insulas maximas & innumeras, auri & vnionum feracissimas inuenerint: Lusitani verò per Arabicum & Persicum sinus ac Indiæ littora, regnum Calecuthicum, deniq; ad auream Chersonesum & ipsa Sinarum regna longissimis & propè immensis itineribus perlati sint. Neque tamen hi reges contenti

Alexāder VI. inter Castellanos & Lusitanos pacem conciliat.

1500 fuêre amplissimas opes & ingentes ditiones suis regnis adiecisse, verùm etiàm laudatissimo studio conati sunt eas barbaras gentes ad veram & vnicam Christi religionem traducere. Quæ res eos paulatim habuit processus, Deo Opt. Max. suam gratiam tam sanctis conatibus adspirante, vt innumerabiles idololatræ ad Christum conuersi, eam fidem auidè receperint, quam in Europa pleræque nationes ceu Papisticam, immò etiàm Antichristianam, repudiârunt, vt iam partim antè dictum est.

Christophorus Colũbus. Fuit in aula regis Hispaniarum quidã Christophorus Columbus, patria Genuensis. Multo is tenebatur desiderio nouas orbis regiones inuestigandi: & cùm à rege peteret eam in rem subsidium, non semèl tum à rege tum à regina irrisus est, tanquàm qui res ludicras meditaretur. Cùm autem iam octo exactis annis non faceret precandi finem, rex attentior esse cœpit, tandemque iussit liburnicam vnam & celoces duas egregiè commeatu & armis instructas illi tradi. Itaque anno salutis 1492. soluens à Gadibus, primò ad insulas Fortunatas appulit, quas nunc ob canum copiam vocant Canarias: olìm dictæ sunt Fortunatæ, ob aëris miram temperiem & cæli clementiam. Numerantur, vt quidam aiunt, decem Insulæ Fortunatæ, è quibus tres incultæ, reliquæ cultæ sint. Ex ijs ea, quæ Teneriffa vocatur, cælo sereno longissimè conspicitur, idque ob miræ altitudinis petram adamantinam, instàr pyramidis acuminatam, quæ perindè vt Aetna mons in Sicilia, perpetuos vomit ignes. Qui eam petram metíti sunt, non dubitant affirmare, à terra ad summum vsque verticem ad octo vel nouem obtinere milliaria Germanica. Incolæ fruges metunt in Martio & Aprili. Multa alia de his feruntur insulis, sed quia necdùm satis certò comperta habeo, mâlui ijs annotãdis supersedere. Olìm cùm Columbus ad eas primùm deferretur, incolæ nudi incedebant, à veri Dei notitia alieni: sed paulatìm pleræque ex his insulæ ad fidem Christi accessêre. Teneriffa & Grancanaria, id est, grandis Canaria, cæteras vincunt magnitudine. Eas incolebant hac tempestate homines barbari, prorsùs nudi degentes. Indè ad Occidentẽ cursum tenens, aliquot reperit insulas: è quibus duabus vastissimis nomina indidit, alteram Hispanam, alteram Iohannam vocans.

Insulæ Fortunatæ, hodiè Canariæ.

Insula Iohanna. In Iohanna insula densissimæ visebantur syluæ, & in ijs auium, præsertìm philomenarũ, etiàm mense Nouembri cantus audiebantur innumeri: flumina quoquè lim-

limpidissima & ad potandũ suauia, itemque portus commodissimi cernebantur. Diu ad eius insulæ littora nauigans, cùm nullum comperiret finem, putaretque terram continẽtem esse, ad Hispanam iter inflexit. Cumq; eum & socios eius incolæ vidissent, mox fugerunt. Putabant enim eos esse Canibalos, qui sunt homines feri, carnibus humanis auidissimè vescentes, quorũ regionem Columbus erat præteruectus. Incedunt aũt etiam huius Hispanæ insulæ homines nudi. Canibali è vicinis locis hominum prædas agunt, impuberes exectis testibus saginant perindè, vt nos gallos gallinaceos; puberes mox perimũt, intestina & extremas corporis partes etiamnùm recentes vorant: reliqua sale adspersa conseruant in vsus diuturniores, vt apud nos solent farcimina omnis generis. Mulieres non comedunt, sed haud secùs atquè gallinas seruãt ad prolem. Indè Columbus in Hispanias rursùs nauigat, relictis tamen in ea insula triginta & octo viris. Rex & regina redeuntem eum honorificè admodùm accipiunt, eique nouam paranti nauigationem attribuunt liburnicas 17. & celoces duodecim, in quibus præter commeatum & arma omnigena, homines erant mille ducenti. Multas in hoc itinere reperit insulas, quibus plerisq; nomina imposuit. Quodam in loco, quem Archipelagum nominârunt, supra 47. insulas inuenerunt. Vbi autem ad Hispanam insulam venerunt, viros 38. quos illic reliquerant, regis eius perfidia enectos compererunt. In ea insula condidit Columbus vrbem, & in ipsis visceribus eius arcem Diui Thomæ. Fuerunt hæc initia Christianæ amplificandæ religioni faustissima.

1500

Hispana.

Canibali anthropophagi.

Noua classis Columbo attribuitur.

Archipelagus.

Hoc anno 1500. Lusitani, duce Petro Aluaro, tẽpestate delati sunt ad regionẽ illam longè lateq; patẽtem, quam vulgò Braseliã vocant, quòd indè eius nominis lignũ aduehatur, tingendis pannis aptum. In ea prouincia iussit idem Aluarus crucẽ affigi in fastigio arboris admodùm proceræ: atque ad eius arboris imam partem Missæ sacrificium præsenti exercitu peractum est, totaque ea regio sanctę Crucis appellata est. Hodiè Christiana religio mirabilitèr illic propagata est. Videbat Christus futuros breuì, qui ipsius signũ Turcica barbarie & Antichristiana impietate sub Euangelij & pietatis prætextu demolirentur. Itaq; transtulit illud signum ad idolorum cultores, & apud eos id fecit haberi in precio: adeoque certum est multis Indiæ locis Cruces esse collocatas, & indè aufugisse dæmones, nec solita Indis respõsa dedisse. Pudeat

Braselia prouincia sanctæ Crucis.

1500 tandèm similes esse dæmonum, qui illo signo ineffabilitèr cruciantur, atque eo nomine illud odio persequuntur inexpiabili.

Aliæ quoquè deincèps nauigationes institutæ sunt in has incognitas orbis regiones, & multa illic comperta rara ac inaudita.

Albericus Vespucius Albericus Vespucius, vir egregiè doctus, priùs sub Castiliæ, deindè sub Lusitano rege lōgissima maris emēsus spatia, mira se reperisse scribit, multasq; inuenisse insulas: sed nimìs longum est, ea omnia hìc commemorare. Nos & possumus & debemus Deo gratias agere, quòd nostro seculo innumeras gentes dæmonum cultui addictas, ad Christi fidem traduxit opera pijssimorum Hispaniæ & Lusitaniæ regum, in quorū ditionibus hodieque inuiolata perseuerat Catholica religio.

Lusitanorum nauigationes. De Lusitanis ità scriptum reliquit Paulus Iouius, nostræ ætatis doctissimus Historiographus, libro duodecimo Historiarum: Iubēte Emanuele rege Lusitaniæ, Lusitani insana nauigatione Atlāticum Fortunatasque insulas prætervecti, promontorijs Praxio & Bonæ Spei superatis, Aethiopicum littus adiêrunt, gentes subegerunt, Rubri maris ac Persici sinûs angustias superârunt, in Carmania atque India bello victis regibus Cannoræ, Cucini & Calecuthæ, celeberrimis emporijs exercendæ mercaturæ sedes arcesque posuêre. Deindè cùm nouorum ducum aduentu aucta esset classis, vltimos Indiæ orbisque terminos sibi proposuerunt: atque ità felici ausu, eadem ducti peritia nauigandi, ab Calecutha præter Indum ac Gangem fluuios, ad auream Chersonesum peruenerunt, vbi regem Malachæ armis defensionem parantem, tormentorum nouitate absterritum ac prælio victum, tributarium fecerunt. Ab alia quoquè parte, Indorum classibus sæpè deletis, custoditisque Erythræi faucibus, ac sinûs Arabici nauigatione Aegyptijs mercatoribus interclusa, Indici maris imperium tenuerunt. Hæc Iouius.

Aurea Chersonesus expugnata à Lusitanis.

Vbì sanè prædicanda venit diuina clementia, quæ tot tamque potentes barbaras nationes Christianorum armis voluit edomari, & per eos venire ad cognitionem nominis sui. In illis certè regionibus iam feruet religio Christiana, dum interim nobis aufertur regnum Dei, & datur genti facienti fructus illius. Vtinàm resipiscant tandèm à Lutero & eius infaustis nuncijs malè fascinati homines, nè breuì CHRISTVS totus à nobis demi-

Matth.8.

demigret in nouum orbem. Sed de his plura congruis *1500*
dicentur locis.

Hac ferè tempeſtate Baiazetes Turcarum rex, cum *Baiazetes*
centum quinquaginta armatorum millibus Metonem *Turca ex-*
Peloponneſi vrbem validiſſimè obſedit, noſtriſque ho- *pugnat*
minibus, poſt varia certamina, vtrinquè ſumma virium *Metonem.*
& animorum contentione edita, ad quinq; Venetarum
triremium aduentum è ſtationibus ad mare, vt illas ex-
ciperent, inconſultò deſcendentibus, Turcæ vrbem in-
greſſi, magna cæde perpetrata, Venetos paritèr & Græcos
milites trucidant, & ipſum Metonenſium epiſcopum, ità
vt erat mitratus & ſacra veſte indutus, obtruncant, nec
vlli omninò vel armato vel inermi parcunt infeſtiſſi-
mi barbari, niſi quem fortè aut ætas, aut forma vel ſer-
uituti, vel libidini ſeruauit.

Erant eius loci ſupra mille captiui. Ij longis adſtricti *Baiazetis*
funibus, ad Baiazetis prætorium perducti, ſæuiſſimi Ty- *crudeli-*
ranni iuſſu ſub eius oculis immanitèr perempti ſunt. Is *tas.*
Baiazetes poſtmodùm à filio Zelimo regno exutus, &
paulò pòſt veneno ſublatus eſt. Eius pater Mahometes
Hydruntinam Italiæ vrbem cepit: atque tum de rebus
Chriſtianis propemodùm actum fuiſſet, præſertìm in
Italia, vbì eſt Romani Imperij auguſta ſedes & anti-
quum domicilium, niſi illam truculentam beluam præ-
potens Deus ſubitaria morte abſtuliſſet, qui quidem id
temporis non tam iræ ſuæ laxare habenas, quàm vt ma-
turè reſipiſcerent Chriſtiani, maximo allato terrore ad-
monere voluit. Alijs deindè locis aliquot Chriſtiano-
rum expugnatis, Baiazetes Byzantium redijt.

Id temporis ferè ad Orientem tres potentiſſimi
reges rerum potiebantur: Baiazetes Turca, Caitbeius
Aegypti & Syriæ Sulthanus, & Iacuppus Perſarum rex.
Baiazetis erat inprimìs formidanda potentia ob copi-
as militares longè firmiſſimas, quas perpetuis more
Maiorum pacè belloque alebat ſtipendijs: ſed mitio-
ri ingenio præditus, ac philoſophiæ ſtudijs addictior,
poſt fugatum Gemen fratrem ſuum, qui poſteà in Eu-
ropa ad Caietam perijt, pacem cum vicinis omnibus
colere måluit. Sunt qui hunc Gemen Baiazetis fratrem,
Zizimum vocent, ſed id imperitè, cùm Gemes de no-
mine Parthorum inclyti regis appellaretur. Conatus
ille fuit, licèt ætate minor, fratrem Baiazetem imperio
excludere: ſed victus, fugæ ſe mandauit, & Rhodum
veniens, à Buſſonio Rhodiorum equitum magiſtro, præ-

1500 ter spem in carcerem coniectus est, ac posteà Romam perductus, vbì Baiazetes quotannis eius alendi causa quadraginta aureorum nummûm millia numerauit.

Sophus Ismael Persarum Imperator fit.

Sub hoc fermè tempus Sophus Ismaël Persarum imperium occupauit, & noua quædam in Mahometis Pseudoprophetæ turpissima superstitione opinio in cunctis Sophi huius ditionibus disseminata est. Perdomuit ille breuì Persas, Medos, Armenos, pluresque alias gentes, & crebris victorijs celeberrimū toto orbe nomen obtinuit, adeò vt Iudæi, calamitosum hominum genus ob repudiatum filiū Dei vnicum & verū Messiā, stultissima opinione hunc suum putarent Messiam, atq; per omnē ferè Europā mirū in modum sibi gratularentur, festa celebrarent conuiuia, mutuis tū nuncijs tū muneribus sese hortarentur ad benè sperādum, quòd iam tandèm venisset à Deo promissus seruator. Sed illorum inanis spes breuì in irritum recidit, quandò Sophus ille nullā gentem perindè, atquè Iudaicam, exosam habere compertus est. Vt autem Lector Sophi huius aliquantò certiorem habeat notitiam, paulò fusiùs hinc agendū est. Patrem habuit Aidarem Harduellem, qui inter Persas regulus fuit nō ignobilis, ingenio verò ac moribus cumprimìs suspiciendus. Is spretis omnibus mundi huius oblectamentis, diuitijs & honoribus, tanq̃ veris ærumnis & fortunæ ludibrijs, quæ cæci mortales ceu vera bona & munera felicitatis humanæ impensiùs appetunt, colunt, sectantur: vitam egit austeram, quam pleriq; omnes admirarentur potiùs, quàm se imitari posse cōfiderent. Itaq; hac viuendi ratione eam excellentis virtutis opinionē adeptus est, vt eum Assimbeius Vsuncassenes (qui quondàm Armenię procurator, Moloanchre legitimo Persarum rege interfecto, regnum eius occupauerat) sibi generum adsciuerit, collocata ei in matrimonium Martha filia, quę ex Despina Caloioannis Trapezuntini & Ponti regis filiā nata, Christi fidē coluit. Quòd verò Trapezuntinus Christianus rex Vsuncasseni Mahometano filiā suam despondit, licèt ea cōditione, vt eam permitteret Christū colere, ideò factum est, quòd & Trapezuntinus rex & Persa Vsuncassenes sibi ab Ottomanno Mahomete meritò timerent, cuperentque ex hac affinitate mutua sibi cōparare præsidia: quæ tamen neutri quicquā cōtulêre, quādoquidem Mahometes tormentis æneis fretus, quorū vsum Persę tum ignorabāt, Vsuncassenē in campis Anserinis profligauit, ac deindè Trapezuntinū regem Constantinopolim perductum in carcere neca-

Harduellis pater Sophi Ismaelis.

Mahometes Turca profligat Persas, &

necauit, tota eius ditione occupata. Harduellis autem Taurisij, quod est præclarissimum Armeniæ maioris oppidum, multo habitatore frequentissimum, nouā cœpit vulgare religionē, vel potiùs superstitionē, Mahometanam quidē illam, sed longè diuersam ab ea, quam cæteri Mahometani in Asia & Aphrica sequerentur. Volebat enim ab omnibus eos legis Mahometanæ ritus suscipi, quos Haly Mahometis interpres & socius tradidisset: neq; enim alitèr eos saluos posse fieri, cū alij potiùs Homarim, alterum Mahometis discipulum & interpretem, præferendum censerent. Atq; hoc solo ferè diuersæ superstitiōis prætextu Mahometani alij alios odiosissimè persequuntur: quod iam pridèm magno poterat adiumento esse Chtistianis principibus ad Turcarū profligādas vires, eorumq; immanissimā tyrānidem à suis finibus procul arcendā, nisì quibusdam magìs liberet mutuis cōflagrare odijs & bellis intestinis, in summā Christianæ Reip. perniciem: quod certè dolendum est, tametsi peccata hominum è religione Christianorū, longè etiàm deteriora merentur. Intereà verò dum Harduellis nouam Taurisij religionem dissеminat, fit ingens ex omni Perside & Armenia ad eum visendum hominum concursus, non admodùm gratus Iacuppo Vsuncassenis filio, qui patri à Mahomete Ottomanno cæso, in regno successerat. Iam enim eius potentiā & existimationem vereri cœpit, atq; ad eius religionem confluentiū cœtus habere suspectos. Eam suspicionē auxit, quòd sciret patrē suū vi occupâsse Persarum regnum, metueretque nè Persæ ipsum regno nondùm satis firmato exturbarent. Itaque neque sanguinis coniunctione, neque hominis innocentia permotus, regnandi libidine transuersìm actus, misit qui Harduellem nihil minùs suspicantem percuterent. Eo extincto, sectatores eius aut tulit è medio, aut dispulit. Porrò Ismaël filius Harduellis, qui posteà Sophus cognominatus est, eo tempore puer adhuc, ab illa cæde seruatus est, fugiensque Iacuppum regem auunculum suum, in Hyrcaniam ad Pyrchalem parentis amicum, supra Caspiuum mare paucis oppidis imperantem se contulit.

1500 occupat Trapezūtinum Imperium.

Mahometani in duas distracti sectas & superstitiones.

Mahometani cur se mutuò persequātur.

Fuit præterea quidam Harduellis discipulus Techellis, qui deindè Cuselbas, hoc est, rubrum caput appellatus est, magistro non inferior, Persa origine, regiæ stirpis cognatione clarus, doctrina ac religione valdè celebris. Is quoquè Iacuppū fugiens, in minorem Armeniam peruenit, atque illic in Antitauro monte, loco ob frequentiam,

Techellis Persæ mores & disciplina.

1500 am, varietatemque pomiferarum arborum & perennes aquarum fontes admodùm salubri & amœno, ab hominum commercio separatus, aliquot annis asperrimam vitam egit, contentus ijs, quæ spontè humus protulisset: tandemque eam famæ claritudinem adeptus est, vt diuinus vates appellaretur. Agnitus primò est à pastoribus: deindè agricolæ miserati eius vitæ austeritatem, victum & res necessarias suppeditabant. Porrò cùm etiàm futura prædiceret, summa omnium admiratione in pagos & vrbes pertractus, & tantùm non ceu deus quispiam adoratus est. Iam prouinciam omnem suî fama compleuerat, publicatisque nouæ legis interpretationibus, facilè credulis turbis persuasit, nisì illas complecterentur, nullam ipsis salutis spem reliquam fore. Multis ergò vanam superstitionem amplectentibus, sectatores suos omnes, pro insigni nouæ religionis, iussit turbinatum capitis tegumentum siue pileos lintea fascia, eaque rubri coloris, circundare: vndè factum est, vt ij omnes qui nouum hoc doctrinæ genus sequuntur, Cuselbasæ à rubro pileorum colore, toto Oriente vocentur. Interìm Ismaël quoquè paternos nouæ superstitionis complexus ritus, cùm iam adolesceret, & sermone, vultûs elegantia, egregiaque tum sapientia tum animi magnitudine omnibus admirabilis videretur, maximum nomen & ingentes vires sibi conciliauit, non ex vulgo duntaxàt, sed permultis etiàm nobilibus ac opulentis: cumque etiamnùm impubes esset, diuitias, honores & imperium, licèt ea contemnere videretur, assecutus est: tanta in eo cernebatur morum integritas. Additum quoquè illi est cognomentum Sophus, quod à vetere Magorum memoria sumptum videtur, qui olìm apud Persas ipsis etiàm regibus imperâsse feruntur. Deindè verò Iacuppo Persarum rege veneficæ vxoris fraude sublato, cogitauit repetere paternos agros & ditionem, quæ ex matris dote ipsi obtigerat. Itaque aliquot suæ sectæ hominibus, cum Pyrchalis reguli coniunctis auxilijs, Armeniam ingressus, non tam viribus quàm præclara existimatione & beneuolentia breuì paternam ditionem recuperauit. Mox auctis copijs eorum, qui nouum dogma sequebantur, Sumachiam vrbem in finibus Mediæ sitam, vi cepit & hostilitèr diripuit. Illud audax facinus ad priorem nominis eius existimationem permultùm adiecit: factusque ex eius vrbis præda locupletior, exercitum magna ex parte inermem egregiè instruxit.

Cuselbasæ qui dicti.

Iacuppus Persarum rex perit veneno.

Sumachia vrbs.

xit. Iam verò Perſici regni captus deſiderio, Tauriſium ſibi petendum ſtatuit. *1500*

Ea vrbs Perſarum regia eſt, non ſolùm Armeniæ ſuperioris, in qua ſita eſt, verùm etiàm totius Orientis numero hominum atque opibus celeberrima, olìm Terua dicta, diſtans à Caſpij maris littore expediti equitis itinere dierum quatuor, haud procùl ab emporio Derbento, vbì portæ ferreæ Scythas ab anguſtijs, quæ ſunt inter montes & mare, excludunt. Ità ergò Sophus Iſmaël ampliſſimum Perſarum Imperium inuaſit, & ſimul noua Mahometanæ ſtultitiæ ſuperſtitio longè lateque diuulgata eſt anno ſalutis 1499. quo Italia Gallorum aduentu maximas adijt clades, & Veneti ad Protum inſulam cum Turcis infelicitèr dimicâruut. Vbì autem Iſmaël ad Tauriſium properauit, erat illic Aluantes Iacuppi filius, qui fratrem ſuum Moratchamum prælio victum, ex Perſarum finibus expulerat, & primores aliquot Moratchami ſtudioſos trucidârat. Ea res & illi magnam inuidiam conflauit, & Iſmaëli eius ampliſſimæ vrbis potiundæ facilimam viam patefecit. Nam ſimul vt ad vrbem cum exercitu appulit, portas illi ciues vltrò aperuerunt, Aluante in fugam ſeſe conijciente, quòd longè imparem ſe ſentiret Iſmaëlis copijs, nullo præſertim ciuium fultus præſidio, de quorum fide non immeritò nihil ſibi admodùm polliceretur. Eos autem Iſmaël, propoſita omnibus incolumitate, in ſuam religionem & fidem facilè adegit. Vrbem autem ingreſſus, Iacuppi regis auunculi ſui ſepulcrum eximij operis euertit, oſſibusque diſiectis, omnem eius memoriam prorsùs aboleuit, vt paternam cædem vlciſceretur. Interim certus ad eum perfertur rumor, Aluantem conciliato ſibi fratre Moratchamo, cum maximo equitum & peditum exercitu aduentare. Eo nuncio nihil territus Iſmaël, ſuos incredibili celeritate ducit hoſtibus obuiàm, imparatumque Aluantem mira felicitate oppreſſit, ipſo Aluante, cùm acriùs pugnaret, obtruncato. Eo cæſo, equites cataphracti & ſagittarij cæterique poſtremi agminis milites, fuga dilapſi ſunt.

Tauriſiū Perſarum regia.

Aluantes ab Iſmaële cæduur.

Aliquot autem diebus eo in loco à labore recreatis militibus, deindè Scyras vrbem cum exercitu profectus eſt. Iam enim finitimi populi in illius ſe poteſtate fore dictitabant. Ab ea ciuitate maximis honoribus affectus, ſæpè ad populúm concionabatur de noua religione ſuſcipienda, additis etiàm minis, ſi quis intra

diem

1500 diem tricesimum pristinos ritus neutiquàm repudiâsset. Quamobrèm omnes ferè in illius sententiam breuì concessêre. Est autem Scyras vrbs opulentissima atque clarissima, ex cuius diuitijs militi persoluit stipendium, omnesque copias suas militaritèr instruxit & egregiè ornauit. Erant tum illic officinæ frequentes, omnis generis armorum plenissimæ: quæ sanè mirabili ingenio artifices ex ferro chalybeque recoctis, & ex herbarum succis addita insigni temperatura, longè elegantiùs, quàm apud nos id fiat, fabricare consueuerunt: nec galeas tantùm, thoraces & ocreas, sed equorum etiàm perpetua ex tenuissimis laminis tegumenta. Post Scyras vrbem facilè quoquè Sapha, quæ Susa olìm fuisse putatur, & Sulthania, vbì admirabiles cernuntur ingentium ædificiorum reliquiæ, in eius fidem concessit. Indè Mesopotamiam magno populorum studio in deditionem accepit, Moratchamo Iacuppi filio & Aluantis fratre, in Arabiam cum vxoribus ac liberis omnique supellectilè aufugiente. Indè ab Assyria in Mediam transcendit, regressusque in Armeniam, Albanis, Iberis & Scythis, qui vlteriorem Caspij maris oram tenent, bellum fecit, quòd solita tributa iam quadriennio minimè persoluissent.

Scyras insignis vrbs describitur.

Sapha olìm Susa.

Techellis prosperi successus.

Dum hæc Ismaël Sophus prosperrimis rerum successibus in Persidis Imperio gerit, Techellis Cuselbas, cuius paulò suprà meminimus, Armeniam & minoris Asiæ partem non minimam noua religione compleuit, multisque eius sectæ hominibus arma capessere iussis, Turcarum ditiones audactèr inuasit. Iam enim passìm cernebantur homines nouæ superstitionis cupidi, (vt est mortalium genus non sua natura, quæ à Deo benè condita est, sed deprauato animi iudicio in res nouas, quamlibèt alioquì perniciosas, auidum) qui pro symbolo rubris pileis vterentur. Cùm autem non omninò suppeterent sumptus bello gerendo necessarij, eorum facultates suis diripiendas permisit, qui nollent nouum dogma complecti. Indè è Cappadociæ finibus in Lycaoniæ vberem regionem profecti sunt, vbì diù sese aluerunt, freti eius loci copijs. Multi autem eius regionis accolæ cum rebus suis Iconium perfugerunt. Proponebat Techellis præmia omnibus, qui ad ipsius religionem accederent, & dira minabatur refractarijs: quo factum est, vt plurimi illi se adiungerent. Iam autem Turcæ rei indignitate permoti, ad arma se parabant, & eccè opportunè

ab

ab Ismaële equites missi superuenêre, qui etiàm Te- *1500*
chellim iam anteà per legatos hortatus erat, vt nouæ
propagandæ doctrinæ omnem nauaret operam, vi eti-
àm adhibita, suamque illi opem & auxilia pollicitus
fuerat. Faciebat hæc Ismaël odio in Turcam Baiaze-
tem, cuius oppugnandi iam animo consilium voluta-
bat. Misit etiàm legatos Venetias, petens ab illis inter *Ismael Sophus mittit legatos Venetias.*
alia artifices, qui ænea tormenta conflarent. Veneti eos
legatos humanitèr exceperunt, sed omnibus eius vo-
tis, quòd cum Baiazete quinquennij inducias pacti es-
sent, satisfacere non potuerunt: quanquàm præter hoc
etiàm bellis grauibus impliciti tenerentur. Legatos au-
tem muneribus affectos, honorificè à se dimiserunt:
sed vbi Baiazetes comperit, eos per Syriam in Persidem
reuertisse, grauitèr apud Aegypti Sulthanum ea de re
questus est: vndè accidit, vt mercatores Veneti, qui *Veneti ab Aegypti Sulthano malè accipiuntur.*
Tripoli, Alepi, Beryti atque Alexandrię agebant, à Cam-
psone in catenas coniecti, vix post annum, multas à sæ-
uissimis Mamaluchis perpessi contumelias, vitam & li-
bertatem impetrârint. Techellis verò auxilijs Ismaëlis
fretus, Orcanem & Mahometem Baiazetis nepotes cum
exercitu ipsi occurrentes, egregiè profligauit: nec ab
Iconij nobilissimæ vrbis oppugnatione abstinuisset, si *Iconium.*
tormenta bellica fuissent ad manum. Multos verò ijs in
locis in suam traduxit sectam. Indè per Galatiam in Bi-
thyniam infesto agmine contendens, Bellerbechum, id
est, totius Asiatici equitatûs magistrum, opportuna
circunuentum celeritate fortissime debellauit, multis
ex eius exercitu fusis, reliquis in fugam coniectis. Mox
Cutheiam vrbem summa vi & incredibili suorum ar- *Cutheia capitur à Techelle.*
dore ac impetu expugnauit, magna Turcarum strage
edita, & ipso quoquè cum vxoribus capto Bellerbecho,
qui ex fuga eò se contulerat, & diù fortissimè propu-
gnando vrbem defenderat. Ea vrbs in Asia minori me-
dium ferè locum obtinet, Anatolieq; magistri equitum,
quem Bellerbechum vocant, sedes est, sicut in Europa
alterius Bellerbechi Sophia Mœsiæ vrbs. Eius oppidi
spolijs ornato & instructo exercitu, iam Prusiam Bi-
thyniæ caput oppugnare instituerat. verùm Baiazetes
ingentes ex Europa copias, duce Halybassa Macedone,
in Asiam misit, quorum aduentum Techellis sibi mi-
nimè expectandum ratus, è Ponto excessit, collecta pre-
ciosiore præda. Eum Halybassa magnis itineribus inse-
quitur, & post dies aliquot in planis Galatiæ locis è no-

1500 uissimo agmine fessos aliquot cepit & interfecit. Tum verò Techellis Bellerbechum, quem vinctum trahebat, media in via palo infixit. Eius clarissimi apud Turcas viri horrendo interitu licèt Halybassa permoueretur, non tamen destitit celerrimè abeūtes persequi. Cùm autem nulla contentione eos posset assequi, relictis peditibus, octo millia equitum intentissimo cursu vnà secum iubet fugientium vestigijs insistere. Tandèm ad Olygam montem vbì ventum est, nouissimum agmen acri prælio perturbare cœpit. At Techellis non se deserit, licèt suos multo itineris labore penè exanimatos non ignoraret, acieque egregiè instructa, Turcarum impetus fortitèr sustinet. Verùm à sclopetarijs equitibus permulti è Techellis copijs fusi sunt, ac nihilo minus Techellis redintegrata acie ex optimè armatis, eaque à nouissimo agmine in frontem ducta, suos in tutiora loca fortitèr pugnando sese iussit recipere. Id conspicatus Halybassa, cùm semèl atque iterùm per medios hostes cum globo equitum perrumpere non dubitaret, interceptus à Techellinis interficitur. Eius cæde perterriti Turcæ, primò remissiùs agere, mox fuga sibi consulere. Techellis cum suis primò ad Tasciam se recipit, quò Iunusbassa quoquè cum quadraginta Turcarum equitum & peditum millibus peruenit, multisque illic leuibus prælijs certatum est, donèc Techellis se tantis copijs imparem cernens, superatis clàm montibus, in minorem Armeniam descendit. Post eius inopinatum discessum Iunusbassa per omnem Asiam minorem diligentissimè perscrutatur Persicæ religionis cultores, inuentosque omnibus tormentis excruciatos interficit: qui verò bello non interfuissent, ijs frontem inussit, omnesque in Europam secum traduxit. Techellis porrò ad Ismaëlem, in finibus Scytharum bellum gerentem, confugit. Ità in illa quoquè impurissima & dementissima Mahometis superstitione, maximo Christianæ Reipub. commodo, hac tempestate exitiales extitêre dissensiones, & odia ac simultates inexpiabiles, dum alij Homarim, alij Halyn Mahometis interpretes & discipulos sequi mâlunt. Et nisì ea rerum perturbatio apud Mahometanos incidisset, Baiazetes Turcarum rex Venetis & Hungaris admodùm sæuus & atrox hostis incubuisset. Verùm præpotens Deus, etsi hominum flagitijs iurè irascitur, non tamen iustas semper reposcit pœnas, sed iudicij austeritatem ineffabilis misericordiæ cle-

Halybassa interficitur.

Turcæ sæuiunt in Persicæ religionis cultores.

clementia temperat, vt sit locus veniæ omnibus volentibus redire ad sanitatem. Dum ergò sic Mahometani nouæ religionis prætextu atrocissimè inter se digladiantur, Baiazetes propensiori animo cum Venetis pacem fecit, atque ab Europa sæui pectoris immanitatem reuocans, in Asiam totus incubuit, vt à Persis illatas iniurias egregiè vlcisceretur. *1501*

ANNO 1501. die 10. Maij, Albericus Vespucius à potentissimo Lusitaniæ rege missus est exploratum nouas regiones. Itaque tribus Lusitani vecti liburnicis, ad Aethiopiæ promontorium, quod iam Caput viride vocant, appulerunt: indè soluentes, & versùs polum antarcticum longissima nauigatione cursum tenentes, venerunt ad insulam quandam, multis horrendis in itinere iactati tempestatibus, vbi mense Iunio hyems est, & paria diei noctisque spatia. Tandèm 17. Augusti ad terram quandam peruenerunt, cuius incolæ beluas immanitate vincerent. Regio ipsa amœnitatis & elegantiæ permultum habere videbatur, sitaque est extra lineam æquinoctialem versùs Austrum quinque gradibus. Cernebantur autem in montis cuiusdam vertice homines nudi, sed qui ad Lusitanos, licèt multùm amantèr inuitati, descendere non auderent. Attamen paulò pòst altera luce, sumpta fidutia, fumos & ignes passìm excitârunt, vt Lusitanos è nauibus ad se elicerent. Egressis verò Lusitanis non se volebant propiùs adiungere, sed vt longiùs in terram progrederentur, eos inuitârunt. Quod cùm periculosum videretur, duo audaciores multis precibus à nauium præfecto tandèm copiam impetrârunt in insulam penitiùs intrandi, sed ea conditione, vt post quintum diem ad naues redirent. Interim octiduum Lusitanis expectantibus, illi nusquàm conspiciebantur, sed in dies alij atque alij ex ea insula ad littus frequentes accedebant, non tamen cum Lusitanis colloquia miscere voluerunt. Septima die Lusitani in terram egressi, vident viros secum vxores suas adduxisse, quas etiam Lusitanos colloquendi causa propiùs adire iusserūt. Verùm fœminis trepidantibus, iuuenē validum Lusitani ad eas mittunt, & vt nihil mali suspicarentur, ipsi in naues se recipiūt. Vbì ad eas iuuenis venit, circunstant illum admirabundæ omnes, contrectantq; curiosiùs: atque ecce interìm de monte sæuissima descendit mulier, vallū pręlongum manu gestans. Quę cùm ad locum,

Alberici Vespucij nauigatio.

Hyems mense Iunio.

1501 vbi iuuenis erat, peruenisset, valido ictu incautũ prosternit & occidit, eumque mox reliquæ fœminæ per pedes in montem pertrahunt. At viri barbari è monte decurrũt impetu ad littus, & iacula ex arcubus certatim in naues vibrant. Lusitani verò displosis quatuor tormentis, repentè eos in fugam nimio terrore correptos compellunt. Porrò crudelissimæ mulieres, inspectantibus Lusitanis, iuuenẽ cæsum in frusta secãt, ad ignem torrent, & assum immanitèr deuorant. Viri aũt signis quibusdam ostendebant, eũ in modum alios duos Lusitanos se quoq; deuorâsse. Acritèr ea res stimulabat Lusitanorum animos, & libentèr eam fuissent vlti iniuriam, sed præfectus nõ permisit, hauddubiè peiora veritus, si pauci cum multis congrederentur. Indè ergò abeuntes, longiùs nauigârunt, & multa admiratione digna lõgissimis illis itineribus conspexerunt: iamque stellarum, quę circa polũ antarcticum sunt, conspectu fruebantur, quæ multò & plures & illustriores sunt, quàm poli arctici. Deniquè tam diu nauigârunt, quòd polus antarcticus iã ipsis supra horizontem illum quinquagintaduobus gradibus fuerit eleuatus, & neque minoris neque maioris vrsæ stellę sub adspectum caderent. Et noctes quidem Aprilis septima die, sole circa arietis extrema versante, quindecim horarũ fuisse compertæ sunt, hyemsq́; ea loca obtinuit. Longũ esset omnia narrando prosequi, quæ multiplici nauigatione tum Vespucij, tum aliorum in illis incognitis nostro orbi regionibus explorata sunt: sed hoc nomine præcipuè laudes & grates agendæ sunt præpotenti Deo, vt iam antè dixi, quòd innumeræ gentes dæmonum cultrices, opera Hispaniæ & Lusitaniæ regum intra non multos annos ad Christi religionem traductæ, iam viuum & verum colunt Deum, relictis tèr execrandis dæmonum simulacris, quibus miseri ab omni vera luce prorsùs alieni, hactenùs diuinos impenderant cultus & honores.

Barbari Lusitanũ iuuenem torrẽt ad ignem & comedunt.

In Aprili noctes quindecim horarum.

Inter Hispaniam & Canarias insulas inuenta est à Lusitanis Medera insula, syluestris illa quidẽ & prorsũ inculta, sed soli fertilissimi. Quod vbi Lusitani aduerterunt, vt apta esset sementi & habitationi, syluas densissimas multo igni concremârunt, qui interdùm adeò grassatus est, vt pleriq; vix flammas euadere potuerint. Habitatur iam frequens à Lusitanis, qui extructis ædibus cultissimã eam reddiderũt. Est fontibus irrigua, & amnibus multis conspicua. Gignit & alit perdices, colũbas syluestres, pauones, apros feros, & multa alia diuersorum generum

Medera insula.

rerum animantia, quæ etiā priùs quàm homines eā occuparent, ibi sua collocârunt domicilia. Sunt ibi arbores insignes, cedro vel cupressis non absimiles, quas scindunt molis serratilibus ad flumina collocatis; vndè multa præclara fiunt opera in varios vsus. Arborum color ruber est & boni odoris. Iussu regis Lusitaniæ plantatæ sunt ibi cannæ saccarum ferentes, non solùm copia insigni, sed etiàm mira præstantia. Est enim eius regionis ea ferè habitudo vel qualitas, quę Cypri & Siciliȩ. Sunt etiàm eò importatæ vites ex Creta insula, quæ botros & magnos & multos, atque etiàm vina præclara vbertìm proferunt. Visuntur illic botri atro colore. 1501

Hoc anno cruces sanguinolentæ virorum ac mulierum vestibus passìm in Germania inciderunt. Videntur præsignificâsse pestem sæuissimam, quæ proximo anno secuta est. Solet plerunq; Deus pro sua bonitate eiusmodi terroribus admonere homines, vt se corrigant, & impendentem eius iram à se auertant.

Eodem anno facultas Theologica Academiæ Moguntinæ, imitata Synodi Basileensis decretū, itemq; Parisienses & Colonienses Theologos, omninò decreuit & statuit sentiendum, beatissimam Dei genitricem semperque virginē Mariam, quam ex omni æternitate sibi matrem delegit filius Dei, sinè labe originalis peccati conceptam, idq; singulari quodam priuilegio. Non hîc necessè est anxiè perquirere, quid hinc scriptū reliquerint prisci illi Ecclesiæ Doctores, qui certè de hac virgine singulari reuerentèr & honorificè scripsêre. Augustinus ipse, cuius summa est authoritas, cap. 36. Libri de natura & gratia, ob vnigenitum Dei filium ex ea natum, nullam prorsùs de ipsa vult haberi quæstionem, cùm de peccatis agitur. An non ille sensit singulare priuilegium illi virgini concessum, quam nō est ausus vlli peccato fateri obnoxiam? Contendant hîc alij quantùm volent: certè qui Deū timent, non facilè ausi erunt in diuersum pertinacem ferre sententiam. Alioquì si communibus illa cæterorū mortalium legibus subiecta fuit, cur nō etiàm cum dolore & virginitatis iniuria peperit? Dictum est Euæ, & in ea fœminis omnibus, In dolore paries filios. At virgo Maria incredibili & prorsùs inaudito miraculo virgo concepit, non ab homine, sed de Spiritusancto, & virgo peperit, in conceptu expers cōcupiscentiæ, in partu, doloris. Qui ergò eā sic sibi voluit esse matrem, vt nō ab homine, sed de Spiritusancto conciperet: is proculdubiò talem quoquè Gen. 3.

1501 eam esse voluit, quæ ab omni peccato purissima, digna
Sapient.1. esset & concipere & parere ipsum filium Dei. Non enim habitabit sapientia, vt in Sapientiæ libro scriptum legimus, in corpore subdito peccatis. Et tamen ipsa Dei æterna sapientia nouem mensibus habitauit in huius sacratissimæ virginis castissimis visceribus. His ergò atque alijs rationibus permota facultas Theologica Moguntinæ Vniuersitatis, grauitèr sanciuit deinceps neminem in ea Academia promoueri debere in sacra Theologia, nisì iuramento interposito priùs fidem dederit, se diuersam opinionem neque animo retenturum, neque quouis modo approbaturum. Scio non deesse hodieque, qui difficilè adduci possint, vt huic pijssimæ sententiæ subscribant, licèt multi doctissimi viri grauissimis argumentis eam adstruxerint & confirmârint: verùm Concilium Tridentinum sub Paulo 3. Pontifice inchoatum, & tandèm sub Pio 4. absolutum, (multis enim modis satanas eius Concilij tum inchoationem, tum prosecutionem sæpè impedire conatus est) statuit obseruandas esse de matris Dei conceptione constitutiones Sixti 4. qui Pontifex admodùm fauit opinioni de immaculata eiusdem sacratissimæ virginis conceptione. In eo autem Tridentino Concilio fuêre supra 280. Episcopi, & multi excellenti & incomparabili doctrina viri, adeò vt etiàm sectarij, quantunuìs laxa proposita fide publica, non tamen ausi fuerint eò accedere, eo præsertìm tempore, quo sub Pio 4. excellentissimæ doctrinæ viros catholicos ibì fuisse constat. Qui ergò extra Christianæ modestiæ cancellos non vult temerè efferri, & tum sibi, tum alijs malè consulere, acquiescat in Ecclesiæ sententia, & matris Dei singulari priuilegio nihil deroget, nè, dum matri iniurius est, præpotentis filij eius iram intolerabilem in suas accersat ceruices.

Mercurius nostræ ætatis cõmentitius. Eo ipso anno Italus quidàm in Gallias venit, qui immodica captus animi arrogantia, Mercurium se diceret, cùm alioquì proprio nomine Iohannes vocaretur: Tyanei quoquè Apollonij, quem alij Philosophum, alij magum vocant, se sectatorem iactitaret, rerum omnium, præsertìm arcanarum, se vnum callentissimum gloriabundus assereret, adeoque præ se veteres philosophos, atque theologos penè omnes contemneret. Vxorem & liberos, vnaque seruos & ancillas circunduxit. Nudis pedibus cum tota familia ingrediebatur,

batur, tum ipſe, tum ſui omnes non niſì lineis induti, *1508*
etiàm catenam ferream ad collum geſtabant, inſtàr Tyanei Apollonij, cuius vitam ſcribit Philoſtratus, & ante hunc Damis, Apollonij ipſius peregrinationis comes. Lugduni aliquandiù moratus, & in precio habitus, Ludouico Galliarum regi ſe natum ad res ſummas prædicabat. Porrò rex hominem miratus, doctos viros, præſertìm medicæ facultatis, de hominis, quam iactabat, prodigioſa ſcientia & inuſitata rerum cognitione periculum facere iubet. Multas ergò illi quæſtiones de rebus variis mouent, & vſque ad ſtuporem prompta ab eo reſponſa referunt, præcipuè in rebus medicis, quanquàm ſcire non poſſent, vndè hæc illi ſuppeterent, cùm eſſet alioquì ſinè literis. Reuerſi igitur ad regem, rem omnem ordine exponunt cum multa admiratione. Idem verò Mercurius regi enſem donauit, mira arte fabrefactum, & 180. gladiolis ſtipatum: itemque clypeum, in quo ſpeculum inerat affabrè elaboratum, cui neſcio quid latentis energiæ ineſſe dictitabat. Quò verò tandèm euaſerit, aut quem habuerit vitæ exitum, non ſatìs compertum habetur. Eiuſmodi ſanè iactantia & oſtentatio non admodùm decent Chriſtianum philoſophum, quandò ipſe quoquè ethnicus philoſophus Cicero ſapientiſſimè admonet, vt quanto maiores ſumus, tanto ſummiſſiùs nos geramus, quod diuinæ literæ paulò alijs verbis, ſed eadem omninò ſententia exprimunt in Eccleſiaſtico: Quantò magnus es, humilia te in omnibus.

Eſt in precio apud Galliæ regem.

Eccl. 5.

Per idem tempus quidam Ioannes ab Eltz, aliquot equitum & peditum turma ſtipatus, clara luce, nullo repugnante Budobrigam (vulgò Boppardiam vocant) regale oppidum, Eccleſiæ Treuirenſi iampridèm oppignoratum inuaſit, excluſiſque omnibus, qui Epiſcopi Treuerici partes ſequerentur, caſtellum, telonium & æs omne occupauit, turribus præſidio è ſuis impoſito. Henricus 7. Imperator certa accepta pecunia ab Archiepiſcopo Treuirenſi, id oppidum pignoris loco illi tradiderat. Ab annis trecentis non raro leguntur Imperatores quidam vrbes ab Imperio alienâſſe, difficultèr verò redemiſſe: vndè accidit, vt multa Imperij loca à principibus ciuilibus & Eccleſiaſticis occupentur, vt quidam ſcriptum reliquêre.

Boppardia occupatur.

Boppardia quādò oppignorata Epiſcopo Treuirēſi.

Hoc anno dira fames ob frumenti inopiam totam Sueuiam peruaſit, ſed eam Argentoratenſes frumento, quod in magna copia reconditum habebant, non auarè

1501 quidem, vt apud plerosque hodiè in more positum videmus, sed commodo precio distracto leuârunt. Ea hominum charitas, licèt maximè sit secundùm naturam, iuuare naturæ consortem, iam rara est in terris. Nec mirum est, Argentorati magnam fuisse frumenti copiam, quandoquidem ea Alsatiæ regio præcellẽtis vini & multi frumenti perquàm fertilis est, vt non indigenis duntaxàt, sed multis etiàm vicinis & exteris vinum & frumentum affatim suppeditet: nec facilè in Rheni tractu vlla alia regio, quòd ad fertilitatem attinet, ei comparari possit, tametsi in latum à Rheno vsque ad montana non nisi tria plùs minùs Germanica milliaria obtinet.

* *Vosego*

Multi illic fluuij è monte* Vosago in Rhenum prouoluuntur. Sanè non desunt qui scribant, nec ij quidem contemnendi authores, tota Germania nullam extare regionem, quæ omnibus prouentibus Alsatię comparari queat. Sunt in ea 46. ciuitates & oppidula, omnia muris cincta, arces quinquaginta, & villæ propè innumeræ. Verùm hæc fortaſsis non satis ad institutum.

Basilea deficit ab Imperio.

Hac tempestate Basilea à Maximiliani Cæsaris & Imperij obediẽtia se subduxit, percusso fœdere cum Heluetijs, qui nullius párent imperio. Basileensium defectionem imitati Schaffhusiani, Heluetijs itidèm fœderati sunt. Literæ huius fœderis apud Lucernenses feruntur confectæ, & vtrinquè datæ & acceptæ. Est Basilea vrbs inclyta Germaniæ, quam Ammianus Marcellinus Gratiani & Valentiniani Imperatorum tẽporibus iam fuisse scribit. Alluitur Rheno amplissimo flumine, qui mediam fermè interfluit, sed ponte constratus vtrinquè habet iter peruiũ. Est ager vini frumentiq; ferax & intra & extra vrbis mœnia. Pius Pontifex eius nominis secundus, Gymnasium amplissimis ornatum & auctum priuilegijs illic cõdidit. Habet autem citra & vltra Rhenum geminam ciuitatem, alteram maiorem, alteram minorem Basileam: estq; ea vrbs inprimìs insignis & egregia, nisì quòd hac ætate colunt eius loci incolæ dogma Zuinglianum, quod Catholica Christi Ecclesia iam olìm in Berengario damnauit. Dolendum est, in fortissima gente tantum potuisse noua dogmata, quæ Germaniam magna ex parte perdiderunt, vt suis dicemus locis. Schaffhusia quoquè ad Rhenum sita, locum occupat & amœnum & commodũ atque fœcundũ. Non longè ab hac vrbe Rhenus fluuius altitudine quadraginta aut quinquaginta cubitorũ ruit præceps in imum, ità vt aqua omnis

Basilea vrbs describitur.

Schaffhusia vrbs.

in ſpumam & nebulam reſoluatur. Eſt id ſanè adſpectu horrendum. Schaffhuſiani quidem initiò ad certũ tempus cum Heluetijs fœdus percuſſerunt, at poſteà id abijt in fœdus ſempiternum. In eo oppido Eberhardus comes è Sueuia opulentùm conſtruxit monaſterium, quod Germanicè à nauium traiectu dictùm eſt Schiffhuſen/ tanquàm nauium domus, vt quidam vetuſtus codex probat. Maximis illud cœnobium impendijs exædificatum fuit, multis eò allatis ingentibus columnis lapideis, è quibus etiamnùm 12. in templo viſuntur, ſingulæ altæ pedes ſeptendecim, in complexu obtinentes pedes nouem. Conſecrauit autem hoc monaſterium Leo Pontifex Romanus, eius nominis IX. cognatus antedicti comitis Eberhardi, anno ſalutis 1052. cuius quidem Pontificis fuit ſancta & inculpata vita, & eruditio haud vulgaris, vt eius ſcripta teſtantur. 1501

Schiffhuſen monaſterium.

Huius anni menſe Nouembri Philippus archidux Auſtriæ, Maximiliani Cæſaris filius, cum Iohanna coniuge ſua, Ferdinandi regis Hiſpaniarum filia, amicitia cum Gallis conciliata, per Franciam in Hiſpaniam proficiſcitur, & vbiquè, præſertìm verò Pariſijs, honorificentiſſimè accipitur.

Alexãder VI. ſcribit Ruthenis.

Hoc etiàm anno Alexander Pontifex, eius nòminis ſextus, cùm percepiſſet Ruthenos & alios quoſdam in Lituania Græcorum ritum complexos, cupere ad Romanæ Eccleſiæ conſuetudinem & religionem ſe adiungere, ſed interìm non deeſſe qui dicerent eos neceſſariò rebaptizari oportere, propterea quòd more Græcorum in tertia perſona baptizati eſſent, ſcripſit ad illos ex decreto concilij Florentini, ſub Eugenio 4. celebrati, in quo Græci atque Armeni cum Romana Eccleſia in concordiam rediêre, reuerà baptiſmum conferri, etiàm cùm in perſona tertia ſic dicitur, Baptizetur talis ſeruus Ieſu Chriſti, in nomine Patris & Filij & Spirituſſancti: quanquàm in Latina Eccleſia non debet mutari vetus verborum forma, quæ eſt, Ego te baptizo in nomine Patris & Filij & Spirituſſancti, Amen.

Et quia hoc loco in Ruthenorum mẽtionem incidimus, operæprecium fuerit de ea gente paulò copioſiùs agere, vt Lector eius aliquam habeat notionem. Obtinet ea gens ampliſſimas regiones, & plerunquè hodiè vel Moſcouitæ vel Rutheni aut Ruſſi appellantur. Vtuntur autem lingua Sclauonica, qua hodiè nulla ferè eſt latior & diffuſior, quippe qua Dalmatæ, Boſnenſes,

Rutheni vel Moſcouitæ.

Sclauõnica lingua latiſſima.

1501 Croatæ, Istrij, Carni, Carniolani, Carinthij, Stirij, Mœsij, Seruij, Bulgari, alijque Constantinopolim vsque, Boëmi, Lusatij, Silesij, Moraui, Poloni, Rutheni, Circasi, Quinquemontani ad Pontum, & Vuandalorum reliquiæ vltra Albim per Germaniam in Septentrionem sparsim habitantes vtuntur. Incertum est, quis initiò apud illos rerum potitus sit, quòd characteres non habuerint, quibus res suas scripto consignatas ad posterorum notitiam transmitterent. Cœperunt autem Annales conscribere tum primùm, cùm Michaël rex Constantinopolitanus literas Sclauonicas in Bulgariam misit. Inter alios Igor quidam apud illos Imperio potitus, Olham ex Plescouia duxit vxorem. Is cum exercitu suo Heracleam & Nicomediam vsque progressus, sed in fugam actus, à Malditto Dreuulianorum principe cæsus est, relicto infante filio Suuatoslao, cuius mater Olha viri sui necem grauissimè vlta, multis Dreuulianorum millibus interemptis, atque omnibus eorum castris occupatis, in Græciam profecta est, & illic sacrum baptisma percepit sub rege Iohanne Constantinopolitano, anno mundi 6463. (Sic enim Annales eorum habent: solent autem Russi non à Christo nato, sed ab orbe condito numerare) Porrò nomẽ Olhæ, in Helenę mutatum est. Atque hęc in ea gente Ruthenica fidem Christi complexa est iuxta Annales iam dictos. Eam, postquàm inter viuos esse destitit, nepos eius ex filio Vuolodimerus iam baptizatus, in diuorum numerum retulit, & Iulij dies vndecimus ei sacer dicitur. Atquì ea filium suum Suuatoslaum ad baptismum inducere non potuit, qui post matrem imperio potitus, deuicit Bulgaros, ad Danubium vsque progressus. Intulit etiàm bellum Basilio & Constantino regibus Constantinopolitanis, eosque profligauit. Cùm autem Græciam vastanti, reliqui Græciæ principes aurum obtulissent, contempsit, & vestes atque arma potiùs accepit. Eum anno mũdi 6480. Cures princeps Pieczenigorum ex insidijs interfecit, atque ex cranio eius poculũ fecit, cui auro circundato inscripsit, *Dum aliena sectatur, perdit sua.* habebat autem tres filios, inter quos ditionem suam diuiserat adhuc viuens: nempe, Ierepolchum, Olegam, & Vuolodimerum. Ex ijs Ieropolchus Olegam fratrem suum occidit, sed non diù pòst ipse quoque fraude cuiusdã intimi consiliarij sui in manus fratris sui Vuolodimeri traditus, interfectus est: atq; ità totius Russię imperiũ ad Vuolodimerũ peruenit, qui

Igor Moscouitarũ princeps.

Apud Moscouitas quãdò cœperit religio Christiana.

Vuolodimer⁹ prin-

qui tum multa colebat idola, multas quoque habuit vxores, & octingentas concubinas. Cùm autem ex omnibus sectis Christiana religio illi præcipuè arrideret, misit ad Basilium & Constantinum reges Cõstantinopolitanos, petens Annam sororem eorum coniugem sibi dari: quod si facerent, pollicetur se cum tota gente sua Christianum futurum, & ablata in Græcia restituturum. Contrahitur matrimonium. Vuolodimerus in Corson baptizatur, & dicitur Basilius, nuptiæque celebrantur. Acta sunt hæc anno mundi 6469. à quo tempore Russia permansit in fide Christi. Hunc Vuolodimerum, à quo Vuolodimeria inter Vuollam & Occam fluuios vrbs condita est, inter diuos tanquàm Apostolũ 15. Iunij die Russi colunt. Eius successores vsque ad Georgium & Basilium nihil ferè memorabile gesserunt. Porrò Georgium & Basilium Bati rex Tartarorum, qui Christianorum ditiones horrendum in modum populatus est, bello superatos neci dedit, & bonam Russiæ partem, abacta præda, ferro & igni vastauit. Ex eo tempore, anno scilicet mundi 6745. vsque ad Basilium, qui ante paucos annos Ruthenis imperauit, omnes ferè Russi principes tributum Tartaris persoluerunt. Cùm autem Bati rex Tartarorum, euastatis Christianorum ditionibus, magno tota Europa terrore relicto, cum suis in Scythiam reuertisset, Innocentius eius nominis 4. Romanus Pontifex, ex concilio Lugdunensi aliquammultos religiosos viros anno salutis 1246. longissimo itinere misit ad Tartarorum Imperatorem, qui eum hortarentur vnum viuum & verum Deum, & eius vnicum filium mundi seruatorem Iesum Christum colere, & à Christianorum fundendo sanguine animum reuocare. Vbi Tartarus Pontificis preces audiuit, pollicitus est se quinquennij spatio Christianorum ditiones minimè vexaturum. Verùm vbi Pontificis legati discesserant, Saracenorum legati adsunt, hortantur Tartaros, vt Mahometis sectam tanquàm plausibiliorem & voluptariam potiùs complectantur, quàm Christianorum religionem ociosam. Placuit verò eorum oratio Tartaris, & inprimis ipsi Bati Imperatori, & ita illi tunc impurissimam Mahometis superstitionem receperunt, quam hodieque retinent. Sed vt ad Ruthenos reuertamur, postquàm Bati Tartarus Russiam sibi fecit tributariam, multis annis magna apud Ruthenos Tartarorum fuit authoritas, qua etiàm freti Rutheni principes plerunquè obtinebant principatus, aut alios etiàm consanguineos profligabant,

1501 ceps Moscouitarũ.

Russia fit Christiana.

Bati rex Tartarorum.

Innocentius Pontifex 4. mittit legatos ad Tartaros.

Tartari fiunt Mahometani.

Russia tributa pendit Tartaris.

1591 fligabant, & multa fuit rerum apud Ruthenos confusio, dum alij alios superare contendunt, donèc ventum est ad Iohannem Basilium, qui fuit Basilij cæci (orbatus enim luminibus fuit iussu Demetrij cuiusdam principis Moscouitarum) filius. Is autem Iohannes Basilius fortunatissimus fuit. Nam & magnum ducatum Tuuereñ occupauit, & Nouogardiam magnam (quæ est vrbs amplissima, in circuitu obtinens, vt quidam scribũt, septem milliaria Germanica) cepit, vndè supra trecentos currus auro, argento & vnionibus onustos, Moscouiam absportauit anno Domini plùs minùs 1479. Feruntur in ea vrbe esse septem monasteria ordinis D. Basilij Magni, in quibus ingens est copia monachorum : innumera quoquè sacrarum ędium multitudo illic esse legitur. In solstitio æstiuali habet vrbs eadem longissimum diem plusquàm octodecim horarum. Dictus Iohannes Basilius, septem perpetuos annos graui eam obsidione pressit, ac tandèm in potestatem ac miserrimam seruitutem redacta, Archiepiscopum & ditiores ac potentiores quosque Moscouiã transtulit, atq; è suis subditis in illorũ possessiones ceu nouas colonias remisit. Ex ijs autem possessionibus præter communes reditus, maximum quotannìs vectigal in eius fiscum infertur. Porrò in Archiepiscopi locum quendam instituit episcopum, cui exiguam eius Archiepiscopatûs prouentuum portionẽ attribuit. Postquàm autem Moscouitę eò translati sunt, vnà etiàm suos errores eò inuexerunt. Habuit verò iste Iohannes Basilius ex Sophia Emanuelis regis Constantinopolitani filia Helenam filiam, quæ nupsit Alexandro Lituaniæ magno Duci, eidemque posteà règi Poloniæ declarato. Sperabantur hæ nuptiæ vtriusque partis dissensiones & acerbitates omnes è medio sublaturæ, sed cùm Polonus negligentiùs præstaret quiddam, quod se facturum receperat, Iohannes Basilius bellum ei facit, & prælio commisso victor euadit, capto Constantino regis Poloni duce egregio cum plerisque nobilibus, multisque occupatis arcibus & prouinciis ditionis Lituanicæ. Porrò Constantinus oblata occasione è Moscouia ad Alexandrum profugit, licèt à Moscouita libertate donatus esset ea conditione, vt relicto Alexandro, ipsi seruiret. Idem autem Constantinus posteà magnam dedit Moscouitarum stragem, vt suo loco dicetur. Quanuìs autem huius Iohannis Basilij magna fuerit potentia, magnęque opes, tamen Tartaris parère cogebatur, adeò vt legatis Tartarorum

Nouogardia.

rorum extra vrbem obuiàm procederet, eosq; sedẽtes ipse stans audiret. Tandèm illo mortuo, successorem habuit Basilium Iohannis, qui intra paucos adhuc annos Moscouitico fruitus est imperio. Is apud se captiuum tenuit Demetrium, fratris sui Iohannis filium, quem auus Iohannes Basilius, mortuo ipsius Demetrij patre Iohanne, totius Russiæ monarcham designârat. Mortuo deindè hoc quoq; Demetrio, Basilius imperat, & non modò quæ à patre illi relicta erant, conseruauit, verùm etiàm multas prouincias non tam bello quàm industria quadã suo imperio adiecit. Nanque & Plescouiam & insignẽ Principatum Smolenczko, qui centum ampliùs annis Lituanis paruerat, sibi subdidit, sicut infrà dicetur. At tamen in bello plerunquè infelix fuit, ac nihilominùs à suis felicissimus prædicabatur. Imperio in suos vtebatur duro & vix tolerabili, adeò vt ne fratribus quidem suis germanis, nec vlli principi castra vel munitiones permitteret: Omnes illi suis sumptibus, siue in aula, siue in bello, siue in legationibus eorum vellet opera vti, seruire cogebantur: Quibusdam tamen grauiora munia obeuntibus præfecturas, aut villas, aut prædia attribuit plerunquè in sesquiannum, de quibus tamen certos cẽsus ipsi Principi persoluerent: eo spatio elapso, totum sexennium gratis seruire compellebantur. Voluit quandoquè ad Maximilianum Cæsarem legatum mittere quendam ex intimis secretarijs suis, sed cùm is viaticum sibi deesse diceret, in perpetuos carceres coniectus, tandèm perijt miserrimè, omniaque eius bona Princeps sibi vendicauit, fratribus ac hæredibus eius ne teruncio quidẽ relicto. Quicquid legati ipsis donatum reportarẽt, quod alicuius esset precij, id ferè sibi dari volebat. Miserat quandoquè legatos ad Carolum V. Imp. qui illis graues torques aureos, & Hispanicam auream monetam dono dedit: quin & Ferdinandus Caroli frater argenteis poculis, aureis & argenteis pannis, itemq; Germanica aurea moneta eos donauit. At vbì domum rediêre, mox princeps Basilius & torques & pocula & maiorem Hispanicorum aureorum partem ad se rapuit. Authoritate in clericos & laicos tam immodica abutebatur, vt liberrimè de omnium vita & facultatibus statuerit, nec quisquam ei ausus fuerit resistere: immò persuasum habebant, eius voluntatem non aliam esse, quàm ipsius Dei: vocabantque eum clauigerũ & cubicularium Dei. Ea immanitate gens ipsa effera & crudelis efficiebatur, quanquã incertum est, vtrũ ipsius gẽtis imma-

1501

Moscouitæ parent Tartaris.

Basilius Iohannis dux quàm duro pressserit iugo Moscouitas.

Durissima seruitus Moscouitarũ.

1501 immanitas & duritia eiusmodi tyrannidem mereatur, an hac tyrannide tam immanis & crudelis fiat. Regium titulum iste Basilius primus vsurpauit, cùm alij ante eum magni Duces dicti sint, tametsi pater eius Dominū totius Russiæ se scripsit. Quin etiàm ab omnibus Imperator appellatus est, quod errore factum, dubium non est. Cùm autem scriberet regi Poloniæ, omisso regis titulo, magnum Ducem se vocauit. Nam neuter horum, alterius literas nouo titulo auctas recipere dignabatur. Duxit idem Basilius primò vxorem Salomeam, cuiusdam nobilis sui filiam: sed cùm viginti & eo ampliùs annis ex ea proles non suscepisset, eam anno Christi 1526. valdè quidem repugnantem, in monasterium intrusit, & cuiusdam Ducis filiam Helenam sibi copulauit, ex qua suscepit filium Iohannem anno 1528. qui rerum apud Moscouitas potitus est, patre mortuo, & matre veneno sublata nescio cuius vel iussu vel opera. Quòd ad religionem attinet, colunt Moscouitæ siue Rutheni Christum, sed more Græcorum. Græci verò sæpè à Romanæ ecclesiæ obedientia recesserunt, & identidèm ad pacem & concordiam se receperunt. Episcopi Constantinopolitani, quòd in amplissima vrbe, & quæ noua Roma diceretur, sedem obtinerent, magnopere in eam curam incubuerunt, vt proximam à Romanis pontificibus vel etiàm parem obtinerent authoritatem. In prima illa Constantinopolitana Synodo, quæ est vna ex quatuor primarijs, videmus Canonem, quo tribuitur proximus à Romano pōtifice locus Constantinopolitano episcopo. Sed quàm ille Canon non sit receptus, vel vnius Leonis primi Pontificis Romani, quem longè ante mille centum annos præcellenti doctrina & eximia vitæ sanctimonia præditum fuisse negare nemo potest, scripta satis declarant. Nam cùm in Chalcedonensi amplissima Synodo Anatolius Constantinopolis Antistes à Patribus callidè impetrâsset, vt proximam à Romano Presule Constantinopolitanus dignitatem obtineret, vbi id Leo Pontifex resciuit, modis omnibus se opposuit, effecitque vt Anatolij callida consilia prorsùs irrita fierent, neque ratum haberetur, quod ille non rectè atque ordine impetrâsset. Et certè Leo Pontifex affirmare videtur, primæ Synodi Constantinopolitanę Canonem antè dictum, nunquàm ad Romanæ sedis notitiam venisse. Sic enim scribit ad Anatolium Epistola 53. Persuasioni tuæ in nullo penitùs suffragatur quorundam Episcoporum ante sexaginta, vt

Rex apud Moscouitas quis primus dictus.

Moscouitæ ritus Græcorū sequūtur.

Episcoporum Constantinopolis arrogantia.

ta, vt iactas, annos (nam non multò plus temporis inter 1501
Constantinopolitanam & Chalcedonensem Synodos fluxit) facta subscriptio, nunquamque à prædecessoribus tuis ad Apostolicæ Sedis transmissa notitiam, cui ab initio suî caducę, dudumque collapsæ, sera nunc & inutilia subijcere fomenta voluisti, eliciendo à fratribus speciem consensionis, quam tibi in suam iniuriam verecundia fatigata præberet. Cur autem sanctissimus Pontifex vsqueadeò se opposuerit Anatolio illicita appetenti, ipse eadem Epistola indicat his verbis: Potes euidentèr agnoscere me dilectioni tuæ beneuolo animo contraire, vt saniore consilio ab vniuersalis te Ecclesiæ perturbatione contineas. Nolebat enim optimus Pontifex quicquam derogari priuilegijs Alexandrinæ & Antiochenæ Ecclesiæ, in Nicena Synodo illi attributis. Fuit deindè temporibus illius longè sanctissimi Pontificis Gregorij primi, Iohannes quidam Constantinopolitanus Episcopus, qui se non dubitauit œcumenicum siue vniuersalem patriarcham vocare, quem titulum eius vrbis Episcopi magno Ecclesiæ scandalo post eum sibi vendicârunt. Sed eorum superbia & contumacia tandèm Turcico iugo egregiè compressa est. Eius Iohannis episcopi intolerandam arrogantiam acritèr scriptis castigauit Gregorius I. Romanus Pont. integerrimus: at parùm ea res profuit, Græcis in sua sententia permanentibus. Itaque Græci in quibusdam à Romana Ecclesia dissenserunt, sed non impunè. Eorum ritum Moscouitæ secuti, cum Romana Ecclesia non vbiquè consentiunt: quanquàm fertur patriarcha Constantinopolitanus ab huius principis, qui iam Moscouitis imperat, (si tamen non fallor) patre rogatus misisse monachum quendam, qui omnes libros, Canones, & singula statuta ad fidem pertinentia, in ordinem recto iudicio redigeret. Cumque multos ille aduertisset errores, aiunt dixisse Principi, eum planè schismaticum esse, qui Romanum aut Grçcum non sequatur ritum: sed paulò pòst, licèt alioquì Principi charus esset, sublatum è medio. Idem quoquè alteri cuidam Græco mercatori, similiter dicenti, accidisse. Sanè iactant illi se solos probè Christianos esse, nos verò damnant tanquàm desertores primitiuæ Ecclesiæ & veterum sanctarum constitutionum: Luteranos autem & reliquos horum temporum sectarios, prorsùs execrantur. In annalibus eorum scriptum habetur, D. Andream Apostolum ex Græcia ad Borysthenem fluuium perlatum, ad montes, vbì nunc

Moscouitæ sibi tribuũt verã religionẽ.

De Andrea Apo-

Chionia

1501 Chionia eſt, nauigâſſe, & terræ Ruſſiæ benè precatum eſ-
ſe, hominesque baptizâſſe: Indè rursùs ad mare vſq; Ger-
manicum proceſſiſſe, atque per illud Romam nauigâſſe:
ad extremum in Peloponneſo ab Ago Antipatro cruci-
fixum fuiſſe. Sed hæc quàm ſint vera, ipſi viderint. Certè
Andreas Apoſtolus non eos docuit errare. Archiepiſco-
pi & Epiſcopi omnes totius Ruſſiæ, carnibus perpetuò
abſtinent. Præfecti monaſteriorum, quos Priores vocant,
in Moſcouia plurimi ſunt, ſed omnes arbitrio Principis
eliguntur: Sacerdotes ſeculares habent vxores: iis mor-
tuis, non licet eis ſacra obire vel ſacrificare, niſi fortè
monaſterium ingreſſi, iuxta regulã viuant. Si quis etiam
laicus vxore mortua velit aliam ducere, permittunt id
quidem, ſed vix legitimum matrimonium eſſe putant:
tertias nuptias ſine graui cauſa non permittunt: quar-
tas omninò damnant. Admittunt diuortium, & dant li-
bellum repudij: verùm id maximè celant, cùm id re-
ligioni & ſtatutis aduerſum eſſe ſciant. Si ſacerdos ad ſe-
cundas ſeſe nuptias transferat, nihil habet cum Clero
commercij. Obſeruandum hoc loco eſt, apud Moſcoui-
tas, ſacerdotes non accedere ad ſecundas nuptias. Hoc
idem vſque in pręſens etiàm Gręci ſeruant. Vndè apparet
improbitas & impudentia hęreticorum noſtri temporis,
qui aſſerere non verentur, apud Græcos licere ſacerdoti-
bus vel deciès aliam poſt aliam vxorem ducere. Sic enim
ſcribit Philippus Melanchthon in libello quodam, in
quo inter cętera etiàm ſacerdotum coniugium defendit:
Sed manet, inquit, adhuc hodiè mos ille in Græcanica
eccleſia, vt ſacerdotes nubant, & non ſolùm mariti eli-
gantur ad ſacerdotium, nec vt nubant ſemèl tantùm, ſed
quotiès voluërint, etiàm deciès, ſi ità tulerit res. Hoc
quidem, ſicut & alia multa, impudentiſſimè ille Melan-
chthon mentitur, ſicut poteſt grauiſſimis teſtimonijs
doceri. Et certè quos talium facinorũ non pudet, eos ne-
mo abſque ſummo periculo vlla in re duces ſequi poſſit.
Verùm ad rem. Sacerdotũ ſunt tenues prouentus & obla-
tiones. Veſtitum propè eundem cum laicis habent, dem-
pto capitis tegmine. Et cur differant habitu, qui non dif-
ferunt matrimonio? Vt populus, ſic ſacerdos. Monaſte-
ria habent leges ſeueriſſimas, ſed quæ paulatìm enerua-
tę, multùm refrixerint. Carne perpetuò abſtinent. Veſtes
quotidianæ epiſcoporum eædem ferè ſunt, quæ aliorum
monachorum. Perſuaſum habent, poſt ſeptimam Syn-
odum generalem, nulli vnquàm neque licuiſſe, neque
licere

[Margin notes:] *...ſtolo quid habeant Annales Ruſſorũ.* — *Sacerdos bigamus à clero excluditur apud Moſcouitas.*

licere Concilium œcumenicum indicere aut accedere sub pœna anathematis, quod etiàm feueriffimè obferuant. Tempore Florentini Concilij fub Eugenio 4. Romano Pontifice, quidam Ruffiç Metropolita idem Concilium adijt, vbì etiàm Græci & Armeni Latinis coniuncti & conciliati fuêre: at vbì domum redijt, rebus omnibus fpoliatus, in carcerem cōiectus eft, vndè tamen poftèa euafit. Pueri cùm baptifma percipiunt, tèr in aquam, quam ad fingulos nouam confecrant, toti immerguntur: nã alioquì putant non ritè baptizatos: mox etiàm chrifmate in facra hebdomada confecrato inunguntur. Circa Pafchatis feftum confitentur peccata fua cum magna cordis cōtritione. Confeffarius & confitens in medio templo ftant erecti, feruantq; facta confeffione cæremonias fingulares. Communicant fub vtraque fpecie, fed ità, vt corpus fanguini mifceant in calice, vndè facerdos cum cochleari portiunculam accipit, & porrigit communicanti. Communicant etiàm pueros feptennes tanquàm iam rationis compotes: qui fi præ ægritudine corpus Domini fumere nequeant, guttam ex calice eis inftillant, vna fpecie contenti. Non conficiunt Sacramentum, nisì dum facrificant. Pro ægrotis confecrant Euchariftiam in die Cœnæ Domini, feruantq; toto anno. Vndè conftat, ægrotis illos non nisì vnam fpeciem præbere. In hoc autem plurimùm reprehendendi videntur, quòd panem nondùm confecratum, per ecclefiam circunferunt, & conceptis verbis adorant. Feftos dies folenniores colunt: alijs minùs folennibus ciues & mechanici diuinis interfunt: quibus peractis, redeunt ad laborem: fed qui præftantiores funt, compotationibus & cultu corporis fefta venerantur. Feftum Trinitatis die fecunda Pentecoftes, feftum omnium Sanctorum die octaua Pentecoftes celebrant. Purgatorium non credunt, fed putant bonos & malos vfque ad diem iudicij vltimam expectare fententiam, nec ante illud tempus malos torqueri. At nihilominùs pro defunctis funebre facrum faciunt, quòd arbitrentur tolerabiliorem poffe locum ijs impetrari, vbì iudicium extremum expectent. Adfperguntur aqua benedicta, fed non nisì à facerdote. Colunt fanctos, & inprimìs D. Nicolaum, cuius etiàm recentia apud illos miracula referuntur. In Quadragefima totas feptem ieiunant hebdomadas: in prima tamen vtuntur lactarijs, reliquis fex etiàm à pifcibus abftinent. Sunt qui Dominicis & fabbati diebus tantùm

1501

Baptifmus Mofcouitarũ qualis.

Confeffio apud Mofcouitas vt fiat.

Euchariftia apud Mofcouitas.

Euchariftiam toto anno affervant Mofcouitæ.

De Purgatorio quid Mofcouitæ fentiant.

Quadragefima apud Mofcouitas.

1501 tùm edant, alijs nullum penitùs cibum capiant. Seruant etiàm ieiunium Petri ab octaua Pentecostes vsq; ad ferias Petri & Pauli. Item ieiunium beatissimæ Mariæ virginis à prima Augusti vsque ad eius Assumptionem. Ieiunant præterea sex septimanis in Aduentu Domini, idque vocant ieiunium Philippi. quòd iuxta illorum Calendarium, initium eius contingat festum Philippi. Nullius sancti vigiliam ieiunio venerãtur, præter decollationem S. Iohannis Baptistæ, quæ est 29. Augusti. Monachi potu acido & aqua fermento mixta in ieiunijs contenti esse coguntur. Sacerdotes aqua mulsa & cereuisia tum vti non possunt: quanquàm nunc leges omnes & statuta diffluant ac vitientur. Extra tempus ieiunij Sabbato carnes edunt, die Mercurij carnibus abstinent. Est apud illos præcipuum S. Trinitatis monasterium, vbì S. Sergius conditus, multis fertur clarere miraculis, eoque admirabilis fit gentium & populorum concursus, qui monasterij liberalitate aluntur. Habent Moscouitæ mulieres iam effœtas, quas proscurnicas vocant, quæ panem ad sacrificandum coquunt. Missam quoquè celebrant, sed lingua vernacula. Mulieres apud illos miserrimæ sunt, quippe perpetuò ferè domi conclusæ, vbì nent duntaxàt & fila trahunt, sed nihil ferè præterea iuris aut negocij habent, demptis tamen pauperioribus, quæ domesticos labores obeunt, & coquunt. Rarissimus in templa, rarior etiàm ad amicorum colloquia, nisì senes admodùm sint, illis permittitur accessus. Quidam Alemanus illic vxorem Ruthenam duxerat. Ea querebatur marito se ab illo non amari, propterea quòd eam nunquàm verberaret. Vbì hoc ille audiuit, testatus est se illam impensè amare, nec putâsse verbera esse amoris argumenta. Itaq; durissimè eam verberauit, sensitque eius erga se amorem ex ipsis verberibus longè auctiorem euasisse. Sæpiùs ergò eam verberauit, sed tandèm etiàm ceruicem & crura illi homo crudelis præcidit. Omnes Moscouitæ se Principis seruos fâtentur, & est genus hominum seruituti magis deditum, quàm libertati. Cuncti tunicis oblongis sinè plicis, manicis strictioribus vtuntur: Miris vtuntur cæremonijs, cùm alterius domum ingrediuntur, sæpiùs sese inclinando, & alia quædam faciendo. Habet Princeps diuersis in locis veredarios, & certum equorum numerum, quibus equis intra triduũ nonnunquàm 120. milliaria Germanica conficiunt, licèt ijdem equi parui admodùm sint, & negligenter curentur.

Ieiunium S. Petri. *Ieiunium diuæ Virginis.* *Ieiunium Aduentûs.* *Monasteriũ S. Trinitatis.* *Mulieres Moscouitarũ miserrimæ.*

Sunt

Sunt in Moſcouia diuerſorum generum pelles nobiliſſimæ, zebellinæ, madauricæ, hermelinæ, aſpreolorum, & aliæ non paucæ. Ditio tota principis Moſcouitæ ampliſſima eſt, ità vt quidam affirment tam in latum quàm in longum obtinere eam quingenta milliaria Germanica. Vrbs Moſcouia, Ruſſiæ caput & metropolis eſt. Eiuſdē nominis Prouincia, in qua vrbs hæc ſita eſt, hyemes & frigora habet aſperrima, ità vt aqua in aërem effuſa, prius congeletur, quàm terram contingat, & interdùm arborum rami, pecora & homines frigore pereant. Nonnunquàm verò etiàm nimio æſtatis ardore non mediocritèr affliguntur. Quanuìs autem omnes Moſcouitæ vocentur, attamen Moſcouia prouincia neq; lata eſt, neque ſola páret Moſcouitæ principi, ſed multæ præterea aliæ: ipſa verò in extremis circa Aſiam Europæ finibus ſita eſt. Vrbs Moſcouia ampliſſima eſt, & in ipſa Principis caſtrum Italicæ ſtructuræ munitiſſimum, & quod vrbis cuiuſdam amplitudinem prę ſe ferat: quippe in quo præter alia, multæ ſint ædes ſacræ. Domus vrbis pleræq; omnes ligneæ ſunt, ſed caſtri propugnacula & principis palatium ex lateribus conſtructa ſunt. Regio ſalubris eſt, adeò vt vix vnquàm peſtis ibì graſſetur: quāquàm interdùm aliud genus morbi, peſti non diſſimile, patiuntur. Longiſſimus illic dies eſt horarum 17. & quartalis vnius. Reliquas Moſcouitæ Principis ditiones & Prouincias enarrare longum foret. ſufficiat Lectori pro comperto haberi, eum Principem eſſe potentiſſimum, & qui Germaniæ iam immineat, cuius non cōtemnendam partem in Liuonia ſibi vendicauit: qua de re infrà ſuo loco dicetur. Non dubium eſt, quin ille oblata occaſione maiora ſit attentaturus, nec id difficile admodùm, quandò apud nos, id eſt, in Germania, tam fœda religionis varietas animos quoquè diſcordes facit. His ferè titulis in literis ſuis vti ſolebat pater eius, qui nunc rerum apud Moſcos potitur: Magnus Dominus Baſilius, Dei gratia rex & Dominus totius Ruſſiæ, & magnus Dux Vuolodimeriæ, Moſcouiæ, Nouogardiæ, Pleſcouiæ, Smolenchiæ, Tuueriæ, Iugariæ, Permiæ, Viackiæ, Bulgariæ, &c. Dominus & magnus Dux Nouogardiæ terræ inferioris, & Czernigouiæ, Rezaniæ, Vuolotkiæ, Riſchouiæ, Beloiæ, Roſtouiæ, Iaroſlauiæ, Bielozoriæ, Vdoriæ, Obdoriæ, Condiniæ, &c. Poſtquàm verò hodiè multa quoquè in Liuonia, non ſinè magna Romani imperij ignominia, occupant, non dubium quin indè quoquè titulos ſibi auxe-

1501

Moſcouiæ amplitudo.

Vrbs Moſcouiæ ampliſſima.

Caſtrum longè maximum.

1501 auxerint. In tota Russia multi sunt fluuij, multæque paludes. Veteres scriptores opinati sunt, Tanaim fluuium celeberrimum, qui Asiam ab Europa disterminat, ex Riphæis montibus oriri, sed ij montes nusquàm extant: porrò Tanais octo ferè milliaribus Germanicis à Tulla, quæ vrbs à Moscouiæ oppido trigintasex milliaribus Germanicis distat, ex lacu ingenti, qui in longum & latum circiter 1500. Werst (Werst/ Italicum ferè milliare est) patet, in sylua quadam ortum habet: atque ex eodem lacu aliud grande flumen Schat emergit, quod in Occidentem tendit, sicut Tanais primò rectè pergit in Orientem ad aliquot milliaria: deindè reflexo in meridiem cursu, paludes Mæotidis efficit. Et Tanaim quidem, quem Don vocant, ab optimorum piscium copia singulari, & quòd vtranque ripam diuersæ herbæ, radices suauissimæ, multijugæ arbores ad multam amœnitatem occupent, tantaque ijs locis ferarum sit copia, quæ facilè sagittis conficiantur, vt qui illàc proficiscuntur, non nisi sale & igni opùs habeant, mirificè prædicant.

Tanais vbi oriatur.

Tanais præconia.

Lituania.

Moscouiæ proxima est Lituania, quæ hodiè Poloniæ regi páret. Vtitur proprio idiomate, & ritu Romano, tametsi eius incolæ bona ex parte Rutheni sunt. Vilna est eius regionis caput. Ea verò ciuitas ampla est, sita intra colles. Sunt ibi templa multa, & aliquot monasteria, in quibus excellit eximium Franciscanorum de Obseruantia cœnobium, maximis sumptibus extructum. Hodiè in ea gente Arriana & Nestoriana hæresis perniciosissimè grassatur, & multas Ecclesias occupat. Sunt ibi hæretici, qui sacrosanctam & omnibus modis colendam & honorandam Trinitatem, incredibili impietate vocent Cerberum tricipitem. Atque hæc & id genus alia nefanda dogmata, quæ sub prætextu & specioso titulo verbi Dei, quod solum voluit Luterus, omnium horum malorum fons & origo, valere oportere, pasśim imperitæ multitudini obtruduntur, eò certissimè intendunt, vt religio Christiana in impurissimam Mahometanæ superstitionis abominationem tandèm transformetur. Nec dubium quin Turcæ & barbaræ nationes mirum in modum his rerum Christianarum perturbationibus & exagitationibus lætentur, quippe quæ illis quandoq; optatissimam sint Germaniæ & vicinorum regnorum nullo negocio in durissimam seruitutem redigendorum præbituræ occasionem.

Vilna ciuitas.

Porrò

Porrò licèt Vilnæ, vtì diximus, multæ fint ædes sacræ, & ipse quoquè Vilnensis Episcopatus Romanum agnoscat Pontificem, tamen multò plura in eadem vrbe sunt Ruthenorum, quàm Romanæ obedientiæ, templa. Sunt autem in Lituaniæ principatu tres Romanæ obedientiæ Episcopatus, Vilnensis, Samogithiæ & Chiouiensis. Lituani mel, ceram, cinerem, picem, asseres fabricandis nauibus aptos, etiàm ad exteros transmittunt. Sale aliundè importato vtuntur. Est Lituania syluis frequens, paludibus & fluuijs abundans. Cæli inclementia fit, vt frumentum raro maturescat. Gens misera est, & duram seruit seruitutem. Sunt qui scribant, etiam viri graues, à Vuitoldi principis tempore, apud eos hunc seruari morem, vt qui capite damnatus est, iubente domino, seipsum suspendere cogatur. Quod est sanè perquàm horrendum: & tamen ni faciat, dirè verberatur & excarnificatur, ac tandèm suspenditur: quæ res plerosque miseros metu verberum cogit sibijpsis laqueum inijcere. Habet Lituania bisontes, vros & alces. Errant quidam, dum vros vocant bisontes, cùm tamen bisontes multùm ab vris, bouinam formam habentibus, differant: quandò bisontes iubati sunt, & villosi circa collum & armos, barba à mento propendente, pilis moschum redolentibus, capite breui, oculis grandioribus & toruis, quasi ardentibus, fronte lata: cornibus plerunquè adeò diductis & porrectis, vt in ijs tres benè corpulenti homines insidere queant. In tergo extat gibbus elatior, priore & posteriore corporis parte humiliore. Vros sola Mazouia Lituaniæ contermina habet, qui sunt boues syluestres, nec à domesticis differunt, nisi quòd omnes nigri sunt, albicante commixtìm linea dorsum obtinente. Alces verò animal est ceruo procerius, auribus & naribus prominulis, cornibus à ceruo nonnihil diuersis, colore item magis ad albedinem tendente. currit mira pernicitate, non tamen vt cætera animantia, sed gradarij instar. Verùm hactenùs de rebus Moscouiticis vel Ruthenicis egisse satis sit. Nobis quidem rogandus est Deus, vt nos ab hæresibus & improbis moribus repurgatos, non patiatur vel Tartaris, vel Turcis, vel etiàm Moscouitis dirè castigandos obijci: quanquàm verendum est, nè qui hodiè in Germania & vicinis prouincijs tantoperè Romani Pontificis obedientiam detestamur, iusto Dei iudicio sub eorum quandoquè iugum mittamur, qui nos vsqueadeò intoleranda premant seruitute, vt nos

1501

Supplicij crudele genus.

Vri & bisontes vt differant.

Alces animal quale.

1502 ipſius quoquè vitæ noſtræ pertædeat. Certè Philippus Melanchthon non longè ante obitum ſuum, cùm à quibuſdā nedùm ſymmyſtis, ſed etiàm diſcipulis Luteranæ ſectæ addictiſſimis, parùm commodè tractaretur, his verbis ſcripſit de illis: Cogunt, inquit, concilia, quandò & vbì ipſis placet, atque vendicant ſibi maiorem, magìs intolerabilem, & minùs excuſabilem authoritatem ac poteſtatem, quàm Papa Romanus vnquàm. Quæ quò tandèm euaſura videantur, cogitetur, inquit ille Luteranorum Coryphæus Melanchthon. Verùm de his alibì.

Melanchthonis de Luteranis ſententia.

Peſtis ſæua in Germania.

ANNO 1502. ſæuiſſima peſtis omnem Germaniam longè lateque populata eſt. Multorum opinione ij tum extincti ſunt, quorum veſtibus ſuprà diximus cruces ſanguineas incidiſſe: & quod dictu mirum eſt, etiàm illis in veſtibus lineis cruces inuentæ ſunt, quæ ciſtis incluſæ tenebantur, atque etiàm in ipſis hominum corporibus. Iſthuc verò in tertium vſque durauit annum.

Ruſticorū Spirenſiū cōſpiratio.

Hoc anno in diœceſi Spirenſi à duobus ruſticis primùm orta eſt cōſpiratio & rebellio aduersùs Epiſcopum & Canonicos, contra iuſiurandum & fidem illis datam tanquàm dominis ſuis. Creuit paulatìm ſeditioſorū hominum numerus, quòs ij ruſtici callidis perſuaſionibus in ſuas partes pertraxerunt: & niſi Numinis prouidentia id malum breuì detectum fuiſſet, illa hominum fæx poſteà præ multitudine opprimi vix potuiſſet. Submittebantur clàm ex his fœderatis homines verſuti in pagos & oppida, qui quoſcunque poſſent, in clerum, in Principes & omnem magiſtratum concitarent, ipſorumque factioni adiungerent. Iam duos ſibi duces delegerant, penès quos rerum eſſet ſumma poteſtas, quibusque vniuerſi ſinè vlla contradictione parerent.

Cùm diem certam deſignâſſent, ad quam in locum vnum omnes conuenirent, eccè capti ſunt duo huius perfidiæ authores, qui quæſtionibus & tormentis ſubiecti, omnia ſua nefanda conſilia enunciârunt, quæ eò ferè ſpectabant, vt omni iugo excuſſo, pernicioſa gauderent libertate, liceretque cuique ſuo viuere arbitratu: magiſtratum omnem & principatum profligarent, & ſi qui ipſorum conatus retardare aut ipſis obſiſtere inſtituiſſent, eos immanitèr trucidarent, tanquàm iuſtitiæ diuinæ hoſtes & aduerſarios. Inprimìs quidem ſtatuerant inuadere Marchionem Badenſem, indè Spirenſem

Episcopum, posteà Monachos & clericos &c. deniquè in omnimodam se vendicare libertatem. Qui conatus tametsi erant seditiosi, impij, & omni supplicio digni, tamen videbantur sibi homines deploratæ cæcitatis & stultitiæ æquam & bonam fouere causam: atque vt res tam nefaria prosperos haberet successus, certas eo nomine preces quotidiè à singulis dici volebant, scilicet vt Deus tantæ nequitiæ se patronum & fautorem præberet. Preces erant quinque orationes Dominicæ & totidem Angelicæ Salutationes, flexis genibus dicendæ. Nec hoc contenti, etiàm symbolum sibi statuêre virginem Matrem & Iohannem Euangelistam, quasi Sancti hominum sceleribus faueant. Verùm Maximiliano Cæsare grauitèr in eos animaduertente, publicè suæ temeritatis iustas dedêre pœnas, plurimis eorum captis & vltimo supplicio affectis. Eos exitus plerunquè habere solent turbulenta & seditiosa, præsertim aduersùs Magistratus, quibus diuinæ literæ nos iubent esse morigeros, consilia & machinamenta, suisque authoribus vt plurimùm exitio esse consueuerunt, rerum humanarum peruigilem curam gerente Diuina prouidentia, quæ etsi interdùm occulta sua iustitia permittit homines pessima quæque moliri, non tamen patitur sempèr eos voto potiri suo. Habebant coniurati isti tesseram quandam mutuæ cognitionis, nè ab alijs depræhenderentur, eaque erat eiusmodi, vt si quis eius fœderis esset, percontatus ab alio, **Was ist nun für ein wesen?** id est, Quis modò rerum status est? interrogatus responderet, **Wir mögen vor den pfaffen nit genesen/** hoc est, Nos præ clero salui esse non possumus. Atque hunc in modum videbantur illi quidem cum solo clero negocium habituri, sed sub hoc prætextu iugum omne cuiuscunque Magistratus, à suis ceruicibus deijcere moliebantur. Non erant illi agricolæ sorte sua contenti, cùm tamen rectè à Poëta dictum sit, O fortunatos nimiùm, sua si bona nôrint, Agricolas. Et certè prisci illi ethnici, quem amplissimè & insignitèr prædicare voluissent, eum bonum agricolam, bonumque colonum dicebant. Et Cicero ipse, Nihil est, inquit, agricultura melius, nihil vberius, nihil dulcius, nihil homine libero dignius.

1502

Preces fiũt in fauorẽ scelerum.

Huius anni mense Septembri Vualtherus à Plettenberg Magister Liuoniensis, ab Alexandro rege Poloniæ, eodemque magno Lituaniæ Duce persuasus, bellum mouit

Vualtherus à Plettenberg.

1502 mouit Moscouiæ Principi. Promiserat Alexander, se cum magnis copijs ipsi subsidio venturum. At vbi Mosci Plettenbergij aduentum sensêre, cum ingenti multitudine ei occurrunt, porrò Alexander non venit. Cernens ergò Plettenbergius se sinè summa turpitudine & periculo non posse retrocedere, suos hortatur ad pugnam, & displosis tormentis acrique facta impressione, hostes in fugam vertit. Sed cùm fugientes præ suorum paucitate & graui armatura persequi non posset, Moscouitæ re, vt erat, animaduersa, quòd pauci essent cum Plettenbergio, rursùs sese colligunt, coguntque in ordines: aggressique peditatum Plettenbergij, multos ex ijs cædunt, & in ijs aliquot viros fortes & primarios. Fuit tum inter Liuonienses quidam Lucas Hamerstetter, qui ad Ruthenos defecit, cuius defectione factum est, vt quadringenti ferè pedites, à Moscouitis crudelitèr perimerentur, reliqua turba cum equitatu ad suos, seruatis ordinibus, incolumi euadente. Pauci erant cum Magistro Liuoniensi, alioquì non tam facilè semèl in fugam compulsi Moscouitæ, rursùs prælium instaurâssent. Est Liuonia non ità pridèm, nempè Anno salutis 1190. aut circitèr, per Meinardum quendam virum religiosum, qui ex Lubeco cum mercatoribus eò nauigauit, ad fidem conuersa, quam tamen Teutonicorum militum Ordo multùm illic & auxit, & tutatus est in nostram vsque ætatem, qua ille insignis Ordo illis in locis, dum ab auita discedit Religione, Moscouitis diripiendum se præbuit, vt dicemus suo loco. Olìm cùm essent præpotentes, etiàm primarij eius Ordinis viri, fratres se scribebant & vocabant. Hodiè in Liuonia etiàm habitum Ordinis candidum abiecerunt. Legi ego priuilegium quoddam ab illo Ordine in Liuonia datum Lubecensibus, quorum erga se fidem & beneuolentiam re ipsa erant experti. Eius priuilegij tale est initium: Frater Gotfridus Magister, commendatores, & vniuersi fratres domûs Teutonicæ in Liuonia, &c. Datæ erant hæ literæ anno Christi 1299. Oportet autem Liuoniæ gentem certè barbaram & ab omni ferè humanitate olìm fuisse alienam, quippe apud quam hodieque tanta est idiomatum varietas: alitèr enim loquuntur Liuones, alitèr Estones, Letti quoquè secùs atquè Curoni. Hæc enim idiomata quatuor Liuoniæ pagos occupant, cùm alioquì Arces & Oppida sint Saxonica. Sunt in Liuonia tres præcipuæ vrbes, Riga, Torpatum, Reualia: è quibus

Liuonia quādò ad fidem conuersa.

Idiomata varia in Liuonia.

quibus Reualia, quod mirum videri poſſit, Epiſcopum habet, qui ſubſit Archiepiſcopo Lundenſi in Dania. Sed huius ratio eſt, quòd olim Vualdemarus rex Daniæ eius nominis ſecundus, Reualiam extruxit, & repertum illic populum iuſſit baptizari, tranſlatis eò ex ſua prouincia ſacerdotibus, qui populum docerent, & Sacramenta adminiſtrarent. *1502* *Reualiæ Epiſcopus cui ſubſit.*

Hoc etiàm anno Gallorum rex claſſem in Græciam miſit contra Turcas, duce Philippo Raueſteno: qui cùm ad Lesbum inſulam perueniſſet, & Mitylenas tormentis oppugnaret, ea ſe ſtrenuitate Turcæ defenderunt, vt re infecta abſcedere compulſus ſit, cuius deindè claſſem ſæua tempeſtas adeò diſiecit, vt poſt multa pericula dirasque maris iactationes & naufragia, Tarentum vix ipſe attigerit. Galli eam improſperam oppugnationem Venetis imputant, qui ſanè circa id tempus, iuncto ſibi Conſaluo, cui ob ſingularem fortitudinem & multa præclara facinora, Magni cognomen attributum eſt, Cephaleniam maris Ionij inſulam multo tandèm labore expugnârunt, Turcis ferè omnibus interfectis: itemque ſanctæ Mauræ oppidum ad Leucadem in Nerito inſula. *Galli infelicitèr oppugnāt Turcas.*

Per id ferè tempus Galliæ atque Hiſpaniæ reges ex compoſito Fredericum Aragonium toto regno Neapolitano, quod iam quinquennium obtinuerat, exuunt, ipſique eius ditionem inter ſe partiũtur. Fredericus cum coniuge ad Ludouicum Galliæ regem nauigauit, & ab illo liberalitèr atque honorificè ſuſceptus eſt, neque id tum ſolùm, cùm Neapolim Gallus obtineret, ſed etiàm cùm ab Hiſpanis indè rurſùs exturbatus eſſet. Ità tum ſinè vulnere Conſaluus Brutios & Apulos in ditionem Ferdinandi Hiſpani regis redegit, & Alphonſum Frederici filium Tarenti obſedit, ac deindè captum in Hiſpaniam miſit.

Huius Neapolitani regni cauſa quàm multus, idemque Chriſtianus, fuſus ſit ſanguis, ſinè horrore neque dici, neque ſcribi poſſit. Sed dum Chriſtiani inter ſe eiuſmodi atrocia bella gerunt, mutuisque ſe vulneribus conficiunt, intereà Turcę paſsìm ampliſſima Chriſtianæ Reipublicæ regna & imperia inuadunt: & quod magis dolendum eſt, tanto interdùm odio inter ſe Chriſtiani deflagrant, vt in certiſſimam Reipublicæ perniciem, Turcarum opem & auxilia implorent, *Turca creſcit inteſtinis bellis Chriſtianorum.*

1503 ijsque Christianos oppugnent & prodant. Eiusmodi intestinis & mutuis Christianorum odijs superiori seculo Constantinopolitanum & Trapezũtinum Imperia, miserandum in modum Christianis erepta, in Turcicam sunt redacta seruitutem. Quid plerisque Europæ regnis ex hac incredibili animorum in religionis negocijs dissensione, quæ iam longè lateque grassatur, quandoquè certo certiùs expectandum sit, nisi pijssimus Deus, pro sua bonitate exulceratos animos in vnius Catholicæ fidei & Christianæ charitatis concordiam redigat, nihil attinet scribere, cùm id facilè apud se perspicere queat, quisquis non omninò mentis & iudicij expers est.

ANNO 1503. asperrima eaque diuturna fuit hyems, quam insecuta est æstas immodicè æstuans & arida, ità vt ob pluuiæ inopiam & nimium solis ardorem cuncta penè humi nascentia exaruërint, fœnum inprimìs: parùm quoquè auenæ creuerit, & frumenti magna extiterit caritas. Fuit prætereà hic annus porcis admodùm funestus & exitiosus.

Philippus Austriacus non sinè periculo it in Gallias.

Hoc anno Philippus Austriacus, Maximiliani Cæsaris filius, ex Hispania reuersus est in Gallias: cumque Lugduni esset, pax ibì confecta est inter Cæsarem, Gallos, & Hispanos, sed non diù duratura, sicut ipse rei euentus paulò pòst declarauit. Sunt qui scribant, Philippum non sinè periculo hac tempestate fuisse in Gallia, quòd Gallorum regi vbiquè omnia exploranti ex Germania significatum esset, conscribi Germanos milites, qui regi Ferdinando in Neapolitano regno suam nauarent operam. Verùm Philippus apud regem testatus est, se quidem iussum esse pacem conficere: si quid verò interim Ferdinandus rex clàm moliatur paci aduersum, id se latére. Atque eam excusationem Ludouicus rex accepisse non malo animo videtur. O quàm felices sunt, qui nihil huius mundi appetunt, cùm videamus potentissimos reges, quantumuis amplas & opulentas ditiones occupent, tamen semper ferè pluribus inhiare: quod quidem Christus Deus à primo ortu vsque ad extremum vitæ huius diem, in summa paupertate apud nos degens, suo exemplo neutiquàm nos docuit. Philippus deindè ad Margaretam sororem, quam Philibertus Allobrogum princeps in matrimonio habuit, inuisendam profectus est.

Huius

Huius anni mense Augusto obijt Alexander eius nominis VI. Romanus Pontifex, incautè à ministris illi oblato veneno, quod in quodam conuiuio alijs paratum erat. Sumpserat idem venenum etiàm alius quidam vir magni nominis, sed ille mulæ recèns occisæ vtero inclusus, alijsque pharmacis adhibitis, seruatus est. Alexandro successit Pius tertius Cardinalis Senensis, nepos Pij secundi: sed dies tantùm sexdecim aut septendecim ea potitus dignitate, excessit è viuis, humanarum rerum vanitatem & inconstantiam suo præpropero decessu mortalibus ob oculos reuocans, vt nè quis huius mundi fluxis, incertis ac momentaneis rebus sese addicat. Eo quoquè defuncto, in eius locum suffectus est Iulius secundus, cuius pontificatûs anno primo Hispanis & Gallis de finium diuisione in regno Neapolitano inter se contendentibus, Galli tandèm regno Neapolitano cum multa suorum cæde depulsi sunt, Consaluo Hispano Duce fortissimo, pro Ferdinando rege suo mirificè depugnante. Obsederunt illum aliquandiù Galli apud Barolum, sed nouis tum Hispanorum tum Germanorum auxilijs fretus, Gallos, cæso illorum Duce Namursio, profligauit. Cumque rursùm nouus Gallorum exercitus, Tramulio & Francisco Gonzaga Mantuano principe ducibus, in regnum bipartitò esset ingressus, Consaluus eorum castra aggressus, in fœdam fugam per Formianum littus, non paucis eorum cæsis, illos coniecit. Ea re fracti Duces Galli, etiàm Caietam dediderunt ea conditione, vt sua classe vecti, inermes in Galliam redirent. Ità breui interuallo crebrò suos mutauit Dominos ditio Neapolitana, & egregiè Christianorum arma exercuit, quæ si in Turcas & Christiani nominis hostes conuersa potiùs fuissent, non dubium quin facilè illi iampridèm coniunctis Christianorum viribus opprimi potuissent, sed nostris castigandis peccatis Turcicæ immanitatis immitia flagella parantur: neque quenquam mouet tot gentium Christiana religione initiatarum plusquàm Babylonica captiuitas, qua sub Turcis immanissimè premuntur, donèc tandèm etiàm nos inuoluat. Circa hoc tempus ad Galliæ & Hispaniæ confinia itidèm ingenti prælio Galli ab Hispanis victi sunt.

1503

Alexãder VI. moritur veneno alteri parato.

Pius III. Pontifex fit.

Iulius II. fit Pontifex.

Galli ab Hispanis è regno Neapolitano profligantur.

Neapolis crebrò mutat dominos.

Eodem anno obijt Iohannes è Marchionum Badensium familia Archiepiscopus Treuirensis. Fuit huius perquàm diuturnus episcopatus, quippe cui annis septem

1503 ptem & quinquaginta præfuit. Vixit annis 79. Successorem habuit Iacobum ex eadem Marchionum stirpe, virum ingenio, facundia, prudentia & eruditione ità conspicuum, vt vix ea ætas parem habuisse feratur. Sunt eius tum naturæ tum gratiæ dotes etiàm Itali admirati. Scripsit de antiquitatibus, quarum fuit diligens inuestigator, libros duos. Fuit in Episcopatu annis plùs minùs octo.

Impium facinus Picardi cuiusdam.

Hoc anno Picardus quidam Parisijs in sacello, quod sanctum dicitur, ex manibus sacrifici ad aram stantis & rem diuinam peragentis, vi abstulit sacram hostiam, & multis adspectantibus viris nobilibus, eam comminuit & iactauit in terram. Coniectus itaque in carcerem, cùm nollet, licèt à iudice admonitus, tanti sceleris veniam petere, mox, vtì par erat, igni concrematus est. Picardi, vel Pighardi inter alios damnatos errores etiàm illum tuentur, quòd Christus non sit personalitèr, corporalitèr & substantialitèr, sed tantùm sacramentalitèr in Eucharistia: atque proptereà in ea adorari nō debeat, &c. Hunc errorem hodieque Zuingliani & Caluiniani sequuntur tanquàm veram Euangelij lucem. Verùm contra hunc abominandum errorem, & iam olìm, cùm Berengarius insaniret, & hoc nostro seculo tam multa scripta sunt à grauissimis atque doctissimis viris, vt nemini obscurum esse queat, eos qui ab illo discedere nolunt, non iam imprudentes, sed de industria & malitiosè errare: quod quidem de doctis accipi velim: nam imperita concio ab istis infaustis Antichristi nuncijs miserandum in modum seducitur & fascinatur, vt iam multis locis prorsùs ignorent, quidnam credere debeant. Luterani enim acerrimè defendunt Christi veram & corporalem in Eucharistia præsentiam, non tamen sinè admixtis quibusdam crassis erroribus: porrò Zuingliani non minori contentione negant Christum in Eucharistia corporalitèr haberi & accipi. Interìm verò miserum vulgus miserabilitèr distrahitur in diuersas factiones, nec videt tamen se sub Euangelij & verbi Dei prætextu, in certissimum idemque summum & sempiternum salutis suæ discrimen adduci. Verùm de his aliàs.

Picardorū error de Eucharistia.

Antichristi nuncij.

Fuit hoc anno post sæuissimam pestem, quæ alibì tertiam, alibì dimidiam hominum partem consumpsit, diuersorum morborum horrenda lues, quæ multa hominum millia extinxit. Erant in hominibus febres pestiferæ, intestini calores, capitis dolores vix tolerabiles,

catarrhus, fœtor anhelitûs formidabilis, deniquè nihil hic annus præter clades & calamitates attulisse visus est. Id genus flagella Dei admonent malos vt resipiscant: bonos exercent ad patientiam. Verùm plerique omnes casu putant euenisse talia: ità fit vt maneant suî similes, & parùm aut nihil corrigantur. 1503

Eiusdem anni mense Iulio diem clausit extremum Heidelbergæ Iohannes Dalburgius Vangionum antistes, pontificatûs sui anno duodecimo. Fuit is Græcè, Latinè, & Hebraicè doctissimus, & quotiès à functionibus publicis dabatur ocium, libentèr lectioni operam dabat. Eius insignis eruditio non Germanis tantùm, sed etiàm Gallis & Italis admirationi fuit. Præceptorem habuit, in Græcis præsertìm literis, Rudolphum Agricolam Frisium, cuius viri & rara eruditio, & insignis in Deum pietas fuit. Ea verò præclara & rara laus est, doctrina paritèr & pietate excelluisse. Multos doctos viros nostra ætas habuit, doctos simul & pios non perindè multos. *Iohannes Dalburgius Episcopus moritur.*

Fuit hoc anno Conuentus principum Electorum Francophordiæ. causa Conuentûs paucis comperta fuit. Aderant etiàm Maximiliani Cæsaris legati, & Raimundus Cardinalis Gurcensis, sedis Apostolicæ legatus à latere, qui è Colonia per Rhenum & Moganum eò nauigio profectus est. Is deindè per Vangiones & Nemetes Basileam vsque progressus, certior factus est de miraculis minimè contemnendis, quæ creberrima fierent ad sacras reliquias trium sanctarum virginum, Kunegundis, Viberadis, & Mechtildis. Itaq; misit ad pagum Eichsel, in cuius parochiali Ecclesia eæ virgines conditæ seruabantur, (Est autem is pagus Constantiensis diœcesis) Iacobum Merbolt Bambergensis diœcesis clericum, vt rei veritatem inquireret. Vbì is eò peruenit, tria insignia miracula ipso inspectante diuinitùs edita sunt. Nam & fœmina vno orbata lumine, sanitati restituta est, & paralytica quædam curata est, & mutus linguæ vsum recuperauit. Hæc vbì Cardinalis resciuit, iussit sacras virgines, licèt necdùm solenni ceremonia & ritu in diuorum numerum relatas, haberi in honore : quippe quarum sanctitatem tot miracula testarentur. Erant tum meliora adhuc tempora, quàm sint hodiè, quibus noui Euangelici mundum suis erroribus inficiũt, cùm tamen tot annis ne vnum quidem edere miraculum potuerint, quo sua dogmata confirmarent. *Conuẽtus Electorũ Francophordiæ.*

1504 Obijt hoc anno Georgius Bauariæ dux, hæredem omnium instituens Rupertum filium comitis Palatini, cui iam antè filiam suam collocauerat. Verùm vbi id persensit Albertus propinquior hæres, testamento Georgij, tanquàm inualido & nullius roboris, contradixit. Cùm autem hac ratione nihil proficeret, ad Maximilianum regem, cuius sororem habebat in matrimonio, prouocauit. Et Maximilianus quidem summoperè in eam curam incubuit, vt lis omnis sopiretur, & in concordiam principes redigerentur: at Rupertus, qui alienis etiamnùm consilijs regeretur, Maximiliani decretum & conditiones non iniquas admittere noluit. Ea res maximam cladem & immaturam mortem Ruperto principi conciuit. Nam

Georgius Bauariæ dux moritur.

Bellum in Rupertum Palatinũ suscipitur.

ANNO 1504. Maximilianus Romanorum electus Imperator, vbì se multa clementia singularique humanitate nihil proficere vidit apud Rupertum, quorundam consilio transuersìm actum, tum illi, tum omnibus, qui eius partes sequerentur, aqua & igni interdixit, patrique eius Philippo Comiti Palatino mandauit, ne filio proscripto ferret suppetias. Tum verò Philippus animo fluctuare cœpit, sanguine hortante nè filio deesset: porrò Imperatoris mandato deterrente, nè quid attentaret. Vicit tamen paternus affectus, & Imperatoris iussione posthabita, quanta maximè potuit armata manu filio opem tulit. Quamobrèm Maximilianus illi æquè ac filio bellum denunciauit, eorumque res & ditiones omnibus vastandas & diripiendas permisit. Multi igitur principes Maximiliani regis iussa capessunt, (Erat tum temporis maior, quàm nunc sit, in Imperio obedientia) & multis locis tam patrem quàm filium oppugnant, grauissimaque vtrique damna inferunt, igni & ferro pleraque loca vastant. Multa quoquè Maximilianus Cæsar sinè sanguinis effusione recuperauit, quæ Palatinatui erant ex Imperio oppignorata. Non pauca neque parua hoc bello damna irrogata sunt pagis, monasterijs, ecclesijs & rebus ecclesiasticis, quæ sub proscriptorum principum ditione erant. Porrò verò nè Maximiliani Cæsaris ira in Philippum ampliùs inflammaretur, Christophorus Badensis Marchio multis precibus eum flexit adeò, vt & Principi vehementèr afflicto veniam dederit, & etiàm alios principes ab vlteriori eius infestatione reuocârit. Nolebat prudentis-

Maximilianus Cæsar placatur.

dentissimus Imperator principem penitùs conteri, præsertim cùm videret eum iam non mediocritèr humiliatum: nec consultum putauit, ius electionis à Palatinatu auferri. Fuit verò hoc laude dignũ in Principibus, quòd promptè morem gesſêre Imperatori, cùm eos iussisset receptui canere. Eiusmodi obedientia si in Imperio permansisset, vel solis Germanorum hactenùs sempèr inuictis viribus Turcica tyrannis opprimi & procùl à cunctis Romani Imperij finibus arceri potuisset. Sed cum noua noui Euangelij doctrina, multa in Imperio mutata videmus, in ipsius quidem Imperij certissimam perniciem. Interim dum sic bella feruent in Bauaria & Palatinatu, Rupertus princeps graui confectus animi ægritudine, in ipso adolescentis ætatis flore, anno ætatis suæ 23. vitam cum morte commutauit. Quem eius quoquè coniunx non longo interuallo secuta est. 1504

Per idem ferè tempus moritur etiàm Ludouicus de Helmstat Episcopus Spirensis, anno pontificatûs sui vigesimoseptimo. Successit illi Philippus Rosenbergius, qui non vno morbo nouem illis annis, quibus gessit episcopum, conflictatus est. *Ludouicus Episcopus Spirensis.*

Hoc anno à Basilio Moscouitarum principe defecerunt Cazanenses Tartari. Est Cazan regnum septuaginta ferè milliaribus Germanicis distans à Nouogardia inferiori. Sunt in eo sagittarij peritissimi. Sunt hi Tartari cæteris cultiores. nanque & agros colunt, & habitant in ædibus, & multiplices exercent mercaturat. Subiecerat illos sibi Basilius Moscouiæ princeps, adeò, vt ex eius sententia reges acciperent. Verùm hoc anno, vt dixi, iugum illud Moscouiticum à suis ceruicibus excusserunt. Eam defectionem multa secuta sunt bella, de quibus hoc loco iam pauca dicemus, nè sit opùs res peregrinas particulatìm subindè repetere & commemorare. Basilius Moscouita vbì de Cazanensium defectione certior est factus, ingentem exercitum vnà cum tormentis contra illos misit. Cazanenses cùm se viribus impares cernerent, ad astuta consilia conuertuntur. Opponunt castra castris tanquàm iusta acie dimicaturi, sed fortissimis quibusque è suis in insidijs collocatis, ipsi fugam ceu territi capessunt. Mox aduolant solutis ordinibus Moscouitæ, & dum castrorum diripiendis spolijs securi inhiant & incumbunt, eccè tibi derepentè Tartari sagittarij tanto in eos impetu feruntur ex insidiarum locis, vt non solùm fugam arripere, *Cazan regnum.* *Astutia Cazanensium.* *Cazanenses fugant Moscouitas.*

sed

1504 sed etiàm tormenta & machinas bellicas relinquere cogerentur. Mortuo deindè rege illo, sub quo Cazanesi à Moscis defecerant, alius quidam, Scheale dictus, vxorem eius viduam duxit, & auxilio principis Moscouię & fratris coniugis suæ, Cazanum regnum obtinuit. Verùm is inuisus admodùm fuit Cazanensibus, tum ob alias causas, tum quòd Moscorum principi addictior esse videretur. Itaque illi vni ex Tauricæ regibus regnum deferunt. Illi aduentanti necessariò cessit Scheale, seque cum vxoribus, concubinis & omni supellectile contulit in Moscouiam vndè venerat. Accidit hoc anno Domini 1521. Rex Tauricæ fratrem suum in Cazanense regnum cum magno exercitu postquàm introduxit, traiecto Tanai, Moscouiam rectà contendit. Basilius Moscouiæ princeps nihil tale suspicatus, misit repentè coactum militem contra Tartaros: sed illi iam Volgam fluuium transiërant, & Tauricæ atque Cazanensis reges, qui fratres erant, iunctis copijs, Mosco grauitèr incumbunt. Cernens autem Basilius se illis imparem, relictis quibusdam in Moscouiæ castro viris primarijs, adiuncto illis præsidio, indè aufugit, adeò quidem immodico correptus timore, vt fama sit, eum aliquandiù sub fœni aceruo delituisse. Tartari vltrà progressi, summum terrorem Moscouitis attulére, ità vt certatìm omnes in amplissimum Moscouiæ castrum cum rebus suis confugerent: vndè necesse erat, certissimam oriri pestem ex tanta hominum colluuie & intolerabili fœtore, si hostes vel paucos dies ad castrum substitissent. Erant tum in castro aliquot Germani tormentorum fusores & magistri: eorū opera Moscouitæ seruati sunt. Iam enim Præfectus arcis, & qui cum eo erant in præsidio, Tartaros muneribus placandos statuerant, & id gratum habuêre Tartari, sed ea conditione, vt Basilius scriptis literis testaretur, se perpetuum regi Tartaro tributum persoluturum, quemadmodùm eius Maiores fecissent. Scripsit eas literas Basilius, & Tartarus à Moscouia recessit. Erat autem in eius exercitu Polonus quidam, qui mira astutia conabatur castrum Moscouiticum occupare: nec res à periculo aberat, sub prætextu quodam reuertentibus subindè Tartarorum aliquot turmis. Moscouitæ quidem iam planè animum desponderant, sed machinarum siue bombardarum magister Iohannes Iordanus, ex valle Oeni oriundus in Germania, ex suo arbitrio tormentis ordine collocatis, & in Tartaros ac

Princeps Moscus turpitèr latitat.

Germani seruant Moscouitas.

Lituanos displosis, eos omnes ingenti terrore correptos 1504
in fugam coniecit. Tartarus rex de iniuria apud præfe-
ctum arcis conqueritur, sed ille suo iniussu tormenta ex-
onerata respondet. Itaque ille sibi tormentorum artifi-
cem dari postulat, & certè parùm abfuit, quin pro tanto
beneficio Tartaris deditus fuisset bombardarius, nisi vni-
us præfecti authoritate & humanitate seruatus esset.
Porrò Tartarus confestìm abscessit, adeò vt literas pen-
dendi tributi annui in arce reliquerit. Fertur autē octin- *Captiuā*
genta hominum millia, quanquàm id incredibile videa- *Moscouia*
tur, ex Moscouia in captiuitatem abduxisse: quos par- *tā.*
tìm Turcis in Capha vendiderit, partìm interfecerit.
Nam Tartari infirmos & senes ità solent iuuenibus, *Tartaro*
quouis genere mortis perimendos, obijcere, quò primæ *rum cru*
militiæ tyrocinia indè addiscant, vt apud nos lepores *delitas.*
canibus. Qui autem venduntur, perpetuos sex annos
seruiunt, hauddubiè duram seruitutem: indè quidem
liberi fiunt, sed è prouincia discedere non audent. Post-
quàm Tartari in Tauricam abiêre, Basilius Moscouiam
redijt, atque sequenti anno cum maximis copijs, atque
etiàm multis tormentis, quibus anteà nunquàm Mo-
scouitæ in bellis vsi fuerant, Tartaros debellatum abijt.
Sed cùm ea vice parùm profecisset, alio anno maiorem
etiàm exercitum in Tartaros, duce Michaële Georgij,
vno ex præcipuis consiliarijs suis, misit, qui regem Ca-
zanensem oppugnarent. Verùm ea oppugnatio hunc
finem habuit, vt Moscouitæ multa pressi commeatûs
inopia, Tartaris eum miris modis non semèl intercipi-
entibus, tandèm soluta Cazanensis castri obsidione,
non sinè dedecore in Moscouiam reuersi sint, ea condi-
tione, quòd Tartari missa legatione, à principe Basilio
pacem peterent. Ferunt in eo exercitu Moscouitarum
fuisse ad centum & octoginta millia. Præfectum auro
Tartarico corruptum, quidam putant ab occupanda
arce Cazaneñ abstinuisse, cùm non deesset opportuni-
tas. Non longè ab his Cazanensibus Tartaris in qua- *Semen*
dam insula à grauissimis viris narratur semen quoddam *quoddam*
inueniri, non absimile melonum semini, paulò tamen *admirabi-*
maius & rotundius, ex eoque in terram condito quid- *le in Insu-*
dam agno similimum enasci, quinque palmarum alti- *la quadā.*
tudine. Nam & caput, oculos, aures, cæteraque omnia *Agnus è*
in formam agni recens editi, pellem etiàm subtilissimam *terra na-*
habere, qua permulti ijs in locis ad subducenda capitum *scitur.*
tegmina vtantur. Tum quoque plantam illam, si tamen
sic

1505 sic dicenda sit, carnem quidem nullam, attamen sanguinem habere, sed carnis loco materiam quandam cancrorum carni persimilem: vngulas verò non vt agni corneas, sed pilis quibusdam ad cornu similitudinem vestitas: radicem illi ad vmbilicum ceu ventris medium esse: viuere autem tantispèr, donèc depastis circùm se herbis, radix ipsa pabuli inopia arescat. Deniquè miram eius esse suauitatem, quæ lupos & cætera rapacia animantia ad eam deuorandam inuitet. Hoc quidem propemodùm commentitium esse videtur, nisi à multis minimè contemnendis hominibus confirmaretur. Sed quid præpotenti Deo difficile est? quem admirari & laudare debemus in operibus eius.

Bertoldus Episcopus Moguntinus.

ANNO 1505. excessit è viuis Bertoldus, ex Comitibus Hennenbergensibus Archiepiscopus Moguntinus, anno pontificatûs sui 21. Multæ huius pontificis commemorantur egregiæ dotes, singularis prudentia & authoritas, ingenij acumen, præclara facundia, in rebus agendis multa circunspectio, consilij maturitas, insignis experientia, laborum inuicta tolerantia. Fertur etiam Ecclesiam Moguntinam, tum temporis nõ mediocri ære alieno prægrauatam, magna ex parte restituisse. Successit ei Iacobus de Liebenstain Sueuus, summæ ædis Moguntinæ decanus, vita & moribus inculpatis, sed calculi morbo vehementèr afflictus. Solent plerunquè homines illos miseros iudicare, qui duris conflictentur morbis, & aduersis fortunæ flatibus iactentur: contrà beatos, qui prospera sempèr fruantur fortuna & valetudine. Sed scriptura diuina pijs omnibus non ferè nisì aduersa & aspera in hac vita euentura prædicit, impijs verò iucunda & prospera. Dionysius Areopagita vetustissimus, idemque sanctissimus scriptor, libro de Diuinis Nominibus cap.8. Hoc verè, inquit, dici potest, potiùs esse diuinæ iustitiæ proprium, non demulcere & dissoluere virilem optimi cuiusque animum terrenorum bonorum largitionibus. Immò & Dominus ipse in Apocalypsi, Ego quos amo, ait, arguo & castigo. Porrò de impijs alio loco, Dimisi eos, inquit, secundùm desideria cordis eorum: ibunt in adinuentionibus suis. Hoc obitèr dictum sit propter multorum cæca iudicia, qui rebus ad voluntatem fluentibus, putant propicium se habere Deum, licèt malè viuant: contrà verò iratum, si secùs accidat, etiamsi studeant benè viuere.

Iacobus de Liebenstain.

Apoc.3.

Psal.80.

Eodem

Eodem anno sub mensis Iulij initium Maximilia- 1506
nus Cæsar Comitia habuit Coloniæ Agrippinæ, multis eò principibus, comitibus ac nobilibus confluentibus. Ibi pax conciliata est inter Albertum Bauarum & Philippum Palatinum principes. Conditiones pacis in medium propositas, Cęsar sub grauissima læsæ Maiestatis pœna seruari iussit. Interim verò dum Conuentus hic Coloniæ agitur, Maximilianus de Geldrensium rebellione fit certior. Itaque conuocatis principibus, comitibus & nobilibus omnibus, qui tum Coloniæ aderant, nauigio in Geldriam proficiscitur, opem laturus Brabantis, qui Arnhemium Geldriæ oppidum obsidebant. Dux vbi sensit non contemnendas Cæsaris vires, saniori vsus consilio, sub certis conditionibus vrbem dedidit, quam illæsis ciuibus Cæsar accepit, & Ducem quoquè quibusdam interpositis pactis in gratiam recepit. Indè Coloniam multa principum ac nobilium frequentia stipatus rediit, magna eius amplissimæ vrbis ciuium gratulatione exceptus, cunctis tota vrbe campanis alacritèr concrepantibus.

Comitia Coloniæ Agrippinæ.

Maximilianus domat Geldros.

Visus est hoc anno sæuus cometes in Palatini ditione inter Occidentem & Septentrionem, qui suo formidabili adspectu non paucos terruit.

ANNO 1506. Mulhusenses ab Austriacæ domûs dominatione deficiunt ad Heluetios, pactumque cum eis fœdus, literis sigillo munitis confirmant. Per id tempus rebellabant Hungari. Qua re cognita, Maximilianus Cæsar multo conscripto milite Presburgum oppidum obsidere instituit. Verùm Hungari cùm animaduertissent Cæsaris magnum animum, copiosumque exercitum, pacem postulârunt, eamque interuentu quorundam antistitum & procerum regni, sub certis quibusdam conditionibus impetrârunt. Post obitum Matthiæ Huniadis clarissimi Hungariæ regis, Maximilianus eius relictam viduam Beatricem, filiam Ferdinandi regis Siculi, sibi matrimonio iungere voluit: sed cùm id cunctantiùs ageret, præuentus est ab Vladislao Casimiri Poloniæ regis filio, qui tum Boëmiæ regnum obtinebat. Percepto igitur regni Hungarici diademate, Vladislaus rex appellatus est. Verùm cum Maximiliano pactus est, vt si absque legitima prole decederet, Hungariæ Bohemiæque regna ad eum eiusque successores deuoluerentur. Vladislao autem successit

Mulhusiũ deficit ad Heluetios.

Vladislaus fit Hũgariæ rex.

D filius

1506 filius eius Ludouicus, cuius soror Anna nupsit Ferdinando optimo & Christianissimo principi, qui non solùm Hungariæ, sed etiàm Romanorum rex, ac tandèm Imperator factus est.

Fuit hoc anno per Sueuiam & Rheni oram sæuissima porcorum lues, ità vt nemo ferè plerisque locis porcinas carnes vel vendere, vel emere auderet.

Hac tempestate Ludouicus Gallorum rex cùm Mediolani Principatum à Maximiliano Cæsare tanquàm Imperij beneficiarius accepisset, pacem & fœdus cum illo ictum rupit. Ità nunquàm diù licuit orbi Christiano pace & ocio frui, nouis subindè bellis & bellorum causis, quibus paulatìm Christiana Respub. miserabilitèr attrita est, emergentibus.

Ioachimus elector Brandeburgicus instituit Academiam Francophordiensem.

Hoc anno Ioachimus Brandeburgicus Elector, multis egregijs corporis atque animi dotibus insignis princeps, Academiam pulcherrimam instituit Francophordiæ ad Oderam, approbante Iulio II. Pontifice, & certis priuilegijs eam cohonestante. Est situs oppidi amœnissimus: præterlabitur Viadrus fluuius piscosus, quem alij Oderam vocant, multique colles vinearij præcipuam adferunt spectantibus voluptatem, & quod studiosos facilè allicere solet, paruo illic viuitur, & commodissima habentur studiosorum habitacula. Sequuntur autem Luteri doctrinam, à qua toto vitę suæ spatio Ioachimus Princeps vehementèr abhorruit, nec in sua eam ditione disseminari passus est. Fuit autem idem Princeps etiàm Latinè doctus, & studiorum atque studiosorum præcipuus fautor & Mecœnas.

Tumultus in Vlysbona.

Eiusdem anni mense Aprili Vlysbonę in Lusitania ingens ciuium in Iudæos recèns baptizatos tumultus concitatus est, quòd ij simulatè tantùm salutaribus vndis tingi se permisissent, cùm interìm nihilo minùs Iudaico ritu clàm Pascha celebrarent. Tulit id molestissimè populus Christianus, & apud regem de ijs questus est. Rex sedecim ex illis capi quidem iussit, sed posteà impunè dimitti. Cernens hoc populus, mussitat contra regem & præfectum, tanquàm muneribus corruptos: factaque conspiratione, vno animo omnes viri & fœminæ tumultuantur contra Iudæos pseudochristianos. Aderant illis adhortatores tres monasticæ vitæ cultores, & per vrbem vociferabantur, Misericordia Misericordia: sequantur nos quotquot Christi fidem & crucem diligunt: cædantur

omnes

omnes ſacrilegi Iudæi, qui baptiſmum prophanârunt &c. 1506

Fit igitur magnus armatorum hominum, fœminarum quoquè & iuuenum concurſus, vt ſolet in eiuſmodi tumultibus, perque vrbis plateas volitantes, Iudæos omnes recentèr baptizatos, quotquot inuenire poterant, ad ſexcentos vſque trucidant, & in ſancti Dominici planitie ignibus iniectos comburunt. Deniquè intra paucos dies, quibus hic feruebat tumultus, Vlysbonæ & in propinquis villis mille nongenti triginta Iudæi perempti feruntur. Aberat per id tempus rex Luſitanus ab Vlysbona aliquot milliaribus. Vbì autem de hac cæde certior eſt factus, indignè tulit, iuſſitque in Iudæos ex .tatæ perſecutionis authores compræhendi. Capti ſunt igitur & in vincula coniecti ampliùs ducenti, è quibus aliquot ſunt flammis conſumpti, alij capite plexi, nonnulli in crucem acti: plerique facultatibus omnibus nudati, è patria in exilium pulſi ſunt. Fuit quidem zelus ille non repræhendendus, quo deteſtabantur Iudæorum perfidiam: ſed non videtur laudanda temeritas, qua priuata authoritate de illis ſupplicium ſumere voluerunt. Vetus lex in omni ſacrificio iubet ſal offerri, hoc eſt, vt etiàm rectè facta noſtra, ex rectæ rationis præſcripto prudentèr & moderatè, nihil temerè & inconſultò, geramus. Nam alioquì ſinè hac prudentia & moderatione, ſiue (vt habet vulgaris loquendi vſus) ſine hac diſcretione, etiàm virtutes abeunt in vitia: quò pertinet etiàm illud, Summum ius, ſumma iniuria.

Trucidantur Iudæi.

Rex eam necē vindicat.

Leuit. 2.

Apparuit hoc anno cometes menſe Auguſto paucis admodùm diebus inter Septentrionem & Orientem ſub vrſa minore, & vtrunque tam leonis quàm virginis ſignum occupans. Viſus eſt prænunciare mortem illuſtriſſimi Principis Philippi, regis Hiſpaniæ, Archiducis Auſtriæ, &c. Mortua enim Elizabeth regina Caſtellæ, Ferdinandi regis Hiſpaniæ vxore, ſinè virilis ſexûs liberis, regni Caſtellæ hæreditas ad Iohannam eius filiam natù maiorem peruenit, quæ Philippo nupſerat. Is igitur dotis nomine id regnum conſecutus, magna parata claſſe, ex Flandria ſoluit, Hiſpaniam petiturus, multis ſtipatus nobilibus ac illuſtribus viris. Sed inter nauigandum ſæua tempeſtas deimprouiſò orta eſt, & claſſis aliquandiù iactata fluctibus, tandèm diſſipatur, ac naues aliæ aliò circa Angliæ littus propelluntur. Na-

Cometes prænuncius mortis Philippi Auſtriaci.

Tempeſtas diſſipat claſſem.

1506 uis prætoria cum duabus alijs in * Vynmuthum portum perlata est, vbi rex Philippus & animo & corpore ob maris insolentiam defatigatus, scapha conscensa, in terram se eiecit. Vbi rumor increbuit, peregrinas appulisse naues, fit repentè concursus accolarum, præsertim nobilium ad eam oram degentium, vt vi depellant, si hostiles sint. At postquàm didicêre amicas esse, Thomas Trencherdius eques Philippum adit, & obnixè precatur, vt ad ipsius vicinum domicilium velit diuertere. Superuenit & alius eques Iohannes Carous magna armatorum manu stipatus. Is vnà cum Thoma orat Philippum, nè insalutato Angliæ rege discedat, præsertìm intra biduum, aut ad summum triduum adfuturo. Philippus quidem primò negat ob temporis angustiam, deindè assentitur. Henricus rex eius nominis VII. cognito Philippi aduentu, ob veterem amicitiam incredibili gaudio afficitur, mittitque heroum cateruas obuiàm, qui Philippum ad ipsum deducant. Verùm Philippus nihil iam moratus, ad regem in castrum Vuidesorium proficiscitur, nec multò pòst etiàm Iohanna coniunx eius secuta est. Rex autem post multa amica colloquia Philippum duxit Londinum regni caput. Ad extremum renouato cum Henrico rege fœdere, Philippus in Hispaniam proficiscitur. Iam enim reddita dudùm tranquillitate, classis disiecta, ad Angliæ littus conuenerat. Vbi in Hispaniam ventum est, receptus est Philippus tanto Hispaniæ procerum studio, vt Ferdinandum regem socerum desererent, cui tanquàm ætate iam affecta, nec admodùm liberali, vt fertur, facilè omnes nouum regem annos natum 28. & vitæ splendore florentem, anteferebant. Ferdinandus verò eam suorum leuitatem detestatus, Neapolim nauigauit. At Philippus paulò pòst ab cæli noua intemperie febre correptus, in Burgeñ oppidi castro vita functus est, magno suî plerisque omnibus desiderio relicto. Genuit ex Iohanna liberos sex, mares duos, Carolum & Ferdinandum, ambos Romanorum Imperatores: fœminas quatuor, Eleonoram, * Elizabeth, Mariam & Catharinam. Fuit autem statura iusta, facie venusta, corpore crasso, ingenio bono, animo forti & liberali. Est hoc quoquè exemplum memorabile humanæ fragilitatis & miseriæ, quandò tantus princeps in eo vitæ ac fortunæ mirificè arridentis splendore, in eo ætatis flore & robore, præter omnem expectationem rebus humanis eximitur, alijsque

Marginal notes: * Vuinmuthum — *Philippus ab Angliæ rege honorificè accipitur.* — *Philippus ab Hispanis propensissimus animis suscipitur.* — *Philippus moritur.* — * Isabelã,

isque suo exemplo luculētèr ostendit, quàm nihil sit sub 1507
sole diuturnum, quàm meritò contemnēda sint omnia, quæ possit offerre hic mundus. Filij hominum, vsquequò graui corde? vt quid diligitis vanitatem, & quæritis mendacium? *Psal. 4.*

Eodem anno Iulius Pontifex Iohannem Bentiuolum virum præpotentem, Gallorum viribus adiutus, Bononia eiecit. Iam Galli portis exercitum admouerant, cùm Bentiuolus senex septuagenarius, malè sibi à Pontifice metuens, ad Gallos confugit, & tandèm Mediolani exul interijt. Domus eius magnificentissimæ structuræ, medium vrbis locum occupans, vt abominandi dominatûs memoria penitùs aboleretur, concurrentis populi impetu à fundamentis euersa est. Est Bononia insignis & ampla, & vel maximè populosa Italiæ vrbs, olìm quidem subiecta Exarchatui, sed à Pipino & Carolo Magno tradita Romanis pontificibus, quibus hodieq́ue páret. Abundat mirificè rebus omnibus vitæ degendæ necessarijs & accommodis, atque erga exteros singulari quadam vtitur ciuilitate & humanitate. Fuit in ea Bentiuolorum familia cumprimìs potens, & quæ sibi non semèl dominium vendicârit: sed Pontificum ope vrbs liberata, eis, vt diximus, páret. Habet Academiam celeberrimam, vt non immeritò studiorum parēs dici posse videatur. *Iulius Pōtifex occupat Bononiam.*

ANNO 1507. Genuenses, pulsa nobilitate, statum popularem induxerunt, Paulo Nouio viro plebeio ad summum honorem immodico populi fauore euecto. Sed eos Gallorum rex Ludouicus armis subegit, & Gallico coëgit parére imperio. Porrò Paulum Nouium è fuga retractum, capite plecti iussit. Hæc vrbs sæpè mutauit dominos. Inter Liguriæ oppida longè clarissima est, potens quondàm in mari, ità vt vsque ad Peram Constantinopoli vicinam imperium protulerit suum, multisq́ue insulis dominata sit. Pulcherrimis abundat ædificijs, multisq́ue opibus, portuq́ue fruitur commodo. *Genuēses pellunt ex vrbe nobilitatem.*

Ortum est etiàm bellum inter Maximilianum Cæsarem & Venetos, partìm à Carnicis alpibus, partìm ad Tridentinas fauces: & primò quidem Liuianus Veneti exercitûs dux, multam Germanorum stragem edidit, aliquot etiàm Germanicæ ditionis oppidis vi expugnatis, & Veneto imperio adiectis: at verò Cæsar ea *Bellū inter Maximilianum & Venetos.*

1507 affectus iniuria, cum Pontifice & Galliæ rege Ludouico aduersùs Venetos Cameraci coniurauit, idque tanto silentio, vt cùm fœdus illud, quod Italiæ supremam propemodùm cladem attulit, obscuris indicijs in publicum emanaret, Veneti vix tandèm ictum credere potuerint. Maximilianus quoquè apud Constantiam habuerat comitia, vbì multa de Venetis questus fuit, quòd cum Gallo aduersùs ipsum conspirâssent. Itaque tum eius belli suscepta sunt consilia & initia, quod in annum vsque 1517. perdurauit, maximo Venetæ Reipublicæ detrimento. Veneti enim immoderata affecti cupiditate, ex maximorum Principum cladibus ditiones suas, multis occupatis vrbibus, summa cum inuidia protulerant. Gallus ante omnes cum amplissimo exercitu in Italiam transgreditur, & valida quoquè manu Venetorum duce Liuiano ipsi occurrente, ad pugnam ventum est, in qua permulti ex Venetis ceciderunt, capto Liuiano. Secundùm eam victoriam intra paucissimos dies sinè vulnere Bergomum, Cremonam, Cremam & Brixiam Galliæ rex recepit. Veronam, Vincentiam atque Patauium Cæsar cepit, Iulius Pontifex Ariminum, Fauentiam, Ceruiam & Rauennam recuperauit. Porrò Hispano regi Senatus Venetus Apuliæ vrbes, Sipontum, Tranium, Monopolim, Brundusium & Hydruntum spontè restituit. In hac Venetæ Reipublicæ penè suprema calamitate Turcicus Imperator non modò fidem seruauit, sed etiàm copias auxiliares Venetis studiosè obtulit. At illi, quod certè præclaram in eis meretur laudem, gratias quidem egérunt Turcæ, quòd fidem egregiè coleret, sed tamen eius auxilijs sibi minimè vtendum putârunt, puto, detestati barbari regis in Christianam religionem odium inexpiabile, licèt Christianos quosdam subindè non puduerit cum illis impijs Christi Dei hostibus, contra Christianos fœdus percutere, & ad Christianorum inuadendas ditiones eos prouocare atque extimulare : quasi verò nescirent, eiusmodi ferè occasione Græcorum imperium ab illis spurcissimis porcis superiori seculo occupatum.

Gallus vincit Venetos.

Veneti nolunt vti auxilio Turcico.

Hoc anno magna damna vinetis & frugibus intulit sæuissima grandinis tempestas, præsertìm in ditione Vuirtenbergica. Rotenburgi ad Neccarum fluuium tanta fuit grandinis rabies, vt & fenestras & tecta ædium comminuerit. Tertio quoquè Calend. Iulij, intem-

Grando sæuissima.

tempestæ noctis silentio, turbo vehemens tantam excitauit tempestatem, vt & arbores radicitùs euulsę atque procùl disiectæ, & ædificiorum tecta ac tegulæ abreptæ, domus & horrea concussa, plurimaque arboribus damna data sint. Eodem anno Carolus Geldrię Dux rupto fœdere, quod illi erat cum Maximiliano, Gallico auro & milite fretus, Brabantos vehementèr afflixit, & prædas ex illis egit egregiè. Anno sequente idem à populatoribus illis actitatum est, sed non pari rerum successu. Nam dum onusti præda ad suos se recipere volunt, à Namurcensibus cæsi atque prostrati sunt. 1508 *Geldrus vexat Brabantos.*

ANNO 1508. æstas perpetuis fuit pluuijs madida, quæ res locis non paucis porcos & boues tabida quadam lue & peste intercutanea afflixit & perdidit.

Hoc anno 3. Calend. Martij obijt Philippus Palatinus princeps post diuturnos podagræ, chiragræ & calculi toleratos acerbos cruciatus. Hi morbi inter acutos numerantur à medicis, qui mirabilitèr affligunt & excruciant corpus humanum, ità vt nonnunquàm furore & amentia corripiantur, qui ijs immodicè laborant. Reliquit is Princeps septem filios & tres filias, quarum postremò genita, Diui Benedicti complexa institutum, sanctè & piè vixit: multò felicior, contempto mundo, quàm aliæ sorores, quæ principibus viris matrimonio iunctæ fuêre. Obijt non longè pòst etiàm Albertus Bauariæ dux, relictis tribus filijs, Guilhelmo, qui ei in principatu successit, Ludouico & Ernesto, itemque filiabus quatuor. Coniugem habuit sororem Maximiliani Cęsaris, quę ab eius obitu facultatibus omnibus nuncium remittens, vt Christo immortali sponso totam se liberiùs tradere posset, Monaci, quod est pulcherrimũ Bauarię oppidum, monasticum est viuendi complexa genus, egregiũ de se prębens eximij in Deum amoris & virilis constantiæ exemplum, rarum in principibus fœminis, vt posthabitis pompis & vanitatibus seculi, cupiant vni vacare Deo: sed quanto rarius, eo præstantius. Omnia enim præclara rara, laudabilia & pulchra, vt rectè in Ethicis ait Aristoteles. Fecit olim idem Constantia Constantini Magni filia, quandò, vt testis est D. Ambrosius, ad sepulcrum beatissimę Agnetis orans, à lepra mirabilitèr curata est, quam etiàm multę aliæ illustres virgines imitatę sunt. Fecerũt idem multæ aliæ regum & principum filię, aliæq; nobilissimę matronæ; *Philippus Palatinus moritur.* *Albertus Bauarus decedit.*

1508 tronæ, deditissimo erga Deum animo cantantes, Regnũ mundi & omnem ornatum seculi contempsi propter amorem Domini mei Iesu Christi. At longè secùs affecti sunt, qui habent spiritum huius mundi, quibus huiusmodi vitæ instituta aut horrori sunt, aut contemptui, de quibus dicit Apostolus: Animalis homo non percipit ea quę sunt spiritûs Dei.

I. Cor. 2.

Fuerunt hoc anno magni per Germaniam & Italiam terræmotus: aërisque intemperies arbores & arbusculas, nè frondere possent, diù retardauit, donèc quasi abinsperatò Dei benignitate commodus aër eam tarditatem compensauit. Propter id genus verni temporis clades & pericula auertenda, iam olìm institutæ sunt, hodieque apud Catholicos fiunt Litaniæ & publicæ supplicationes ad Deum & sanctos eius: sed eæ hodiè apud Euangelicos prorsùs iacent, apud Catholicos plerosque admodùm incuriosè & frigidè seruantur, & ideò tam propicio nunc vtimur Deo, tantaque est rerum visæ degendæ necessariarum atque annonæ copia & vilitas.

Iacobus de Liebenstain.

Obijt huius anni mense Septembri Iacobus de **Liebenstain** Archiepiscopus Moguntinus, non totos quatuor annos eo functus pontificatu. In eius locum suffectus est Vriel de **Gemingen**/ summæ ędis Moguntinæ Decanus.

Hermannus Hessius archiepiscopus Coloniensis moritur.

Non diù pòst secutus est eum mense Octobri Hermannus Hassiæ Lantgrauius & Archiepiscopus Coloniensis, cùm illi Sedi præfuisset annis 28. Eius principis prę ter alias virtutes, insignis fuit benignitas & liberalitas in pauperes, adeò vt nullum mendicum à se vacuum discedere pateretur. Ea virtus maximè decet principes, præsertìm Ecclesiasticos, qui suis, immò Ecclesiæ facultatibus, quarum sunt dispensatores, nō ad luxum, sed ad benignitatem vti debēt, quemadmodùm multi olìm sancti Pontifices fecerunt, & nostra quoquè ætate nonnulli faciunt. Hermanno Pontifici successit Philippus comes Obersteinius, qui sua prudentia & industria plurimùm contulit Ecclesiæ Coloniensi.

Tempestas imbrium horrenda.

Hoc etiàm anno sub mēsis Augusti initium immanissima extitit apud Stutgardiam imbrium tempestas, quæ muros, domos, horrea funditùs abriperet, homines & iumenta demergeret, vinetis, erasa & absportata humo, maxima detrimenta adferret. Est autem Stutgardia

haud

haud procùl à Necaro sita in ditione Vuirtenbergensi, vbì Duces Vuirtenbergici habent elegans & regium castrum. Ager eius vrbis, innumeris consitus vineis, vini egregij tam est ferax, vt dici vix possit, quantam in singulos annos vini copiam proferat. 1509

ANNO 1509. magnus fuit tumultus Erphordiæ ob exactiones insolitas, quas populus nimiùm graues querebatur, præsertim quòd quotannis fierent. Res tandèm eò perducta, vt populus non dubitârit, Senatum omnem mouere loco, & alium subrogare, qui excussis libris accepti & expensi, codicibusque rationarijs siue regestis, inuenerunt oppidum grauissimo pressum ære alieno, ad summam vsque sexcentorum millium aureorum, vndè quotannis reditum triginta millium aureorum pendere cogebantur. Porrò compertum est, aliquot millibus excedere eam summam, quam in annos singulos reciperent, hunc quem diximus reditum. Ea res ingentes conciuit turbas, adeò vt populus omnes à Senatu motos in carcerem coniecturus fuerit, nî illi fuga sibi maturè consuluissent. Quosdam tamen carceri mancipârunt, & ex ijs vnum iam ætate grauem in crucem agere non dubitârunt. Tumultûs huius occasione inter Moguntinum pontificem & Fridericum Saxoniæ principem lis orta est, & propemodùm ad arma ventum esset, nî se sequestrum interposuisset Herbipolensis Episcopus Laurentius Biberanus, vir magnę dexteritatis, cuius industria effectum est, vt partes, armis positis, Cæsaris sententiam expectarent. Erphordienses interim ciues consilium capiunt in annos singulos noui creandi Senatûs, à quo dati & accepti rationem reposcant.

Tumultus Erphordiensis.

Hoc anno in Britannijs à vita discessit Henricus eius nominis septimus Angliæ rex, vndecimo Calendas Maij in sua Richemundia villa, vbì Franciscanorum Obseruantum cœnobium condiderat. Regnauit annos tres & viginti, vixit 52. Suscepit ex Elizabeth vxore liberos octo, mares quatuor, & totidèm fœminas: reliquit superstites tres, Henricum principem Vualliæ, qui illi in regno successit, Margaritam & Mariam. Corpore fuit gracili, sed benè firmo ac valido, statura quæ parùm iustam excederet, forma eximia, ingenio perspicaci, animo excellenti & forti in summis quoquè periculis. Placidum & humanum se præstabat, superbiam verò & arrogantiam adeò detestabatur, vt quos illis vitijs labo-

Henricus VII. Angliæ rex moritur.

1509 rare comperiſſet, ijs aſperum ſe præberet. Regnum multis opibus auctum poſt ſe reliquit: qua in re ſolebat quadam vti induſtria ſingulari, mercatoribus non rarò pecunia ad tempus data gratuitò, vt mercatura in ipſius regno eſſet frequentior & copioſior. Atque hac ratione effectum eſt, vt quotannis à mercatoribus vltrò citroque commeantibus maxima auri & argenti vis in regnum importaretur. Religionem alacritèr obſeruauit & coluit, libenterque rebus diuinis interfuit, nec facilè vllo vel negocio vel tempore ab eis excludi ſe paſſus eſt. Attentè audiebat quotidiè bina ternáve Miſſæ ſacra, & ſæpè conciones ſacras: pauperibus aſſiduè eleemoſynam præſtabat per ſuum eleemoſynarium. Sacerdotio honorem habebat, illudque piè colebat, libens iuuabat, largè augebat. Orabat multùm, & feſtis præſertim diebus preces dicebat horarias, quas vulgò horas Canonicas vocant. Nè tamen ſolis ſuis precibus contentus eſſe videretur, ſolebat clàm pijs & religioſis ſacerdotibus largitiones facere, vt pro ipſo orarent, atque etiàm poſt obitum toto regno certis in templis pro ſe preces & ſacrificia fieri voluit. Fecit teſtamentum, & primùm omnium iuſſit reſtitui, ſi qua in fiſcum regium iniuſtè illata eſſent, domumque hoſpitalem, qua inopes reciperentur, in ſuburbijs Londinenſibus ab ſe inchoatam perfici. Sub eiuſmodi principibus ſolent florere regna. Nam certum eſt, quo principes in Deum religioſiores ſint, eo quoquè illis omnia feliciùs ſuccedere, Deo Opt. Max. illos mirabilitèr protegente & amplificante.

Mores optimi principis.

Hiſce temporibus cùm in Italia bellicis tumultibus omnia arderent, politiores literæ tum Græcæ, tum Latinæ, in Germaniam, Galliam, Angliam, Scotiam ſeſe diffuderunt, ità vt illæ nationes, quas Itali barbaras dicere conſueſſent, iam multos tales viros certatìm proferrent, qui Italis non modò non cedere, ſed etiàm illos aut æquare, aut etiàm ſuperare viderentur. Olìm ſcriptores exteri, Iulius Cæſar, Cornelius Tacitus, Seneca, Liuius & alij de Germania ſic ſcripſerunt, vt eam planè contempſiſſe videantur. Fuit Germaniæ terra, ait Cornelius Tacitus, ab initio in vniuerſum aut ſyluis horrida, aut paludibus infœcunda, aſpera cælo, triſtis cultu conſpectuque, humidior quà Gallias, ventoſior quà Noricum ac Pannoniam adſpicit, frugiferarum arborum & omnis culturæ impatiens, pecorum fœcunda, ſed plerunquè improcera. Ne armentis quidem ſuus honos aut gloria

Literæ politiores veniũt in Germaniam, &c.

Corn. Tacitus de Germania.

gloria frontis. Numero gaudent, eæque solæ & gratissimæ sunt opes. Argentum & aurum propitij an irati dij negauerint, dubito. Nec tamen affirmauerim nullā Germaniæ venam, argentum aurúm ve gignere. quis enim scrutatus est? Seneca quoquè libro de gubernatione mundi, Germani, inquit, errant incertis sedibus: sunt apud eos perpetuæ hyemes, solum infœcundum, nullæ ædes: venationibus viuunt. vbicunquè nox fessos laboribus depræhendit, cubant sub frondibus, aut in speluncis foueisve. Non habent domos, sed casas folijs & culmis contectas. Incolæ circumaguntur chorizantium more in congelato mari, victitantes carne ferina, gens nuda & pellibus solùm ferarum vestita, & propterea vilis despectaque ab omnibus. Sic nimirùm de Germania nostra sensêre prisci illi scriptores: quæ tamen si cum præsenti rerum Germaniæ statu conferantur, longè falsissima comperientur. Itidèm ergò etiàm in literarum cognitione accidit, quę hac tempestate paulatìm in Germania, Anglia &c. ità florere cœperunt, vt iam Itali citra ruborem transalpinas nationes barbaras appellare non possint. His enim temporibus præcellentes viri & fœminæ illustres vbiquè gentium cœperunt promouere bonarum artium studia, & apud Anglos quidem (vt de reliquis interim taceam) Margarita Henrici regis mater sanctissima, hortatu Iohannis Fischerij Roffensis Episcopi, viri summa doctrina, summa gratia, summa integritate, (qui posteà sub Henrico VIII. cùm illius secundas nuptias, priori viuente coniuge, approbare nollet, capite plexus est) Cantabrigiæ bina extruxit studiosorum collegia, quibus etiàm ad victum necessaria liberalitèr impartita est. Itemq; aliquot Angliæ insignes Episcopi diuersis locis collegia exædificârunt, vbì bonis literis studiosi imbuerentur. Et certè gratulandum est hisce regionibus, quas Barbaras Itali vocant, quòd ad solas terras relegata barbarie, in literis humanioribus mirificè profecerint: verùm id tamen moderatè, quādoquidèm videmus cum literarum excultiori peritia tot paulò pòst errores inuectos, vt nemo id pro dignitate deplorare queat. Solent horum temporum noui Euangelici, qui plerunquè sola linguarum peritia imperitæ multitudini sese venditant, acerbissimè in Catholicæ Ecclesiæ abusus inuehi, ità vt propter abusus etiàm res ipsas è medio tolli velint, immò & è medio locis non paucis sustulerint. Sed cur illi non eodem zelo è tota Europa literas politiores

1509

Seneca de Germanis

Iohannis Roffensis Episcopi encomiū.

Hæretici res bonas propter abusus tolli volunt.

1509 ores & linguarum cognitionem proscribunt? An verò obscurum est, permultos hodiè literarũ peritia petulantissimè abuti? Cùm ergò propter literarum & artium abusum eas damnari nolint, quid ità impotentèr Ecclesiæ abusus vnà cum rebus ipsis tollendos vociferantur? Multi hodiè insignitèr eruditi, turpissimè errãt, nec erroris alia ferè causa esse videtur, quàm ipsa eruditio: quanquàm non est in causa eruditio, sed eruditionis abusus. Cùm enim qui verè eruditi sunt, tanto debeant esse summissiores & modestiores, quanto sunt insigniori eruditione præditi, isti contrà sua eruditione efferuntur: & cùm linguas vtcunquè calleant, putant se iam etiàm in rebus Theologicis plus videre, quàm vel tota videat schola Parisiensis, immò Ecclesia vniuersa: & fit in illis

1.Cor.8. verum quod Apostolus ait, Scientia inflat: eam verò inflationem sequitur iusto Dei iudicio illa terribilis pœna, quam alibi his verbis commemorat idem Apostolus,

Rom.1. Dicentes se esse sapientes, stulti facti sunt, & obscuratum est insipiens cor eorum. An non verò hoc in permultis hodiè videmus, non vulgari alioquì doctrina præditis? Quos non illi prorsùs absurdos & abominandos errores pro illustri veritate & ipsissima Euangelij luce miserrimæ plebeculæ obtrudunt? Num hoc eruditioni & literis imputandum est? Non est id quidem, sed illorum deprauatis & elatis ingenijs, qui rebus bonis pessimè abutuntur. Sicut ergò propter eiusmodi corruptorum hominum abusum non sunt tollendæ neque damnandæ bonæ literæ, ita etiàm propter abusus quosdam nulla ratione reijcienda & damnanda sunt Catholicæ Ecclesiæ instituta, ritus & cæremoniæ: quod tamen nemo ferè hodiè propensius facit, quàm illi ipsi, qui bonis literis in suam & aliorum perniciem sceleratissimè abutuntur. Verùm hoc fortaßis extra cãcellos, non tamen sinè ratione commemoratum volui.

Henricus VIII. Angliæ rex ducit vxorem.

Hoc tempore Henricus eius nominis VIII. Angliæ rex, postquàm patri defuncto iusta persoluit, in matrimonium duxit Catharinam Arthuri iam antè defuncti fratris sui coniugem, qui admodùm tenera ætate eam duxerat, sed per ætatis imbecillitatem nullas ex ea proles susceperat, immò & virginem eam reliquerat, quemadmodùm non solùm ipsa sanctè affirmabat, sed etiàm cum ea testabantur matronæ probatissimæ. Vt autem nullus relinqueretur conscientiæ scrupulus, voluit Henricus rex authoritate summi Pontificis eas sibi nuptias

permit-

permitti. Agebat Henricus annum ætatis xviij. Porrò Margarita auia eius, mulier prudentissima, cùm videret illi per ætatem necdùm licere suum præstare officium, consultissimè id effecit, vt optimorum & sapientissimorum procerum consilijs dirigeretur, in quibus erant Guilhelmus Varanus Cantuariæ Archiepiscopus regni Cancellarius, & plerique alij egregij viri: qui cùm non ignorarent, tantam illi in numerato & rebus mobilibus hæreditatem venisse, quantam nulli ante ipsum Angliæ regi, nè ea rerum opulentia animum eius corrumperet, cœperunt eum negocijs gerendis studiosè assuefacere, à quibus tum adhùc abhorrere videbatur. Deindè 8. Calendas Iulias cum Catharina vxore, quæ fuit Caroli V. Cæsaris matertera, à Cantuariensi Archiepiscopo coronatur, publico totius regni plausu & gaudio, quod tamen non mediocritèr perturbauit mors Margaritæ auiæ Henrici, non parùm illi regno detrimentosa. 1509

Hoc ipso anno desijt esse in humanis Guilhelmus Lantgrauius Hassiæ, sacro igni alijsque medicinam omnem respuentibus morbis consumptus. Reliquit Philippum filium, natum anno salutis 1504. qui posteà rerum potitus est.

Guilhelmus Lantgrauius Hassiæ moritur.

Eodem anno apud Bernates in Heluetijs quidam instituti Dominicani, inconsultò admodùm ac temerè oppugnantes immaculatam Virginis matris conceptionem, cœperunt etiàm commentitijs quibusdam miraculis & visionibus suam apud vulgus opinionem tueri. Abusi ad hoc erant quodam simplici fratre laico, qui tamen rem omnem produxit in lucem, nonnullaque alia egerant, quæ viros graues & religiosos minimè deceret. Sed quia præpotens Deus matris suæ iniurias haud facilè sinit inultas abire, Bernates zelo permoti, (quippe qui id laudis eximiæ iurè tum referebant, quòd essent vltores egregij iniuriarum matris Dei) Lausanensem Episcopum, vt in eos inquireret, hortati sunt. Facta est inquisitio, & rei veritate comperta, quatuor primarij fratres Dominicani degradati sunt, & indè flammis exusti. Isthuc verò inprimis cauendum est hominibus è religione Christianis, vtì nè in defendenda sentẽtia sua & aliena oppugnanda, nimiùm sint pertinaces, ijs præsertìm in rebus, quas certũ est nihil officere veræ pietati: qualis est opinio de immaculata sanctissimæ Virginis conceptione, quam videmus ab Ecclesia receptam, & à multis grauissimis atque doctissimis viris fortissimè propugnatam,

Bernates olìm Virgini Matri deuotissimi.

tam,

1509 tam, atque etiàm aliquot Conciliorum generalium approbatione firmatam. Videant refractarij, nè, dum matris honori & priuilegio cum multorum graui scandalo & offensione derogant, filij eius seuerum in se iudicium prouocent.

Vuormatiæ inter clerum & ciues orta dissensio, iam decennio extra vrbem clerum detinuerat. Verùm hoc demùm anno opera Friderici Saxonis, Vdalrici Vuirtenbergici & aliorum Imperij principum, qui apud Vuormatiam conuenerant, ea lis composita est, & clerus in oppidum se recepit: quanquàm in eam concordiam Episcopus Vuormatieñ consentire noluit, nisì in integrum restitueretur, quod ciues renuebant.

Grandinis tempestas in Sueuia. Fuit hoc anno sæuissima grandinis procella, quæ nõ vno loco Sueuiæ fruges deuastauit. Ferunt ea tempestate cecidisse ex aëre lapides oui gallinacei magnitudine.

Terræmotus Constantinopolim cõcutit. Hoc anno mensis Septembris die 14. ac deincèps diebus 18. continentèr vrbem Constantinopolitanam, qua parte spectat mare, horrendum in modum concussit terribilis terræmotus, domosque subruit, & ruderibus fossam complẽs solo æquauit. Arcem, vbi regis Turcici immensi thesauri in quinque turribus munitissimis asseruabantur, domumque egregiam, in qua leones alebãtur, euertit. Cuniculos, per quos longis itineribus etiàm per montes è Danubio in vrbem aquæ adducuntur, summis & impensis & sudoribus effectos, adeò quassauit, vt maximis opibus instaurari nequiuerint: ipsum quoque mare inter Constantinopolim & Peram vsqueadeò intumuit, vt vtriusq; vrbis muros suis fluctibus excederet, & vndas in vtranque inferret. Multa quoq; alia damna eoipso die Turcis illata sunt. Feruntur tum Constantinopoli ad 13. hominum millia interijsse. Nimirùm iusto Dei iudicio illi crucis Christi atrocissimi hostes eam cladem illo die passi sunt, quo S. Crucis Exaltationem religiosè colit Ecclesia Christi: neque id herì aut nudiustertiùs demùm cœpit, sed ante mille ducentos & eo ampliùs annos legimus apud probatos authores Crucis Exaltationem quotannis solennitèr celebratam esse. Videat, qui volet, Nicephori historiam Ecclesiasticam lib. 8. cap. 29. & 50. vt meritò pudefieri debeant nostrorum temporum sectarij, qui vt plerasque alias, ità etiàm hanc Catholicæ Ecclesię antiquissimam solennitatem abrogârunt: quanquàm scio in Nicephoro eundem diem & Inuentioni & Exaltationi sanctæ Crucis attribui: sed hoc parùm refert,

Crucis exaltatio iã olìm celebrata in Ecclesia.

fert, cùm sectarij neque Inuentionem, neque Exaltationem celebrari velint. *1510*

ANNO 1510. Comitia habita sunt Augustæ, frequentissimo Principum conuentu: quò multi etiàm exterorum regum legati aduolârunt. Decreta est ibì belli continuatio in Venetos, quorum tum quædam funestæ machinationes feruntur in lucem perductæ, quæ belli proferendi causa non minima fuêre. Proditũ enim est, submissos fuisse à Venetis non minùs 50. nefarios homines, qui vrbes & pagos Cæsareanæ ditionis inflammarent. Porrò Veneti cùm se tot potentissimis hostibus impares cernerent, Iulium Pontificem supplicitèr venia petita sibi conciliandum statuunt, missaque legatione magnanimum Pontificem, qui afflictis Italiæ rebus non mediocritèr doleret, facilè placârunt: sed ea pax noua bella peperit.

Veneti sibi conciliant Pontificem.

Huius anni mense Februario quidam vir sacrilegus Paulus Form/in Marchiæ Brandeburgensis villa Knobloch/intempesta nocte è templo furatus est arculam inauratam, qua sacrosancta Eucharistia vetustissimo Catholicæ Ecclesiæ more asseruabatur. Erant autem in ea hostiæ duæ, altera maior, minor altera. Multa iam luce adijt scelestus ille Iudæum, arculam venditurus. Iudæus facilè animaduertens, cuiusmodi vsum ea habuisset, ait maius precium se fuisse daturum, si rem contentam attulisset. Tum ille furcifer, qui iam alteram instàr Iudę satanica impietate deglutiërat, reliquam è sinu deprõptam obtulit Iudæo æstimandam, à quo tamen non nisi paucos exigui precij nummos accipit. At miser ille tanto iam obstrictus scelere, sæuæ cõscientiæ furijs quibusdam exagitatus, fugit indè ad Vandalos: (Extant enim hodieque Vandalorum reliquiæ, & ipse quoquè Brandeburgicus Princeps se Vandalorũ dominũ scribit) sed cùm res minimè lateret, domum redijt, captusque & tortus, quid egisset, confessus est. Interim verò sceleratissimus Iudeus hostiam sacram crebris pugionis ictibus identidèm confodere nititur: at nihil se proficere cernens, hostia integra permanente, quodam furoris œstro percitus, Si tu es, inquit, DEVS Christianorum, redde te manifestum in mille dæmoniorum nomine. Atque eccè subitò hostia in tres diducta partes, sanguineo per oras humore madet. Territus Iudæus, particulas panno inuolutas mensem vnum apud se retinet, ac deindè duobus alijs Brandeburgi

Pauli cuiusdam nefariũ facinus.

Iudæus quidã sacram hostiam impiè tractat.

Insigne miraculũ.

1511 deburgi & Stendelij morantibus singulas particulas mittit, tertia sibi reseruata, quam rursùm mensæ impositam pugione conficit, vndè sanguinis guttulæ dimanârunt. Consternatus ille, & veritus se proditum iri, particulam absumere nititur, sed non valet: deìn mittit in aquam, at illa enatat: tertiò in ignem proijcit, sed nihil id hostiæ nocet. Ad extremum sub Paschatis solennitatem azymos coxit panes, particulamq; massulæ azymi panis immixtam in furnum iactauit, moxque furnus alioquì obscurus resplenduit, & massula illa in Iudæi faciem insiliuit. Nouo ille terrore correptus, massulam illam cum particula, alteri cuidam Iudæo transmisit. Iam res erat prolata in publicum, & Marchio Iudæos omnes in ipsius ditione morantes Berlinum acciri, & in vinculis teneri iussit. Habita autem ex illis quæstione, præter alia flagitia non parùm multa, fassi sunt se intra paucos admodùm annos septem Christianorum infantes acubus & punctionibus peremisse. Igitur lata in illos sententia, 40. flammis traditi sunt. Tres alij Iudæi baptisma perceperunt quidem, sed postera die duo capite plexi sunt: tertius, pluribus pro eo rogantibus, vita donatus, D. Francisci institutum Berlini complexus est. Porrò tèr execrandus ille sacræ hostiæ proditor Paulus Form/ candentibus discerptus ferris, in cinerem tandèm voracibus flammis redactus est. Deniquè Iudæi omnes è tota Marchionis ditione ità proscripti sunt & extrusi, vt sub pœna capitis omni eis reditu pariter interdictum sit.

Alia stupenda miracula.

Iudæi Christianorum infantes vt perimant.

Eodem anno in Insubribus pluit saxa grandia, è quibus vnum pondus habuit librarum 120. Erant autem silicibus duriora, odore sulfureo.

Saxa ingẽtia pluit.

ANNO 1511. Selymus Turcarum fit Imperator studio quorundam Bassarum (sic enim illi vocant præcipuos quosdam principes) & militum prætorianorum, qui ab illis Ianizari dicuntur. Is patrem suum Baiazetem exuit imperio, moxque Byzantio excedentem, & Dimothecam Thraciæ vrbem petentem cum familiaribus suis, cùm iam annos haberet 76. Hamonis Iudæi medici opera veneno sustulit: quanquàm alij dicant, senio & curis confectum interijsse. Sed Antonius Vtrius Ligur, qui fuit Baiazetis cubicularius, testatus est se in expirantis corpore non dubia veneni indicia depræhendisse. Vt hoc immane parricidium perpetraret homo crudelis, multa eum mouere poterant. Immensos enim

Selymus fit Turcarum Imperator.

sos enim thesauros & gemmas preciosissimas secum abs- 1511
portârat Baiazetes, quos ille thesauros posteà donatiui nomine largissimè profudit in milites, quorum erat studio euectus ad imperium. Nec tamen paterna ille cæde contentus, etiàm ambos fratres suos, & 5. egregiæ indolis adolescentes, fratrum filios, & ipsum Mustapham Bassam, qui vel maximè eum ad imperium promouerat, per summam crudelitatem necari posteà iussit. Ea immanitas & sæuitia in propinquos, etiàm complures milites eius adeò consternauit, vt per aliquot dies conspectum eius exhorruerint. Verùm de hoc tyranno paulò infrà plura dicemus.

Crudelitas Selymi Turcæ.

Hoc anno Maximilianus Cæsar comitia indixit apud Augustam, vbi illi oblatus est vir quidam prodigiosæ vastitatis & crassitudinis, atque incredibilis ingluuiei, ità vt integrum vitulũ crudum, vel ouem incoctam vna vice deuoraret, & tamen necdùm famem expletam diceret. Ferunt hominem Borealibus regionibus ortum fuisse, vbi ob locorum frigora solent esse homnes edaciores: quanquàm huius edacitas propemodùm incredibilis videri possit.

Vir prodigiosæ vastitatis & ingluuiei.

Eoipso anno Senatus Constantieñ, adiũctis sibi aliquot popularibus, cum Heluetijs sese coniungere & fœdus inire, vrbemque illis dedere volebat. Sed eorum conatibus obuiàm itum est ab illis, quibus turpe videbatur ab Imperio desciscere. In ijs facilè primas sibi vendicauit piscatorum societas. Itaque literis ad Cæsarem Maximilianum datis, eum de Senatûs machinationibus certiorem reddiderunt. Nec ille sibi & imperio defuit, sed properè eò aduolans, piscatorum studio & viribus vrbem ingressus, quos comprænendere potuit è conspirationis eius authoribus, capite damnauit: nam plerique fuga dilapsi erant.

Constantiēses meditantur frustrà desectionem ab Imperio.

Hoc anno Bernardinus Hispanus, Cardinalis S. Crucis, Sedis Apostolicæ in Germaniam legatus, cum aliquot paucis in suam sententiam pertractis Cardinalibus, mirabili audacia concilium generale apud Pisas indixit, eòque ipsum, præter alios, Iulium Pontificem maximum citare non dubitauit. Conuenerunt aliquot Episcopi ex Gallijs & Insubribus: Primò Pisis, vbì cùm parùm tuti sibi viderentur, indè abiêre Mediolanum: verùm nec ibì satis suis rebus fidentes, Lugdunum sese transtulerunt, vbi etiàm aliquot sessiones habitæ sunt, rege Gallorum haud obscurè illis fauente, quippe qui in pontificem

Cõcilium Pisanum prophanũ.

1512 alieno esset animo. Porrò cùm ea temeritas ad horrendum schisma spectare videretur, Iulius Pontifex datis ad eos literis, monuit perbenignè, vt ad pacem & vnitatem Ecclesiȩ se reciperent: alioquì fore, vt vel inuitus in ipsos animaduerteret. Ea admonitio tres Cardinales permouit, vt cum Pontifice in gratiam redire maturarent, quos Pontifex liberalitèr & clementèr accepit: in aliòs, cùm nollent ad sanitatem redire, grauem sanè tulit sententiam, qua illorum audacia nonnihil cõtusa est. Sed tamen cùm regis Gallorum fruerentur patrocinio, in sententia permanserunt. Monitus Gallus à Pontifice, vtì nè eos foueret diutiùs, non magnoperè curauit. Itaque à Pontifice excommunicatus est. Non longè aberat ab hac factione Maximilianus Cæsar, grauitèr commotus in Pontificem, quòd non bona fide à se recessisset, & cum Venetis fœdus percussisset: sed vir grauis & prudens, admonitus à bonis viris, sese collegit, & celeritèr ab hac temeritate discessit. Non erat quidem Pontifex ab omni culpa alienus, sed tamen minimè decebat Cardinales paucos talem excitare turbam, & Ecclesiæ pacem cum maximo omnium scandalo perturbare. Et tamen non desunt fortasfsìs, apud quos etiam hoc conciliabulum habeat non vulgarem authoritatem, maximè quòd ad Pontificis contumeliam pertineat, qua plerique admodùm delectantur, perindè vt Cham olìm nuditate Noë patris sui. *Gene.9.* Sed qualiscunque demùm sit Pontifex, modò nè sit hæreticus, propter eum, cuius gerit vices, reuerentèr inprimìs ac multo in honore habendus est. Atquì verò Iulius Pontifex, vt Pisanum conciliabulum destrueret, Romæ Concilium indixit generale, quod sub Leone X. demùm absolutum est.

Iacobus Episcopus Treuerensis. Eodem anno mortuus est Iacobus Episcopus Treuirensis, ex marchionibus Badeñ: cuius cathedram obtinuit Richardus Grïffenklou/ vir prudens & rerum admodùm peritus.

Seditio Spirensis. ANNO 1512. seditio fuit Spiræ propter exactiones, quæ, cùm importunæ & immoderatæ sunt, vulgus exasperare solent. Multa egit insolentèr aduersùm senatum plebs concitata: sed tandèm Maximiliani Cæsaris fracta minis, modestiùs agere cœpit, restituto Senatu in pristinam dignitatem, quem paulò antè loco mouerat. Eos verò qui fugerant, ordinis senatorij viros proscripsit.

Hoc anno Maximilianus Cæsar, cui fide nihil sanctius, intelligens Gallorum regem non bona fide secum agere, prætereaque Geldriæ principem aduersùs Brabantos concitâsse, compulsus discessit à Gallico fœdere, & ad Pontificem se adiunxit, nouo fœdere percusso. *1512* *Maximilianus discedit à Galli amicitia.*

Porrò omnibus, qui Imperij essent, seuerissimè interdixit, capitali in transgressores constituto supplicio, nè Gallo militarent, vel suppetias ferrent. Eam legem floccipendens Emicho comes Lyningensis, in Gallias abijt, & Gallo se militaturum obtulit. Quod cùm Maximilianus rescìuisset, eum maiestatis reum cum omnibus suis proscripsit. Itaque omnia quæ comitis erant, principes Imperij diripuerunt. Comes reuersus vt animum Cęsaris placaret, & per seipsum & per amicos re tentata, diù nihil proficere potuit.

O si ea in imperio obedientia principum, & in refractarios seueritas permansisset, aliud hodiè Imperium haberemus. Sed dum principes contemnunt summum Magistratum, ipsi quoquè plerunquè à suis subditis contemnuntur : & sic omnia pessùm ire necessè est.

Hac ferè tempestate monstrum Rauennæ visum ferebatur vtrunque habens sexum, cornu vno extante in capite, alatum, & sinè brachijs, vno duntaxàt crure & pede instàr auis rapacis, & in genu oculo vno, in pectore figura apparente literæ Y. vel V. cum signo crucis. Interpretationem quidam eiusmodi esse voluerunt, Superbiam, Leuitatem, Virtutum inopiam, Sodomiticam labem, Amorem rerum labentium, Dei obliuionem, Inexplebilem auaritiam, Gallico flagello castigatum iri. Quod & factum est. Eodem enim anno Gallorum rex Ludouicus, rupto cum Pontifice & Maximiliano fœdere, Rauennam obsedit, & tandèm deditione receptam vrbem, contra fidem datam diripuit, & magna clade affecit. *Monstrū Rauennæ visum.* *Monstri significatio.* *Gallus vastat Rauennam.*

Posteà verò Pontifex, Cæsareanis & Heluetiorum adiutus copijs, Rauennam recuperauit, & Gallos tota Italia expulit. Antè autem quàm Gallus Rauennam obtineret, superueniente Pontificis exercitu, cruentissimum commissum est prælium, in quo ad 16. millia ceciderunt.

1513 Seditio Coloniæ.

ANNO 1513. apud Coloniam Agrippinam Germaniæ clarissimam, & in Catholica religione constantissimam vrbem, perniciosa admodùm seditio orta est, vulgo contra Senatum tumultus ciente. Querebatur plebs se nimijs exhauriri exactionibus. Fit concursus seditiosi populi ad prætorium vel domum senatoriam, vbi erat senatus congregatus. Magna contentione postulant sibi tradi eos, qui insolitis exactionibus ipsos emungere non dubitarent. Territus Senatus repentino periculo, populum sæuientem blandis sermonibus delinire cœpit, atque vix tandem impetrata dilatione, de omnibus exactam se rationem redditurum spopondit. Et quia populares erant & grati populo, qui hæc senatûs nomine dicebant, plebs commota eo die nihil vltrà attentauit. Porrò die altera, qui erat Epiphaniæ Domini, populo nouos excitante concursus, quidam è senatu rapiūtur in carceres, è quibus vnus postridiè capite truncatur. Idem supplicij genus pertulêre duo consules xj. Ianuarij. Indè xij. eiusdem mensis tres senatores eodem modo plexi sunt. Ex alijs plerique proscripti sunt. Ità demùm vrbi restituta est tranquillitas, sed certè exemplo prorsùs fero ac barbaro. Non enim debet contra Dei præceptum hoc sibi in magistratus suos plebs temeraria vsurpare.

Tumultus Vuormatiensis.

Eodem anno etiàm Vuormatieñ ciues in senatum seditionem mouerunt, & reiectis ordinis Senatorij viris, ex seipsis nouos creârunt. Erat ea res pessimi exempli, quæ plerasque alias Germaniæ vrbes ad idem attentandum, non absque ingenti dedecore, incitauit. Primùm prouocatum est à Senatu exauthotato ad iudicium Cameræ, sed ciues Vuormatieñ Imperatorem appellârunt, qui cùm minas intentaret seditiosis hominibus, pax simulata interim confecta est, non diuturnas habitura vires. Iam antè Vuormatieñ cum Clero acerbas aluërant dissensiones, quæ tandèm iusto Dei iudicio in ipsos versæ sunt.

Hoc anno Maximilianus Sforcia dux Mediolaneñ, Heluetiorum insigni virtute Mediolanum, pulsis Gallis, recuperauit. Obsidebat Gallorum fortissimus exercitus Nouariam, vbi tum Maximilianus Sforcia non absque ingenti periculo & formidine cum aliquot Heluetiorum copijs erat. Iam muros prostrauerant Galli, & cùm summa esset ciuium in vrbe trepidatio, Heluetij

Nouariam frustrà oppugnant Galli.

incre-

incredibili audacia mirè insultabant Gallis, prouoca- 1513
bantque vt per patentem murum irrumperent: interim Heluetij
in Gallorum contemptum, contra hiatus disiecti muri mirè con-
lectorum tantùm lintea transuersis suspensa perticis pre- temnunt
tendentes. Et certè Galli, licèt aditus pateret, non fuē- Gallos.
re ausi subire murum, sed motis castris à Nouaria dis-
cesserunt, & ad Riottam vicum, ab ea vrbe viginti sta-
dijs distantem, castrametati sunt. Interim aliquot Helue-
tiorum millia auxilio venère illis, qui Nouariæ erant.
Accidit tum quiddam sanè memorabile. Canes Gallo-
rum, relictis castris, magno agmine Nouariam ingressi,
Heluetiorum excubias agentium crura lambere, caudis
blanditer adulari, submissisque auribus singulis applau-
dere cœperunt, tanquàm Heluetij iam ipsorum essent
domini. Ea res Heluetijs certam videbatur de Gallis vi-
ctoriam polliceri. Non multò pòst Heluetij (erant autem
peditum ad nouem millia) vrbe egressi, ad Gallorum for-
tissima castra profecti sunt, vnà cum illis proficiscente
Maximiliano, quem tamen ad vrbem redire vel inui-
tum compulerunt, nè ab hostibus interimeretur. Vbì
ad Gallos diuersis itineribus ventum est, tanto impetu
Heluetij vndiquè eos oppugnârunt, vt (quod dictu pro-
pè incredibile videatur) cæsis fugatisque omnibus, ses-
quihoræ spatio & memorabile prælium, & grauissi-
mum bellum confecerint. Ceciderunt eo prælio ad octo
millia Gallorum omnis generis, ex Heluetijs mille tre-
centi. Ità tum Maximilianus Mediolanum obtinuit.
Sanè quandiù apud Heluetios Catholica fides incon-
cussa & inuiolata permansit, & erga Sedem Apostoli-
cam, cuius ea gens obseruantissima fuit, studium &
amor singularis, apud omnes virtutis opinionem obti-
nuêre, quæ cum mutata posteà religione, non parùm
apud illos pagos, qui Zuinglij dogma sequuntur, est la-
befactata. Turpis enim omninò est & propemodùm in-
expiabilis macula desertæ religionis: quod vtinàm ple-
rique hoc æuo attenderent, qui leuitate plusquàm pue-
rili ab auita fide in res nouas se abduci sinunt. At tamen
etiàm hodiè maxima Heluetiorum pars Catholicam fi-
dem constantissimè retinet, & pristinæ quoquè virtutis
bellicæ laudem.

Eodem anno bellum atrox extitit inter Gallum & Bellū in-
Anglum. Henricus enim VIII. Angliæ rex Romanum ter Gallos
Pontificem, cuius tum erat obseruantissimus, atq; etiàm & Anglos
religionis causam tueri æquum atque magnificum ar-

1513 bitratus, grandem conscripsit è suis & Germanis exercitum. Neque interim se Galliæ rex deserebat, magno vndiquè coacto exercitu. Britanni verò è Calesia (quæ portus Iccius olim fuit) Taroannam munitissimam Morinorum vrbem oppugnatum profecti sunt, quibus paulò pòst cum nouis copijs se coniunxit Henricus rex. Atque tum demùm vrbs ea totis viribus oppugnata est. Paulò pòst Maximilianus Cæsar cum suis illi copijs accessit. Vbi verò fama increbuit, Gallorum regem obsessis commeatum aduehere instituisse, Maximilianus Cæsar cum 4000. equitum, subsequente Anglo cum peditibus, ad Gallos contendit, eosq; omnes in fugam coniecit. Atque tum Taroanna deditione capta est, vrbsque, templis seruatis, incensa 9. Calendas Septembris. Ludouicus Gallorum rex hac accepta clade grauitèr commotus, Scotorum regem Iacobum, vt Angliæ bellum inferret, Gallica arte permouit. Multa Scotum retrahebant, nè id faceret, præsertìm nihil tale verénte Anglo, cuius quoquè sororem habebat in matrimonio, & cum quo fœdus grauissimum percusserat. Tandèm tamen infausto consilio transuersim actus, infesta arma Britannis præter opinionem intulit, licèt admonitus esset ab Henrico, vt si eius facti eum non puderet, saltem vereretur iudicium præpotentis Dei, qui turbatæ pacis & ruptorum fœderum vltor esse soleret. Illud verò bellum contra fidem & fœdus susceptum, eum habuit euentum, vt primus Scoti exercitus in Angliam missus, cùm pòst ingentia data damna, præda onustus intra suos fines se recipere maturaret, penè ad internecionem à Britannis cæsus sit: ac deindè cùm Scotus bellum redintegrâsset, & totis viribus Britannos oppugnaret, atque in loco arte & natura munitissimo castra posuisset, tamen ab Anglis victus, profligatus, & insigni ac memorabili clade affectus sit. Ipse rex Iacobus in prælio cecidit, & cum eo Archiepiscopus vnus, episcopi duo, abbates quatuor, proceres & equestri dignitate honoribusque militię illustres 34. præter hos verò ad octo millia Scotorum cæsa, totidèm fermè capta sunt: omnia signa militaria, & tormenta maiora vigintiduo Anglo victori cessêre. Commissa est hæc pugna ad Tylum quarto Idus Septemb. ad internecionem ferè Scoticæ nobilitatis. Porrò Henricus rex ea victoria suorum celerrimis nuncijs cognita, mox ad Tornacum exercitum mouit, vrbem Neruiorum celeberrimam, quam non longè antè Galli in fidem ditionemque

Taroanna capitur.

Scotiæ rex temerè facit bellum Anglo.

Scotiæ rex cadit in bello.

nemque acceperāt: Primò ciues fortitèr se defendere, sed 1513
tormentorum vim nimiam non ferentes, Anglo deditionem fecerunt. Sunt qui scribant, hunc Iacobum Scotorum regem virum alioquì optimum fuisse, & licèt à Gallis esset ad bellum Anglis inferendum incitatus, tamen recusâsse diù, donèc malis euersus consilijs, in suum exitium Angliam debellandam statuerit. Sed debebat rex tum necessitudinis, vtpotè Angliæ regis sororius, tum percussi fœderis rationem habuisse: quod quia non fecit, omnibus regibus & principibus suo casu longè acerbissimo hoc testatum reliquit, vt sint memores datæ fidei, & certum habeant esse Deum præpotentem in cælis, qui vlcisci & possit & velit fœderum iustitiæ violatores. Huius rei multa passìm exempla extant apud scriptores, atque etiàm in literis diuinis.

Hoc ipso anno quidam Cardinales, qui Conciliabulum Pisanum secuti fuerant, veniam à Leone Pontifice & petiêrunt, & impetrârunt. Rex quoquè Galliæ veritus tot grauissima incommoda eò se pertulisse, quòd idem ipsum adulterinum Concilium in sua ditione fouisset, illud abrogauit atque damnauit, & cum suis Concilio Lateranensi adhæsit. *Galliæ rex damnat concilium Pisanum.*

Eodem anno Venetorum exercitus à Cæsareanis adeò attritus est, vt ex illo vna die, quæ fuit Nonis Octobris, supra 5000. ceciderint, & in ijs, quod nullo antè prælio acciderat, 400. equites cataphracti: tormenta currulia vigintiquatuor cum omnibus signis militaribus capta, cùm tamen è victoribus pauci desiderarentur. *Venetorũ clades.*

Hoc anno arx Mediolanensis tandèm deditione cessit Maximiliano Sphorciæ duci Mediolanensi, cùm eam Gallus iam quatuordecim annos occupâsset: & paulò pòst etiàm Cremonen̄ arx dedita est. Multo sanguine, neque id vno tempore, Mediolanense imperium constitit, & eius nomine Christiana Respublica sæpè grauitèr affecta & exhausta est. Turcæ & barbari gaudent Christianorum eiusmodi mutuis dissidijs, & ex ijs augent rem suam. Verissimè autem dixit Salustius: Concordia res paruæ crescunt, discordia maximæ dilabuntur. *Arx Mediolanensis cedit Maximil. Sphorciæ.*

Anno eodem mortuus est Philippus à Rosenberg Spirensis antistes, succedente Georgio Comite Palatino, præposito Moguntino.

Obijt etiàm Romæ Iulius II. Pontifex, iam septuagenarius, cui à quibusdam tribuitur titulus liberatæ à *Iulius 2. moritur.*

1513 Gallis Italiæ, propterea quòd opera Heluetiorum Gallos è tota Italia expulit. Videri possit nonnullis plùs æquo bellicis rebus intentus fuisse, immò & hoc nomine à quibusdam perstringitur ac insimulatur. Nos id Deo iudici relinquere mâlumus, quàm mordacitèr insectari. Successorem habuit Iohannem Medicem Florentinum, qui Leonis X. nomen accepit, quem Galli pauloantè captiuum detinuerant, è quorum tamen manibus magno quodam casu elapsus, ad tantum honoris fastigium euasit.

Fœdus Palatinorũ cum Vuirtẽbergico. Hoc anno comites Palatini Ludouicus & Fridericus fratres, fœdus percussère perpetuum & hæreditarium cum Vdalrico Vuirtenbergensi principe, accedente eò consensu Cæsaris Maximiliani. Non dubium quin iusta fœdera magnam habeant opportunitatem, si tamen in ijs ea lex amicitiæ seruetur, vt à fœderatis amicis honesta petantur, quemadmodùm in suo Lælio ait Cicero, Amicorum causa honesta suscipiantur & fiant, neque quicquam vnquàm, nisi honestum & rectum, alteri ab alteris postulent.

Eodem anno Cæsar Maximilianus multa pecunia Heluetios conduxit, alioquì sua sponte Gallo infensos, qui Burgundiam è Gallorum manibus eriperent. Aderat illis Vdalricus Vuirtenbergensis regulus, Cæsaris partes secutus, qui exercitui commeatum liberalitèr suppeditabat. *Obsidio Diuionis auro Gallico corrũpitur.* Obsederunt Heluetij vrbem Diuionem, & iam muri pars non exigua disiecta, aditum præbebat hostibus, vt facilè vi adhibita possent irrumpere: cùm eccè Galli obsessi, Gallica vsi arte, Heluetios magnis promissis muneribus corruperunt, eoque adduxerunt, vt in summam gentis suæ ignominiam, ab vrbe discederent, ijs tamen conditionibus præscriptis Gallo, quas etsi Tramulius Gallici exercitûs dux necessitate adactus acceperit, Ludouicus tamen Gallorum rex posteà omninò respuerit: quæ res vt meritò accidit Heluetijs, quòd inconstantèr & leuitèr egissent, ità eos vehementèr commouit in Gallorum regem. In ea apud Diuionem defectione primi fuêre Bernenses, magnæ apud Heluetios authoritatis. Multùm ea Heluetiorum inconstantia offendit Maximilianum Cæsarem, Henricum Anglum, & quosdam alios, & res ipsa docuit, non esse spem reponẽdam in hominibus, qui oblata occasione facilè sua mutant consilia, maxime cùm plerique priuatis suis potiùs quàm publicis soleant commodis & vtilitatibns inseruire.

Fuit

Fuit hoc anno frigus hyemis acerrimum, adeò vt apud Coloniam Agrippinam aliquandiù totum Rhenum glacies durissima obtinuerit, quæ non homines tantùm, sed currus etiàm egregiè onustos transmitteret. Ea glacies soluta est anno sequenti ipsis ferijs D. Antonij. *1514* *Frigus acerrimũ.*

ANNO 1514. circa ipsa eius anni initia, cùm alioquì Veneti multis modis essent vehementèr afflicti, & multis acerbis rerum casibus exagitati, repentè atrocissimum media Venetiarum vrbe incendium erupit, quod ædes innumeras & quædam etiam templa absumpsit, haustis etiàm nummulariorum officinis. Mansit autem intactum D. Iacobi sacellum, quo nihil Venetijs antiquius habetur, in ipso nascentis vrbis primordio constructum, licèt iam latera essent circumambusta. Interìm etiàm mare flantibus ventis mirè exagitabatur, vt certè nõ paruo in discrimine versari tum res Veneta videretur. Sedatum tamen altero die est incendium, & multiplex per id tempus fuit Venetiarum clarissimæ vrbis calamitas. Ità nihil est rebus in humanis omni ex parte beatum, nihil diuturnum. Fuêre quidam Venetijs, qui hoc incendium Germanis imputarent, quasi illi suas vlturi iniurias id excitâssent, propterèa quòd fama esset, Venetorum fraude duas Germaniæ vrbes anno superiori arsisse. Sed reuerà potiùs videtur fuisse flagellum Dei, vel Venetorum peccata castigantis, vel eos fortasìs à fastu & alijs vitijs reuocantis. De Venetiarum vrbe eximia multa dici possent, si locus pateretur. Amplissima certè est & munitissima. Fertur in circuitu habere milliaria octo Italica. Sita est in æstuario maritimo: at vbì mare sæuit, ibì vel ab ipsa natura habet littus illi obiectum, quod quinque locis nauibus peruium est. Sunt in ea parœciæ 62. monasteria 41. Pontes publici, vt de priuatis nihil dicamus, 400. Nauigia in varios vsus plùs minùs 8000. Habet magistratum singulari grauitate & prudentia insignem. Dux eligitur sorte, vt aiunt, & nihil potest ea in re ambitio, pessima humani generis pestis. Dux quoàd viuit, præest Reipub. nec tamen vel ille quicquam absque senatu, vel sinè illo Senatus agit. Certos habet sibi præfixos limites in rebus gerendis, intra quos se contineat oportet. Habitus illi non multùm regio dissimilis est. Vtitur purpurea aut auro contexta veste. In capite gestat mitram regi-

Incendiũ vastat Venetias.

Venetiæ describuntur.

1514 am ex lino, quam pileus ambit purpureus cinctus corolla aurea. Cùm se confert in senatum, vtitur solio regio, & tum senatores, tum ciues omnes aperto capite illi loquuntur, stantque coram illo tanquam principe. Eius nomine Senatûs diplomata scribuntur, & eius obsignantur sigillo. Eius item nomine leges publicantur. Et quanuis non admodùm à rege distare videatur, non tamen nimiùm illi habenæ laxantur. Nam nihil agit sinè consilio sex procerum, qui ex sex tribunitijs collegijs illi immediati consiliarij adhibentur. Sed hæc alibì fortaßis copiosiùs.

Occidens habet pacem. Hic annus 1514. Italiam & Occidentem ferè pacatissimum habuit, cùm iam aliquot annis bellis atrocissimis arsisset: quorum flamma deindè in Orientem & Septentrionem peruagata, amplissimas gentes & imperia horrendum in modum vastauit. In Occidente cùm iam attritæ omnium vires, haud facilè instaurari possent, veluti consensu quodam ab armis interim discessum est, vt posteà infestioribus animis repeterentur. Et quod sinè magno animi dolore dici vix potest, tanto odio & contentione in mutuam perniciem Christiani principes & populi ferebantur, vt nullum cædibus, rapinis & incendijs finem daturi viderentur, donèc vel alterutris nihil mansisset reliquum, vel vtrique per mutuas clades ad internecionem bellando conciderent. O insaniam & feritatem plusquàm belluinam. Interìm creuêre barbaris nationibus vires & animi, & non semèl eò res redacta fuit, vt parùm abfuerit, quin totus Occidens Turcicis subactus armis, amentiæ suæ pœnas egregias lueret, nisi præpotens Deus pro sua bonitate eam calamitatem auertisset.

Hoc verò anno bellum ortum est in Pannonia, quòd Vladislaus Sigismundi Poloni frater, qui Matthiæ Coruino successerat, non eam adferret curam & diligentiam rebus gerendis quam oporteret. Plerique enim proceres regni, cùm eum viderent non admodùm rebus inuigilantem, quòd iam esset senio & corporis graui pondere oppressus, regnum amplissimum prædæ habere cœperunt, & singuli suis studere commodis ac vtilitatibus, premere intolerandis exactionibus subditos, atque id genus alijs studijs non bonis operam nauare: vndè factum est, vt regni opibus dissipatis, nerui bellorum pecuniæ regi deficerent. Per id tempus factus

Concursus homin est ingens concursus hominum, præsertim agrestium,

pro-

proptereà quòd militaturis aduersùs Turcas in Illyrica Croatia à legato Apostolico largissimæ essent condonationes oblatæ. Verùm ista hominum fæx, licèt plerique essent iussi discedere ab armis ob nimiam multitudinem, iam consilium ceperunt de excutiendo à ceruicibus suis nobilium iugo. Itaque ducem sibi constituunt Georgium Sichelum, hominem audacissimum: cuius auspicijs non paucas edunt nobilium cædes, matronis & virginibus ingenuis vim adferunt, Cinadium vrbem ex cratibus materiaque constructam inflammant, concrematis omnibus eius vrbis incolis, ijs demptis quos fumus vel tela consumpserunt: Episcopum vrbis Georgium crudelissimè interfecerunt, & alios quosque genere & opibus clarissimos, aut sacerdotio insignes, exquisitissimis tormentis dilaniauerunt. Ità demùm compulsi nobiles, sui defensionem quanta maxima possunt vi & celeritate parant, duceque Bornemissa, multos seditiosæ multitudinis fundunt, nec multò pòst pluribus locis penè ad internecionem eos delent. Nec tamen Georgius se deserit, sed nouis auctus copijs bellum instaurat. Verùm eius nefarij hominis hic fuit exitus, quòd paulò pòst à Iohanne Vaiuoda captus, cæso ferè omni eius exercitu, nudus & catenis vinctus, in equuleo constitutus, & corona candente ex vomere conflata, vt regum mos est, coronatus, multisq; alijs immanissimis & horribilibus est supplicijs excruciatus, ità vt non desint, qui putent nimia & inaudita crudelitate in eum & eius exercitum desæuitum. Atque hoc pacto illud sæuum & nefarium perditæ multitudinis bellum extinctum est, quod nisi citò repressum fuisset, extremam Hungariæ calamitatem haud dubiè allaturum videbatur.

1514 Bellum agrestium in Hungaria.

Georgius Sichelus.

Caduntur seditiosi.

Horrendũ suppliciũ.

Eodem tempore bellum cum Moscouitis gessit Sigismundus Poloniæ rex, vir in Catholica fide, præter alias virtutes, constantissimus. Moscouitarũ est ditio amplissima, in longum ac latum obtinens ad 500. milliaria Germanica, vt quidam ait, possuntque ad centũ & quinquaginta equitum millia conficere. Erat tum in finibus Moscouitarum Smolenchum oppidum, quod non Ruboni amni, vt perperàm collocatum est ab illis, qui Ptolemæi libris nouas incogniti orbis tabulas inseruêre, sed vlteriori Borysthenis ripæ adiacet. Est in hoc oppido castrũ, in vlteriore fluminis ripa situm, ex roboribus constructum, in quo cernere licet permultas domos, vt ciuitatis præ se speciem ferat. Ab altera parte Borysthene

Bellum Polonorũ cum Moscouitis.

Moscouitarũ amplissima ditio.

1514 sthene alluitur, ab altera fossis & acutis palis aduersùs hostiles incursus munitur. Vrbs ipsa in valle sita, omni ex parte colles habet fertiles, & syluas densissimas, vndè pellium diuersarum ingens prouentus. Aedificia pleraque omnia sunt lignea. Est ibì quoquè suburbium, vbì monasteriorum è lapide exædificatorum complures ruinæ visuntur. Id oppidum vel potiùs oppidi castrum, summa vi à Basilio magno duce Moscouitarum oppugnatum anno superiori, sed fortissimè à præsidio Polonico defensum est, adeò vt Moscouita re infecta, multis relictis tormentis & impedimentorum multò maxima parte amissa, abscedere coactus fuerit. At vere proximo, coactis quadraginta equitum millibus, quorundam præsidiariorum fraude oppidum per proditionem cepit. Indè tum in Lituaniam factis excursionibus irrupit. Contrà verò Polonus rex conflato exercitu trigintaquinque millium, Constãtinum ducem egregium misit contra Moscouitas, quorum licèt multò maiores essent copiæ, ità tamen à Polonis tormenta in Moscos præter eorum expectationem displodentibus, fusi fugatique sunt, vt Basilius ipse fuga sibi salutem quærere coactus sit, & in fluuij cuiusdam dubijs & altis ripis tot in fuga Mosci submersione periërint, vt ipse quoquè fluminis cursus retardatus sit. Habebat Polonus in exercitu suo aliquot millia peditum, quorum in hoc prælio præcipua virtus enituit. Capti sunt in hoc conflictu omnes Moscouiticæ militiæ præfecti & consiliarij, è quibus aliquot præcipui posteà Vilnæ ferreis sunt compedibus constricti, reliqui per castra Lituaniæ distributi.

Smolenschum oppugnatur.

Capitur proditione.

Selymus oppugnat Sophum Persarum regem.

Hoc anno Selymus Turcarum Imperator cum valido exercitu ingressus fines Armeniæ maioris, aliquandiù ob itinerum imperitiam ad summam rerum omnium penuriam adactus, tandèm non longè à Taurisio clarissima Persarum regia, Ismaëlem Sophum obuiàm habuit cum exercitu triginta millium equitum. Erat is exercitus numero longè impar Turcarum copijs, quæ supra centum & quinquaginta millibus equitum & peditum constabant, & tormentis non paucis munitæ erant, quibus Persæ carebant: at tamen tanta vi Persarum exercitus Turcas adortus est, vt pluribus prostratis, iam victoria omninò à Persis stare videretur, quæ tamen ex eorum manibus elapsa est, simul atquè Sophus Persarum rex leuitèr tormento vulneratus, è prælio excessit.

cessit. Atquì verò tametsi Selymus victor euasisset, vbì 1514
tamen audiuit Ismaëlem Sophum nouis contractis copijs superuenire, ex Armenia, vbì hyemare decreuerat, excessit, multa in itinere ab Aladolo Tauri montis principe, & demùm à Persis summa contentione eum persequentibus, perpessus, atque Persarum regis ditionibus prorsùs eiectus. Potuisset tunc facilè ad internecionem deleri Turcarum exercitus, si Persarum rex victoria iam ferè parta vti nouisset. Sed fortaßis voluit præpotens Deus Christianis non deesse flagellum, quo eorum peccata castigarentur. Ceciderunt in hoc prælio Turcarum supra triginta millia, & in ijs quidam egregij & principes viri.

Selymus ex Armenia decedit.

Pauca hìc dicemus in gratiam lectoris de potentissimis duobus regibus, Selymo & Ismaële, vt cordatus quisque videat, non nisì omnipotentis Dei prouidentia & dispensatione actum esse, vt tam potentes principes mutuis exarserint odijs, nè illis vires & copias suas coniungentibus, omne Christianorum genus penitùs extirparetur. Erat horum Imperatorum par gloria & regnorum ac ditionum amplitudo, sed mores & disciplina militaris longè diuersa. Vterque Mahometanus, sed tamen in eaipsa secta non eiusdem sententiæ fuit. Alius Homarim, alius Halyn sequebatur, quorum suprà meminimus. In Ismaële singularis quædam pietas, in Selymo inhumana crudelitas cernebatur. Ismaël ex prima nobilitate & liberis hominibus militiæ robora conscripsit: Selymus pro Ottomannicæ familiæ instituto seruorum genus màluit. Fuit Ismaël decora facie, roseo vultu, radiantibus oculis, flaua barba, & quod antiquum apud Persas regiæ stirpis insigne est, adunco naso, illustrique facundia. At Selymus tristi supercilio, prægrandibus & toruis oculis, Scythico pallore suffusa facie, rigentibus setis à superiori labro ad ceruicem retortis, barba nigricante, quæ adspectantibus terrorem incutiant. Ismaël & aditu pariter & alloquio benignus & facilis, suo conuiuio magnam procerum adhibet frequentiam: vxores, si fœcundæ sint, Persarum more tenerè diligit: Selymus contrà in arcano gerit omnia: puerorum imberbium & eunuchorum ministerio contentus, sine conuiua discumbit. vxores à regiæ limine procul arcet, in mares propensiori libidine, quàm fœminas: contentus vno filio hærede Solimanno, quem ex Tartari cuiusdam regis filia suscepit. Quòd ad militiam

Conferuntur inter se Selymus & Ismaël Sophus.

Persæ vxores amãt.

1514 litiam attinet, Persas equites (gaudent enim mirificè equitatu) squamosi thoraces, loricæ ferreæ, bucculatæ cassides, cono insignes galeæ, clypeique auratis vmbonibus rotundi vndiquè protegunt, cùm Turcæ ferè inermes pugnare non dubitent. Vtuntur Persæ lancea fraxinea ancipiti: Turcæ hasta è fragili abiete, gladio incuruo, & claua ferrea. Persarum equi frontalibus ferreis, & tegumentis recocto è corio vestiuntur, quæ consertis laminis, aut infarcto bombycis & gossipij tomento ità muniunt, vt quanlibet telorum contumeliam petferant. Ismaël Persarum imperio potitus, tributa remisit, vectigalia sustulit, minusque ærario studuit, eoque pecunia signata sempèr caruit, interìm tamen tot regnis necessaria omnia largissimè suppeditantibus: sed hac in parte longè impar fuit Selymo, cui ingentes peditum ac equitum copiæ perpetuò militantes, certa stipendia à quæstoribus accipiebant. Nec vnquàm deerant sumptus, ex tot tributis & vectigalibus immensa conflata pecunia aureæ & argenteæ monetæ, quæ Byzantij septem in turribus asseruata, impensas omnes quarta parte superabant. Apud Persas tria sunt genera militum, prætorianorum, euocatorum, & auxiliarium. Prætoriani certa stipendia merent, & eorum ornatissimo comitatu, firmissimoque præsidio rex ipse in sua aula vtitur. Vbi verò bellum imminet, ex omnibus regis ditionibus antiquæ nobilitatis beneficiarij, quorum ingens est numerus, euocantur: in ijs illi reliquos antecellunt, qui ex Perside & vrbe regia, nomine Scyras, accersuntur. Est ea vrbs elegantium armorum officinis toto Oriente clarissima, incomparabili chalybis temperatura in acinaces & lancearum mucrones celebrata, quæ vel immenso precio à Turcis cupidissimè coëmuntur: quòd eius ferri ea vis sit, vt vno ictu nostrorum galeæ discindantur, nihil retusa omninò acie, & lancearum mucrones solidum pectorale transfodiant. Auxiliares deniquè copiæ ab Hiberis & Albanis mittuntur.

Militiæ ratio dispar. *Equi Persarum vt muniantur.* *Turcarũ opes.* *Persæ tria habent militum genera.* *Scyras vrbs clarissima.* *Ferri mira vis.*

Porrò Selymus Ottomannicæ domûs instituto, cùm tam multas occupat alienas ditiones, non alijs ferè quàm seruorum viribus & consilijs tam augustum continuit ac tuebatur Imperium, magnis propositis præmijs ijs, quorum egregiam erga se voluntatem ac studium perspexisset. Turcas autem ob antiquam nobilitatem non æquo tulit animo, præsertìm eius gen-

Turcæ inuisi Selymo Ottomanno.

tis

tis familias quatuor, vetustate originis Ottomanno- 1514
rum domui pares, putà Michaloglos, Ebrenes, Turaca-
nos, atque Malcocios, quos licèt insigni virtute prædi-
tos non sinunt Ottomanni vel ad purpuratorum Bassa-
rum, vel magistrorum equitum ordinem vnquàm eua-
dere, nè ad imperium adspirent: habent tamen interim
hæ familiæ amplissimas functiones. Michalogli vo- *Equites*
luntarijs equitibus præsunt, qui centum millium nu- *volũtarij*
merum plerunquè implent, dicunturque ab illis Acan- 100000.
zes, hoc est, antecursores. Porrò ex præfecturis, quæ sunt
valdè multæ, nobiliores commendantur reliquis tri-
bus familijs, Peloponnesiaca Turacanis, Bosnensis Mal- *Præfectu-*
cocijs, Ebrenibus Samandrica in Triballis. Ex omnibus *ræ supra*
præfecturis, quæ sunt supra quadraginta & octo, nulla 48.
est tam tenuis, quæ non habeat ad duo millia equitum,
cùm ampliores sena vel septena contineant: & hi omnes
singulis mensibus certa habent stipendia. Atque in hoc *Robur*
equitatu præcipuum Ottomannorum robur consistit, *Ottoman-*
cùm ad repentinum edictum intra paucos admodùm *norum.*
dies septuaginta ampliùs egregiorum equitum millia
in vnum locum à præfectis facilè possint adduci. Vni-
uersis autem duo Magistri equitum præsunt, quos Bel- *Bellerbe-*
lerbechos, id est, dominos dominorum vocant, quorum *chi duo.*
alter in Asia ad Cutheiam Galatiæ vrbem, alter in Eu-
ropa ad Sophiam Mœsiæ inferioris residet. Cæterùm
neque Turcæ vlli, neque Christiani illorum pressi iugo,
vel oppida, vel arces, vel pagos more Persarum possi-
dent, aut domos paulò munitiores ædificant, cùm id
apud illos lege cautum sit. Itaque miserrima est Chri-
stianorum Turcis seruientium conditio, cùm neque
opibus polleant, nec vllam seruitutis excutiendæ ra-
tionem inueniant, etiamsi Christiani aliundè auxili-
um laturi videantur, quòd Turcæ vbiquè paratum habe-
ant equitatum, & grauissimum impendeat supplicium
depræhensis. Porrò lectissimus apud Turcas equitatus
constat ex alis prætorianis. Hæ nobilitate & cultu exi-
mio cæteris præstant. Qui huius generis sunt, ex omni- *Alæ præ-*
bus prouincijs deliguntur, & à pueritia abiurata Chri- *torianæ.*
stiana religione, per Eunuchos literis & armis liberali-
tèr instituti, ad summos honores prouehuntur. In ijs
sunt, qui vocentur Mutpharacæ, qui toto orbe conqui- *Mutpha-*
siti, virtute admirabili præstantes, ea conditione mili- *racæ.*
tant, vt quam velint religionem impunè colant: quô fit,
vt non modò ex alijs nationibus etiàm planè ethni-
cis,

1514 cis, sed etiàm nobilitate illustres Christiani, ad Turcam perfugiant, scilicèt momentaneos honores veræ virtuti & vitæ æternæ anteponentes. Hi autem singuli habent subseruos non paucos, quorum est cultus laudatissimus & splendidissimus, vt non multùm à dominis differre videantur: Differunt tamen intersignijs. Atquì apud Selymum nihil neque præstantius, neque validius censebatur duabus legionibus ex Ianizaris delectis, quarum fuit semper inuicta virtus etiàm apud superiores Ottomannos. Sunt verò apud Turcas quatuor purpurati Bassæ, qui rerum grauissimarum consilijs præsunt, & per singulas hebdomadas quatuor continuis diebus in regia coeunt, supplicibus libellis respondent, lites dirimunt, Imperatore interìm per fenestellam velo protectam cuncta attentissimè auscultante. Huius ordinis antiquior, Imperatoris scrinio gemmaque potítur, appellaturque Vesir, & scribis atque notarijs decréta dictat. His rebus confectis, Bassæ prandent, vniuersoque populo, qui in curiam coiërit, publicè epulum datur ex oriza, veruecina carne, paneque & aqua limpida paratum. Sunt apud Turcas Ianizari milites prætoriani, qui peculiari prærogatiua Exarcolam, id est, pileum album, aurea anteriore fascia & cristis insignem, acinaci impenetrabilem, pro galea gestant, lunatosque calceos alijs vetitos induunt. Arma eorum sunt sclopettus & arcus, quibus multò maxima eorum pars vtitur, tum quoquè hastæ Germanicis breuiores, itemque gladius incuruus & parua securis: Hi terra mariquè omniũ audacissimè & constantissimè pugnant. Sed de his hactenùs dixisse sufficiat, vt videant Christiani, cuius hostis vires & arma intestinis suis dissensionibus & discordijs in se concitent & exacuant. Nôrunt Turcæ exactissimè, quæ apud nos gerantur, & vbi arriserit occasio, nostro sanguine suas hastas & acinaces egregiè cruentabunt: & sola demùm vexatio dabit intellectum auditui.

Ianizarorum duæ legiones.

Bassæ.

Arma Ianizarorũ.

Esa. 28.

Hoc eodem anno 1514. obijt Anna Franciæ regina, Claudiæ & Renatę parens, quarum natu maiorem Claudiam in matrimonio posteà habuit Franciscus Valesius Dux Engolismensis, iuuenis egregius. Tum verò Ludouicus rex rebus Gallicis consulturus, Henrici Angli hostis infestissimi sororem Mariam, missa ad Britannos insigni legatione, coniugem sibi petijt & accepit summa totius Galliæ gratulatione. Multa mouerunt Henricum, vt cum eo hoste pacem faceret, & in eas nuptias consen-

consentiret, alioquì nòn admodùm addictus Gallico nomini. Porrò Ludouicus iam ætate grauis, cùm nuptias celebrâsset Parisijs regio apparatu 7. Idus Octobris, ad proximas Ianuarij Calend. mortuus est, nulla relicta prole mascula. Is Ludouicus ducem Mediolani Ludouicum Sforciam in Gallijs captiuum detinuit in cauea ferrata, erepto omni scribendi & quæ cuperet legendi solatio, vbi etiàm ille princeps diem suum obijt. Idem rex florentem regni sui statum maximis obiecit periculis, dum profugis ad ipsum Cardinalibus, Pisani conciliabuli authoribus, fauere non dubitauit.

1514 Ludouicus Franciæ rex moritur.

Eo anno grauis orta fuit lis inter Bauariæ principes Vuilhelmum & Ludouicum, Vuilhelmo ex patris suprema voluntate totum sibi Bauariæ ducatum vendicante, cùm ad populum longè gratiosior esset Ludouicus, nec se iusta portione principatûs fraudari pateretur. Eam litem sapientissimus Cæsar Maximilianus mira dexteritate composuit, vnicuique sua attributa parte, vndè pax inter illos egregios principes reformata est.

Lis inter Bauariæ duces.

Ea componitur.

Circa hæc ferè tempora, vel non longè antè, Emmanuel potentissimus Lusitaniæ rex, Alphonsum præcipuum ducem suum cum insigni classe misit ad Malacham, quæ est aurea Chersonesus, sic dicta ab auri, gemmarum & variorum aromatum insigni copia. Est autem Malacha vrbs miræ magnitudinis, & id temporis Mauro regi Mahometanæ superstitionis parebat. Vrbs à Lusitano obsidetur, fit atrox prælium, victor Lusitanus vrbem militi prędæ datam ingreditur, magna hostium cęde edita, exiguo Lusitanorum damno. Rex ipse cum superstitibus Mauris fugit. Christiani opima reportant spolia: in ijs septem elephantes, & tormentorum æneorum, ad duo millia. Mox illic arx munitissima constructa, & fœdere percusso cum diuersarum nationum mercatoribus, celebrius quàm anteà emporium est institutum, vndè hodiè in nostrum orbem magna vis aromatum inuehitur. Multa deindè alia præclarè gesta sunt à Lusitanis in ijs regionibus, admiratione digna, non tam humanis viribus, quàm superni Numinis fauore: de quibus partìm extat epistola lectu digna regis huius Emmanuelis ad Leonem X. Romanum Pontificem.

Aurea Chersonesus, expugnatur à Lusitanis.

Eodem 1514. anno visi sunt Vuittenbergæ tres soles, quibus singulis cruentus inesset gladius. In Rottwell etiàm sol adspectu sanè quàm horrendo apparuit, va-

Tres soles.

1515 rijs diuersorum colorum septus orbibus: bis quoque tres lunæ conspiciendas se præbuerunt.

Tres lunæ

Franciscus Valesius fit Galliæ rex.

ANNO 1515. Ludouico regi Galliarum vita functo successit Franciscus Valesius, procerum & regni totius suffragijs rex creatus, quòd licèt iuuenis esset, tamen iam antè bellicę virtutis & magnę liberalitatis haud obscura indicia dedisset. Is, vt erat magno & elato animo, mox cogitationem omnem ad Mediolanense bellum adiecit, nouo etiàm & anteà inusitato per inaccessas priùs alpes itinere vsus, exercitu maximas difficultates fortitèr superante. Potuissent facile eius conatus omnes retardari, nisì tum plerique Heluetij nô semèl admodùm importunos & refractarios se præbuissent. Qui tamen arte quadam ad pugnam prouocati, incredibili & effera primùm in Gallos audacia irrumpentes, magnam non absque suorum clade stragem ediderunt, sed altera luce victi à Gallis, Mediolanum se receperunt: vndè tamen paulò pòst excedentes, Maximilianum Sforciam ducem magno eius dolore hostibus obiecerunt, qui penè mentis inops, arcem inexpugnabilem seque sub certis conditionibus Gallo dedidit, cui ea victoria multo sanguine stetit.

Mediolani arx deditur Gallo.

Pugna Elephanti & Rhinocerotis.

Hoc anno Lusitaniæ rex Emmanuel Vlysbonæ edidit insigne spectaculum Elephanti cum Rhinocerote certantis. Est vtrunque animal immani corporis vastitate, sed longiora crura sunt Elephanto. Naturale autem illis inest odium alterius in alterum, idque propter meliora pascua, vt quidam scribunt, quæ sibi inuicèm præripere nituntur. Rhinoceros, teste Pausania, duo habet cornua, alterum insigni magnitudine de naribus extans, alterum quod supernè erumpit, exiguum quidem, sed validissimum. Fuit eiusmodi bestia viua, allata regi Portugalliæ Emmanueli anno 1513. ex India, colore buxeo siue vermiculato, testis clypeatis tecta, omniique ex parte armata. Cùm autem certamen initurus est Rhinoceros cum Elephanto, cui genitus est hostis, vt inquit Plinius, cornu ad saxa limato, aluum maximè petit, quam scit suis ictibus peruiam esse. Porrò Elephantus dentibus maximis & fortissimis cutem Rhinocerotis, quantunlibèt duram & vix iaculo peruiam, validissimo ictu lacerat, dentibusque dilaniat. In eo certamine, quod hoc anno, vt diximus, Vlysbonæ fuit, Elephas succubuit. Est hoc in Elephante admiratione dignum, quòd est

Rhinoceros.

Elephas proximè

est illi patrij sermonis intellectus, officiorumque memoria, nec vllum aliud animal humanis sensibus propiùs accedit. Et quanuis sit immani corporis mole, & inter terrestres bestias facilè maximus, tamen vsqueadeò ab homine domari se patitur, vt in India, vbi frequentes admodùm sunt, aratrum trahere, & necessaria quæque ex rure domum vehere non recuset. Laudetur Deus in creaturis suis, & eius erga homines immensus amor, quem nobis tam varia diuersissimarum creaturarum in hominum vsum conditarum ministeria apertissimè loquuuntur, prouocet nos ad illum redamandum. 1515 *accedit ad sensum hominis.*

Eodem anno mortē oppetit Philippus ab Oberstain Archiepiscopus Coloniensis, vir sanè longiori vita dignus, in cuius locum suffectus est Hermannus à Vueda, qui tandem versutissimorum quorundam hæreticorum astu & fraude, à Catholica fide in errores traductus, loco motus est, vt alibi dicemus. *Philippus Obersteinius moritur.*

Fuerunt hoc anno tota ferè Europa magnæ aquarū inundationes, quæ etiàm arbores & domos euerterint. In Heluetijs quoddam flumen, quod anno 1513. ex monte quodam eruperat, hoc anno cùm iam instàr maris excreuisset, tantum terrorem attulit eius loci incolis, vt ad montium cacumina confugerint: & paulò pòst summa vi & maximo impetu illa vndarum congeries fractis rupibus, & obuijs quibusque obrutis, in vastum mare sese euoluit. *Inūdationes aquarum.*

Hac tempestate Selymus Turcarum Imperator, cùm iam mira celeritate & diligentia copias in Armenia superiori æstate non parùm attritas & accisas, reparâsset, ad Ismaëlem Persarum regē cōtendit. Priùs tamen, quàm in Armeniam interiorem se reciperet, expugnādum sibi sumpsit Aladolum, Tauri & Antitauri regē, à quo se meminerat è Perside discedentem, paulò antè per summam fraudē insignes clades accepisse. Gentes, quibus imperat Aladolus, bellicosæ inprimis & numero amplissimæ feruntur, sed agrestes sunt atque efferæ, & magna parte venationibus ac latrocinijs deditæ. Ortæ dicuntur ex Galatis, Cappadocibus, Armenijs, veteribusque minoris Asiæ colonis, qui propter assiduas bellorum iniurias superioribus seculis, & maximè cùm Tamerlanes Scytha horrendum in modum Orientem populabundus peruasit, ad hæc montosa tanquàm pacata sese loca contulêre, aliquot primò ligneis pagis, mox quibusdam illu- *Gentes Tauri & Antitauri*

1515 stribus oppidulis constructis. Itaque Selymus totis viribus adortus Aladolum, non absque magna suorum strage eum in fugam compulit, sed nequedum parta hac ratione victoria, eius præfectum Saxouaroglem nomine, magnis pollicitationibus corrupit, qui, cùm alioqui infesto in Aladolum esset animo, cum magna equitatus parte ad Selymum perfugit, & non multò pòst captum Aladolum ad Selymum perduxit, qui eum necari iussit, omnemque eius ditionem in prouinciæ formam redactam, sibi subiugauit. Indè perlata ad eum fama, quòd Pannonij in eius ditionem quandam irrupissent, Byzantium cum paucis redijt, & magno conflato exercitu Pannonios duplici incursione citò repressit. Ità ille immanis Tyrannus tam facilè & in Asia & in Europa diuersissimis locis præsentem se exhibuit, vtrobiquè ex hostibus victor. Habent Christiani in Turca Nabuchodonosor suum, qui illorū ceruicibus plusquàm ferreum iugum imponat.

Selymus profligat Aladolū.

Per id tempus conuentus aliquot insignium regum habitus est Viennæ, putà Maximiliani Cæsaris, Vladislai Hungariæ ac Boemiæ, & Sigismundi Poloniæ regum, qui terruit quidem nonnihil Selymum, quòd rumor esset contra ipsum illos reges arma sumpturos: sed vbi comperit alia illic tractata esse, eo metu solutus ad Orientem animum adiecit, relictis nihilominùs in Europa firmissimis præsidijs cum Solimanno filio suo. Causa huius conuentûs hæc fuit: Maximilianus Cæsar vnicam Vladislai Pannoniæ regis filiam Annam volebat alteri ex nepotibus suis, filijs Philippi Hispaniarum regis despondere: porrò ad eiusdem Annæ nuptias non minùs adspirabat Iohannes Zapolitanus, filius Stephani Scepusiensis comitis, cui ea in re maximas ferebat suppetias mater eius vidua, conciliato sibi procerum fauore. Vladislaus rex propensus videbatur in Maximilianum: sed cùm nihil effici posset ob studia eorum, qui Iohanni fauebant, Maximilianus Hungariam armis tentandam putauit. Sub ipso armorum strepitu nascitur Vladislao Ludouicus: itaque venitur ad inducias, atque indè ad certiorem pacem, quæ mirè firmata est & aucta, dum Maximiliani rogatu Vladislaus cum filio iam coronato, & filia, atque Sigismundo Poloniæ rege Viennam se contulerunt, vbi cum Anna facta sunt sponsalia, & simultates ac suspiciones omnes extinctæ, & principes isti perpetuo fœdere sunt coniuncti, atque arctissi-

Conuentus regum Viennæ.

ctissima inter Maximilianum & Sigismundum amicitia conflata. Annam posteà duxit Ferdinandus Maximiliani ex Philippo nepos, Christianissimus Imperator. 1516

ANNO 1516. cum ingenti exercitu Selymus Persarum regem inuasurus, in ipso belli apparatu intellexit Campsonem Aegypti Sulthanum magnis contractis copijs stare ab Ismaële Persarum rege, & nulla ratione passurum, vt Persas bello appetat. Id quidem consternauit nonnihil Selymum, & conatus est Sulthanum muneribus in suas partes trahere, sed frustrà. Itaque hunc sibi modis omnibus oppugnandum statuit. Atque hac in re mirificè illi fortuna arrisit, ità vt admodū breui spatio Syriam, Aegyptum, Iudæam suo imperio adiecerit. Habebat Campson Mamaluchorum fortissimum exercitum, sed eorum superbum ac impotentem dominatum iampridèm pertæsi erant Aegyptij. Mamaluchi, Christianæ religionis desertores sunt omnes, à captiuitate Mahometana superstitione, eiurato Christi cultu & religione, imbuti. Sunt etiàm qui pueros ab vberibus matris raptos, vel alio casu exceptos, vendant mercatoribus: ijque rursùs corporis & virium indole, vel animi vigore præstantes, Alexandriam, atque indè ad Sulthanum Aegyptium, perducuntur. Is emptos curat mox accuratè à lanistis & præceptoribus institui. Vbì iam per ætatem nôrunt egregiè tractare arma, & militiam exercere, tunc stipendia facere incipiunt, & in prætorianos equites alleguntur: indociles verò & ignaui, fortibus perpetuò seruiunt. Atque ij omnes Christiana sunt religione initiati, quam abiurare coguntur. Nemo enim Mahometano vel Iudæo patre genitus, potest in equitum numerum adscribi, idque adeò, vt nec ad Mamaluchorum filios dignitatis equestris iura transeant, immò nec Sulthanus ipse ad filios imperium transmittat. Multi perditæ vitæ & iudicijs damnati, è Christianorum prouincijs eò confugiunt, qui mox decisis præputijs & Christo abiurato, si bello idonei sunt, ad amplissimos honores prouehūtur. Sed eorum in Syros & Aegyptios intoleranda fuit crudelitas, & iniuriæ quotidianæ eos omnibus summè inuisos reddiderunt: quod Selymo commodissimè cecidit. Aegyptij trecentis ferè annis eam vilissimorum mancipiorum tyrannidem pertulerāt. Itaque Selymus incredibili celeritate præter expectationem omnem ad

Selymus oppugnat Aegypti Sulthanū.

Mamaluchi qui sint.

Christiani qui ad Mahometanos confugiant.

Aegyptus quot secu lis pressa à Mamaluchis.

1516 ad Campsonem delatus, Caierbeium Campsonis præfectum iam proditoris animos induisse, & à Campsone ad se cum magna exercitûs parte deficere paratum inuenit. Vbi ad pugnam ventum est, mirabili & præferoci audacia Mamaluchi Turcas inuaserunt, ità vt summo in discrimine versarētur, donèc displosis in Mamaluchos tormentis, & recenti equitum multitudine superueniente, victoria illis erepta est, ad quod plurimùm contulit Caierbeij perfidia & defectio. Campson ipse à suis è prælio fugientibus in arena protritus occubuit, vir septem & septuaginta ætatis habens annos. Hac victoria potitus est Selymus, quod mirum videri possit, eodem ipso die, quo biennio antè Persas superârat. Mamaluchi in Campsonis locum Tomumbeium strenuum virum delegerunt. Interìm Selymus occupata Syria, totus Aegypti opibus imminebat, maxima in eo itinere ab Arabibus damna perpessus, qui eius exercitum miris modis exagitabant.

Campson Sulthanus occumbit.

Porrò Selymus antequàm Aegyptum peteret, Hierosolymam adijt, veterumque prophetarum sepulcra suppliciter veneratus, Christianis sacerdotibus Domini sepulcrum obtinentibus, pecuniam in alimenta sex mensium largitus est. Indè expugnata Gaza, Aegyptum petijt, nec iam longè aberat à summo periculo, ipsi ab Aegypti rege structo, cùm eccè quatuor equites ex Tomumbeij exercitu profugi, omnia Tomumbeij consilia ei exposuerunt, quæ res illi & eius copijs salutem attulit. Mox rursùm manus consertæ tanto vtrinquè odio, vt magnam suorum pariter atque hostium stragem per mutuum errorem ediderint. Tandèm Tomumbeius receptui canere iubens, quòd se Turcis imparem cerneret, Memphim profugit. Hæc pugna incidit in 9. Calend. Februar. anno 1517. Postera luce in ipsa vrbe rursùs toto biduo continentèr pugnatum est, tanta Mamaluchorum pertinacia & virtute, vt Selymus victoria desperata iusserit vrbem maximam & longè populosissimam inflammari, quod tamen incendium paulò pòst, cùm suos euasisse superiores didicisset, restingui iussit. Ità capta est ea vrbs longè amplissima, & Tomumbeius fuga sibi consuluit. Ad extremum cùm totiès victus, etiàm oblata à Selymo pace, bellum redintegrâsset, captus & gula fracta in ipsa Memphitica vrbe extinctus est, summa priùs ignominia à Turcis affectus. Accidit hoc Idib. April. anno 1517. Ita nimirùm habet

Selymus venit Hierosolymã.

Capit Gazam.

Pugna atrox.

Memphis capitur.

habet rerum humanarum conditio, vt nemo sit quantumuis potens & rebus omnibus affluens, qui non facilè possit è summo infimus, & ex fortunatissimo calamitosissimus effici. Quod propterea sic est diuinæ prouidentiæ consilio ordinatum, vt faciliùs homines fortunæ ludibria possint despicere, & summo bono præpotenti Deo constantiùs inhærere. Pauloantè Sultanorum Aegypti fuerat sanè formidanda potestas, quæ necopinatò ita repentè omnis protrita est, vt vsque ad regis Aethiopum longè potentissimi fines omnia cesserint victoris Selymi imperio: cuius certè hominis fuit effera crudelitas, indigna tot rerum prosperrimis successibus, nisi quòd tergis Christianorum hac Turcicarum victoriarum perpetuitate asperrima flagella parabantur. Aegypto Selymus præfecit Caierbeium proditorem Campsonis, & Syriæ Gazellem, multisque è Memphi ablatis tum publicis tum priuatis non sinè magna inuidia ornamentis, Byzantium rediit, priùs tamen hyeme subsequente in Syria exacta. Intereà dum hęc in Syria & Aegypto gerũtur, Christiani principes non solùm nihil mouent contra Turcas, sed more suo intestinis bellis, præsertim in Italia, sese conficiunt.

1517

Caierbeius proditor, fit Aegypti praefectus, & Syriae Gazelles.

ANNO 1517. Selymus Turca, vt iam diximus, cepit Memphim, siue Alcairum, & mox Aegyptum omnem in suam redegit potestatem. Tomumbeius Sulthanus fugam arripiens, cùm se in palude quadam inter iuncos & arundines occultâsset, immersus aquis vsque ad summum pectus, captus & ad Selymum perductus est. Qui iussit primùm tradi eum tortoribus, vt de Campsonis thesauris quęrerent: sed ille nihil præter suspiria & horribiles gemitus in summis cruciatibus protulit. Postero dię vili camelo impositum, ac detrita indutum veste, reuinctis à tergo manibus, per omnia vrbis Memphiticæ fora & celeberrimas regiones circunductum, laqueo ei gulam frangi, atque vt transeuntibus ludibrio foret, vnco ferreo suspensum supra fornicem relinqui iussit. Multis ea res lachrymas excussit, atque vtinàm moueret etiã Christianos dynastas, quibus possint facilè etiàm peiora à tam feris & barbaris tyrannis accidere. Quantùm autem creuerit Turcarum potentia tot amplissimarum ditionum & inprimìs Aegypti accessione, dici vix queat. Sulthanis enim Aegyptiis non modò Aegyptus, sed etiam Syria, Palæstina, Phoenicia,

Tomumbeius capitur.

Laqueo gula frãgitur.

1517 nicia, Iudæa & plures aliæ prouinciæ parebant, quæ illis extinctis, in ius victoris Turcæ concessêre. Quis verò vel solius Aegypti opulentiam pro dignitate explicet? Pomponius Mela lib.1.cap.9. dicit esse terram expertem quidem imbrium, sed tamen mirè fertilem, & hominum aliorumque animalium perfœcundam generatricem: idque Nilum efficere, amnium in nostrum mare permeantium maximum. Viginti millia vrbium ait, Amasi regnante, in ea fuisse. Recentiores quidam ob soli præcipuam fœcunditatem & hominum frequentiam adeò eam excultam fuisse scribunt, vt decem & octo millia insigniorum vrbium in ea extructa numerentur. Ipsa vrbs Memphitica incredibili fertur hominum multitudine abundare, & nihilo minùs res necessarias omnes affatim ibi suppetere, demptis lignis, quæ ad pondus vendantur. Memphis enim & Alcairum (olim Babylon Aegypti) pro vno oppido censentur, tametsi Nilus interfluit, nec aliquo ponte coniunguntur. Auget oppidi amplitudinem suburbanus ager, qui vicos propè innumeros obtinet. Pomponius Mela loco suprà memorato inter alia etiàm Aegypti Labyrinthum describit his verbis: Psammetichi opus Labyrinthus domos mille & regias 12. perpetuo parietis ambitu complexus, marmore extructus ac tectus, vnum in se descensum habet, intùs penè innumerabiles vias, multis ambagibus hùc & illùc remeantibus: sed continuo anfractu, & sæpè reuocatis porticibus ancipites: quibus subindè alium super alios orbem agentibus, & subindè tantū redeunte flexu, quantum processerat, magno & inexplicabili tamē errore perplexus est. Et paulò infrà, Thebæ vtiquè, inquit, (vt Homero dictum est) centū portas, siue (vt alij aiunt) centum aulas habent, totidem olim principum domos, solitasq; singulas, vbi negocium exegerat, dena armatorū millia effundere. Sic ille. Sunt qui Thebas putent esse Heliopolim, quæ secundùm Strabonem olim fuit sacerdotū habitatio, hominū Philosophiæ & Astronomię deditorum, quos præclaris affectos olim fuisse priuilegijs, etiàm diuinæ literæ testantur. De Pyramidum admiranda structura multa quoquè commemorari possent, nisi ea res intolerandam haberet adiunctam stultitiam & vanitatem. De ijs ità scribit Solinus: Quæ in Aegypto fuêre erectæ turres, fuerunt fastigiatę vltra excelsitatem omnem, quæ manu fieri possit. Pyramides in Aegypto, inquit Plinius, regum pecuniæ ociosa ac stulta ostentatio &c.

20000. vrbes in Aegypto.

Memphis amplißima vrbs.

Labyrinthus Aegypti.

Thebarū vrbs.

Pyramides Aegypti.

Tre-

Trecenta sexaginta hominum millia annis viginti amplissimam Pyramidem construxisse produntur. Ridicula quidem & stulta est hæc structura, sed tamen colligi inde possunt regum Aegyptiorum immensæ opes. Habet prætereà sola Aegyptus balsami nobilissimum & odoratissimum liquorem, qui ad nos ferè non nisi vitiatus adfertur. Hæc omnia iam possident Turcæ, & quod maximè dolendum est, etiàm Iudæa, quam Christus Deus sua præsentia mirabilitèr illustrem reddidit, ab illis occupatur: nec Christiani quicquam curant minùs, quàm vt eam ex illorum manibus extrahant. Immò quidam hoc potiùs spectare videntur, vt quod superest Christianarum ditionum, Turcis prodant. Certè si Christiani inter se animis essent coniuncti, facilè recuperarent quæ sunt ablata à barbaris. sed ô tempora, ô mores. Iuuat scilicet esse miseros. Enimuerò nè quid ad summam calamitatem reliqui sit, quotidiè noui finguntur errores, & religio Christiana sub prætextu verbi Dei & puri Euangelij, ab infaustis hominibus indiès magìs ac magìs obscuratur. Apud Catholicos quoquè parua aut nulla est morum correctio: atque ità mali Catholicorum mores produnt Christianam Remp. hæreticis, Hæretici porrò eam produnt Turcis & barbaris. 1517

Hoc anno Martinus Luterus, Augustiniani instituti monachus, cœpit in Germania noua spargere dogmata, & res nouas moliri, quæ tandèm toti orbi Christiano exitium adferrent. De hoc homine accuratiùs aliquantò agendum est, vt posteritas omnis de illo & eius audacissimis facinoribus certiùs æstimare queat: præsertìm cùm præter alios eius hominis fautores, Iohannes Sleidanus Commentarios conscripserit de Statu religionis & Republic. Carolo quinto Cæsare, in quibus ità tuetur Luteri & discipulorum eius causam, vt blāda, & mellita oratione, religionis negocium cum alijs plerisque rebus gestis cōmisceat, ità vt miro artificio dum lectorem detinet historiarum varietate, simul incautis & imperitis animis, identidèm etiàm insignitèr mentiendo, damnatorum iam olìm dogmatum virus exitiale instillet. Atque vt dictis suis, quæ ipse non fuit nescius quàm in multis à vero abhorreant, fidem maiorem conciliet, Paulum Iouium & Iohannem Cochlæum, tacito vtriusque nomine, in Epistola nuncupatoria per calumniam impudentèr perstringit, cùm illis viris longè certè charior fuerit fides, quàm Sleidano & plerisque alijs sectarijs, qui

Martinus Luterus noua spargit dogmata.

Commentarij Sleidani perniciosissimi.

1517 cum Catholica fide omnem etiàm pudorem & dictorum factorumque constantiam & fidem abiecisse cernuntur.

Mendacia in negocio religionis quàm detestanda.

Mentiri autem, præsertim in fidei ac religionis negocio, tam est perniciosum & execrabile, vt quisquis vel semèl de industria quod falsum sciret, pro vero affirmâsse deprehensus fuerit, illi omnis deincèps fides iure optimo detrahenda videatur. Mirum certè est, plerosque etiàm Catholicos vsqueadeò Sleidani lectione delectari: sed quia volumus pasśim omnia etiàm suspectæ fidei hominum scripta legere, & videmur nobis ea esse iudicij acrimonia & maturitate, vt facilè de quibuslibet statuere possimus, falsaq; à veris internoscere, ideò tam multi adeò leuitèr & puerilitèr in fœdos errores prolabimur, quorum meritò pudere posśit non modò graues viros, sed etiàm decrepitas anus & deliros senes: & tamen interìm videmur nobis in luce Euangelij versari, plus videre quàm viderint Maiores nostri, à quorum nos grauitate, integritate, prudētia, constantia lōgisśimè distamus: & plerunq; temulētę mulierculę & ex infima plebis fæce stolidisśimi ac stupidisśimi blaterones scripturas diuinas egregiè crepitant, eas se quouis Theologo rectiùs intelligere procacitèr iactitant: & est certè deniquè eò iam redacta res, vt dum vel maximè Euangelium & puram doctrinam plerique omnes Catholicæ Ecclesiæ desertores sibi vendicant, & magna vocis animorumque contentione buccinare & crepare non desinunt, in quendam horrendum atheismum, & certisśimum ethnicismum prolapsi conspiciantur, adeò vt nonnullis locis vulgus miserabile iam in varias pugnantesq; distractum sectas, non videat quid sequi & amplecti debeat, & non multùm à suprema salutis omnis desperatione abesse videatur. Sed hæc in ipso processu opportunis locis fortasśè commodiùs demonstrabimus. Iam ad Luterum veniamus.

Luterus quādò & vbi natus.

Is natus est Islebij, in celebri Comitatu Mansfeldensi, anno salutis 1483. pridiè D. Martini, cuius nomen accepit in baptismo. Puerulus scholas adijt Islebij, indè Magdeburgum, pòst anno absoluto Isennacum Thuringiæ oppidum profectus, exactis illic annis quatuor, Erphordiam insignem Thuringiæ vrbem, Academia celebrem, se contulit, vbi anno ætatis 20. artium magister creatus est. Indè cùm Iurisprudentiæ animum appulisset, ambulans cum socio in agro, repentè fulminis ictu sociū perdidit: qua re territus & consternatus, multis stupentibus, relicto mundo & spretis omnibus, D.

Augu-

nota per volum[en] XXX.

Augustini institutum Eremitanũ complexus est. Quod 1517
quidem si solo, vt appáret, seruili adactus timore fecit, *Fit monachus Augustinianus.*
debili sanè fundamento nixus est, quippe cùm eiusmodi timor etiàm à Cicerone ethnico rectè vocetur non diuturni magister officij. Quanquàm non est culpandus, qui vel metu solo ad vitam corrigendam adducitur: sed tamen oportet niti ad magis magisque obtinendam charitatem, quæ foràs mittit timorem illum. Verùm quocunque demùm animo Luterus cœnobium petiërit, certè in eo integrum annum ante solennem professionem, vt moris est, nouitius constanter perseuerauit, & deindè palàm professus est monachum, atque annis quatuor non *Facit professionem.*
instrenuum se prębuit in exercitijs spiritalibus, licèt quędam in eo apparérent, quę de mali dæmonis commercio suspectum eum redderent, illud inprimìs, quòd cùm aliquandò in Missa diceretur Euangelium de expulso surdo & muto dæmonio, subitò corruens exclamaret, Non *Marc.9.*
sum, Non sum. Immò verò ipse nõ semel in suis scriptis *Habet cõmercium cum dæmone.*
testatus est, se probè cognitum habere diabolum, & plus quàm frustum vnum salis cum eo comedisse: quæ quidẽ dictu sunt horrenda. Cùm autem Saxoniæ princeps Fridericus Vuittenbergę nouam constituisset Academiam, *Academia noua Vuittenbergæ.*
ad eam quoquè Luterus anno 1508. missus, publicè prælegit Logicen & Physicen Aristotelis. Triennio pòst Romam ire compulsus cuiusdam litis componendæ causa, ea transacta, redijt Vuittenbergam, & Doctor Theologię *Fit doctor Theologiæ*
factus, cùm esset disputator vehemens, primùm quidem Vuittenbergæ, mox etiàm Heidelbergæ ingenij & eruditionis famam disputando captare cœpit, nouis propositis thematìs.

Sleidanus à Leone X. pręclaram suam orditur historiam, & in ipso eius limine egregiè mentitur: sed ità tamen, vt hæc mendacia ei cum toto grege communia sint: nec ideò tamen minùs turpia, cùm etiàm religionem attingant, de cuius receptis approbatisque sententijs nemo nisi perniciosè mentitur. Verba Sleidani sunt hæc: Leo X. Pontifex Romanus, ex familia Medicea, Florentinus, pro sua, quam in omnes Christiani nominis ecclesias habere se putabat, quadã vsurpatione maiorum, potestate, &c. Primò quidem, non putabat Leo Pontifex (quẽ Slei- *Sleidanus arguitur.*
danus Romanum vocat, maximum pro suo cãdore non vuit dicere) ad se pertinere curam omnium ecclesiarum, sed ex Euangelio certus erat dictum esse Petro ab ipso *Ioan.21.*
Christo, Pasce oues meas: nec ignorabat Romanum Pontificem

1517 tificem esse Petri successorem. Fortè non legerat Sleidanus illud Ambrosij in prioris Epistolæ ad Timotheum caput 3. Cùm totus mundus Dei sit, Ecclesia tamen domus eius dicitur, cuius hodiè rector est Damasus. Deindè non sibi eam vsurpârunt Pontifices authoritatem, vt Sleidanus aculeatè scribit non sinè insigni tot sanctissimorum Pontificum iniuria, sed à Christo sibi demandatam in totum orbem Christianum vbicunquè res postulauit, exercuerunt. Mox addit ille Sleidanus, Pontificem missis per omnia regna literis atque diplomatîs, omnium delictorum expiationem ac salutem æternam esse pollicitum interuentu peuniæ, quam quisque daret. Multa hîc fraudulentèr silet ille hostis Pontificum. Ità enim non solent promulgari indulgentię vel condonationes..Petijt autem Pontifex subsidium pecuniarium pro structura templi S.Petri Apostolorum principis, & eam pia animi deuotione largientibus dedit indulgentias, quæ tamen non dantur nisì verè pœnitentibus, & contritis,atque sua peccata confitētibus. sic enim solent habere diplomata condonationum. Nec putandus est Pontifex liberalitèr eruditus alitèr scripsisse in suis diplomatîs, licèt fortasșis quidam importuni earum indulgentiarum prædicatores, turpis quæstûs causa, pro concione temerè multa dixerint: quæ culpa non debuit à Sleidano cōferri in Pontificem, Ità ille bonus vir suam lepidam historiam orditur ab iniurijs & calumnijs in Romanum Pontificem,& in rebus grauissimis impudentèr mentitur: qui si volebat repræhendere abusum, qui nonnunquàm etiàm in prædicandis indulgentijs incidebat,debebat abstinere ab insectatione Pontificis, de quo paulò pòst idem ipse scribit, quòd Luterus illius arbitrio atque potestati omnia sua scripta, vitam quoquè & salutem permiserit,scripseritque quicquid à Pontifice profectum fuerit,eo loco futurum apud se,àc si dimanâsset à Christo. Quæ Luteri verba tum Luterum ipsum, tum Sleidanum quoquè egregiè pudefaciunt. Sed ad narrationem reuertamur.

Sleidani calumnia.

Intereà Romæ Leo Pontifex largissimas promulgat condonationes siue indulgentias, eique negocio in Germania præficit Moguntinum Archiepiscopum Albertum, principem celeberrimum. Is ad prædicandas eas indulgentias delegit Iohannem Tetzellium Dominicanum. Ea res pessimè habuit quosdam Ordinis Augustiniani,inprimis Iohannem Staupitium, eius Ordinis

Origo turbarum in

nis Generalem per Germaniam Vicarium, virum nobilem, facundum, & Friderico principi charum, itemque Martinum Luterum Lectorem Ordinarium Vuittebergæ. Et quia interdum non parui abusus eiusmodi euulgandis indulgentijs sese immiscuerant, inde sumpta occasione, Luterus primum in indulgentiarum immodicos quosdam & sordidos, suo duntaxat quæstui seruientes buccinatores acriter inuectus est, datis ad Moguntinum antistitem literis, in quibus longe aliter scripsit de salutis certitudine, quam paulo post in sua Captiuitate Babylonica & scriptis alijs. Ait enim inter cætera, vbique Dominum difficultatem salutis denunciare, & Apostolum iubere semper in timore & tremore nos operari salutem nostram, & id genus multa alia, quæ Sleidanus fraudulenter tacet, quia videt ea è diametro cum posteriori Luteri doctrina pugnare. Mox vero Luterus etiam 95. propositiones palam edidit, quibus indulgentias oppugnauit. Contra vero Tetzellius 106. propositiones euulgauit, Luteranis plane contrarias. Ex hac lite ortum est illud immane & horrendum Luteranę hereseos incendium, quo tota pene Europa postmodum conflagrauit. In ipsis huius Tragœdiæ initijs visus est Luterus etiam plerisque viris grauibus & eruditis non pessimo zelo moueri, planeque nihil spectare aliud, quam Ecclesiæ reformationem, cuius quidam deformes abusus non parum male habebant bonos omnes. Sed vbi Luterus totum suum pectus non diu post aperire cœpit, facile patuit, quam ille nihil spectaret minus, quam Ecclesiæ pacem & repurgationem. Verum multis imposuit eius simulata humilitas & erga Pontificem reuerentia, qua illi necessario vtendum erat, donec sibi parasset vires, quibus fretus, omnem iam vndecunque occurrentium aduersariorum impetum sustinere posset. Scripsit Leoni Pontifici literas, in quibus etiam hæc eius verba legebantur: Quare beatissime Pater, prostratum me pedibus T. B. offero, cum omnibus quæ sum & habeo. Viuifica, occide: voca, reuoca: approba, reproba, vt placuerit. Vocem tuam, vocem Christi in te præsidentis & loquentis agnoscam. Habebant hæc speciem quandam pietatis, sed longe alium re ipsa paulo post se declarauit. Multi fuere olim insignes hæretici, & ingenio quidem ac eruditione Lutero longe superiores: sed qui tam impotenti & effera animi audacia ac importunitate fuerint, haud facile vllos inuenias. Fruebatur amplissimi prin-

1517 religione & Germania.

Oppugnat Lut. indulgentiarũ præcones.

Luterus omnium importunissi.

1517 principis Saxoniæ Friderici patrocinio, cuius tunc erat inter cæteros Germaniæ proceres præcipua ferè authoritas, potentia, liberalitas: & ideò facilè contemnebat minas & pericula omnia, atque indiscriminatim in quoslibet tum Ecclesiasticos tum ciuiles magistratus petulantissimè incurrebat, probraque & conuicia procacissimè iactabat, vbiquè ferè in id vnum præcipuè intētus, populo vt placerent quas fecisset fabulas, populique gratiam & applausum captaret. Et quia multa erant in Clero vitia, quem ille apud laicos in odium & inuidiam adducere modis omnibus conabatur, ea summa animi acerbitate omnibus propalare, mirè exaggerare, & impudentèr multa fingendo in vulgus spargere studuit. Et certè breui ille multis id effecit locis, vt Clerus omnis non alio quàm luporum loco apud laicos passim habitus sit: adeò vt passim in suis domibus pontifices, sacerdotes, monachos luporum forma & specie depingi curârint, & incredibili odio atque contemptu prosecuti sint. Et fuit id quidem verissimum, Clerum multis abominandis scatere vitijs, quæ cùm nulla Prælatorum seueritate castigarentur, permisit præpotens Deus huius importuni & improbi apostatæ conatus non inanes habere successus, Clerumque in summum venire contemptum, vt vel sic tandèm resipiscerent. Atque vtinàm vel sola vexatio dedisset intellectum auditui. Dolenda certè res, plerosque adeò in Clero occæcatos, vt propemodùm stupidi & ab omni sensu alieni, ipsas suas supremas calamitates nec animaduertere quidem videantur, & in summis animæ & corporis periculis haud alitèr atq; in certissima securitate versentur. Atque hæc vna ferè & præcipua ratio est, cùr Luteri & eius discipulorum nefanda dogmata & impij conatus vsqueadeò felices habuerint progressus multis annis, quòd nulla apud Catholicos, etiàm in ipso Clero, secuta est vitæ in melius commutatio, vt iam meritò pudere nos debeat socordiæ & impudentiæ nostræ, qui videmus nos vndiquè Dei iusto iudicio propter peccata nostra tot malis obrui, nec tamen operā damus, vt moribus rectiùs componendis & corrigendis iram præpotentis Dei à nostris ceruicibus auertamus. Nihil prorsùs virium est in istis impijs & blasphemis hæresum fabricatoribus, nisi quantùm vitæ nostræ corruptione illis subministratur atque fouetur. Sed de his satis.

Venditat se vulgo.

Esai.28.

Frisius pirata.

Eodem hoc anno, qui fuit 1517. insignis quidam pirata Petrus Longus natione Frisius, cum 500. perditis

nebu-

nebulonibus mare infestum habuit, & vrbes maritimas aquilonares egregiè diuexauit. Voluit is vastator Danorum, vindex Bremensium, interceptor Hamburgensium, crux Batauorum prædicari. Insignia eius & vestium ornamenta, patibula & rotæ pictæ, dignum tali patella operculum. In Italia hoc ipso anno armatæ acies in aëre visæ sunt infestis inter sese signis concurrere & præliari. 1517

Eodem anno Christiernus rex Daniæ & Noruegiæ Suediam occupare cupiens, cùm viribus non posset, ad callidas artes conuersus, cœpit ad defectionem quosdam è primoribus regni solicitate. Fertur Episcopus Vpsalensis Gostauus in eius partes cum nonnullis alijs concessisse. Sed illo à Stenone Suediæ gubernatore represso, Christiernus rem ad arma contulit, & Stocholmiam regni metropolim obsedit, sed frustrà. Itaque per dolum inducijs postulatis & acceptis, vbì à Stenone exercitus eius, qui summa rerum omnium inopia iam diù premebatur, recreatus est, datis obsidibus, Stenonem in castra ad colloquium euocauit: sed senatus Stocholmień sentiens dolum, non permisit Stenonem eò se cōferre. Rursùs ad alias se transferens machinas, vrbem se ingressurum ait, modò priùs dentur obsides salutis suæ. Mittuntur ad eum aliquot nobilissimi iuuenes, in ijs Gostauus Erichson, posteà Suediæ rex, quos ille mox vbì ad naues peruenissent, coniecit in vincula, & in Daniam abijt. Interim annis quatuor quieuit. Posteà conscripto milite obsidet rursùs Stocholmiam: Senatus iam occiso in pugna Stenone, sub certis conditionibus Dano vrbem dedidit. Is donèc militem & arcem confirmaret, fidem datam minimè fefellit. Sed iam satìs munitus, conuocat suos, aperit consilium perdendi ciues: modum quo id fieri possit, tanquàm ipso insciente & inuito, perquirit. Illi dant consilium, quod rex amplectitur. Fit apparatus magni conuiuij, ad quod Suediæ proceres & quidam alij inuitantur. Danus se iucundum præbet, idem Suedi faciunt, ignari periculi sui. Postquàm triduo epulatum est, conuiuæ rapiuntur in carceres. Altera luce portæ vrbis claduntur, milites armati ingenti terrore edito, per regiones disponuntur, è regia duo Episcopi Scarcensis & Strengenensis ad aream, quæ est ante prætorium, producuntur à carnificibus, & mox prostrati capitibus truncantur. Idem patiuntur alij proceres, & post illos Senatus vrbis: inde in plebem sæuitum est:

Christiernus Danus Suediā fallacia occupare nititur.

Deditur Stocholmia Dano.

Crudelitas Christierni.

1518 est: multisque se occultantibus, impunitas edicto propo-
O sæuitiā plùsquàm barbaricā sita fuit omnibus. Prodeunt miseri ciues, & ad vnum omnes trucidantur à barbaro milite. Durauit ea cædes aliquot dies continuos, & immani quadam planeque barbara tyrannide id temporis vsus est rex ille Christiernus, qui non multò pòst, Deo iustam ab illo repetente vindictam, ditionibus suis omnibus eiectus, vagus & inops in solo alieno exulauit. Tandèm cùm regnum, comparatis copijs rursùs obtinere vellet, captus & custodiæ mancipatus est, & captiuus ad supremum vsque spiritum permansit. Fertur præsentissimo veneno quorundā opera extinctus, diem suum miserè obijsse. Sub hoc etiam rege multa perpessus est vir insignis Georgius à Schotborch Lundeń Archiepiscopus, quòd ei nollet tradere insulam Bornholmensem. Is episcopus tandèm propter iustitiæ defensionem exul à sede & patria sua, Coloniæ Agrippinæ mortuus est post multas huius vitæ ærumnas & calamitates, quas constanti animo non paucis annis perferre mâluit, quàm diœcesim suam, non vt pastor, sed vt vilis mercenarius, prodere tyrannis. Habitaui ego aliquandiù in ædibus eius, cùm Coloniæ literis operam darem, multaque vidi in illo virtutum exempla. Vtebatur sæpissimè aspero cilicio ad nudum corpus, atque in precibus erat assiduus. Rara quædam in illo prudentia cernebatur, & morum grauitas. Quandò exul venit Coloniam, hospitio receptus est à D. Iohanne Rinckio, patritio Colonień, viro celeberrimo atque integerrimo, ab eodemque & eius honestissima coniuge tractatus est humanitate incredibili. Solebat is Rinckius posteà de illo dicere: Fuit exemplo mihi & meis. Plura de eo episcopo dici possent laude digna, quę tamen breuitatis studio præterimus.

Comitia Augustana.

ANNO 1518. Maximilianus Cæsar conuentus egit Augustæ Vindelicorum, vbi principes Electores omnes adfuerunt. Missus quoquè eò fuit Cardinalis Thomas Caietanus vir excellenti doctrina, qui thesauros ecclesiæ Pontificis nomine in bellum Turcicum polliceretur. Eodem anno Maximilianus scripsit Pontifici de turbis per Luterum excitatis, oratque vt maturè rebus affectis opem ferat: quicquid decreuerit, se curaturum vt executioni mandetur.

Luterus se submitit Per id tempus scripsit Luterus Latinè librum hoc titulo, Resolutiones disputationum de Indulgentiarum

virtute,

virtute, &c. in cuius Præfatione mirabilitèr se submittit Romano Pontifici : sed vt sibi gratiam apud omnes, aduersarijs odium conflaret. Itaque hac simulatione non paucis etiam grauibus viris ille primùm imposuit. Porrò aliquot ex eis, qui carmine & prosa valebant, sibi Luterum defendendum susceperunt, multis coniectis in Prælatos & Theologos conuicijs. Ità sensim Luterus creuit apud vulgus, & aduersarij in contemptum venêre. Intereà Luterus citatur Romam, sed excusat se. Negocium mandatur Cardinali Caietano, ad quem licèt inuitus, venit Luterus Augustam. Erat negocium illud Romæ certis iudicibus demandatum, qui Luterum audirent, sed ille causabatur insidias, tum iudices suspectos, tum rei pecuniariæ inopiam, tum malam valetudinem : impetrauit autem per Saxoniæ principem, vt intra Germaniam iudices darentur : Erat tum, vt dictum est, Augustæ Cardinalis Caietanus. Is sanè multùm egit, vt hominem ad sanitatem reduceret, sed id frustrà fuit. Id temporis non erat illi à Maximiliano Cæsare data fides publica, sed habebat literas commendatitias Friderici Saxoniæ principis. Nec erat homo, malè sibi conscius, sinè trepidatione. Tria illi à Cardinale Pontificis nomine proponebantur : Vt resipisceret, & caneret errorum suorum palinodiam : Vt in posterum fidem daret, se ad illos minimè rediturum : Vt missa faceret ea omnia, quę ad Ecclesiæ perturbationem spectare viderentur. Ille verò se errasse fateri noluit, ad extremum tamen petijt & obtinuit spatium deliberandi. Postero die reuersus ad Cardinalem, inuenit apud eum quatuor proceres, qui essent Cæsari à consilijs. Ibi versutus homo vt omnem à se hæreseos suspicionem apud illos amoliretur, coram Cardinale hanc ex scheda protestationem recitauit : Ego frater Martinus Luter Augustinianus, protestor me colere & sequi sanctam Romanam Ecclesiam in omnibus meis dictis & factis, præsentibus, præteritis & futuris. Quòd si quid contrà vel alitèr dictum fuit vel fuerit, pro non dicto haberi & habere volo. Hoc vtinàm ab illo syncerè dictum fuisset. Non possum, quin hoc loco impudentissimum Sleidani mendacium paucis commemorem, vt ex illo de eius tota historia lector capiat coniecturam. Scribit Cardinalem virum doctissimum hoc tempore ità prædicâsse Pontificis dignitatem, vt eum omnibus scripturis atque Concilijs anteponeret. Quis verò vnquàm credat illum virũ, in catho-

1518

tit Romæ. Pontifici.

Luterus venit ad Caietanũ

Luteri protestatio.

Calũnia Sleidani.

1518 lica religione tam insignitèr eruditum, ausum affirmare, Pontificem etiàm scripturis diuinis esse anteponendum, cùm certum sit, ea quæ diuinitùs in sacris literis vel iussa vel vetita sunt, etiàm Pontificem tum facere, tum cauere debere? Nimìs molestum esset, id genus mendacia sempèr annotare, quibus ille historicus libentèr suam adspergit historiam, vt catholicis inuidiam & odium; Lutero & sectis gratiam & authoritatem conciliet. Porrò Cardinalis hac Luteri protestatione accepta, quòd sciret illum multa & dixisse & scripsisse, quæ cum Romana Ecclesia non bellè concordarent, vrgere perrexit, vt præstaret tria illa, quæ suprà dicta sunt. At ille rursùs protestatur non se meminisse quicquam à se dictum esse, quod cum diuinis literis, cum patribus, cum Pontificum epistolis decretalibus, aut cum recta ratione pugnet. Scilicèt ignorabat ille bonus vir se non modò in suis Resolutionibus, sed etiàm in proximo colloquio dixisse multa de Indulgentijs & Pontificis authoritate secùs quàm habeat fides Romanæ ecclesiæ. Perspicua igitur hìc illius fraus appáret. Nam aut fictè & simulatè protestatus est se in omnibus sequi sanctã Romanam Ecclesiam, aut turpitèr mentitur se nihil dixisse contra Pontificum decretales epistolas. Pulchrè ergò quadrat in illum, quod verissimè dictum est ab Iacobo Apostolo: Vir duplex animo, inconstans est in omnibus vijs suis. Addebat autem coram Cardinale, quandoquidem homo sit qui errare possit, libentèr se velle submittere iudicio Eclesiæ, itemque vniuersitatum Basileeñ, Friburgensis, Louaniensis, Parisiensis, quam postremã studiorum parentem & iam antiquitùs sempèr Christianissimam vocabat. Non fuit de nihilo, quòd tantum ille tribuebat Theologis Parisieñ, de quibus tamen paulò pòst longè alitèr suo more scripsit. Nam ab illis multi eius articuli damnati fuêre, quod nullo pacto concoquere potuit vir supra modum arrogans & superbus. Ergò etiàm istud fraudulentèr dixit. Cardinale autem suum porrò vrgente propositum, de quo semèl atque iterùm dictum est, ille rogauit copiam sibi fieri in scripto respondendi. Facta illi copia, satis animi sui duplicitatem declarauit. Nam multa congessit contra Extrauagantem Clementis VI. de Indulgentijs, contra authoritatem decretalium Rom. Pont. contra merita Sanctorũ, contra Indulgentias, contra merita operum bonorum. Et hoc erat sequi in omnibus Romanam Ecclesiam. Minabatur illi Cardinalis, ni respi-

Luteri tergiuersatio

Iaco. 1.

resipisceret, excommunicationis sententiam. Timebat *1519.*
verò Luterus, nè à Cardinali in custodiam traderetur.
Itaque multùm anxius, à Cæsareanis per amicos impetrauit fidem publicam. Non diù pòst clàm Augusta discessit: sed priùs veteratoriè à Cardinali Legato ad Pontificem prouocauit, & eam appellationem palàm iussit affigi. Scilicèt id studio erat Lutero, vt Pontificis audiret sententiam, qui neminem magìs cum toto commilitonum suorum grege, quàm Pontificem insectatus est per omnem deincèps vitam suam. Sed tamen his artibus efficiebat, vt causam non malam fouere videretur, ac plurimos in suas partes pertraheret. Et Cardinali quidem deindè scripsit aliquotiès literas blandissimas, quibus eius clementiam & humanitatem mirè prædicauit: alijs verò de eodem Cardinali longè alitèr & dixit & scripsit etiam publicè, accusans eum tyrannidis, &c. Eiusmodi ergò, vt dixi, artibus ille non parua accepit incrementa, Deo id permittente in castigationem Ecclesiæ suæ. Pauci id tum aduertebant, nec quisquam erat, qui ex ea scintilla tantum incendium breuì emersurum suspicaretur. Scripserunt id temporis contra Luterum aliquot præclari Theologi, sed quos ille duceret pro nihilo, multorum iam sciolorum fretus fauore, qui Theologis orationis elegantiam neglectui habentibus, eo ipso nomine eruditionem quoquè detrahere non dubitarent, quasi rerum cognitio in dictionis phaleris posita sit.

Luterus prouocat ad Pontificem.

Eodem anno Carolus Hispaniarum rex magnas eduxit copias aduersùs Marrhanos, & expugnato ex munitissimis eorum oppidis vno, plùs minùs quadraginta barbarorum millia prostrauit, ex præda huius victoriæ duo preciosissima vexilla Cæsari Maximiliano, auo suo paterno transmittens.

Carolus debellat Marrhanos.

ANNO 1519. Maximilianus Cæsar 12. Ianuarij, anno ætatis suæ 63. mortuus est, cùm intempestiuè pharmacum incertæ efficaciæ contra morbum, quem sibi imminere putârat, hausisset: vir sanè præstantissimus, corporis atque animi dotibus inclytus. Annum 63. dicunt climactericum. Apud Gellium lib. 15. cap. 7. legimus, obseruatum in multa hominum memoria esse, in senioribus plerisque omnibus sexagesimumtertium vitę annum cum periculo & clade aliqua venire aut corporis, morbique grauioris, aut vitæ interitûs, aut animi ægritudinis. Sit hoc ità obseruatum à cæca gentilitate: nobis

Maximilianus moritur.

1519 Christianis omnis annus, immò omne tẽpus suspectum esse debet, cùm Christus dicat: Vigilate, quia nescitis diem, neque horam. Maximiliano mortuo, Luterus factus est insolentior.

Matt.25.

Iohannes Eckius taxat Luterum.

Per id tempus D. Iohannes Eckius Theologus celeberrimus quibusdam annotationibus, quas Obeliscos inscripsit, Luteri primas de Indulgentijs propositiones taxauit. Id malè habuit tum Luterum, tum Andream Carlstadium Archidiaconum Vuittenbergeñ. Sleidanus scribit Luterum respondisse Eckio, quòd nihil sacræ scripturæ, nihil è scriptis patrum, sed sua quædam modò adferret somnia, iam olim praua consuetudine nimiùm in scholis recepta. Sed hoc aut de Lutero fingit Sleidanus, aut Luterus bilinguis fuit, cùm constet eum Lectori scripsisse, Eckium scripturę patrumque verbis vti, sed imperitè. Certè autem tanta fuit Eckij eruditio, vt Luterus planè indignus sit, qui vlla ex parte cum eo componatur. Non est tamen mirum, à Lutero illum esse contemptum, cùm ille & patres omnes & concilia omnia posteà reiecerit, sicut infrà audiemus. Nouerat Luterus, ex crebra disputatione celebre sibi nomen in plerisque Academijs Eckium comparâsse. Hanc ei laudẽ pręripere voluit. Itaque res in disputationem deducta est, & disputationi locus designatus Lipsiæ. Venit eò intrepidus Eckius, venerũt etiàm Luterus & Carlstadius. Cum Carlstadio primò disputatum est: eo delassato, Luterus successit: porrò monitus à consiliarijs optimi Principis Georgij, vt comitèr & sedatè se gereret, (viderãt enim hominis vultum iracundum) ille respondit, Neq; propter Deum hæc res cœpta est, neque propter Deum finietur. Quę erat certè vox inprimis barbara & immanis. Attamen in ipsa disputatione de quibusdam rebus longè alitèr, magisque Catholicè dicere visus est, quàm paulò pòst scripserit. Nihil derogatum voluit neque Romanę Ecclesię primatui & authoritati, neq; Pontifici. Aiebat non Latinè modò, sed etiàm Germanicè, se non impugnare, nec Christianè à quoquam impugnari posse, primatum & obedientiam Romæ Ecclesiæ. Sleidanus de tota hac disputatione scribit fraudulentèr pleraque, aitque Luterum negâsse Ecclesiæ Romanæ primatum. Vidit Sleidanus in Luteri ignominiam cedere, si diuersa sensisse scriberetur, quod tamen ille fecit sæpissimè. Pręterea damnauit Boëmos tanquàm schismaticos: nõ solùm credere, sed etiàm scire se dixit esse Purgatorium. Verùm longè secùs posteà scripsit,

Disputatio Lipsica.

Barbara Luteri vox.

scripsit, & Eckium passìm apud omnes, atque apud ipsum 1519
adeò Romanum Pontificem acerbè traduxit. Scripsit etiàm in Hieronymum Emserum petulantissimè: atque hoc sanè ille pro more habuit, vt quos veritate non posset, eos conuicijs, lœdorijs, calumnijs, mendacijs obrueret: qua in re strenuè eum imitantur, quotquot ex eius schola prodiêrunt, noui euangelij buccinatores.

Hoc anno Francophurti conuenerunt Electores Principes, & in Maximiliani Cæsaris locum elegerunt Carolum Austriacum principem potentissimum. Multùm laborauit Gallorum rex Franciscus, vt is honos ipsi deferretur, nec deerant, qui illi fauere viderentur: sed Carolus ei antelatus est. Fertur ea res exitiali illi bello causam dedisse, quod breuì posteà inter illos exarsit. Missus est ad Carolum tunc in Hispanijs degentem Fridericus Palatinus, qui eùm & oblatum honorem suscipere, & in Germaniam iter maturare hortaretur. Accepit eum Carolus liberalitèr, & honorificè donatum à se dimisit. Habebat id temporis Carolus annos vndeuiginti, de cuius progenie pauca hoc loco non incommodè dicturi videmur. Galliæ regi Carolo V. cui Prudentis cognomen fuit, Burgundiæ principatus cùm delatus esset, is eum fratri suo Philippo dedit. Philippus in matrimonium accepit Ludouici Flandriæ comitis filiam vnicam Margaritam, ex qua illi natus est Iohannes filius, qui pater fuit Philippi eius, qui ducem illum longè potentissimum Carolum, apud Nanceium tandèm cæsum, generauit. Eius verò Caroli filiam Mariam, amplissimarum ditionum hæredem duxit Maximilianus, Friderici eius nominis 3. Romanorum Imperatoris filius, qui Philippum procreauit huius Caroli V. parentem. Habuit enim Philippus iste in matrimonio Iohannā, Ferdinandi Hispaniæ regis filiam, vt iam suprà quoquè dictum est, ex qua suscepit Carolum & Ferdinandum, ambos posteà Romanorum Imperatores longè optimos atque integerrimos, quorum insigni virtute & pietate sic hactenùs defensum est Romanū Imperium, vt Turcarū licèt potentissimus rex ab illis sæpè repressus sit, & non semèl in fugam compulsus. Porrò Ferdinandus Caroli Imper. auus maternus, fuit Aragoniæ atque Siciliæ rex, coniugemque habuit Elizabetham, Iohannis secundi regis Hispaniarum filiam hæredem. Pòst etiàm obtinuit regnum Neapolitanum, genuitq; ex Elizabetha Iohannem, Isabelam, Iohannam, Mariam, Catharinam. Iohanne mortuo &

Caroli V. electio.

Genealogia Caroli V.

1519 Isabela sinè liberis, totius regni successio, more eius gentis, deuoluta est ad Iohannam natù ptoximam sororem. Hac igitur ratione ditiones omnes tam Ferdinandi regis Hispaniarum, quàm ducis Burgundiæ Caroli, ad Iohannæ filium Carolum, eius nominis V. Romanorum Imperatorem, peruenêre, ità vt multis seculis eo potentiorem non habuerit Germania Cęsarem, licèt in tanta amplitudine singularis quædam & incredibilis in eo principe semper extiterit modestia & humilitas, vt nihil iam dicamus de alijs eius virtutibus, quæ sanè multæ in eo & haud vulgares apparuêre.

Caroli V. potentia.

Modestia.

Luteri spes vana.

Luterus autem & eius studiosi plerique omninò persuasum habebant, fore vt is iuuenis Imperator planè Luteranus fieret, nec dubitauit Luterus datis ad eum literis suam testari innocentiam, & aduersarios criminari. Verùm ab ineunte etate singularis in Carolo prudentia enituit, nec potuit vnquàm vel Luterus vel quilibet alius sectarius eius candidissimum pectus deprauare. Augebatur intereà in dies & inuidia Cleri ac Theologorum & monachorum, & fauor multorum, pręsertim poetarum & rhetorum erga Luterum. Scripsit autem Luterus Leoni Pontifici literas, quarum ipse quoquè Sleidanus meminit, in Luteri & suam sempiternam ignominiā commemorans, quid illę continuerint. Ait enim inter cętera scripsisse Luterum, se quidem erga Romanam Ecclesiam & ipsum quoquè Pontificem sic esse affectum, vt nihil in eam moliri cogitet: tantam enim eius Ecclesiæ potestatem esse, vt præter vnum Christum in rebus humanis nihil ea sit excellentius. & post pauca: se quodammodò coactum ab aduersarijs, parùm reuerentèr illam atque dignè tractâsse: velle autem commonefacere populum, nè suum imitentur exemplum. Hoc quidem hac in epistola scribit Sleidanus Luterum signficâsse Pontifici. Tenemus ergò vel ipsius Luteri confessione, non improbante Sleidano, Romana Ecclesia nihil præter vnum Christum esse excellentius. Sed iam paulò antè, ipso Sleidano teste & referente, Luterus cùm appellâsset à Caietano legato ad Pontificem, atque ex Caietani literis accepisset, fore vt contra se Romæ iudicaretur, à Pontifice prouocauit ad futurum concilium. Post hanc autem prouocationem, paucis admodùm interiectis, recitat Sleidanus Luteri epistolam ad Leonem, in qua habentur ea quæ paulò suprà retulimus de Romanæ Ecclesiæ excellentia. Quis verò hîc non rideat tum Luteri prodigiosam incon-

Luteri literæ ad Pōtificem.

inconſtantiam, tum Sleidani ſtultitiam, qui dum Lute- 1519
rum celebrare vult, omnibus conſpuendum propinat?
Sed hoc vſu venire neceſsè eſt mentiri volentibus. Quin *Luteriano*
etiàm in diſputatione Lipſica cum Eckio habita palàm *tilogia.*
ſcribit Sleidanus, Luterum negâſſe primatum Rom. Ec-
cleſiæ. Quàm verò hæc inter ſe conueniunt, nihil præ-
ter vnum Chriſtum eſſe Romana Eccleſia excellentius,
& tamen eam primam & præcipuam non eſſe? Credat
mihi Lector, ſi velimus id genus abſurditates in Sleida-
no omnes perſequi, citiùs tempus & chartam, quàm ſcri-
bendi materiam nobis defuturam. Vult Sleidanus Lu-
teri cauſam modis omnibus tueri, ſed interìm vel fingit
quæ nuſquàm ſunt in rerum natura, vel oblitus ſui ea
ſcribit, quæ Luteri inſignem ſtultitiam, leuitatem, im-
pudentiam, inconſtantiam produnt. Dum refert ea, quæ *Sleidani*
Caietanus, quæ Eckius & plerique alij egerint cum *mala fides*
Lutero, admodùm malignè ea refert, vt illos in con-
temptum adducat, Lutero gloriam & inſignem exiſti-
mationem conciliet: & multis quidem hac ratione im-
ponit, ſed eius fraudes non latent eos qui alicuius ſunt
lectionis. Porrò multa Luteri tacet, quæ illius malum
animum facilè declararent, in quibus etiàm illud eſt,
quod Hieronymus Emſerus ex ipſius Luteri ore audi-
uit, & poſteà illi grauiſſimè obiecit, nec à Lutero nega-
ri potuit, quod Lipſiæ cum Eckio diſputaturus dixit,
Hæc res nec propter Deum cœpta eſt, nec propter Deum
finietur. Et reuerà ſi Luteri fuiſſet rectus erga Deum &
religionem animus, longè alium ille ſe præbuiſſet. Tan-
ta autem eius fuit in ſcribendo inconſtantia, vt de cæte-
ris eius vitijs taceam, vt qui eum eiuſque doctrinam vult
tuendam ſuſcipere, is non poſſit non ſeipſum egregiè pu-
defacere, niſi velit identidèm fortitèr mentiri. Eſt verò *Sleidanus*
etiàm hoc obſeruandum in Sleidano, quòd Concilium *vt citet*
Conſtantieñ & Baſileeñ, itemque Gerſonem & Theolo- *Concilia*
gos Pariſieñ, vbì pro Lutero nonnihil facere poſſe viden- *& Theo-*
tur, libentèr allegat, vt ad Pontificis minuendam autho- *logos.*
ritatem aliquid attuliſſe videatur: facilè autem eadem
omnia contemnit, vbì Luterum oppugnāt. Ità etiàm Lu-
terus ipſe principiò ſubmiſit ſe iudicio Theologorū Pa-
riſieñ, quia ſperabat eos iniquo in Pontificem fore ani-
mo, & à ſe ſtaturos: cùm autem illi eum damnâſſent, ſuo
more tractauit illos. Quid verò attinet in negocio fidei
ità fraudulentèr verſari? Duplicitas hæc longè debet ab-
eſſe ab omni homine Chriſtiano. Corradit Sleidanus

1520 multa, quæ possint Pontificis authoritati & receptis Ecclesiæ catholicæ cæremonijs & institutis detrahere, & in hanc partem libentèr commemorat etiàm Concilium Pisanum contra Iulium II. temerè coactum: adfert Guilelmum Ockam Franciscanum, qui scripsit in Iohannem 22. deniq; nihil est tam putidum, quod non arrideat Sleidano, modò sit contra Pontificem. Cuius verò animus sic ardet odio Pontificum, quis illum credat res Pontificum & quæ religionis sunt, bona fide narrare? Sed habeant sibi tales scriptores, ijsque quoàd libitum erit, fruantur, quos perire delectat.

Zuinglius contra Indulgẽtias. Hoc anno apud Heluetios Tigurinos Vlricus Zuinglius cœpit Indulgentiarum prædicatorem, eò missum à Pontifice, oppugnare. Is Zuinglius damnatum olìm Berengarij dogma de Eucharistia instaurauit vnà cùm Carlstadio & Oecolampadio, Brigidani instituti desertore.

Selymus Turca moritur. ANNO 1520. apud Ciurlium Thraciæ pagum non absque manifesta Dei vindicta, pestilenti circa renes enato vlcere extinctus est Selymus Turcarum imperator, magno Occidentis commodo, cui propediem arma illaturus videbatur. In eodem loco paucis antè annis cum patre suo conflixerat, dignus qui ibidèm quoquè pœnas lueret. Vnicum ex Bosphorani regis filia reliquit Solimannum, tot regnorum hæredẽ, de quo suis locis referemus. Audita Selymi morte, Gazelles Syriæ præfectus rebellauit, Syrosque & Arabes habuit suæ defectionis approbatores. Sed cùm Caierbeius Aegypti præfectus eius consilium vsqueadeò non probaret, vt etiàm legatum illius supplicio afficeret, Solimannus è Cilicia misit contra illum Frahatem Bassam, qui eum cum omnibus ipsi adhærentibus & fortissimè præliantibus interfecit. Ea victoria confirmatus Solimannus, paulò pòst Hungariam cum magnis copijs sibi oppugnandam sumpsit.

Carolus V venit in Belgiũ. Hoc anno Carolus Cæsar electus, ex Hispanijs venit in Belgium, indè petiturus Aquisgranum, & veteri instituto coronam accepturus. Sæuiebat id temporis pestis Aquisgrani, eoque hortabantur Electores Carolũ, vt alium locum inaugurationi designaret. Sed ille in sententia permansit, dicens se non temerè posse mutare *Coronatur Aquisgrani* Caroli IIII. legem. Itaq; Ecclesiastici Electores cũ multis alijs principibus viris & tum aliorum, tum Saxonis & Bran-

Brandeburgici legatis, eò venerunt, & omnibus ex mo- 1520
re peractis, primò Electores, post illos Cæsar indè Coloniam abierunt, vbì Imperij conuentus indictus est, & iussi principes omnes Vuormatiæ præstò esse 6. Ianuarij. Multa hîc Sleidani prudens prætereo, quæ ille homo scribit de Imperatoris per Electores electi confirmatione, & pleraque alia, nè lectori molestus sim. Certè optimi quique & potentissimi Imperatores, reges & principes, Pontificis Rom. dignitatem & authoritatem non solùm nihil imminutam, sed modis omnibus auctam potiùs semper voluerunt, Christum Deum in illius vicario venerantes, quicquid blateret liuidus ille Sleidanus.

Seditiosum Luteri scriptum.

Per hoc tempus Luterus scriptum edidit ad Carolum Cæsarem & nobilitatem Germaniæ, in quo inter alia, seditioni concitandæ opportuna, ausus est scribere, Pontificis potestati non modò non obtemperandum, sed resistendum etiàm corpore, substantia & viribus omnibus: Papam & episcopos esse subiectos gladio Cæsaris, & alia multa, quæ facilè coarguunt, quo spiritu ille homo impelleretur, cùm sint manifestè contraria scripturæ diuinæ, quæ nos multis locis iubet obedire præpositis nostris. Non diù antè, vt suprà dictum est, scripserat Leoni Pontifici, nihil esse Rom. ecclesia excellentius, eiusque potestatem egregiè prædicârat, iam vult Pontificis potestati non esse obtemperandum. Præclarum certè euangelistam, qui ex vno eodemque ore modò calidum, modò frigidum spirat: eandem rem modò probat, mox improbat. Nec hoc contentus homo improbus & impotenti arrogantia, totum Ius Pontificium cum diplomatis Pontificum Vuittenbergæ palàm incendit & exussit. Fuit hoc reuerà facinus audax, & non verbis, sed verberibus vindicandum, hominem priuatum tantam sibi sumere authoritatem: & tamen non defuerunt, qui id non modò non repræhenderent, sed etiàm multis laudibus cumularent. Et ipse Luterus iam planè perditus & deploratus, scripsit librum in huius facti sui defensionem, refertum atrocissimis calumnijs. Appellauit etiàm non semèl à Pontifice tanquàm Antichristo ad Concilium, quasi verò ille Concilio vlli vnquàm obtemperaturus esset, qui præ insania Decretorum codicem concremâsset, qui innumeris antiquissimorum Conciliorum sententijs scatet. Hortatus est etiàm Principes, vt armis omnibus Pontificem & Car-

Luterus Ius Pontificiũ comburit.

1521 dinales oppugnarent, & in eorum sanguine manus lauarent suas. Hæc non erant hominis Euangelici, sed sanguinarij: nec sic Prophetæ & Apostoli, immò nec Christus ipse suum Euangelium auspicatus est: tantoque minùs possunt excusationis prætexere, qui ab illo se seduci permiserunt.

Luterus scribit in Colonienses & Louanienses.

Cùm autem didicisset Louanieñ primùm, deindè Colonienses Theologos ipsius scripta damnâsse, licèt Louanienses quandoquè Augustæ reuerentèr sibi postulâsset Iudices, in vtrosque more suo egregiè inuectus est, plùs sibi vni arrogans iudicij & eruditionis, quàm tot egregijs viris. Scripsit etiàm acerbè in alios quosdam, ità vt Leo Pontifex, vir alioquì mitissimi ingenij, cernens hominem apud Germanos sursùm deorsùm miscere omnia, nec vllis admonitionibus posse à cœptis reuocari, tanquàm morbidum membrum ab Ecclesiæ corpore anathematis ferro præciderit. Tum verò ille tanta animi impotentia scripsit in Pontificem, vt Catholicæ aures ferre non sustineant. Sub hoc quoquè tempus edidit Captiuitatem Babylonicam, in qua præter alia Boëmos & Græcos tuetur, & non hos, sed Romanos dicit hæreticorum loco haberi oportere. Iam non diù antè in Lipsica disputatione magnæ contumeliæ loco acceperat, quòd Eckius eum Boëmis fauere diceret, eosque sibi semper inuisos fuisse affirmârat: nunc eos laudat, Romanos etiàm hæreticos dicit. Quid hoc homine temulentius? O nimiùm cæcos, qui id non vident. Porrò Carolus Cæsar vbì percepit Pontificis sentẽtia damnatos Luteri libros, seueris propositis edictis iussit eos flammis absumi: id quod etiàm factum est per Brabantiam, & in aliquot Imperij ciuitatibus &c.

Edit Captiuitatẽ Babylonicam.

Conuẽtus principum Vuormatiæ.

ANNO 1521. frequentissimus fuit principum Imperij conuentus, ad quem à Carolo Cæsare sub publica fide etiàm Luterus vocatus est. Ante hunc conuentum aliquammultos ille libros ediderat, mirabili vafricie celans in plerisque animi sui malignitatem, captansque doctrinæ & pietatis apud lectores existimationem. Et erant in ijs libris non pauca, quæ quandam præ se ferrẽt pietatem, quibus & scripturas interpretaretur, & tum adhortationibus, tum obiurgationibus ad homines vteretur: sed hac fraude tegebat improbas animi sui machinationes. Erãt sanè nõnulli etiàm magnæ authoritatis viri, qui id genus scriptis lectis, putarent eum zelo repurgan-

purgandæ domûs Dei & instaurandæ disciplinæ ecclesiasticæ, hominesque in Dei cultum & amorem inflāmandi permoueri. In ijs libris erant, Expositio decem præceptorum, item septem psalmorū, quos pœnitentiales vocamus, itē precationis Dominicæ, De libertate Christiana, Commentarius in Epistolam ad Galatas, & plures alij: verùm simulata non possunt esse diuturna, nec Aethiops pellem mutat: quid ille moliretur, diù celari non potuit. Vbì Comitia inchoata fuêre, aderat nūcius summi Pontificis Hieronymus Aleander, pręter cętera etiàm Hebraicæ linguæ peritissimus, qui posteà factus est archiepiscopus Brundusinus & cardinalis. Is multis verbis, vt erat, eloquētissimus, grauissimè accusauit Luterū in frequentissimo ordinū Imperij consessu, seditionis, rebellionis, impietatis, blasphemiæ & hæreseos. Et licèt ille vera diceret, quòd tamen Luteri scripta nōdùm omnibus essent explorata, putarentque nonnulli ex affectu quodam maleuolētiæ & liuoris eius orationes proficisci potiùs, quàm zelo iustitiæ, aliquandiù conatus eius omnis, quo Luterum accusabat, frustrà fuit. Postquàm autem ex eius Captiuitate Babylonica, quā ille turris Babylonicæ egregius instaurator recèns ediderat, ad quadraginta circiter capita, in quibus pleraque cōcitandæ seditioni erāt accommodatissima, corā principibus ex charta recitauit, Principes qui eum librū necdùm legerant, nec eiusmodi quippiam à Lutero expectârant, sese mutuò respectabant, animisque commoti in Luterum & eius studiosos, mussitabant. Ibì tum Luteri patronus Fridericus Saxoniæ elector, ait ea capita falsò Lutero affingi ab aduersarijs. Altero igitur affirmante, altero negante Luteri ea esse, principum deliberatione decretum est, vt Luterus accerseretur. Offerebatur illi fides publica Cæsaris nomine, eaque munitissima, sed hæc non satìs fuit Luteri patronis: verebantur enim nè vbì aduenisset, a Cæsare Pontifici traderetur, aut certè nulla ei tāquàm hæretico fides seruaretur. Itaq; longa consultatio & difficilis inter principes orta disceptatio est, quibus illū cautionibus adduci oporteret. Tāti erat vni prospicere monacho, eique iam hęreseos damnato. Erant quibus non immeritò displiceret, non sufficere Cæsaris fidem publicam: sed Luterus suis scriptis iam multos inescârat, & erant per Germaniam hominum animi incitati in clerum, ità vt res ad seditionem spectare videretur. Itaque permisit humanissimus Cæsar, vt etiàm aliquot principes cum ipso suam fidem

1521

Luterus accusatur.

Saxo tuetur Luterum.

1521 dem interponerent. Nè quos tamen maiores ille aculeatis scriptis & concionibus suis tumultus cieret, omnem illi toto itinere scribendi & concionandi facultatem Cęsar interdixit. Missus est igitur Cæsaris caduceator, qui hominem adduceret, nec tamen solus venit, sed adiunctis sibi Iona præposito, Scurffo iureconsulto, Ambsdorffio theologo &c. Toto illo itinere visendi monachi illius studio multus erat hominum concursus: in hospitijs accipiebatur genialitèr, licebatque cernere monachum necdùm excusso cucullo arreptam pulsare testudinem, cunctis tanquàm Orpheum quendam illud portentum adspectantibus. Plausibile enim euangelium non à pœnitentiæ, quemadmodùm Christi, prædicatione, sed ab id genus mundi huius vanitatibus & oblectamentis ordiendum erat. Vbi Erphordiam ventum est, contra Cęsaris mandatum Dominico die palàm concionatus est, eamq; concionem voluit typis excudi, scilicet vt ad multos præclara illa contra bonorum operum merita, contra Pontificem Romanum, contra clerum, contra leges humanas doctrina perueniret. Latebant hæc Cæsarem, caduceatore non sinè fauoris erga Luterum suspicione nihil horum illi indicante, tametsi essent contra fidem illi à Cæsare datam. Cùm iam non longè abessent à Vuormatia, fertur admonitus à quibusdam periculi, quod ipsi immineret, sed illum periculum omne contempsisse. Hoc quidem Sleidanus scribit, vt illi constantiæ & virtutis existimationem conciliet, cùm tamen nulla hîc esset formidandi causa homini publica fide tam munito, & non diù antè animi sui malè sibi conscij trepidationem satis declarâsset Augustæ apud cardinalem Caietanum, à quo cùm timeret se captum iri, à Cæsareanis per amicos clàm fidem publicam impetrauit, & indè se subduxit. Tandèm ventum Vuormatiam 16. Aprilis. Postridiè perductus est in conspectum Cęsaris, principum & ordinum Imperij. Ibì dictum est illi, nè quid extra ea, quæ esset interrogatus, loqueretur: deindè iussus est palàm fateri, num libros, quorum tituli quoquè exprimebantur, pro suis agnosceret: tum verò an quicquam ex ijs, quæ illi continerent, reuocare statuisset. Primò libens agnouit libros omnes: sed de reuocatione quid statuendum esset, petijt deliberandi spatium, vt citra verbi Dei iniuriam & animæ suæ periculum posset respondere. Habebant ea verba speciem quandam religionis: sed si errores suos ex animo agnouisset, absque dilatione detestatus eos fuisset,

Luterus concionatur contra Cæsaris edictum.

Luterus venit Vuormatiam.

isset, & in Ecclesiæ catholicæ sententia actutùm acquie- 1521
uisset. Principes deliberabant de hoc permittendo illi spatio, quòd diù antè compertum habuerat, qua causa eo accitus esset: at Cæsaris humanitate dies vnus datus est illi. Hîc Luterus de seipso gloriabundus scribit, quosdam ipsum adhortatum esse, atque inter cætera dictum esse, Beatus venter qui te portauit. Quod quàm verè dictum sit, tota ferè Europa ab illo vno homine perturbata, suo magno malo in dies experitur. Non est autem dubium, quin id genus acclamationibus ille factus sit obstinatior. Altero die ad horam sextam pomeridianam admissus est iterùm in Cæsaris & principum conspectum: iussusque dicere, num libros agnosceret pro suis, & num vellet canere palinodiam, longa primùm verborum ambage vsus, libros suos in tria genera distinxit. Tandèm dictum illi est, vt disertis verbis, non intricatis, animi sui sententiam exprommeret. Tum his verbis respondit: Nisì conuictus fuero testimonijs scripturarum, aut ratione euidenti (nam neque Papæ, neque Concilijs satis credo, cùm constet eos & errâsse sæpiùs, & sibijpsis contradixisse) victus sim scripturis à me adductis, & capta conscientia in verbis Dei, reuocare neque possum, neque volo quicquam, cùm contra conscientiam agere neque tutum, neque integrum sit: Gott helff mir, Amen, id est, Deus adiuuet me. Hæc nimirùm pulchrè quadrant cum illa protestatione eius coram Legato Caietano, qua protestatur se sequi in omnibus dictis & factis suis Romanam Ecclesiam. Principes his auditis, post aliquam deliberationem per Cæsaris oratorem ità illi responderunt: Non te decebat, Martine, tam parùm modesta responsio. Quid enim attinet semèl benè tractata retractare, & iterùm in disceptationẽ vocare ab Ecclesia & Concilio Constantiensi damnata, quæ tu rursùs excitas? Vis conuinci scripturis, sed in hocipso vehementèr deliras, cùm de his iampridèm Ecclesia pronunciârit. Ille captam suam conscientiam repetens, ait se reuocare non posse. Ità discessum est ex eo consessu, quòd iam noctis sese tenebræ intenderent.

Luteri protestatio.

Postera luce Cæsar sua manu scripsit ad senatum Imperij sermone Burgundico, quæ possunt ità Latinè conuerti: Non clàm vos est, me genus ducere à Christianissimis Imperatoribus, ab illustri natione Germanorum, à Catholicis Hispaniæ regibus, ab Austriacis archiducibus, à Burgundorum ducibus: qui omnes ad supre-

Epistola Cæsaris ad Ordines Imperij.

1521 ſupremum vſque vitæ diem ſe fideles Romanæ Eccleſiæ declarârunt, ſemperque Catholicæ fidei, ſacrarum cæremoniarum, decretorum, conſtitutionum, ſanctorum morum, pro Dei honore, pro fidei incremento, pro animarum ſalute propugnatores fuêre. Qui vita functi, nobis ex naturæ inſtinctu, & iure quodam hæreditario ſacra, quæ diximus, catholica inſtituta quaſi per manus tradita reliquêre: vt eorum veſtigijs inſiſtamus, & in ijs etiàm mortem oppetamus. Et nos quidem, vtpote Maiorum noſtrorum non fallaces imitatores, Deo nos benè iuuante, in hunc vſque diem eo pacto viximus. Itaque ſtat ſententia, tueri & propugnare quæcunque tum anteceſſores mei, tum egoipſe hucuſque obſeruaui: id autem vel maximè, quod per anteceſſores meos tam in Conſtantienſi, quam alijs ſynodis ſancitum eſt. Cùm verò in aperto ſit, vnum ſolum fratrem hallucinari, priuata opinione deceptum, quæ quidem cum totius Chriſtianiſmi ſententia pugnet, tam eorum qui ante mille annos nos præceſſerunt, quàm qui in præſenti viuunt: eaque præ ſe fert, Chriſtianos omnes hactenùs ſemper in errore fuiſſe: eam ob rem planè deliberatum mihi eſt, regna mea omnia, imperium, ditiones, amicos, corpus, ſanguinem, vitam deniquè ipſam & animã impendere, nè improbus hic conatus longiùs progrediatur: quandoquidem in meam haud exiguam, itemque veſtram id ceſſurum eſt ignominiam, qui præclara & cumprimìs celebris eſtis Germaniæ natio: quibus id in honoris, authoritatis, prærogatiuæ cumulum acceſſit ex priuilegio, vt iuſtitiæ obſeruantiſſimi, catholicæque fidei defenſores & propugnatores habeamur. Quòd ſi qua igitur non modò hæreſis, ſed vel ſuſpicio hæreſeos, vel aliqua Chriſtianæ religionis imminutio in hominum animis noſtra tempeſtate relicta erit, id poſteris noſtris perpetuæ vituperationi fuerit. Quandoquidem ergò pertinax heſterno die Luteri reſponſum coràm omnes audiuimus, mentem ego vobis meam aperio, pœnitere me quòd tam diù diſtulerim contra hominem illũ eiusque falſam doctrinam procedere, nec me poſthàc audire illum velle, quicquid etiàm allaturus ſit: iubeo autem vt quamprimùm ex mandati præſcripto reducatur, caueatque ipſe ex publicæ fidei ipſi data formula, nè palàm concionetur, véve populo praua ſua dogmata inſtillare pergat, nè deniquè ipſius opera, noui quippiam aut motus aliquis excitetur. Equidẽ, ſicut iam dixi, contra

tra

tra eum, haud secùs atquè contra notorium hæreticũ plane deliberaui procedere: simulque à vobis reposco, vt in isthac causa id statuatis, quod decet probè Christianos, & vt vos facturos recepistis. Scripta mea manu 19. April. 1521. Hæc pijssima optimi & religiosissimi Cæsaris epistola tum quidem Vuormatiæ coram cunctis Imperij ordinibus, porrò Maij die 10. Romæ in publico Consistorio coram Cardinalibus, iubente Pontifice Leone, lecta est, & ab vtrisque est ea Cæsaris constantia, zelus & integritas egregiè commendata. At Luterani aiebant Cæsarem esse puerum, qui à Pontificijs ad ipsorum voluntatẽ impelleretur: non sic dicturi, si Luteri commenta approbâsset: nec sinè tanti principis insigni iniuria, noctibus passim ad fores scribebatur, Væ terræ, cuius rex puer est. Sed certè tam pio & religioso principe Germania ob tantam ingratitudinem digna non fuit. Atque vtinàm pijssimus princeps ab hac sententia non fuisset deductus etiàm Catholicorum dynastarum precibus, qui putabant mitiùs agendum cum Lutero, nè res in tumultus & turbas horrendas euaderet. Hoc quidem tum consultum videbatur, sed rei euentus docuit verissimum esse, quod ait ille, 1521

Principijs obsta: serò medicina paratur,
Cùm mala per longas inualuêre moras.

Non est crudelitas sæuire in membrum morbidum, nè serpat contagio, & corpus omne inficiatur. Luterus autem Vuormatia discedens, in ipso itinere per quosdam amicos & fautores mirabili calliditate interceptus est, & mox longè lateque sparsa fama, contra datam fidem publicam eum atrocissimè vinctum abductum esse. Et iam passim, præsertim Vuormatiæ, omnia ad seditionem spectabant, donèc rei veritas comperta est. Ductus est autem Luterus iussu Friderici principis sui Alstadium, vt ferunt, quod oppidum ex eo euentu Luteri Patmos ab amiculis eius vocatum est: Ibì ille importunus monachus securè in arce delitescens, multa scripsit digna tali viro. Inter alia hortatus est, vt adolescentes vitent Philosophiam & Theologiam scholasticam, ceu animæ mortem, Thomamque Aquinatem asserit multa hæretica scripsisse: Quid ad me, inquit, quòd bullarum Episcopus eum canonizauit? Sic vocans Romanum Pontificem, qui Thomam diuorum catalogo adscripserat, longè vtiquè saniori iudicio, quàm cum Luterus hæreticus hæreseos damnârit. Quemadmodùm autem

Luterus fingitur captus.

Luteri Patmos.

Dehortatur à studio Philosophiæ.

1521 autem Mahumetes impurissimus in suo Alcorano vetat, nè suæ sectæ homines cum Christianis disputent, veritus nè crassissimi errores apertis rationibus confutati, ab illis agnoscantur & respuantur: ità & Luterus à Philosophia & scholastica Theologia arcet suos, non ignorans, qui in ijs benè versatus sit, facilè ipsius absurdissima commenta tum cogniturum, tum confutaturum. Quòd autem Thomam Aquinatem dicit multa hæretica scripsisse, id de viro sanctissimo atq; doctissimo scelerate mentitur, cuius scripta docti homines summoperè commendant, nihil morati dictionis simplicitatem, quæ illi seculo vsitata fuit. Scripsit prætereà Luterus in sua illa arce librum de abroganda Missa priuata ad fratres suos Augustinianos Vuittenbergenses, qui primi omnium Missas abrogauerant, quos hortatur, vt in eo incepto contra conscientiæ accusationem persistant, sicut & se in quibusdam fecisse ait. An non verò mirum est, dum talia legunt homines, posse vel ad momentum in eius viri doctrina permanere? An non perspicuum est, omninò perire velle eos, qui tali homini, qui contra conscientiam suam se in plerisque fecisse affirmat, auscultent? Pugnare enim contra conscientiam suam à malis deterrentem, quid est aliud, quàm rebellem esse lumini, nec velle obtemperare veritati, sed ea contempta, eò conniti, vt liceat quicquid libet? Porrò in abroganda Missa, & tollendo ab Ecclesia iugi hoc sacrificio multus profectò Luterus fuit, vt ea res plerisque non dubiam faciat fidem è propinquo imminentis Antichristi, qui iuge sacrificium prorsùs abolebit.

Lib. de abroganda Missa.

Eodem anno etiàm Parisienses Theologi in solenni conuentu Luteri scripta damnârunt, licèt longè secùs Lutherus & eius amiculi sperâssent. Contra hos scripsit Philippus Melanchthon iuuenis Apologiam pro Lutero, hac inscriptione: *Aduersùs furiosum Parisiensium Theologastrorum decretum &c.* Eiusmodi modestia tum Luterus, tum eius sectatores omnes ferè semper vsi sunt: quam vtiquè non à Christo, sed illo qui rex est super omnes filios superbiæ, didicerunt. Scripsit etiàm in eos Luterus atrocissimè sermone vulgari, vt vulgus indoctum in eos concitaret. Amici quoquè eius scurrilem edidêre libellum sub nomine facultatis Theologicæ Parisien. Istud enim hominum genus non ferè nisi mendacijs, probris, contumelijs, conuicijs, scommatis, lœdoriis agere nouit cum aduersarijs, & interim vocant

Parisienses dãnant Luterum.

Iob 41.

Luterus cõtra Parisienses.

se ho-

se homines pios & Euangelicos, & qui puram doctrinam in lucem reuocârint. 1521

Hoc anno Carolus Imperator Vuormatiæ grauissimum edictum contra nouatores orthodoxæ & Catholicæ religionis promulgauit, in quo inter cætera dicit, Luterum non hominem, sed diadolum sub humana esse specie, qui in perniciem humani generis permultas olim damnatas hæreses in vnam sentinam congesserit. Quod quidem tam fuit verum, vt talem virum aliquid potuisse apud Germanorum hactenùs summæ constantiæ & integritatis nationem, illijpsi nationi ad sempiternam hauddubiè cessurum sit ignominiam & confusionem. Hic verò Sleidanus Cęsarem quidem fatetur dixisse, Decretum hoc suum communi principum & ordinum consilio factum : sed mox subiungit, Aiunt edictum hoc à paucis aliquot fuisse conflatum : scilicèt vult Imperatorem optimum & religiosissimum arguere mendacij, nè tanti principis & ordinum Imperij communi decreto damnata Luteri impietas, Luteri causam premat. Quis verò eam hominis impudentiam ferat, qui vt per mendacia Luteri partes defendat, potentissimum Imperatorem haud obscurè vocat in suspicionem mendacij ? nec his contentus, quædam addit, quibus etiàm Moguntinum Archiepiscopum obliquè perstringere videtur : atque haud scio, an in illum falsi crimen deriuare velit. nam obscurè scribit. Sed absit, vt plus credamus Sleidani nugis, quàm tantis principibus.

Caroli V. de Lutero sententia.

Est profectò mirum, tam facilè Luterum in suam sententiam pertrahere potuisse inprimis Saxoniæ fortissimam gentem, quam olim Carolus Magnus triginta annis vix eò adigere potuit, vt relicto dæmonum cultu, Christo nomen darent, à quo etiàm posteà nunquàm defecerunt, sed in semèl suscepta religione constantissimè perseuerârunt, & singulari quodam studio Romanæ Ecclesiæ sempèr dediti fuêre. Sed homo versutus, sciens ea in gente permultos his extremis temporibus nimiùm addictos ventri & potationibus, vt eos sibi propensiùs alliceret, laxauit miseris habenas, ieiunia, preces, vigilias, confessionem sacramentalem, & alia pietatis exercitia, ceu papistica & monachorum inuenta, docuit reijcienda : quæ cùm essent incautis & imperitis, nec perditi hominis fraudem prima fronte aduertentibus plausibilia, sub prætextu verbi Dei ab illo seducti, & mise-

1521 randum in modum euersi sunt, longè iam dissimiles sanctissimis Maioribus suis, qui in Catholica fide, ità vt decebat virilem Saxonicorum pectorum constantiam, semper fortissimè perstiterunt.

Belgradū expugnatur à Turca.

Ipso hoc anno Solimannus Turca in Pannonia Belgradum, ad confluentes Sauum atque Danubium situm, insigne atque fortissimum totius Hungariæ munimentum, Christianis principibus intestina bella meditantibus, expugnauit, cùm iam anteà Amurathes eius abauus, & proauus Mahometes, magnis acceptis detrimentis, re infecta, indè discedere compulsi fuissent. Facile id fuit Tyranno, quòd inter Ludouicum regem iuuenem & proceres Pannoniæ parùm conueniret, ideoque nulla firma præsidia hosti barbaro opposuissent.

Eodem anno Ferdinandus archidux Austriæ vxorem duxit Annam regis Hungariæ filiam, itemque Ludouicus Hungariæ rex, Ferdinandi sororem Mariam.

Bellum funestum Christianorum.

Per id ferè tempus ortum est eheu bellum inter Carolum Imperatorem & Galliæ regem Franciscum, quod quàm funestum fuerit Reipub. Christianæ, vel eo solo nomine, quòd interìm dabatur magna opportunitas Lutero & eius asseclis noua dogmata magis magisque in vulgus spargendi, nemo vllis vnquàm verbis consequi possit. Quòd si duo illi potentissimi principes aut vires suas coniungere, aut saltem rex Franciscus à bello abstinere voluisset, facilè hæreses omnes in ipsis suis initijs oppressæ fuissent. Sed peccata nostra diuinam in dies prouocabant iustitiam, quæ tandèm malo dæmoni fecit potestatem Ecclesiam perturbandi & diuexandi : atque vtinàm vel serò sapiant Phryges.

Leo X. moritur.

Hoc etiàm anno Mediolanum ereptum est Gallis, & paulò pòst anno 1522. Leo Pontifex atrocis toxici abreptus violentia, excessit è corpore, cuius locum obtinuit Hadrianus Florentius Batauus, vir insigni tum doctrina, tum morum integritate, præceptor quondàm Caroli Imperatoris : cuius etiàm iam tum Cardinalis singulari prudentia, absente Carolo, perturbatæ Hispaniæ restituta iam antè fuerat tranquillitas. Carolus enim in Germaniam abiturus ex Hispanijs, cum regia authoritate in procuratione vtriusque Hispaniæ eum reliquerat.

ANNO

ANNO 1522. Rex Danorum Christiernus suæ crudelitatis luens pœnas, è regnis suis profugus, cum Isabela Caroli Cæsaris sorore Mechliniam venit: nec diù pòst superuixit Isabela, sepulta Gandaui apud D. Petrum. Cùm rex ille è Dania aufugit, iam illũ præcesserat Archiepiscopus Lundẽsis Georgius Schotborch, cuius non multò antè meminimus, fugiens eius regis tyrannidem. Et eccè dum moratur Aemsterdami, quod est Batauorum insigne emporium, rex quoquè Christiernus eò peruenit, ibique Archiepiscopum exulem inuenit, & quem paulò antè crudelitèr persecutus erat, iam familiaritèr allocutus est in solo peregrino, obstupescente Episcopo ad tam subitam regis calamitatem. Possunt eo exemplo admoneri, qui præsenti fortunæ nimiùm fidentes, insolescunt, & ad crudelitatem & tyrannidem sua potentia abutuntur, perindè àc si Deo non sint curæ res humanæ. 1522 *Christiernus rex regno pellitur.*

Circa hæc ferè tempora Henricus Angliæ rex VIII. scripsit in Luterum, eoque nomine à Pontifice & amplissimo Cardinalium senatu, Catholicæ fidei defensor appellatus est.

Per id quoquè tempus Luterus è Patmo sua, si superis placet, rediịt Vuittenbergam. Porrò interim dum ille abesset, quiddam mirè ridiculum accidit Vuittenbergæ. Carolstadius enim & Melanchthon, præcipui Luteri discipuli & symmystæ, hausta occasione ex scriptis Luteri, studiosis adolescentibus persuasère, non esse dandam operam Philosophiæ: Platonem, Aristotelem, Ciceronem, & id genus alios non nisí mera scripsisse commenta & imposturas, eoque libros eorum Vulcano consecrandos: vni sacrorum Bibliorum lectioni vacandum: neque fas esse hominem Christianum literis deditam actitare vitam: faciendum omnibus, quod in Genesi dictum est, In sudore vultûs tui vescèris pane tuo. Nemini dubium esse potest, quin ob stultíssimam animi arrogantiam illi grandes Sophi ad tam absurdam & plùs quàm anilem delirationem deuoluti sint, cùm certum sit, magnam esse liberaliũ artium & Philosophię ad multa opportunitatem, modò quis rectè & moderatè illis vtatur. Scripserat Luterus in libello ad Germánicam nobilitatem, Aristotelis Physica, Metaphysica, Ethica, prorsùs aboleri debere. Ex hoc fonte hauserant hanc suam præclaram doctrinam Carolstadius & Melanchthon.

Carolstadius & Melanchthon delirant planè.

Gen. 3.

Luterus oppugnat Aristotelem.

1522 chthon. Et vt magis insaniam proderent suam, Carlstadius ex Archidiacono factus est agricola in rure Vuittenbergensi, Melanchthon in pistrino artem pistoriam meditabatur: plerique adolescentes, artium liberalium combustis libris, mechanica opificia complexi sunt. Deniquè hac prodigiosa illorum homuncionum temeritate eò res perducta est, vt multis locis Scholæ clausæ tenerentur annis aliquot. At Luterus Vuittenbergam è sua Patmo reuersus, Philippum hoc nomine castigauit, Carolstadium ex ditione Vuittenbergeñ exegit, libroque edito asseruit Philosophiam in se bonam esse. Nam mirè ille homo in dictis & scriptis suis varius & inconstans, sibique identidèm planè contrarius fuit, quod neque amici eius vnquàm negare ausi erunt, nisi planè frontem perfricuerint. Et vel hoc vno argumento satis superque licet intelligi, quo spiritu fuerit agitatus.

Clauduntur Scholæ.

Per id tempus etiàm publicè pro concione damnauit fratrum suorum Augustinensium Missæ abrogationem, cùm id factum antè probasset: sed doluit homini arrogantissimo, quòd ipsius iniussu factum fuisset. Scripsit etiàm valdè scurrilitèr & seditiosè in Bullam Leonis X. Porrò omnis oblitus pudoris & modestiæ, petulantissimè & maledicentissimè inuectus est in Angliæ regem, cuius liber Germanicè conuersus per Hieronymum Emserum, multùm ipsius infausto Euangelio derogabat. In eo libro, incredibili stultitia & arrogantia tumidus, inter cætera ità ait: Ego verò aduersùs dicta patrum, hominũ, angelorum, dæmonum, pono, non antiquum vsum, non multitudinem hominum, sed vnius maiestatis æternæ verbum, Euangelion, quod ipsimet coguntur probare. Hîc sto, hîc sedeo, hîc maneo, hîc glorior, hîc triumpho, hîc insulto Papistis, Thomistis, Henricistis, Sophistis, & omnibus portis inferi, nedùm dictis hominum quantùmlibèt sanctorum, aut consuetudini fallaci. Dei verbum est super omnia. Diuina maiestas mecum facit, vt nihil curem, si mille Augustini, mille Cypriani, mille Ecclesię Henricianę cõtra me starent. Obsecro, quę hæc verborum monstra & portenta sunt? Et tamen habuit permultos homo miser, qui quicquid vel dixisset, vel scripsisset, putarent planè esse Euãgelicum. In eodem libro iactitat se de Missa triumphâsse, atq; ità ex cõsequenti de toto Papatu. Sed hoc proculdubiò non alio, quàm ipsius Antichristi, spiritu homo nefarius dicere potuit.

Damnat quod antè probauerat.

Scribit in Angliæ regem.

Nota intolerandã arrogantiam.

Nam

Nam de Missa ad breue tempus triumphabit Antichri- 1522
stus, cùm tollet iuge sacrificiium, quo nihil sanctius, nihil hominum saluti conducibilius habet Ecclesia. Væ deploratissimo isti seculo, quod tantum scelus ferre potuit. Et tamen cùm hæc scriberet, nondùm abiecerat habitum monasticum. Addidit eodem libro: Dogmata mea stabunt, & Papa cadet. Sed mentita est iniquitas sibi. Nam paucos hodiè etiàm inter sectarios reperias, qui Luteri dogmata per omnia sequantur: & tamen Papæ manet sua dignitas, iampridèm extincto Lutero cum plerisque dogmatibus suis permultis in locis. Scripsit præterea ibidèm, quæ ad ipsius Imperatoris & principum Germaniæ iniuriam non mediocrem pertineant: Apparui ego, inquit, iam tertiò coram eis. Deniquè Vuormatiam ingressus sum, etiàm cùm scirem mihi violatam esse à Cæsare fidem publicam. Nam didicerunt principes Germaniæ, olìm de fide laudatissimæ gentis, nunc in obsequium idoli Romani nihil magìs quàm fidem contemnere, in perpetuam nationis ignominiam. An non hoc est Imperatorem & principes periuros & perfidos dicere? O portentum. Multa alia pijs auribus intoleranda scribit eo libro deterrimus pseudomonachus ille, quæ hîc commemorare non libet. Nec est mirum, quòd ille talia scripsit: sed mirum est, talia scribenti quenquam fidem commodare potuisse. Sleidanus libentèr recitat, si quid Pontifices etiàm superiorum seculorum egerint contra Imperatores, vt conflet pontificibus inuidiam, & principum animos in eos acuat. Quòd autem Luterus vilis scurra tam atrocitèr Imperatorem, Principes, & vel maximè Angliæ regem lacerat & proscindit, hoc ille bonus vir non solùm non repræhendit, sed acerrimè eum Anglo respondisse dicens, etiàm laudare videtur. Vbì iam est illud scripturæ diuinæ: Principi populi tui nè maledixeris? Sed eat Sleidanus cum Lutero suo, quò dignus est. Eodem anno librum edidit hoc titulo, *Aduersùs falsò nominatum Ecclesiasticorum statum, Papæ & Episcoporum*. In hoc libro se Euangelistam & Ecclesiasten Dei vocat. In Prologo sic habet: Doctrinam meam ego nolo iudicari à quocunque, nec ab angelis omnibus. Cùm enim certus de ea sim, volo per eam & vester (scilicèt Papæ & Episcoporum) & angelorum quoquè iudex esse &c. Verùm quis satìs explicare possit, quotiès ille Doctri-

Exod. 22. *Actor. 23.*

Luterus se Euangelistam vocat.

1522 nam suam, de qua hìc certum se iactat, paulo momento non semèl mutauerit, modò asserens quod antè negauerat, modò negans, quod asseruërat? Si certus fuit, vt ait, de doctrina sua, cur totiès eam mutauit? Sed astutè facit, quòd nullum vult pati iudicem, vt sub hoc prætextu liceat ei scribere quicquid libet. An non pudet Christianos homines tam prodigiosæ temulentię nugatorem esse sequutos? In eodem libro seditiosissimè scribit in episcopos, nec opùs est omnia hùc adscribere, quæ sinè piaculo vix commemorari queant: vsqueadeò homo ille præ ira & furore nusquàm sibijpsi temperare potuit. Iam traditus erat satanæ, à quo miserè exagitabatur. Quàm barbara vox est, quòd illic scribere non dubitat, Meliùs foret, vt omnes episcopi occiderentur, omnia collegia & monasteria funditùs eradicarentur, quàm vt vna periret anima, nè dicam, vt omnes animæ perderentur propter inutiles laruas & puppas. Sed vnus Luterus plures iugulauit animas, quàm vel numerari queant. Porrò id genus seditiosis vocibus non paruam dedit occasionem rusticorum tumultui, qui non diù pòst secutus est, in quo vltra centum rusticorum millia cæsa sunt. Per id quoquè tempus vertit nouum Testamentùm Germanicè, sed fide pessima, multis immutatis, demptis, additis: quæ versio, dici non potest, quàm perniciosa fuerit, præsertìm imperitæ multitudini. Nam etiàm fœminæ quædam hinc tantos sibi sumpsêre spiritus, vt contemptis Theologis quibuscunque, non dubitârint contra Pauli prohibitionem publicè concionari. Iactabat quoquè Luterus cum suis, nunquàm anteà Germanis syncerè prædicatum fuisse Euangelium, se autem verum proferre Euangelion. Sed absit, vt pijssimos Maiores nostros credamus Euangelij veritate caruisse, qui certè Euangelij synceritatem ab ijs docti sunt, quibus Luterus ne matulam quidem porrigere dignus sit. Porrò quàm bellum Germanis Euangelium Luterus attulerit, suo nunquàm præstando damno Germania iampridèm experta est. Habuissent hìc Germani præsertìm principes, iustissimam excandescendi causam, quòd non dubitaret ille superiorum temporum optimos & integerrimos principes tam intoleranda proscindere contumelia, quòd Euangelij fuerint expertes. Nam si id verum est, omnes Maiores illorum idololatræ permanserunt: quo quid possit dici contumeliosius? Certè Luteri Euangelium eiusmodi est, vt Maiores

Vertit nouũ Testamentum mala fide.

1. Cor. 14. 1. Tim. 2.

Fœminæ cõcionantur.

res nostri, si illud apud se prædicari persensissent, facilius passuri fuerint vitam quoquè ipsam sibi eripi, quàm talis Euangelij suis in regionibus fieri mentionem. 1522
Totum enim ad tumultus & seditiones spectat, & vbicunquè recipitur, mirabiles animorum dissensiones parit, & subditos in magistratus inflammat odio incredibili: & quo quisque magis vult haberi Euangelicus, eo fit seditiosior. Ait enim Luterus, tanto verius euangelium esse, quanto plus tumultuum parit: nec veritus est Vuormatiæ coram Cæsare, & cunctis Imperij ordinibus dicere, sibi planè iucundissimam faciem istam in rebus esse, videre, ob verbum Dei studia & dissensiones fieri. Certum est autem, verbum Dei non dissensiones, sed animorum summam consensionem efficere: non est enim dissensionis Deus, vt ait Apostolus, sed pacis: & in *1.Cor.14.*
Actibus Apostolorum legimus, credentium cor vnum & *Act.4.*
animam vnam fuisse in Domino. Porrò diabolus homicida est ab initio, & qui tumultus ac seditiones mo- *Ioan.8.*
uent, ad eius gregem pertinent. Est verò proh dolor tumultuum plus satis excitatum in Europa, dum sanguinarium istud grassatur Euangelium. Sed ad id, vndè digressi sumus, reuertamur. Erant tum temporis non pauci, qui vt Luteri dogmata latiùs disseminarent, suam concionandi operam pasśim gratis offerrent. Typographi quoquè Luteranorum lucubrationes suis impensis politè & emendatè admodùm, porrò Catholicorum malignè & deprauatissimè, alienisque sumptibus excudebant. Ità breui magnos habuit progréssus Luteri doctrina: qua factum est, vt mortales pasśim insanire iuuaret. Hoc anno, vt paulò superiùs diximus, *Adrianus*
Pontificatum inijt Adrianus natione Batauus, Caroli in *Papa VI.*
Hispanijs vices tum gerens, virtute ac fama Cardinalibus Romæ, non facie, notus. Is è tenuibus parentibus Vltraiecti natus, Louanij studendo tantum profecerat, vt inter Theologos Louanień facilè deincèps primus haberetur: eaque de causa & quòd singulari morum grauitate esset, in præceptorem Caroli V. assumptus, ac in Hispaniam profectus, ibique Episcopus & Cardinalis creatus, Caroliqùe absentis posteà ibidèm vices præclarè admodùm gerens, in summum pontificem magna Cardinalium consensione est sublimatus, retento pristino nomine. Nam & anteà Adrianus Florentius dicebatur.

Eodem anno à Cæsareanis capta & direpta est Ge- *Genua diripitur.*

1522 nua, Liguriæ vrbs insignis & opulenta. Indè accidit, vt Adrianus Pontifex, cùm ex Hispanijs eò appulisset, nulla afflictorum ciuium lętitia sit exceptus. Adrianus enim magnis precibus populi Romani & cohortatione senatûs, Romam eo anno felici nauigatione deuectus est. Cùm autem cognouisset Rhodum à Turcarum ducentis millibus acerrimè oppugnari, volebat quidem ferre opem, sed pecuniæ inopia retardabatur. Itaque Rhodieñ omni destituti auxilio, cùm aliquot menses vrbem fortissimè defendisset, & multa Turcarum millia strauissent, tandèm certa pactione vrbem atque insulam barbaro hosti dediderunt, qui eam consilij ingentis & perdifficilis belli occasionem audactèr susceperat, quòd Christianos reges intestinis occupatos bellis didicisset. Magnam eius insulæ amissione Respub. Christiana & ignominiam & cladem accepit, atque vno eodemque tempore, irato Deo, foris ditiones Christianorum à barbaris, intùs religio ab hæreticis oppugnabatur. Certè oportuit altum stertere, quos tot calamitates & incommoda non excitârunt.

Rhodus à Turcis occupatur.

Testamentum Luteri interdicitur.

Sub hoc ferè tempus principes aliquot Catholici cùm viderent vulgus Luterana noui Testamenti versione facilè in hæreses illici, propositis edictis, omnibus subditis suis eius lectione interdixerunt. Ausus fuerat Luterus ex Canone scripturarum noui Testamenti reijcere Epistolam ad Hebræos, Epistolam D. Iacobi, quam stramineam ille impurus nebulo appellauit: Epistolam Iudæ, & Diui Iohannis Apocalypsin, quæ, teste D. Hieronymo, tot habet sacramenta, quot verba. Atquì verò post annos quinque primam versionem suam Luterus ipse plerisque locis mutauit, idque adeò, vt ex solo Matthæi Euangelio quidam annotauerint loca triginta sex. Quàm verò multis locis ille scripturam sacram malè vertendo deprauârit, annotatum est à doctis quibusdam. Hieronymus Emserus, vir doctus & pius, vt extarent Luteranæ deprauationis certa indicia, nouum Testamentum post Luterum Germanicè transtulit, & ad marginem plurima loca, ab Lutero malè conuersa, adscripsit. Videre tum erat passìm in manibus imperitæ multitudinis Luteri versionem, quæ ab illis auidè legebatur, sed non nisì in suam ipsorum perniciem, vt rei euentus mox probauit. Cùm enim Luterus nihil vellet extra scripturas recipi, scripturæ autem ab illo essent deprauatæ, ruebant miseri in errores alios

ex alijs, vnoquolibet scripturas pro suo cerebro interpre- 1523
tante. Indè posteà orta est tanta sectarum turba, vt difficile sit in certum eas numerum redigere. Quod etsi est longè calamitosissimum, homines Christianos ità circunferri omni vento doctrinæ, & cuiuslibet somnia non alio quàm Euangelij loco habere, tamen eam calamitatem vulgus euersum ducit pro nihilo: sed id patiuntur horrendo Dei iudicio, quòd tam leuitèr aures fidemque accommodârunt Luteri commentis, quasi ille demùm, vt falsò iactabat, Euangelium in lucem protulisset, cùm reuerà ipsam Euangelij lucem in immanes quasdam tenebras mutârit, in certissimum innumerabilium animarum exitium.

Per id quoquè tempus scripsit Luterus librum de vita coniugali, sanè turpissimum. Vbi inter cætera ait impudentissimè, omninò necessarium esse omnibus rei Venereæ vsum, magis etiàm quàm cibum, potũ, somnum, &c. Atque idcircò teneri monachos & moniales, posthabitis votis suis, nuptijs operam dare &c. Atque cùm hæc scriberet, nondùm excusserat cucullum: itaque huiusmodi paradoxis iter sibi muniebat ad illas præclaras suas nuptias, quas iam animo meditabatur. Sed ô Deus, vbi fuêre hominum mentes & oculi, cùm talia, tam execranda, in eius hominis libris lectitarent? O horrendam Dei vindictam, vsqueadeò occæcari.

Luteri os impurum.

ANNO 1523. cùm percepisset Luterus principes Catholicos ipsius nouum Testamentum damnâsse & proscripsisse, tanta acerbitate in illos scripsit librum de seculari potestate, vt in Ecclesiasticos videri potuerit modestia quadam vsus fuisse. Erat in tuto loco apud principem Saxoniæ opulentum & potentem, quæ res eius effreni audaciæ calcar addebat. Ausus est in illo libello scribere, principes vtplurimùm esse vel præcipuos moriones, vel deterrimos nebulones. Quis verò Catholicus tale aliquid sinè summa omnium offensione scriberet? Atq; hęc Luteri contumelia ad ipsum quoquè Carolum Imperatorem & principes omnes pertinebat. Incredibile dictu est, quanta in hoc monstroso homine fuerit conuiciandi & mentiendi libido. Doctor Iohannes Dietenbergius, vt alios taceamus, in duabus duntaxàt Confutationibus, conuicit eum 874. mendaciorum, quod posset incredibile videri illis, qui eius hominis scripta non legerunt. Sed quid non ausit, qui nihil

Luterus in principes Catholicos.

Contumelia summa in principes.

1523 non ausus fuit? In libello iam dicto de seculari potestate, inter cætera contumeliosè aliquot principes perstringit his verbis: In Misnia, in Bauaria, in Marchia, alijsque in locis promulgauerunt tyranni edictum, (tyrannos vocat catholicæ religionis obseruantissimos principes) vt noua testamenta in præfecturas tradantur. Hîc subditi sic agant: Non foliolum, non literam vnam tradant sub periculo salutis suæ. Quisquis enim id fecerit, is tradit Christum Herodi in manus. Illi enim agunt velut Christicidæ, sicut Herodes. His & id genus alijs Emblematis ornat ille scurra illustrissimos principes, qui vulgo ea causa nolebant permitti versionem Luteri, quòd viderent non nisi deteriores ex eius lectione euadere. Faciebant principes quemadmodùm illos facere decebat, & cùm ea res eximiam laudem mereretur, ab illo insolentissimo tenebrione atrocissimis verborum flagris flagellati sunt. Admiscuit interim multa ad seditionē concitandam vehementèr opportuna, ità vt appareat hominem furijs quibusdam agitatum, nihil nisi cædes & latrocinia anhelâsse. Apud Sleidanum altum de his, quantùm equidem aduerterim, silentiū est: fortaßis & ipsum puduit, referre tam atrocia in principes conuicia, nè Luteri causam efficeret deteriorem: sed nos Sleidani fraudes non ignoramus.

Fräciscus Sickingius perit. Hoc anno tormenti ictu in arce sua Lantstal perijt Franciscus Sickingius vir nobilis, & Luteri inprimìs studiosus. Is bellum indixerat episcopo Treuirensi, obseditque Treuiros, sed industria Episcopi qui tum in ea vrbe erat, conatus eius irriti fuêre. Nec diù pòst ab Episcopo Treuirensi & fœderatis aliquot principibus obsessus, temeritatis suæ pœnas dedit. Celebre nomen sibi ille comparârat aliquot prosperis rerum successibus. Nam Lantgrauio Hassiæ adhùc puero grauissima intulerat damna, & vrbem Metensem longè florentissimam ad detrimentosas pacis conditiones adegerat. Multùm in eo fiduciæ & spei collocârat Luterus, adeoque plùs quàm in vllo principe, quemadmodum ipse Luterus clàm scripsit Vldrico Hutteno.

Luterani duo martyres, scilicèt. Hoc anno Bruxellis, quæ est Brabantiæ præclara vrbs, duo professionis Augustinianæ ob Luteri dogma flammis exusti sunt. Illos verò Luterani non alio quàm marytrum loco habent, quemadmodùm etiàm Iohannem Hussiium & eius farinę aliōs hęreticos. Habet enim & diabolus martyres suos. Porrò martyres Christi pœna non

na non facit, sed causa, vt præclarè inquit Augustinus. 1523
Quam sibi pacem promittunt inimici fratrum? inquit sanctissimus ille martyr Cyprianus libro de vnitate Ecclesiæ. quæ sacrificia celebrare se credunt æmuli sacerdotum? An secum esse Christū, cùm collecti fuerint, opinantur, qui extra Christi Ecclesiam colliguntur? Tales etiamsi occisi fuerint in confessione nominis, macula ista nec sanguine abluitur. Inexpiabilis & grauis culpa discordiæ nec passione purgatur. Esse martyr non potest, qui in Ecclesia non est. Et post pauca: Cum Deo manere non possunt, qui esse in Ecclesia Dei vnanimes noluerunt. Ardeant licèt flammis, & ignibus traditi vel obiecti bestijs animas suas ponant: non erit illa fidei corona, sed pœna perfidiæ: nec religiosæ virtutis exitus gloriosus, sed desperationis interitus. Occidi talis potest, coronari non potest. Hæc ille.

Borbonius à Gallo deficit.

Eodem anno Carolus Borboniæ dux, à Gallorum rege Francisco ad Carolum Imperatorem cum aliquot Galliæ nobilibus defecit, magno Francisci regis incommodo. Idem tamen Borbonius infelicitèr attentauit Massiliæ occupationem, atque indè non sinè ignominia discedere compulsus est.

Nota facinus insigne.

Hoc anno quidam ciuis Torgauiensis, ex monasterio Nymicensi nouem virgines sacras clàm Vuittenbergam adduxit, omnes genere nobiles, quarum vnam non longè pòst Luterus incestis nuptijs sibi copulauit. In huius ciuis & nefarij facinoris defēsionem libellum edidit Luterus. Alios quoquè duos libros conscripsit, alterū ad Pighardos, ad Hussitas alterum, videlicèt vt ægerrimè faceret Romanæ Ecclesiæ, cùm tamen ante paucos annos eosipsos ceu hæreticos & schismaticos publicis scriptis egregiè esset insectatus.

Inter alia multa quę hoc anno scripsit idem Luterus, etiàm libellum edidit de Communi fisco. In hoc bona ferè omnia totius Cleri addicit huic fisco cōmuni. Hoc enim pacto facilè animaduertit se magnam apud principes & magistratus ciuiles gratiam initurum, si Ecclesiasticorum bona ipsis adiudicaret. Sed reuera ex eiusmodi rerum Ecclesiasticarum occupatione non solùm nihil locupletati, sed magis etiàm suis opibus plerique exuti videntur. Quæ enim Deo semèl dicata sunt, in prophanos vsus nunquàm sinè periculo transferuntur. Legimus in historijs M. Crassum Romanorū ducem, cùm ad bellum Parthicum proficisceretur, templum Hierosolymita-

1523 mitanum sacris thesauris, instigante nefaria cupiditate, spoliâsse. Verùm persecuta est sacrilegum vindicta diuina. Nam in prælio à Parthis non multò pòst superatus, vnà cum filio cęsus est: porrò hostes in os eius repertum, non sinè auaritiæ & sceleris exprobratione, aurum liquefactum infuderunt.

Comitia Norinbergæ. Eodem anno habita sunt Comitia Norinbergæ, quibus etiàm legatus Pontificis Adriani Franciscus Cheregatus interfuit. Et licèt Pontifex operam suam liberalitèr offerret Germaniæ, vtpotè dulcissimæ patriæ suæ, tamen magis exulcerati sunt eius humanitate animi Luteranorum. Prodijt tum liber centum grauaminum Germaniæ, authoribus Luteranis, vt nihil intentatum relinquerent, quod faceret ad conflandam inuidiam Pontifici & Ecclesiasticis. Porrò in his Comitijs decretum fuit, vt contra Luteri nouationes Catholici ecclesiastæ vterentur receptis Ecclesiæ doctoribus, & probatis Euangeliorũ expositionibus, quod Luterus mira vafricie ità interpretatus est, vt populus putârit principes ab ipso stare, cùm tamen id esset falsissimum.

Suprà diximus Luterum scripsisse contumeliosissimè in Angliæ regem, qui eius captiuitatem Babylonicam oppugnauerat. Illud regis scriptum posteà defensum est à viris doctis, Eckio & Murnero in Germania, Roffensi Episcopo & Thoma Moro in Anglia. Quanuis autem nostrarum partium catholici scriptores Luterum, multorum mendaciorum sæpè conuicerint, tamen ausus fuit ille in libello contra regem Angliæ affirmare, se à mendacijs abstinuisse. Ait enim: A virulentia & mendacijs abstinui, quibus liber regis refertissimus est. Hoc cùm esset mendacium impudentissimum, à nostris corona ad marginem expressa insignitum est. Murnerus certè ex solo illo in Angliæ regem libello collegit mendacia 50. Porrò quod addidit Luterus regis librum virulentia & mendacijs esse refertissimum, non vacat iniuria intolerabili, cùm etiàm iure gentium regiæ dignitati deferendum sit. Fuit autem regis scriptum planè Catholicum, & vt dixi, à doctissimis viris fortitèr defensum. Erat tum temporis in Anglia Ioannes Fischerus Roffensis episcopus, tum pietatis, tum doctrinæ nomine celeberrimus, quippe trium linguarum peritissimus. Is à Luteri calumnijs regem Henricum vindicaturus, scripsit librum pro defensione regiæ assertionis, sed summa modestia in hominem omnis frontis & pudoris expertem

Episcopus Roffensis scribit cõtra Luterum.

vsus, adhibitis quoquè tum scripturæ diuinæ, tum pa- 1523
trum sententijs : quanquàm in eius libri præfatione præter morem suum, iusto dolore stimulatus, aliquanto acrior fuerit. Sed Luteri incredibilis insolentia & improbitas longè acriora merebatur. Ità enim citra omnem modestiam petulantissimè debacchari in Pōtificem, Episcopos, Imperatorem, reges & principes, nec vllum facere conuiciandi & maledicendi modum, hominis erat perditissimi & deploratissimi, non modò asperis verbis, sed etiàm asperrimis flagellis & verberibus reprimendi. Et hæc quidem in illo priuato homine Sleidanus ne verbo quidem, quod equidem sciam, vnquàm repræhendit, cùm tam multa blateret, mireq́ue exaggeret, si quid à Pontificibus, ad quos ex officio publico pertinet totius cura Ecclesiæ, sit dictum aut factum, quod Imperatores, reges & principes vel immeritò exasperare queat, præsertim odiosè, & non bona fide commemoratum. Sed quanto Luteri fuit insignior impudentia, tanto minùs excusationis habent, qui illius praua dogmata amplecti voluerunt. Preter Roffensem autem Episcopum, de quo iam diximus, scripsit pro Angliæ rege contra Luterum etiàm Thomas Morus, summa doctrina & integritate vir, sed sub nomine Gulielmi Rossei. Is verò, pro admirabili ingenij dexteritate ità omnem Luteri arrogantiam & os maledicum compressit, vt nihil contrà mutire ausus fuerit. Pauca eius verba in gratiam lectoris annotabimus : Dicit ex persona Luteri : Quoniam quidem igitur contradicunt meis dogmatibus Pontifex, Imperator, Reges, Episcopi, sacerdotes, laici, & omnes in summa boni : mihi licebit pro Dei mei maiestate Pontificem, Cæsarem, Reges, Episcopos, sacerdotes, laicos, omnes deniquè bonos anathematizare, maledictis & conuicijs incessere, atque in omnium coronas & capita licebit ex ore meo lutum, cœnum, stercora, merdas expuere &c. Porrò superiùs etiàm hæc habet de Lutero : Verùm quis nebulonem ferre potest talem, qui mille vitijs ostendat, se possessum atque agitatum à legione dæmonum, & tamen ità se iactat stolidè: Sancti patres omnes errauerunt: Ecclesia tota sæpiùs errauit : Doctrina mea non potest errare, quia certissimus sum doctrinam meam non esse meam, sed Christi. Quòd si quis respondeat, Testimonium tuum non est verum, quia testimonium perhibes de teipso, recurret ilicò ad nouam scripturam, Ego certus sum, dogmata mea habere me de cælo. Atque ibi sistet

Thomas Morus scribit in Luterum.

Verißima Thomæ Mori de Lutero sententia.

1523 stet in hoc suo principio, velut firmissimo fundamento, quod non omnes Papæ, Reges, Doctores, homines, angeli poterunt euertere. Certus igitur, immò certissimus, dogmata sua habere se de cælo: sicut certi sunt & certissimi, qui dormiunt, omnia vera esse quæ somniant: immò verò certus & certissimus, mentiri se vigilantem, dogmata sua esse de cælo, quæ sua sibi murmurat conscientia, dæmonum illi præstigijs immissa: hominibus maledicit & angelis, quicunque dogmatis ipsius contradicunt, & eos clamat os in cælum ponere, conspurcare sacra, blasphemare Deum, quicunque non verentur arguere spurcissimas ipsius blasphemias. Item in fine libri secundi, addit etiàm hæc Thomas Morus: Verùm à mendacijs & virulentia prorsùs abstinuisse se testatur ipse, cui nihil est aliud in calamo, quàm calumniæ, mendacia, sycophantiæ: cui nihil est aliud in animo, quàm virus, tumor, inuidia: qui nihil in capite concipit, præter stultitias, furores, amentias: qui nihil habet in ore, præter latrinas, merdas, stercora, quibus fœdiùs & spurciùs, quàm vllus vnquàm scurra, scurratur. Hæc quidem de illo & longè plura scribit ille vir tantus, cuius iudicium nemo facilè contemnere ausus erit. Quæ autem scribit, tam sunt vera, vt etiàm illo tacente, Luteri dicta & scripta satis superque ea confirment. Et quarè tandèm non volunt sibi cauere homines ab illo misero, quem viri graues tantoperè execrantur? Nam & Roffensis episcopus in præfatione, cuius paulò antè meminimus, vocat eum canem rabidum, lupum rapacissimum, vrsam sæuissimam. Et puto certè non paulo plus apud nos ponderis habere debere tantorum virorum grauissimam sententiam, quàm Sleidani aut similium ineptias, qui eum hominem tantùm non ceu deum quendam in cælum ferunt, quem summæ eruditionis & virtutis viri tanquàm orbis horrendam pestem toto pectore detestantur. Sed Roffensis & Mori scriptorum hoc loco Sleidanus vir optimus non meminit, sentiens hauddubiò, quantum essent præclaro Luteri euangelio totique eius causæ factura præiudicium, si ea bona fide retulisset.

Nota Lector.

Adrianus Pontifex moritur.

Non diù pòst mortuus est Adrianus Pontifex, vir certè longiori vita dignus: in eius locum successit Clemens VII. è familia Medicea.

ANNO

ANNO 1524. Franciscus Gallorum rex ingentes coëgit copias, quibus Prouinciam à Cæsareanis frustrà tentatam tueretur. At vbi cognouit re infecta discessisse Cæsaris militem, ipse animum ad Mediolanum repetendum adiecit, nec voto frustratus suo, Mediolano potitus est. Indè verò infelicitèr Ticineñ oppugnationi aliquot menses dedit, nulla re memorabili confecta. Erat Ticini præsidium Germanorum, duce clarissimo Antonio Læua Hispano. 1524 *Mediolanum capit Gallus.*

Hoc anno 26. Ianuarij Lucernæ fuit Heluetiorum conuentus, in quo vetus religio & Ecclesiæ ritus, cæremoniæ & instituta, iussa sunt inuiolata retineri. Iam enim Zuinglius eam gentem ad res nouas concitare cœperat, cuius impia dogmata id temporis soli ferè Tigurini sequebantur. Inter alia docebat Zuinglius, abolendas è templis imagines, Missam tanquàm impiam abrogandam. Quod vtiquè nihil erat aliud, quàm Antichristi agere antecursorem, qui iuge sacrificium, quod in Missa fit, auferet ad breue tempus. Multùm sudatum est à Lutero & eius tota posteritate, malo dæmone id agente, vt Missa in summum apud omnes horrorem, abominationem, contemptum adduceretur, & magnos ea res successus habuit in Europa, dum interim barbaræ nationes apud Antipodes & hactenùs incognitas regiones veterem religionem & Missæ sanctissimum sacrificium summa alacritate & deuotione complectuntur. Porrò quid lucri fecerit hic noster orbis sacrosancta Missa abroganda, partim iam res ipsa abundè declarauit, & maiori suo malo sentiet posteritas, nisi resipuerit, & egerit pœnitentiam. Hac ferè tempestate Bennonis olim Misneñ Episcopi, quem paulò antè Adrianus Pontifex diuorum catalogo adscripserat, ossa & reliquiæ venerabilitèr è vetusto terræ tumulo eleuatæ sunt, & annuæ feriæ in eius honorem institutæ. Id supra modum malè habuit Luterum, quòd cerneret multùm suis conatibus detractum iri ea antiquæ pietatis fama & obseruantia. Mox ergò libellum edidit hac inscriptione: *Aduersùs nouum idolum & antiquum diabolum, qui Misnæ exaltandus est.* Ità ille insanus nec diuis quidem iam beata apud Christum immortalitate fruentibus parcendum putauit. Non sunt contaminandæ piæ aures atrocissimis maledictis & contumelijs, quibus in hoc libello tum in Bennonem ipsum, tum in alios

Conuentus Heluetiorum.

D. Bennonis reliquiæ eleuantur.

Nota Luteri deploratam insaniam.

nos-

1524 quosdam diuos homo nefarius incurrit. O pudendam huius æui socordiam, quæ hoc monstrum ferre potuerit. Olìm cùm Christiani ad sacrificandum falsis dijs compellerentur, illique recusarent, dicerentque non deos eos esse, sed homines fuisse impurissimos & sceleratissimos, ethnici magistratus non ferentes iniuriam, vt ipsis videbatur, deorum suorum, omni suppliciorum genere in martyres sæuiebant: at Luterus & eius similes dogmatistæ, æuo nostro in ipsum Eucharistiæ sacramentum, & in sanctos cum Christo iam regnantes, impunè, immò permultis applaudentibus, immanes euomunt blasphemias. At tamen quandoquè Deus & suas & sanctorum suorum iniurias egregiè vlciscetur.

Zuinglius discedit à Lutero. Per hoc tempus Zuinglius non contentus à Lutero dici Luteranus, sed ipse potiùs de suo nomine sectam auspicari cupiens, non solùm Catholicos transsubstantiationis assertores, sed etiàm Luterum ipsum, vnà cum pane & vino verum Christi corpus & sanguinem in Eucharistia haberi dicentem, oppugnare cœpit. Hoc quidem pessimè habuit Luterum, & hæc res occasionem præbuit atrocissimæ illi inter Luteranos & Zuinglianos digladiationi, quæ in hunc vsq; diem componi non potest. Rectè hoc permisit sapiens & bonus Deus, vt Luteri arrogantia à proprio discipulo comprimeretur, & mortales omnes intelligerent rectissimè dixisse D. Hieronymum, scripturas non in legendo, sed in intelligendo consistere. *In Dialo. aduersùs Luciferianos.* Ab vtraque enim parte isti sectarij verbum Dei crepant, scripturas certatìm proferūt: & tamen cùm certissimū sit, non posse vtrosq; verum docere dum contraria dicunt, at nihilo minùs alij alijs cedere nolunt, & vtrique praua scripturę diuinę interpretatione & se & suos omnes miserabilitèr perdunt, cùm vtrosque rectè iam olim damnârit hodieq; damnet Catholica fides, qua certissimè credimus, in Eucharistia sub speciebus panis & vini post Christi verba in sacrificio prolata, ipsissimum Christi corpus & sanguinem substantialitèr contineri, etiàm extra sumptionem, cùm hoc sacramentum non nisì omnipotenti Christi Iesu sermone conficiatur. A Lutero hac in re iam antè dissensit Andreas Carolstadius, & cùm à Lutero acritèr repræhenderetur Ienæ, quòd Ecclesias scilicèt Luteranas turbaret, ille se contra ipsum scripturum, suamque sententiam defensurum respondit. *Carolstadius cōtra Luterum.* Tum verò Luterus, vt erat contendendi auidus, aureum illi nummum dedit, vt faceret quod minabatur. Posteà

libellos

libellos aliquot Carolstadius Basileæ edidit, quorũ summa erat, non esse Christi corpus naturalitèr in Eucharistia, nec tamen Zuinglij sententiam sequebatur, sed noua interpretatione ait, pronomine demonstratiuo, Hoc est, demonstrâsse Christum corpus suum mensæ assidens, non autem sub panis specie contentum. Hanc stultissimam opinionem Anabaptistæ quidam amplectebantur, & Zuinglij atque Luteri interpretationem reijciebant. Porrò Zuinglius Carolstadium dicebat veritatem quidem agnoscere, sed quia troporum vim ignoraret, verba non recto ordine collocare. At ridicula fuit ea Zuinglij oratio, qui iam sibi de Collega, licèt inepto, nonnihil applaudebat: Alij Carolstadij expositionem ceu nimis duram & violentam respuebant. Indè accidit, vt Senatus Tigurinus cauerit, nè libelli Carolstadij in vrbe sua venderentur. 1524

Nota mirabilem Euangelicorũ confusionem.

Luterus verò Zuinglij expositionẽ libello quodam confutauit. Ità nimirùm spiritus vertiginis in Luterum & eius præclaram sobolem immissus, repentè multas ab illis extorsit absurdissimas verborum cœnæ Domini interpretationes, alias ab alijs, & simul omnes à Catholicæ Ecclesiæ sententia discrepantes: ortumque est implacabile bellum inter istos factiosos spiritus, qui cùm omnes iactitent se veritatem demùm in lucem protulisse, non possunt tamen in vnam aliquam de re tanta conspirare sententiam, & à veritate sunt prorsùs alieni, & interim miserrimam & rudem plebeculam in diuersas factiones & opiniones distrahunt, efficiuntq; vt iam permulti non videant, quem potissimùm in hac dogmatum mirabili varietate sequi debeant. Quis verò satis deplorare possit, tam innumeras Christi Iesu sanguine redẽptas animas, aliquot importunorum & turbulentorum ingeniorum arrogantia & philautia in certissimum exitium, horrendamque æterni ignis damnationem præcipites agi? Verùm hoc isti perditi tenebriones pro ludo habent, modò ipsi sibi aliquod possint parare nomen, licèt cum summa hæreseos ignominia coniunctum.

Præcones Euangelici inter se tumultuantur.

Scripsit hac tempestate Luterus libellum Germanicum de mercaturis & fœnore. Quid eo libello spectârit, res ipsa satis declarat. Multus ibì est in exaggerandis oneribus, quæ accidant Germaniæ auaritia mercatorum. Videbatur rem cum solis habiturus mercatoribus, & animo verè pio illorum mala studia repræhensurus. Sed multitudinis animos & sibi conciliare, & in

1524 principes iritare moliebatur. Quod nè temerè scripsisse videamur, ipse se prodit, eodem in libello ità inquiens: Reges & principes hîc attentos esse oportebat, & ex iuris seueritate hæc interdicere. Sed, vt audio, habent illi caput isthic & partes: fitque quod est ab Esaia dictum: Principes tui socij furum. Intereà si quis aureum vnum aut dimidium furto tollat, eum suspendio necant: porrò sua habent commercia cum illis, qui totum orbem expilant, plusque furantur, quàm cæteri omnes, vt verum permaneat quod dici solet, Grandes fures, paruos tollunt in crucem, &c. Puto equidem satis hinc apparére, quàm ille multam præbuerit materiam multis editis libris tumultui Rusticorum, tametsi Sleidanus culpam omnem à Lutero in Munzerum transferre conatur, cùm tamen, si vir bonus fuisset, in Luterum ipsum, tanquàm eius mali fontem, potiùs referre debuerit. Ex Luteri enim scriptis Munzerus occasionem hausisse videtur, non facilè fortassis talia ausurus vnquàm, nisi illi Luterus ad quiduis audendum viam egregiè muniuisset.

Luterus seditiosè scribit.

Esa.1.

Scripsit præterea libellum alium Germanicum de flagitioso cuiusdam monachæ è suo cœnobio recessu, quem non dubitat inter diuina numerare miracula, homo totus à malo dæmone obsessus & occæcatus. Fuit Islebij insigne monasterium virginum, in quo Florentina quædam, cum cæteris monasticen professa, corpore degebat, non animo. Erat illa iam Luteri inescata blandissimis vocibus, ad carnis sectandas voluptates etiàm Deo sacratas virgines egregiè incitantibus, quasi nulla sit votorum vis, liceatque spretis votis, spreto omni pudore & verecundia, omni calcata honestate & religione, post datam Deo perpetuæ continentiæ fidem transire ad nuptias, & Christo immortali sponso repudiato, homini mortali breuissimæ cuiusdam captandæ causa voluptatis se sceleratissimè prostituere. Itaque conquesta fuit illa cuidam è suæ stirpis hominibus, vitam monasticam nullo pacto sibi conuenire, velle proindè se ait ex monasterio discedere. Res delata est ad Abbatissam. Ea multis modis studuit eam ab hac amentia reuocare: sed cùm nihil efficeret, iussit eam ex monastici canonis præscripto asseruari in custodia. Accidit intereà, vt quæ illi asseruandæ designata erat, ostium carceris casu quodam apertũ relinqueret. Quod cernens Florentina, clanculò indè se subduxit, & ad Luterum, patronum scilicèt pudi-

Monialis fugit è monasterio, Lutero approbante.

pudicitię & integritatis, profugit. Ille contra omnes Ab- 1524
batissæ querelas graues, quibus illam profugam periurij & voti violati ream accusabat, libellum euulgauit, quo docere voluit nouus euangelista, alumnus non Christi, sed Iouiniani, aut alicuius eo deterioris, non sinè præcipuo prępotentis Dei miraculo illam fuisse ex inferno ereptam. Monasterium enim ille vir optimus non alio quàm tartari loco habuit, vt indè etiàm, tanquàm ex vnguibus leonem, liceat hominem penitùs habere perspectum. Scilicèt grande prodigium fuit, aperto ostio fugere. In illo autem libello ridet miracula, quæ circa obsessos à dæmone fiunt, quos ait aqua lustrali nō cruciari, sed id tātùm eos fingere: quemadmodùm olim, teste D. Hieronymo, impius Porphyrius & Eunomius, quòd martyrum cineribus mali dæmones torquerentur, aiebant præstigias esse dæmonum, & nō verè clamare dæmones, sed sua simulare tormenta. Sic nimirum Luterus, nō immeritò à Zuingliano quodam crassus rusticus appellatus, im manis cuiusdā miraculi loco habet, quòd petulans fœmina patente carceris ianua aufugit: quòd autem dæmones aqua sacra torquentur, id vult fingi ab illis. Eundem in modum Matthias Illyricus & eius socij, architecti historiæ Magdeburgensis longè vanissimæ, derident solennem illum apud Catholicos aquam consecrandi ritum, noluntque eum ab Alexandro antiquissimo pontifice & martyre, sed ethnico nescio quo Pontifice vsurpatum. Non est dubium, à malo dæmone incitari id genus homines, vt ea omnia in contemptum adducant, quibus catholica Ecclesia ceu præsidijs quibusdam vtitur aduersùs insultus & machinationes dæmonum. Sed sacræ aquæ tam est antiquus in Ecclesia vsus, & totiès etiàm ad maxima edenda miracula comperta vis, vt istos meritò sui pudere debeat, dum eam oppugnant. Non ità pridèm in lucem editi sunt octo libri Constitutionum Apostolicarum, à Clemente Romano conscripti. In ijs hæc habetur oratio: Domine Sabaoth, Deus virturum, creator aquarum & dator olei, misericors & benigne, qui dedisti aquam ad potum & munditiem, oleum ad exhilarandum faciem in exultatione lætitiæ: ipse quoquè nunc per Christum sanctifica hāc aquam & hoc oleum, in nomine eorum qui attulerunt, & da virtutem sanitatis effectricem, ægritudinum expultricem, dæmonum fugatricem, omnibus insidijs aduersariam per Christum, qui est spes nostra, quo cum tibi gloria, honor & cultus cum

Aduersùs Vigilantium.

Aqua lustralis antiquus vsus.

Lib. 8. ca. 35.

1524 sancto spiritu in secula, Amen. Possent in huius aquæ confirmationem plurima adduci, sed non est huius loci. Hic satis sit indicâsse, Luteri spiritum eam aquam ferre nō posse, porrò verò libentèr hominibus persuadere velle, lasciuientem mulierculam, blandissimæ Dominę Veneri litare cupientem, non sinè ingenti miraculo apertis ostijs è cœnobio sceleratè aufugisse. Sed hoc profectò stupendo non vacat miraculo, vllum potuisse reperiri hominem, qui tam insulso & portentoso nugatori fidem commodaret, quem non pudet fœdis sceleribus patrocinari.

Comitia alia Norinbergæ. Hoc anno rursùs Comitia habita sunt Norinbergę. Misit eò Pontifex legatum Cardinalem Laurentium Campegium, virum sanè eximia eruditione & multa prudentia ac rerum peritia insignem: cui aduentanti omnes ferè principes extra portam processêre obuiàm honoris causa: sed tamen comitèr eum precabantur, nè more solenni & cum solitis cæremonijs vrbem ingrederetur, quòd multi iam è vulgo Luteri doctrina imbuti, alienis essent animis in Pontificem: idque factum est. Venit eò quoquè Regis Hungarorum Ludouici legatio, tristissimum de Turcarum impressionibus nuncium adferens, & necessaria poscens subsidia. Verùm perquàm commodè accidit Turcæ, quòd iam Germani de religione inter se parùm consentirent.

Luterus contra 2. Cæsaris mandata. Circa hæc tempora scripsit Luterus cōtra duo Cæsaris mandata, tanto furore & animi impotētia, vt morsus exitiales intentare videretur, idq; tum Cæsari ipsi, tū reliquis principibus viris, quibus ait Turcam deciès esse & meliorē, & prudentiorem: quosq; incunctantèr per summam contumeliam vocat stolidos, fatuos, insanos, furiosos & amentes moriones. *Nota Luteri spiritum.* Sed nisi ipse planè amens & insanus esset, tam impotentèr in principes nō inueheretur. *Rom. 13.* Cui honorē, inquit Apostolus, honorem. Verùm id temporis Carolus Imperator grauissimis rebus implicatus fuit, ità vt nefarium hominem comprimere non potuerit.

Sleidanus suo more has Luteri atroces & intolerandas calumnias in principes dissimulat, scilicèt nè Lector furiosi hominis barbaris vocibus permotus, ab eius doctrina desciscat, aut certè eam vehementèr suspectam habeat. Hæc autem omnia non parùm faciebant ad ciendas turbas & seditiones concitandas: nec possunt Luteri studiosi ab illo amoliri culpam tumultûs rusticorum, qui paulò pòst secutus est. Suis enim importunissimis

simis scriptis nō nisì bellicum cecinit: nec tamen aduertit misera plebs, quem hominem sequeretur. Miscebat enim seditiosis vocibus verba quędam, pietatis quandam speciem præ se ferentia, & hac arte tegebat animum sanguinarium. 1524

Sub hoc fermè tempus ex Hispanijs Carolus Cæsar literas dedit ad principes, quibus decretum Norinbergeñ Conuentûs acritèr repræhendit, & Comitia Spiræ indicta fieri vetuit, vbi Principes & ordines Imperij rationē inituri erant constituendæ religionis vsque ad tempus Concilij. Id enim ad ipsos minimè ait pertinere. Antéquàm hæ literæ venissent in Germaniam, Legatus Pontificis Campegius, Ferdinandus Austriacus, Episcopus Salsburgeñ, Duces Bauariæ Vuilhelmus & Ludouicus, & aliquot Episcoporum legati, Ratisbonæ conuentus habuêre, atque inter se fœdus percussêre, quô Luteranæ hæresi possent fortiùs ire obuiàm: multa quoquè ibì saluberrimè decreta sunt pro Catholica tuenda religione, & Luteri dogmatibus profligādis & extirpandis. Legatus quoquè Pontificis Campegius, quòd intellexisset Cleri malam vitam multis è vulgo ruendi in hæreses magnam præbere occasionem, quædam decreta promulgauit, quibus Cleri mores reformarentur, & abusus remouerentur, quę alij quoquè Principes grata & rata habuêre. Erat enim frequens in ore Luteranorum dogmatistarum mala vita Cleri, & hac identidèm commemoranda, mireque exaggeranda, multorum animos in Clerum concitabant: nec eos mouebant exempla bonorum, qui erant multi in clero, sed satìs habebant inuenisse quod apud vulgus traducerent, quod optabant ardere magis ac magìs odio Cleri.

Caroli V. literæ ad principes.

Fœdus principũ Catholicorum.

Fuit apud Antuerpienses quidam Henricus Zutphanius Prior Augustinianorum. Is cùm in hæresim Luteranam, quam semèl abiurârat, relapsus esset, vltimo afficiendus supplicio, perfregit carcerem, & e Brabantia Bremam profugit. Tandèm Meldorpij apud Thietmarsos hoc anno perfidiæ suæ pœnas dedit, flammis exustus. De eius supplicio lamentabilem scripsit Luterus epistolam ad Bremenses, quos ille Henricus apostata ex Catholicis fecerat Luteranos, qui tamen posteà ex Luteranis facti sunt Zuingliani vel Caluiniani. Sleidanus scribit eum propter euangelij doctrinam fuisse interfectum: scilicèt vt hæreticum Luteranum in martyres referat. Eat ille quò dignus est cum talibus Pseudomartyribus.

Apostata comburitur.

1525 ribus. Volebat ille apostata Thietmarsos bellicosam gentem ab Euangelio Christi ad Pseudoeuangelium Luteri traducere: ea causa, non vt martyr, sed vt hæreticus peremptus est. Multùm ille conabatur inter clerum & populum excitare discordiam, primò Antuerpiæ, deinde Bremę, postremò Meldorpij. Luterus eius scripsit historiam, aitque eum Antuerpiæ à tyrannis expulsum, venisse Bremam. Atqui non ille expulsus fuit, sed fracto carcere aufugit, alioqui vt relapsus in hæresim pœnas luiturus. Sic isti inuicèm se ornant mendacijs, vt intelligas omni vera virtute destitutos, nihil in se habere, quod vllam veram laudem mereatur.

ANNO 1525. Franciscus rex Galliarum, cùm iam in quartum mensem frustrà oppugnâsset Papiam, nouis Cæsaris copijs superuenientibus, prælio decertare coactus est. Cuius is fuit euentus, vt nobilissimis quibusque Gallorum ducibus & proceribus interfectis, Rex ipse gnauitèr pugnans, viuus in hostium potestatem concesserit. Ea victoria Hispanis & Germanis effusiùs tum lætandi materiam præbuit, quòd in natalem Caroli Cæsaris diem, qui est D. Matthiæ sacer, incidisset. Rex ineunte æstate à Genua in Hispaniam perducitur à Carolo Lanoio, qui ea calamitate consternatum eius animum, inijcienda meliori spe erigere nitebatur. Vbì in Hispaniam ventum est, Cæsar eum suum in conspectum venire noluit. Id verò vsqueadeò malè habuit regem sua spe iam deiectum, vt in morbum inciderit, qui ei supremum vitæ diem allaturus videretur, nisì eum humanissimus Cæsar liberali colloquio blandè & amicè consolatus, propediem dimissurum se recepisset. Erat enim Franciscus magno & excelso animo: atque vtinàm inter Carolum Cæsarem & ipsum syncera & cõstans pax & amicitia conflari potuisset, meliori certè loco hodiè esset Respub. Christiana. Vterque enim princeps & longè erat potentissimus, & Catholicæ religionis obseruãtissimus, Sed hauddubiò peccatis nostris id effectum est, quòd perpetua ferè inter illos bella extitêre.

Carolstadius primus vxorius sacerdos. Suprà mentionem fecimus Andreæ Carolstadij archidiaconi Vuittenbergensis. Is primus omnium ex sacerdotum ordine vxorem duxit, scortum dixissem veriùs. In illis nuptijs Missa celebrata est, cuius totum officium à Luteranis compositum fuit, tale reuerà, quod vel solum sufficeret ad concitandam Dei in nos indignationem.

nem. Meritò de illis dici poterat, qui eam Missam celebrârunt. Fiat oratio eorum in peccatum. Cùm autem miser ille Carolstadius Vuittenbergæ, reuerso è sua Patmo Lutero, non posset sua somnia liberè in vulgus spargere, obsistente ei Lutero, qui solus volebat præcipuus videri, abijt indè Orlamundam ducis Saxoniæ oppidum, vbi fretus populi fauore, publicè Luterum reprehendit. Id minimè ferens Luterus, tandèm effecit vt è tota Saxoniæ ducum ditione profligaretur, licèt paulò antè summus fuisset Luteri amicus. Et quanuis ipse non minùs quàm Luterus creparet verbum Dei & purum Euangelium, tamen cedere compulsus est, & vitam interim agere miserrimam cum sua non vxore, sed incesta concubina, quę quidem genere nobilis erat. Tādèm miser ille hostis sui Luteri opem implorare coactus, & eius precibus adiutus, in Saxoniam redijt ea lege, nè quid contra Luterum vel verbo vel scripto palàm assereret. Scripsit in eum valdè acerbè Luterus, & concitatæ rusticæ seditionis, in qua vltra centum rusticorum millia periêrūt, admodùm eum suspectum reddidit. Scripserat antè in Luterū Carolstadius, nec omninò sinè precio, quia aureum nummum ab ipso acceperat. Itaque huius anni initio Luterus ei respondit libro, cuius titulum esse voluit, *Contra cælestes prophetas.* Scripserunt verò in Carolstadium etiàm alij Luterani, & in ijs Vrbanus Regius, de quorum omnium scriptis apostata Oecolampadius in suo Antisyngrammate hoc reddit testimonium, quòd causam Carolstadij non tam subuerterint, quàm confirmârint. Et hoc Oecolampadij testimonium, quanuis hominis infamis, non parùm habet ponderis apud Sacramentarios, licèt Luterum oppugnet.

1525
Psal. 108.
Luterus proscribi facit Carolstadiū.
Nota testimoniū Satanæ contra Satanam.

Huius anni mense Martio Zuinglius libellū edidit *De vera & falsa religione*, quem etiàm non dubitauit in Catholica religione constantissimo Galliarum regi Francisco dedicare. In pręfatione eius libelli hæc leguntur: Diabolus nos tentat per homines obstinatos, qui cùm videant veritatem de cœna Domini non per se sed per alios in lucem proferri, more furiosorum criminari alios, & in eos bacchari incipiunt: quibus verbis non obscurè Luterum ipsum & eius propugnatores perstringit, quos sanè disertis verbis ait à diabolo instigari, & instàr furiosorum debacchari &c. Videant iam miseri & cæci homines, quàm meritò Luterum damnârit Catholica Christi Ecclesia, quandò tam malè etiàm proprij di-

Zuinglius dedicat librum regi Christianissimo.
Luterum perstringit.

1525 ſcipuli de illo ſentiunt. Et tamen Zuinglius nihilo fuit Lutero melior, immò in quibuſdam etiam deterior.

Per hoc tempus idem Zuinglius cum ſuis Eccleſiæ Tigurinæ miniſtris & ſymmyſtis multùm egit in frequentiſſimo Tiguri Senatu, vt Miſſa & Euchariſtiæ adoratio prorsùs aboleretur. Reſtitit illis aliquandiù vir quidam egregiè catholicus: ſed quia plauſibilis valdè erat Zuinglij doctrina, quæ confeſſionem peccatorum, ieiunia, labores pœnitentiæ, & id genus alia reijceret, decretum eſt in Senatu, vt Miſſa deincèps in perpetuum exularet, &, vt quidam ineptus ait, mox ſecuta eſt publica totius Eccleſiæ Tigurinæ gratulatio & lætitia: Scilicèt lætantur hæretici, cùm malefecerint, & exultant in rebus peſſimis. Catholici hauddubiò cùm hæc & id genus alia legunt, non poſſunt aliud quàm gemere & plangere iſtorum prodigioſam cæcitatem. Lætantur Chriſtiani, immò pſeudochriſtiani ablatam eſſe Miſſam, nec vident miſeri hoc propriè pertinere ad Antichriſtum, cuius organa ſunt Turcæ & Tartari, atque antecurſores hæretici temporum horum. Vt autem Zuinglius in ſua hac impietate eſſet pertinacior, ſcribit ſe quodã ſomnio admonitum eſſe. Ità apud illum hac in re grauiſſima permultum habuit momenti inſanientis cerebri ſomnium, cùm alioquì nihil apud ſe valere velint nisì ſcripta diuina. Eſt autem in hoc ſomnio id magnoperè obſeruandum, quòd Zuinglius ipſe palàm affirmat, neſcire ſe an ille admonitor, qui in ſomnis illi apparuit, ater fuerit an candidus. Quæ res argumento eſt, in rebus grauiſſimis quàm impiè iſti ludant, nec alicuius penſi habeant, vtrùm à bono vel malo ſpiritu hauriant dogmata. Sed ità illudi par eſt illos, qui ſuum iudicium totius orbis iudicio anteponunt. O cęcos duces cæcorum.

Miſſam Tigurini abrogant.

Prou. 2.

Zuinglius ſomnio incitatur ad abrogandam Miſſam.

Libet hoc loco aliquot cœnæ Dominicæ ritus adſcribere, quos iſti homunciones è ſuo cerebro confinxerunt, vt videant Catholici, quàm nihil iſti ã ſumma barbarie diſcrepent. Tiguri, quod eſt præcipuum Heluetiorum oppidum, hic ſeruatur ritus, omnibus pijs valdè abominandus: Finita concione, menſa infertur, & munda mappa inſternitur. huic imponitur caniſtrum pane azymo plenum, catini quoquè & pocula lignea, (Nihil enim hîc periculi eſt, vbì nullus eſt ſanguis Domini, ſed vinum ſolùm) quę vino implentur. Accedit ad menſam Eccleſiæ miniſter cum diaconis, & totum cœtum ad attentionem excitat: mox alter ex diaconis ſubijcit inſtitutio-

Tigurini vt ſuam ſeruent cœnam.

tutionem cœnæ Domini ex Epistola ad Corinthios, (de 1525
qua tamen institutione & eius ritibus ipse dicit Aposto- 1.Cor.11.
lus eadem loco: Cætera, cùm venero, disponam, tāquam
copiosiùs Corinthijs traditurus cœnæ peragendæ ritum,
quod isti nolunt aduertere, quia dati sunt in reprobum
sensum) alter verò recitat partem capitis sexti Ioannis.
Mox recitato symbolo fidei, pastor vel minister admo-
net, vt quisque seipsum examinet & exploret, nè indignè
accedendo, corporis & sanguinis Domini reus fiat. (Sed
quomodò potest esse reùs corporis & sanguinis Domi-
ni, qui illud reuerà non accipit? O miseros homunci-
ones.) Posteà omnes se in genua demittunt, & pastore
præeunte, orationem Dominicam dicunt. Ea absoluta,
pastor accipit panem, (& certè nihil aliud quàm pa-
nem, quia isti pastores non sunt sacerdotio initiati, aut
certè non intendunt quod Ecclesia intendit) & rursùs
ipse quoquè alta voce recitat institutionem Cœnæ Do-
minicæ: deindè panem ministris distribuit, & poculum
porrigit, qui panem in catinis, & vinum in cyathis cir-
cunferunt, & populo exhibent. Quisque in manus su-
mit quod traditur à ministris, edit, & proximè assidenti
offert partem eius quod accepit, similitèr etiàm pocu-
lum porrigit. (Mirum, cùm isti vsqueadeò timeant, si
vna specie vtantur, non timere illos, nè fortè à vicino
Morbum Gallicum, aut Pestem, aut aliud aliquid eius-
modi contrahant. Certè nunquàm illi sic acciperent
Corpus & sanguinem Domini, si Catholica Ecclesia
hunc modum præscriberet.) Interìm verò dum de hoc
non Domini, sed factitio (nè quid iam dicam grauius)
pane edunt & de poculo bibunt, vnus ex Ecclesiæ mini-
stris prælegit ex euangelio Iohannis verba Christi ad
passionem euntis, incipiens à pedum ablutione, quæ
quidē cùm ibì expressum habere videatur Domini man-
datum, tamen ab istis prorsùs negligitur: porrò calix
vrgetur, cuius nullum vsquàm extat expressum manda-
tum. Porrò verò si catini & pocula ad mensam redeunt,
(qùod fortè raro accidit, largitèr suauia vina potanti-
bus fratribus & sororibus Euangelicis) Ecclesia iterùm
in genua procumbit, & Deo gratias agit pro beneficio
redemptionis Christi. Piget hac de re quicquam ampli-
ùs scribere, cùm sit & ridicula & impia, à malesanis & Ritus cœ-
fanaticis cerebris commenta in Catholicæ Ecclesiæ con- na in agro
temptum. Et hic quidem ritus Tiguri seruatur. Porrò in Tigurino.
ipso agro Tigurino minister omnia solus recitat, & ad

1525 mensam singuli accedunt. Pulchrè nimirùm, quia sic visum est Zuinglio. Basileæ verò Oecolampadius summus Zuinglij amicus hunc seruauit morem: (vt singuli eant in adinuentionibus suis) Pro suggestu legebat omnia vsque ad verba cœnæ, quæ ante mensam recitabat. mox finita oratione & conuocatione, sequebatur communio. Interim dum commonio fieret, plebs psalmos vernacula lingua cantabat. Finita communione, cœtum cum exhortatione dimittebat. Immensi operis fuerit, singulorum diuersos ritus commemorare, quibus populus miserandum in modum in pugnantissimas opiniones diuulsus est, ridentibus interim istis planè dissonis noui Euangelij buccinatoribus, quòd singuli habeant suos sectatores, quibus de suo ferè cognomine possint nomen imponere.

Ritus Basileensis.

Luterani damnant Oecolampadium. Hac tempestate Sueuici aliquot Luterani Doctores, nempe quatuordecim, Halæ Sueuorum conuenerunt, & scripto quodam, quod Syngramma dici voluērunt, (author putatur fuisse Ioannes Brentius insignis Luteranus) Oecolampadij sententiam damnârunt, Luterani scilicèt Zuinglianũ. Nec se deserit Oecolampadius, mox Antisyngrãmate respondet Sueuis illis. Quin & Bucerus desertor instituti Dominicani (Nam pleriq; omnes noui Euangelij authores & signiferi, apostatæ monachi, & eoipso infames ac detestabiles fuêre) scripsit ad quosdam ex Sueuis illis, vt perpenderent quàm parùm deceat eos qui eundem Christum docent, diffidere &c. Sentiebant facilè apostatæ & desertores illi, ex mutuis his ipsorum dissensionibus pessimum ad omnes manare fœtorem, & cupiebant quidem rem compositam, sed præ animi tumore, cùm suam, non Christi gloriam quęrerent, alij alijs nihil concedere voluērunt. Benedictus Deus, qui eum in modum confudit idiomata constructorum nouæ turris Babylonicæ. Et licèt hoc vno saltem argumento satis superque intelligi licebat, homines istos non Christi, qui pacis & author & amator est, sed satanæ, qui rex est super omnes filios superbiæ, & suos sectatores suî efficit similes, hoc est, pacis & concordiæ Catholicę inimicos, spiritu duci, tamen misera plebs lucem euangelicam inuenisse se putans, à Catholica quidem Ecclesia libentèr discessit: sed interim tamen nunquàm potuit certam vnam aliquam, quam omnes sequerentur, doctrinam inuenire, sed vt quæque regio Germaniæ & vicinarum prouinciarum his vel illis factioni-

Oecolampadius se tuetur.

ctionibus deditos accepit concionatores, ità in hanc vel 1528
illam concessit factionem : adeò vt eò tandèm res redierit, vt multis locis etiàm sub eodem tecto tot sint sectæ, quot sunt capita : quod quidem est omnium flagellorum Dei longè acerbissimum. Verùm hoc necesse est illis accidere, qui à Catholicæ Ecclesiæ vnitate discedunt.

Libellum Sueuorum, cuius iam meminimus, Iohannes Agricola, tum temporis Luteri studiosus, vertit Germanicè : Luterus eam versionem præfatione probat, simulque testatur, se Sacramentarios planè execrari. Illi præfationi respondit Oecolampadius Germanicè. Si verò Luteri doctrina à Christo manauit, vt & ipse videri voluit, & eius studiosi iactitant, cur non habet apud eos pondus hæc eius sententia, qua Sacramentarios execratur? Cur tam multi à Lutero ad Zuinglij castra perfugiunt? Aut si in re tanta errat Luterus, cur non intelligunt, non Christi, sed mendacij spiritu eum ad sua scribenda commenta incitatum fuisse?

Luterus execratur Sacramẽtarios.

Scripsit hoc tempore contra Zuinglianos etiàm Ioannes Pomeranus excucullatus monachus Epistolam quandam Latinè & Germanicè, Luteri tantus amicus, vt eum Vittenbergensis Ecclesiæ pastorem fecerit. Sed tales pastores à suo grege arceat Christus.

Miserunt hac tempestate Argentoratensis Ecclesiæ ministri Euangelici legatum suum ad Luterum, qui eum & suos hortaretur ad concordiam, vt regnum Pontificis Romani coniunctissimis viribus oppugnare possent. (Ità certè ipsi de se scribunt, nec pudet eos tantam sui pectoris vecordiam posteris prodere, qui vel ex hoc solo Romani Pontificis odio & insectatione facilè intelligent, eos satanæ satellites fuisse.) Præclarè enim inter alia multa à Diuo Cypriano vetustissimo atque eloquentissimo martyre scriptum est libro primo Epistola tertia : Quales putas esse eos, qui sacerdotum hostes, & contra Ecclesiam Catholicam rebelles, nec præmonentis Domini comminatione, nec futuri iudicij vltione terrentur? Neque enim aliundè hæreses obortæ sunt, aut nata sunt schismata, quàm indè quòd sacerdoti DEI non obtemperatur, nec vnus in Ecclesia ad tempus sacerdos, & ad tempus iudex vice CHRISTI cogitatur : cui si secundùm magisteria diuina obtemperaret fraternitas vniuersa, nemo aduersùm sacerdotum collegium quicquam moue-

Nota, pacem volũt sectarij, vt possint oppugnare Ecclesiã.

1525 moueret, nemo post diuinum iudicium, post populi suffragium, post coëpiscoporum consensum, iudicem se non iam Episcopi, sed Dei faceret: Nemo dissidio vnitatis Christi Ecclesiam scinderet: nemo sibi placens ac tumens, seorsùm foris hæresin nouam conderet. Hæc quidem ille sanctissimus Episcopus: sed hæreticis frustrà commemorantur, quippe subuersis, & proprio iudicio condemnatis. Luterus verò nihil Argentinensium ministrorum motus admonitione, è diuerso potiùs hortatur Zuinglium & Oecolampadium, vt desinant animas seducere, planeque affirmat, aut se, aut illos satanæ ministros esse.

Nota.

Indignum putabat Luterus, qui illis cederet, sed expectabat, vt in ipsius sententiam omnes concederent. Quid interim mentis habebant, qui Luteri doctrinam secuti, nouam de Eucharistia opinionem proferri videbant, idque non sinè Luteri tanquàm errantis repræhensione? An non puduit eos tam leuitèr à Catholica Ecclesia ad Luterum defecisse, cùm viderent se in summum salutis suæ discrimen hac dogmatum diuersitate coniectos, & quidem intra paucos admodùm annos? Felices ergò illos, qui se intra Catholicæ Ecclesiæ vnitatē continuerunt.

Thomas Mūzerus rusticorū tumultus ciet.

Per hoc tempus extitit quidam Thomas Munzerus presbyter, homo importunissimus & audacissimus. Is ex scriptis Luteri hausta occasione, multis Germaniæ locis credulam nimis & imperitam rusticorum turbam ad seditiones concitauit, & primò in Clerum, mox in principes inflammauit. Itaque magnus hoc anno diuersis in locis factus est agrestium hominum concursus, ad inauspicatam quandam libertatem adspirantium, & multa ab eis nefariè & scelerate sunt admissa, per summam crudelitatem occiso, præter alios nobiles viros, Ludouico comite Helluesteno, qui in matrimonio habebat Maximiliani Cæsaris filiam notham: incensisq; in vna Franconia ducentis & eo ampliùs arcibus & monasterijs. Non dubium quin supremam is tumultus Germaniæ & vicinis prouincijs calamitatem fuerit allaturus, nì maturè tam improbi conatus Principum armis prorsùs impediti & elisi fuissent. Feruntur hoc in tumultu, vt antè dixi, vltra centum millia rusticorum in Germania & Lotharingia cecidisse. Animauerat plerosq; Munzerus, dicens inter alia, se omnes bombardarum ictus sua manica excepturum. Sed ille non diu pòst captus est

200. arces & monasteria inflammata.

Centum millia rusticorum cæsa.

Fran-

Francusij, & traditus Ernesto comiti à Mansfelt inpri- 1525
mis catholico, in custodia seruandus. Captus est etiàm socius eius nomine Phiferus, monachus apostata: sed hic obstinato animo permansit in errore, & sic gladio cæsus occubuit. Munzerus verò fertur ex animo doluisse, errores reuocâsse, præmissa Confessione sub altera specie Eucharistiam accepisse, & ità demùm gladio percussus, ex hac luce migrauisse.

Munzerus resipiscit.

Luterus vbi vidit miseram turbam armis principũ, quibus iam extrema quæque ceu quidam Pythius Apollo minatus erat, horrendum in modum concisam & profligatam, mox verso stylo, scripsit librum in rusticos, vt se principibus venditaret nequam & versutus homo, qui suis pestilentissimis scriptis magnam illi seditioni & cædi ansam præbuerat, vt facilè potest re ipsa doceri. Sanè intra vnum mensem Maium maiores tum clades cædesque & vastitates perpessa est superior Germania, quàm bello decennali ab Hispanis & Gallis per id tempus Italia. Vnus Lotharingiæ dux Antonius, in vna Alsatia supra 26. millia rusticorum cecidit. Misera erat tum Germaniæ, præsertìm superioris, habitudo, cùm subditi plerique aut apertam vim in principes intenderent, aut animis clàm rebellionem meditarentur. Hunc fructum peperit præclarum Luteri Euangelion. Soluti enim religione animi, & ad carnis quandam libertatem à Lutero vocati, imperia pati non poterant.

Scribit in rusticos Luterus.

Nec vrbibus deerant factiosi homines, qui seditiones excitarent in Clerum & senatum. Tumultuatum est atrocitèr Francophordiæ ad Mœnum, mox Moguntiæ, paulò pòst etiàm nonnihil Coloniæ Agrippinę: sed non impunè tulerunt eorum tumultuum authores. Coloniæ certè nullis machinationibus efficere potuerunt Luterani, vt illic eis liceret publicè concionari. Quædam aliæ Imperij vrbes, nè similia à vulgo paterentur, magnis impensis coacti sunt conscribere militem, quo se aduersùs vim seditiosæ plebis tuerentur.

Seditiones oppidanorum.

Coloniensium constantia.

Francophordiæ ipsis Paschatis ferijs duo ex infima plebe, alter sartor, alter sutor, seditionis fuère capita. Primo impetu plebs armata irruit in cœnobium Dominicanorum, sed ea tamen vsa moderatione, vt contenta vino imperiosè postulato, ab omni maleficio, quòd ad direptionem aut vastationem rerum attinet, abstineret. Vrbis portæ interìm clausæ seruabantur, seditiosus populus Senatum loco mouebat, atque totius

Tumultus Francophordiæ.

1525 vrbis imperium & administrationem in 24. ex plebe delectos transferebat. Multa sanè fiebant ab illis insolentèr, & quasi Dictatores quidam leges promulgabant, minas quoquè & Clero & Senatui petulantèr intentabant. Habebant earum rerum authorem Luterum, qui scriptis & verbis suis miseros Germaniæ homines dementabat. Scripserant Francophordienses illi ex plebe delecti, capita 47. ex Luteri prodigiosis paradoxis sumpta, eaque pro legibus haberi volebant, quæ nimis longum est hîc recensere. Et vt alios quoquè haberent suæ improbitatis complices, ea capita 47. ad Moguntinos & Colonienses transmiserunt. Moguntiæ ergò populus transuersim actus æquè vt Francofordienses, multa procacitèr egit in clerum, toto triduo, clausis portis, manens in armis. Cogebatur Clerus etiàm ad iniquas pacis conditiones descendere, maximè quòd Rustici tumultuantes, seditiosorum istorum hominum audaciam augerent: sed non diù pòst extincta illa agrestium hominum colluuie, & Francophordiensium & Moguntinensium temerarij ausus repressi sunt, & in irritum redacta, quæcunque à Clero per vim & seditionem extorserant. Multus supra modum est Sleidanus in recitandis ijs, quæ Luterus hac tempestate de rusticorum tumultu scripserit: sed imprudens multa scribit, quæ & Luterum & ipsum pudefaciant. Ait Luterum scripsisse principibus, eorum dominatum homines nec posse, nec velle, neque sanè debere ferre diutiùs: negocium hoc plebis in ipsos insurgentis, Deum agere, & bellum eis facere, & impietatis ipsorum pœnam exposcere. An non hoc erat homines in principes armare? an non hoc erat tumultuantium & seditiosorum hominum factum probare, cuius ait Deum ipsum esse authorem? Et tamen paulò pòst subiungit Sleidanus scripsisse Luterum, se sempèr ab initio docuisse modestè, & à seditionibus vehementèr abhorruisse, & hortatum esse populum, vt tyrannidem & impiam principum dominationem tolerarent. Quæ hæc, obsecro, amentia est, quòd intra vnam eandemque periodum tam pugnantia Luterum scripsisse testatur ille Sleidanus, vt & modestè semper docuerit, & nihilo minùs Principum imperium vocet tyrannidem & impiam dominationem? Iam rursùs post pauca profert Luteri scriptum ad Principes contra Rusticos, aitque eum classicum cecinisse & monuisse, vt in eos non secùs àc in efferatas beluas impetus promiscuè fiat ab omni-

Itèm Moguntiæ.

Sleidanus & se & Luterum pudefacit.

omnibus. Et hîc fatetur Luterus, teste Sleidano, se ne- 1525
cessariò stylum vertere debuisse. Verùm abeat Sleida-
nus cum suo Lutero ad solas terras. Vult miser fascina-
re lectorem, vt fœdissimas Luteri antilogias, crassaque
mendacia & legat quidem, & tamen non animaduertat.
Iam suprà dictum est, Luterum appellâsse principes no-
stros, stolidos, furiosos & amentes moriones: & Turcam
eis decuplo esse meliorem, multaque alia petulantèr
scripsisse in principes. An non hoc erat subditos conci-
tare in principes? An non hoc erat miseris persuadere,
vt Turcarum tyrannidem, quàm Cæsaris & principum
suorum legitimum imperium, pati mâllent? Et interim,
si dijs placet, referente Sleidano, non dubitat ille san-
guinarius euangelista dicere, se sempèr docuisse mode-
stè, & à seditionibus vehementèr abhorruisse. Sed quic-
quid vel Luterus de seipsô, vel in Luteri defensionem
scribat mendax Sleidanus, hoc vnum certissimum est,
Luterum hominem fuisse seditiosissimum, & suis nefa-
rijs scriptis & concionibus arma insanæ multitudini
suppeditâsse in legitimos suos magistratus. Sed nouerat
ille accommodare se tempori, & tum quidem, cùm tu-
multus & seditiones suos habituri successus videren-
tur, minacitèr calamum strinxit in principes: cùm au-
tem è diuerso temeritatem agrestium hominum vidisset
prudentia & viribus principum oppressam, mirabilitèr
principum factum probauit, & ad perdendos miseros,
quibus ipse tantæ nequitiæ author fuerat, inflamma-
nit. Scripserat anno 1523. librum de seculari potestate.
Ibì Principes vtplurimùm ait aut maximos esse fatuos,
aut deterrimos nebulones, & ab ijs pessima quæque ex-
pectanda esse, parùm autem boni: iactitat vulgum iam
fieri intelligentem, & paucos esse principes, qui non ha-
beantur pro fatuis & nebulonibus. Id verò cui nisì Lu-
tero acceptum ferre oportuit? Hanc eius insaniam
paulò pôst in opus conferre conatus est Thomas Mun-
zerus, & ex eius scriptis arrepta ansa, non instrenuum
Luteri se administrum præbuit in concitandis plebi-
bus: & ex multis quidem oppidis principiò repelleba-
tur, è Praga Boemiæ, ex Gutterbacho Marchiæ, ex
Zuiccauia oppido electoris Saxoniæ, ex Hallis comi-
tatûs Tyrolensis, ex Alstedo, vndè eum Luterus ipse
fecit expelli, licèt ei harum molitionum ingentem
materiam exhibuisset: immò apud Saxoniæ Ele-
ctorem cum initiò excusâsset ac defendisset, sperans

Luterus accommodat se tempori.

1525 rem ei ex ſententia ceſſuram. Verba Munzeri ad ruſticos ſcripta, facilè declarant, quem ſecutus fuerit. Nolite, ait, diutiùs adulari peruerſis fatuis, impijs nebulonibus: Incipite & bellate bellum Domini: tempus eſt valdè &c. An non etiàm Luterus vocauit principes fatuos & nebulones? Vaſtabat Munzerus cum ruſticis templa & monaſteria, profligabat monachos, conculcabat ſacramenta, pluraque id genus flagitia deſignabat. Sed num eadem aut non docuit Luterus, aut non faciunt Luterani & ſectarij dogmatiſtæ? A Lutero igitur in vrbes, in pagos dimanârunt ſeditiones & tumultus: ille ſuis ſcriptis claſſicum cecinit, atque innumerabilium malorum præcipuus author fuit.

Luterus nuptias celebrat in ſummo Germaniæ luctu.

Hoc ipſo verò anno in tanto Germaniæ luctu, tanta rerum omniũ perturbatione, inaudita calamitate, idem ipſe Luterus quadam Erynni percitus, iucũdiſſimas celebrauit nuptias, iuncta ſibi virgine ſanctimoniali, vt tandèm toto orbi terrarum hoc teterrimo facinore teſtatum efficeret, quid iampridèm animo concupiuiſſet ac deſtinauiſſet. Proh pudor, ſacræ Theologiæ Doctorem, publicè profeſſum perpetuam continentiam, paupertatem, obedientiam, & iampridèm ſacerdotio initiatum, auſum eſſe in tantam proruere impudentiam & turpitudinem, vt quod nullæ ſanæ mentes & in catholica religione benè inſtitutæ vel ſolo auditu ferre queant, id ille miſer ac deploratus apoſtata monachus, facto & opere perpetrare non dubitârit. Eant iam cum ſuo Euangeliſta Luterani, & quotquot ab Eccleſia Catholica deſciuerunt: certè vel hoc ſolo nomine apud omnem poſteritatem ſempiternæ ignominiæ notam ſibi ſentient inuſtam, quòd tam nefarium hominem ſequi non piguerit. Certè oportuit omnem omninò mentem & ſenſum perdidiſſe, qui tantum ſcelus videre non potuerunt. Superiorum temporum hæretici plerique omnes ſolebant tamen quandam præ ſe ferre morum honeſtatem & vitæ ſanctimoniam: at Luterus tum ſibijpſi, tum alijs omnibus ad omnem turpitudinem laxauit habenas, nec quicquam voluit non licere, quod animis collibuiſſet. Extant plurima eius ſcripta, extant teterrima eius facinora, quibus hæc poſſunt liquidò demonſtrari. Et interim tamen, licèt reclamanre conſcientia, talem ducem innumeri ſequuntur, quidlibet illo facilè permittente, modò adſit fides, quam ſolam ille prædicauit ad ſalutem ſufficere: Eccleſiæ & Pontificum decreta, ieiunia,

preces,

preces, vigilias, & deniquè bona omnia floccipendit: immò ausus est scribere, opus bonum optimè factum, veniale peccatum esse secundùm misericordiam Dei, sed mortale peccatum secundùm iudicium Dei: & multa alia his absurdiora, quæ prorsùs damnat Catholica fides. Est profectò multa admiratione dignissimum, quòd cùm Luterus iactaret se nunc demùm Germaniæ ipsissimam Euangelij lucem intulisse, qua illa tot seculis caruisset, & interìm excusso cucullo, proculcato continentiæ voto, spreto omni diuino & humano iure, publicè sibi iungeret virginem æquè Deo dicatam, non solùm non esse homines eo teterrimo facinore offensos, sed etiàm præclaræ cuiusdam virtutis & insignis Euangelici exempli loco habuisse, quod innumeri posteà tum sacris initiati, tum monasticen professi vtriusque sexûs homines, cum multa mortalium laude & applausu imitarentur. Quis tantam hominum cæcitatem vel admirari pro dignitate sufficiat? Olìm quidem ætate D. Hieronymi Romæ quidam extitit Iouinianus, quem monachum fuisse Augustinus scribit: Is ausus fuit docere, eodem Augustino teste, virginitatem sanctimonialium, & continentiam sexûs virilis in sanctis eligentibus cælibem vitam, coniugiorum castorum atque fidelium meritis parem esse, non maiorem. Adhibebat huic paradoxo adstruendo scripturas, sed, vt solent hæretici, perperàm intellectas. Verùm eius insania vel hæresis, vt eam vocat Augustinus, citò oppressa est & extincta, nec vsque ad deceptionem aliquorum sacerdotum potuit peruenire. Erant tamen lasciuientes quædam virgines sacræ, & quidem prouectæ iam ætatis, quæ istis carni plausibilibus vocibus illectæ, viris nupserunt: ipse verò nec habuit, nec habere voluit vxorem. Hoc insanum & temulenti cerebri dogma tum temporis nullos è clero permouere potuit, vt illud amplecterentur: facile enim erat videre eius absurditatē. At nostro infelicissimo seculo Luterus longè in studium continentiæ iniquior, palamq; omnes etiàm Deo sacratos homines ad coniugium inuitans, & spurcissimæ libidini laxans habenas, tam multos nullo negocio inuenit suæ impietatis approbatores, vt sinè horrore dici aut cogitari vix queat. Scripsit in Iouinianum Hierooymus libros duos, quibus illum grauissimè confutauit: sed Luterus iam totus datus in reprobum sensum, illius scriptis nihil moueri potuit, quibus tamen tunc temporis permultos dubium non est in sana

1525

In assertione Artic. 32.

De hæresibus, ad Quoduultdeum, 82.

1525 fide ſanctoque continentiæ propoſito fuiſſe confirmatos. Sed veriſſimè dicit ſcriptura: Conſidera opera Dei, quòd nemo poſſit corrigere, quem ille deſpexerit. Non eſt mirum valdè, quòd Luterus huc vſque impudentiæ & impietatis progreſſus eſt: ſed quòd habuit tam multos tantæ nequitiæ approbatores, & qui tam immanitèr prolapſum, nihilo minùs tanquàm Chriſti apoſtolum quendam ſuſciperent & venerarentur, id omnem vincit admirationem. Habebant quondàm ethnici ſuas virgines Veſtales, è quibus ſi qua rem cum viro habuiſſet, viua mergebatur in foueam, humoque obruta extinguebatur. Luterus tantæ turpitudinis etiàm ſummam reportat laudem. O tempora, ô mores. Quis iam dubitet in hæc tempora vel maximè quadrare illud Eſaiæ: Dilatauit infernus animam ſuam, & aperuit os ſuum abſq; vllo termino? Quid iam difficile erit perſuadere hominibus ętatis huius, ſi nefandum apoſtatæ monachi inceſtum, & ſacrilegũ concubitum non alio quàm caſtiſſimi & ſanctiſſimi matrimonij loco habendũ cenſuêre, perſuaſi ab illo ipſo, qui tam immani ſe ſcelere obſtrinxerat? Quid ſupereſt, niſi vt in Mahometis tranſeamus diſciplinam egregiè Epicuream, & abſurdiſſimas Alcorani eius nænias & putidiſſima deliramenta complectamur? Et certè huc tendit ipſiſſimus totius Luterani euangelij ſcopus. Quòd tam multos habuit Luterus ſectatores, non alia ratio eſt, quàm quòd ea docuit, quæ carni & ſanguini, quæ naturæ vitijs deprauatæ cumprimis arriderent. Idem fecit & Mahometh ſceleratiſſimus, atq; ea cauſa tam longè eius licèt dementiſſima ſuperſtitio propapata eſt. Chriſti Euangeliũ ad arctam viam, ad agendam pœnitentiam nos reuocat. Scripſit Luterus Epiſtolam quandam, quam voluit dici, Fidelem admonitionem ad omnes Chriſtianos &c. In ea ſic ait: Vide vt exerceas ſanctum Euangelium: doce, loquere, ſcribe & prædica, quomodò leges humanæ nihil ſunt: prohibe & diſſuade, nè quis fiat ſacerdos, monachus aut monialis, & quiſquis in eo ſtatu ſit, vt exeat &c. Tollit leges humanas omnes: quid furibus, latronibus, adulteris poſſit dici iucundius? Tollit ſacerdotium, tollit omne continentis vitæ ſtudium: quid hoc aliud eſt, quàm Ede, bibe, lude, poſt mortem nulla voluptas? His ille paradoxis creuit, & perdidit turbam nimis credulam. Vult, vt qui in monaſtica vita ſunt, indè diſcedant. Sed quid fiet de votis Deo nuncupatis? Ea nullius vult

Eccle.7. *Eſa.5.* *Matth.7.*

esse ponderis. Sed reclamat scriptura diuina, reclamant Patres omnes, reclamat totius orbis perpetuus consensus, denique ratio ipsa reclamat. Sed Luterus vni sibi plus vult tribui, quàm his omnibus. Atquì nos vel vnum Augustinum libentiùs audiemus, quàm mille Luteros. Is ergò sic ait: Quod cuiquam, antequàm vouisset, licebat, cùm id se nunquàm facturum vouerit, non licebit: si tamen id vouerit, quod vouendum fuit, sicut est perpetua virginitas, vel continentia post experta connubia &c. Hæc, inquit, & si qua alia sunt, quæ rectissimè vouentur, cùm homines vouerint, nulla conditione rumpenda sunt, quæ sinè vlla conditione vouerunt: quia & hoc Dominum præcepisse intelligendum est vbì legitur, Vouete & reddite Domino Deo vestro. Vndè Apostolus de quibusdam quæ continentiam vouent, & posteà nubere volunt, quod eis, antequàm vouissent, vtiquè licebat, Habentes, inquit, damnationem, quoniam primam fidem irritam fecerunt. Hæc Augustinus, cui Patres omnes & tota Christi Ecclesia subscribit. Eat sanè Luterus, & tum sibi, tum alijs, quantùm vult, imponat: nos vilem apostatam non audimus.

1525

De adulterinis cōiugijs lib. 1. cap. 24.

Psal. 75.

1. Tim. 5.

Eodem anno scripsit tèr execrandum libellum hoc titulo, *De abominatione Canonis Missæ.* Mirum profectò est, illum hominem diù admodùm in Catholica religione benè institutum, ad tantam impietatem deuolui potuisse. Ergò qui stat, videat nè cadat. Væ omni superbo, quia proximus ruinæ est. Quid verò tremendis illis Missæ mysterijs & sacro Canone habet Ecclesia sacratius? Sed ille insanus amplissima Antichristicæ vastitati itinera præparabat. Edidit etiàm Sapidus quidam Argentoratensis pædotriba Carmina sanè quàm horrenda in Missam, non verbis, sed verberibus & flammis vindicanda: quæ doctissimus vir Arnoldus Vesaliensis, posteà Canonicus Maioris ædis Coloniensis, in Missæ laudem mira dexteritate conuertit. Accessit his blasphemijs Dialogus quidam Teutonicus de ægritudine & obitu Missæ, vt totum suum virus malus dæmon per administros suos in tremenda Missæ mysteria euomeret. Sed certum habeat Germania & reliquæ nationes, quæ id genus blasphemijs delectantur, præpotentem Deum tantas suæ Maiestatis iniurias seuerissimè hauddubiè vindicaturum, vtì etiàm egregiè non semèl hactenùs vltus est.

Luterus in Canone Missæ.

Carmina Sapidi in Missam.

1525 Per id tempus ſcripſit Luterus etiàm Liuonibus, itemque Duci Sabaudiæ, qui hominis nefarij fucos facilè contempſit. Scripſit etiàm ad Antuerpienſes, item ad Chriſtianos qui ſunt in Hollandia, Brabantia & Flandria. Iohannes Pomeranus ſcripſit epiſtolam ad ſanctos in Anglia. Faciebant hoc illi, vt ſua dogmata latiſſimè propagarent, & de ſectæ ſuæ incrementis gloriari poſſent apud Germanos. Eo libello, quo Principes hortabatur Luterus, vt ruſticos ſeuerè punirent, multos offendit, quòd nimiùm atrox & ſanguinarius eſſe videretur. Id vbì ille percepit, tertium de ruſticis libellum edidit, in quo ait, illos quoquè pro ſeditioſis habendos eſſe, qui priorem libellum ſuum ſæuitiæ inſimulent, aut qui vlla erga cæſos ruſticos commiſeratione moueantur: & etiàm vetuit ne quiſquam muſſitaret contrà, alioquì capite plectendus: rectum enim ait permanere oportere, quicquid ipſe & doceret, & ſcriberet, etiamſi totus mundus ea cauſa dirumperetur. Quid verò poſſit vel ab ipſo Lucifero dici arrogantius? Et vbì ſunt tam crebræ antilogiæ, tam repentinæ & frequentes dogmatum mutationes? Certè ſi Ruſticorum conatus ſuos habuiſſent ſucceſſus, nemo ab illis magìs ſtetiſſet quàm Luterus: mutata fortuna, Luterus ſtylum quoquè mutauit. Anteà ſcripſerat in ſua illa falſa exhortatione ad pacem, qua potiùs ruſticorum furorem acuebat: Non ſunt Ruſtici, ait, boni Domini, (loquens Principibus) qui ſe vobis opponunt: Deus ipſe eſt, qui ſe opponit vobis, ad viſitandam veſtram tyrannidem &c. At ruſticis ſuccumbentibus, Tam mira, ait mox in alio libello, ſunt nunc tempora, vt princeps aliquis magìs iam fundendo ſanguine cælum promereri queat, quàm alij precando &c. O monſtrum, in tot repentè formas mutatum.

Caroli V. nuptiæ.

Huius ipſius anni menſe Aprili Carolus Ceſar vxorem duxit Iſabelam regis Luſitaniæ filiam.

Albertus Brãdeburgicus ducit vxorem.

Eodem anno Albertus Brandeburgicus 34. Magiſter ordinis Teutonicorum, Luteri dogma complexus, duxit vxorem Dorotheam regis Danorum filiam, & Magiſtri nomen in Ducis mutauit. His rebus totum in ſe concitauit Ordinem, qui ei Vualterum Cronbergium ſuffecit. Regis Poloniæ hodiè beneficiarij ſunt Pruſſiæ Duces, cùm ſuperiorum temporum Magiſtri Ordinis Teutonici, cum regibus Poloniæ multa ſæpè bella geſſerint, & Pruſſiam ipſam è manibus infidelium ſuis armis

mis vindicârint, cùm ea regio etiamnùm dæmonum cultui esset addicta. 1526

ANNO 1526. cùm iam Luterus perniciosis scriptis suis non solùm vulgus, sed etiàm plerosque optimates & nobiles in antiquæ religionis & cleri odium commouisset, animis iam in diuersa distractis, nemo Germaniæ principum opem tulit Ludouico Pannoniæ regi, cui Turca infestissimus imminebat. Interim quoquè in Italia non deerant, quibus Caroli Cæsaris potentia iam formidolosa esset ob Galliæ regem captum, & mox certis conditionibus fœderatum. Ità vbiquè Christiana Respub. tum bellis intestinis, tũ exitiosis dogmatibus laborabat. Neque id fugiebat Turcam, in omnem rei benè gerendæ, & Christianis quàm maximè nocendi occasionem sempèr intentum. Atque is tum bellum indixit Ludouico Pannoniæ iuueni regi, & bellicis artibus propter ætatem non satis instructo. Nobilitas Hungarica plùs æquo visa est Turcarum exercitum paruipendere, quippe quæ Ottomannorum regum castra necdùm viderat vnquàm.

Turca indicit bellũ Pannoniæ regi.

Tandèm ægrè 25. millibus peditum & equitum coactis, magna temeritate itum est obuiàm Turcis, quorum octuplo maiores erant copiæ. Vbi ad pugnam ventum est, nullo negocio Turcæ Christianos protriuerunt, ità vt & rex ipse, cùm sibi fuga salutem quærere vellet, lapsus in paludem, suffocatus sit, vndè tamen eius cadauer posteà integrum extractum, apud Albam Regalem regio funere tumulatum est. Solimannus hac victoria potitus, & incredibili tormentorum æneorum copia auctus ac locupletatus, fertur risisse Hungarorum temeritatem, quòd non maluissent retrocedere, quàm cum tanto exercitu manus conserere. Maria Ludouici coniunx, Caroli Imperatoris soror, ægrè ex hostium manibus dilapsa, Viennam profugit. Solimannus Buda occupata, arcem inuisit, eamque mirificè laudauit, nec quicquam indè abstulit, nisi statuas æneas tres ingentes, quæ Matthiæ regis fuerant. In locum regis Ludouici primùm à Bohemis, indè ab Hungaris electus est Ferdinandus, optimus & Christianissimus princeps, Caroli Cæsaris germanus frater. Sed nè quid deesset ad supremam regni Hungarici cladem & excidium, à quibusdam Pannoniæ rex electus est Ciliæ comes Iohannes Vaiuoda, qui non cessauit legitimum regem

Ludouicus rex occũbit.

Ferdinandus fit Hũgariæ rex.

1526 Ferdinandum multis exagitare modis, donèc tandèm Hungaria tota ferè concessit in ditionem Turcarum, ità vt meritò dici possit, illius barbari hostis vires non nisi intestinis Christianorum bellis, odijs & simultatibus creuisse: quod est quidem certè miserabile, & lachrymis potiùs quàm verbis prosequendum. Vt verò etiàm in Germaniam paratior esset Turcis via, Luterus strenuam nauabat operam, vt seditiosis euulgandis scriptis subditos in magistratum, & principes ciuiles in Clerum concitaret. Sentiens verò se apud quosdam principes nihil promouisse neque minis, neque conuicijs, neque tumultibus excitandis, ad blanditias se contulit. Dux Saxoniæ Georgius, immortali dignissimus memoria, ditionem suam à Luteri dogmatibus egregiè tutatus est. Hunc Luterus calumnijs & conuicijs iam antè prosciderat, sed frustrà. Itaque hoc anno scripsit ei literas blandissimas, & quæ reuerà etiàm constantem animum nonnihil emollituræ viderentur: adeò ille importunus & turbulentus homo, blandè & simulata religione egit apud illum principem. Verùm tale ab eo tulit responsum, quali apostata dignus fuit. Vtinàm plerique Germaniæ proceres, eadem fuissent vsi constantia: meliùs profectò rebus tum priuatis, tum publicis consuluissent. Inter alia, hæc quoquè scripsit princeps ille longè optimus Lutero: Affirmare possumus, euangelium tuum nobis magnoperè curæ non esse, quòd orbis Christiani capita illud reprobârint. Id vnum dedimus operam, vt pro virili caueremus, nè à nostris reciperetur. In causa sunt mali fructus indè profecti. Nam neque tu, neque quisquam alius verè dicere potest, ex tua doctrina quicquam aliud enatum esse, nisi blasphemias in sacrosanctam Eucharistiam, in sanctissimam Dei genitricem, in sanctos omnes. Ex tua sectatorumquę tuorum doctrina omnes iam olìm damnatæ hæreses renascuntur, omnis Dei cultus honestùs aboletur. Quandò vnquàm tot facta sunt sacrilegia Deo dicatorum hominum, quot sub tuo Euangelio? Quandò crebriores in magistratus extitère rebelliones, quàm ex tuo Euangelio? Quandò tot sacrarum ædium expilationes, tot furta ac rapinæ visæ sunt? Quo vnquàm tempore tot habuit Vuittenberga excucullatos monachos & moniales, atquè hodiè? Quandò maritis ablatæ sunt vxores, alijsque traditæ, quemadmodùm tuum habet euangelium? Quandò tam numerosa perpetrata sunt adulteria,

Luterus vertitur ad adulationes.

Nota plane aurea verba principis optimi

teria,

teria, quàm posteaquàm tu scribere non dubitâsti : Si mulier è viro suo concipere nequeat, vt ad alium se transferat, à quo possit fœcundari, & maritus prolem indè natam alere teneatur : itidemque vir faciat? Hæc & multa alia princeps ille celeberrimus scripsit Lutero, eius nefandas turpitudines illi statuens ob oculos, si fortè posset reduci in viam. Sleidanus hæc ex odio illum scripsisse mentitur impudentèr. 1526

Luterus eam passus repulsam apud ducem Georgium, literas scripsit ad Archiepiscopum Moguntinum, Marchionis Brandeburgeñ fratrem. Hortabatur eum, vt episcopatus suos in ciuiles principatus mutaret, & ducta vxore, cæteris episcopis tam præclaro exemplo continentiæ præluceret. Quid enim aliud suaderet Epicureus apostata, quàm quod ipse maximè appetijsset? Volebat omes Veneri se deuouere, cui ipse erat deuotissimus, cùm Christus ipse suum Euangelium ab agenda pœnitentia auspicatus sit. Sed has literas licèt typis excusas, non est dignatus princeps ille vllo responso. Sciebat enim etiàm apud Græcos ne sacerdotibus quidem, multò verò minùs episcopis, licere vxores ducere, postquàm sacerdotio initiati sunt.

Luterus scribit Episcopo Moguntino.

Matth. 3. & 4.

Hìc quoquè Luterus spe frustratus sua, regem Angliæ sibi tentandum suscepit, quem anteà contumeliosissimè tractârat. Duo Angli Apostatæ summoperè in eam curam incumbebant, vt totum regnum Angliæ vel inuito rege ad Luteri dogmata traduceretur. Hi iam curabant Coloniæ versionem noui testamenti à Lutero editam, in Anglorum idioma translatam, typis excudi : sed quorundam bonorum virorum opera res ad amplissimum Senatum Colonieñ delata est, qui mox prohibuit typographis, nè in eo excudendo opere pergerent. Regi quoquè Anglorum & regni proceribus idem significatum est, quod multùm retardauit illorum conatus apostatarum. Porrò ipse rex Angliæ respondit Lutero egregiè, spretis eius fictitijs blanditijs : quibus in literis inter cætera improperat ei incestas nuptias cum virgine Deo dicata contractas. Olìm apud ethnicos virgines Vestales, si de stupro fuissent conuictæ, viuæ humo obruebantur, & constuprator verberibus ad mortem vsque mulctabatur. At nunc apud Christianos Luterus & multi alij desertores monachi & moniales, impunè totos se mancipant turpissimæ libidini, mundo illis applaudente, & inexpiabile scelus, nisì resipiscant, etiàm in rectè factis

Angliæ insidiantur hæretici.

Virgines Vestales olìm vt punitæ.

1526 ctis præcipuo ferè loco numerante. Sed de his suprà dictum est, quanquàm nunquàm satis dici potest.

Comitia Spiræ. Hoc anno habita sunt Comitia Spiræ: vbì quidam principes Luterizantes, petierunt sibi templum aliquod permitti, vbi suo more sacris & concionibus interessent, Sed fortissimè se opposuit Episcopus Spireñ Georgius, Bauariæ princeps & Comes Palatinus genere. Itaque in atrijs hospitiorum suorum iusserunt suos concionatores quotidiè verbum facere ad populum, Catholicis principibus ob temporum iniquitatem ad multa conniuentibus. Olim tẽporibus Archadij Imperatoris, Gainas dux Romanæ militiæ petijt ab eodem principe, intra Constantinopolim sibi suęque sectę sacerdotibus (erat autem Arrianus) templum vnum concedi. Archadius rem ad Joannem Chrysostomum eius vrbis episcopum retulit. Is modis omnibus se opposuit, dicens inter cętera: Non oportet principem quicquam cõtra Deum audere, si quidem vera pietas illi curæ est, sed potiùs benè constitutas leges seruare, eam præsertìm, quæ contra hęreses lata ęst.

Luterus in Zuingliũ & Oecolampadium. Circa huius anni initium Luterus quadam ad Reutlingeñ data Epistola, in Zuinglium & Oecolampadium degeneres filios suos inuehitur. Scripsit & Vrbanus Regius quandam Epistolam contra Zuinglij sententiam. Ediuersò Zuinglius quoquè Luteranis non fuit mutus: quin etiàm Martinus Bucerus apostata Dominicanus scripto quodam edito, aduersùs Brentium Luteranum se tuetur.

Zuinglius respondet. De hoc Bucero graues viri narrare solent, quòd initio ferè huius noui Euangelij ad Luterum se contulerit, atque ab eo petierit alicubì collocari, vbì posset nouo Euangelio strenuam nauare operam: Porrò Luterus ab eo sciscitatus sit, num hac in re tranquilia frueretur conscientiam: Ille verò responderit, se quid nondùm posse pectoris pace frui, testante conscientia saniorem esse Catholicorum quàm nouam hanc doctrinam: tum autem Luterus dixerit, Si sic res habent tuæ, nondùm mihi es idoneus. Abi igitur & pugna contra hanc conscientiam, donèc ea prorsus consilescat, & tunc mihi eris commodus administer. Id verò Bucerus fecerit, & ad Luterum reuersus, dixerit se iam omnem conscientiæ aculeum prorsùs repressisse, paratumque esse deincèps & viuere

Bucerus Zuinglianus. & mori in nouo Euangelio: sicque Luterus eum, tanquàm inprimìs aptum suæ doctrinæ propagandæ hominem, alicubì ecclesiasten effecerit. Fuit enim Bucerus non parùm doctus, & prætereà ingenio ad simulandum-

dum & diſſimulandum egregiè compoſito: qui tamen 1526
Zuinglij potiùs quàm Luteri dogma de Euchariſtia complexus eſt aliquandiù, ſed poſteà in Luteri gratiam fertur à Zuinglio ad Luterum defeciſſe. Multis annis Argentorati egit concionatorem, tandèm mortuus in Anglia, & morte ſanè horrenda, vt ſparſit rumor, licèt hîc nihil auſim pro certo affirmare, quo mortis genere obiërit. Non eſt autem incredibile, quòd contra ſuam ſit luctatus conſcientiam, cùm idem de ſe quoque Luterus fateatur: nec tam ſtupidus fuit Bucerus, quin facilè animaduerteret non poſſe gratam eſſe Deo eam doctrinam, quæ cum Catholicæ Eccleſiæ doctrina è diametro pugnaret. Nec tamen veriſimile eſt, conſcientiæ aculeum eius pectus deincèps minimè pupugiſſe: ſed id genus deplorati homines contemnunt non modò conſcientiam, ſed & Deum ipſum, dicente ſcriptura: Impius cùm in Prouer.18.
profundum venerit peccatorum, contemnit. Ediderat anno 1524. Ioannes Pomeranus commentarios in Pſalmos. His ſuas commendatitias Præfationes præfixerant Luterus & Melanchthon. Itaque rapiebantur illi commentarij à ſtudioſis. Cernens hoc Bucerus, audax facinus aggreſſus eſt. Vt enim hominibus perſuaderet ſcholam Vuittenbergeñ cum Sacramentarijs conſentire, illos Commentarios vertit, & mox in Pſal.3. contra apertiſſimam authoris ſententiam, quam præcedente Pſalmo benè cõuerterat, verba corrupit, vt Zuinglianiſmum ſapere viderentur. Eam hominis perfidiam Pomeranus ipſe hoc anno 26. datis ad Brentium & Iohannem Agricolam literis accuſauit. Vt autem latiùs ſpargeretur rumor, Vuittenbergeñ ſubſcribere Zuinglianis, ſacramentarij Buceri verſionem mox Latinè reddiderunt, atque longè lateque diſperſerunt. Et certè illa fraude & dolo effecit Bucerus, vt Zuinglius & Oecolampadius palàm editis ſcriptis iactarent, Luterum cum ſuis Vuittenbergicis ſtare à Sacramentarijs. Eodem artificio Bucerus vſus eſt in vertendis Luteri commentarijs in epiſtolam ad Hebræos, quemadmodùm Luterus ipſe apud typographum per epiſtolam conqueſtus eſt. Volebat enim vir euangelicus pro ſuo candore ea quoquè verſione efficere, vt Luterus ad Zuinglij caſtra transfugiſſe videretur. Quòd ſi verò tales tamque nefarias fraudes illi exercent in eorum vertendis libris, qui etiamnùm viuunt, cogitet pius Lector, quid in Patrum vertendis ſcriptis, vel etiàm citandis & edendis faciant.

1526 Hoc tempore Conradus Pellicanus, qui ex Franciscano factus erat Zuinglianus, & quandoquè Erasmi Roterodami confessionem audierat, cùm adhuc Basileæ monachus esset, Tiguri cœpit de Erasmo eiusmodi apud amiculos suos spargere sermones, qui Erasmum de Zuinglianismo suspectum redderent. Eam calumniam multis modis Erasmus à se conatus est depellere. Sed & alius quidam Zuinglianus, Leo Iudæ dictus, Germanicum libellum edidit tacito suo nomine, quo docere voluit Erasmum & Luterũ quandoquè idẽ cum Zuinglio sensisse. Hoc Erasmus tulit molestissimè, licèt suis incautis scriptis non paruam fortassis occasionẽ dederit talia de ipso existimandi. Non tamen potuerunt eum Zuingliani vnquàm in suam pertrahere sententiam, licètBasileę diù vixerit, vbi cumprimis viget Zuinglianismus. Scripsit autẽ hoc anno epistolam ad Heluetios, qui in Badensi disputatione conuenerant, qua se ab hac suspicione purgat. At tamen repræhendendus est, quòd non scripserit in Zuinglianos eo zelo & ardore, quem res tanta flagitabat.

Conradus Pellican⁹ Erasmum traducit.

Erasmus se purgat.

Per hoc ferè tempus Zuinglius scribit Norinbergeñ Luteranis, docens Luteranorum de Eucharistia opinionem nouam esse, & cum sacris literis pugnare, suam verò à Christo ipso &c. traditam. Ediuersò scribunt de Zuinglio Luterani: & tamen non vidẽt homines ab istis nebulonibus euersi, quàm isthæc pugna arguat noui huius Euangelij vanitatem. Iurè ergò pereunt, qui apertis oculis nihil videre volunt. Scripsit etiàm Zuinglius Germanicè Epistolam ad Eslingeñ, qua acerrimis verborum flagellis cædit Luterum & Luteranos, quos Suermeros, furiosos & fanaticos vocat.

Zuinglius damnat Luteranos

Nota Zuinglij de Lutero censuram.

Hoc ipso anno disputatum est Badenæ in Heluetijs à Catholicis & Sacramentarijs. Venerunt eò Catholici primi nominis Theologi, Iohannes Faber, Eckius, & Thomas Murnerus. Zuinglius nulla fide publica adduci potuit vt veniret. Oecolampadius adfuit. Ea disputatio hunc habuit euentum, quòd Heluetiorum Pagi omnes, demptis Tigurinis, in Catholica religione sibi permanendum statuerunt, neque nouum vllum dogma intra fines suos admittendum. Fuit hoc sub finem Iunij. Iohannes Faber permultas collegerat ex Zuinglij scriptis antilogias, quibus ille fœdissimè & secum ipse pugnauit, & suam Luterique doctrinã destruxit. Eas obiecturus fuerat Zuinglio, sed ille mansit domi. Hac verò ratione, qua tum Luterus, tum Zuinglius & plerique omnes

Disputatio Badensis.

Antilogiæ Zuinglij.

omnes hæretici horum temporum, euidentiſſimè docen- 1527
tur ſcripſiſſe multa inter ſe pugnantia, efficaciſſimè & ineluctabilitèr euinci & probari poteſt, ipſorum dogmata non Spiritumſanctum, ſed mendacij parentem diabolum habere authorem. Et hîc neceſsè eſt, vt pudefiant & obmuteſcant quicunque eorum dogmata ſequi & tueri volunt, cùm nulla res certiùs indicet doctrinæ falſitatem, quàm ſi ea varia ſit & inconſtans, nec ſemper ſuî ſimilis. Quis enim vel in prophanis & parui momenti rebus fidem commodare velit ei, qui de vna eademque re modò aiat, modò neget? iam probet, paulò pòſt improbet? Atque vel hoc ſolo nomine iuſtiſſimè damnabuntur, quotquot ab Eccleſia Catholica, quę toto orbe vnum atque idem docet, ad hæreticos etiàm à ſeipſis turpiſſimè diſcrepantes, deficere non dubitârunt.

Hoc anno rex Franciæ Franciſcus ex Hiſpanijs dimiſſus, domum redijt. Et quia Italis aliquot proceribus ſuſpecta fuit cõcordia inter Carolum Cæſarem & ipſum inita, vndiquè legatos gratulatum miſerunt ad regem libertati reſtitutum, & Clemens Pontifex atq; Veneti, adiuncto Britanniæ rege Henrico, ad mutuam ſecuritatem noua cum Franciſco rege fœdera percuſſerunt: quibus paratis vndiquè copijs, Cæſari totius (vt ferebatur) Italiæ imperium affectanti obuiàm iretur. Sed quàm falſus hic de affectato Italiæ imperio fuerit rumor, res ipſa poſtmodùm declarauit, quandò Cæſar Franciſco Sforciæ incredibili liberalitate Mediolaneñ ducatum reſtituit. Franciſcus rex, licèt duos pro ſe filiolos Franciſcum & Henricum dediſſet obſides, & niſì pacta ſeruaret, quòd captiuum ſe denuò ſiſteret, eſſet pollicitus, tamen in eo fœdere cum Carolo icto non permanſit. Indè mox nouis bellis arſit Italia, Turcis interìm ocioſè ſatis in Hungaria omnia vaſtantibus, & Chriſtianorum temeritatem ridentibus: porrò in Germania hæreſibus magna ex hac occaſione capientibus incrementa, cùm Catholici principes, inteſtinis bellis impediti, non tam poſſent quàm vellent eas opprimere.

Fräciſcus rex redit ex Hiſpania.

ANNO 1527. Pontifex Clemẽs flexus humaniſſimis Caroli Cæſaris literis, adueniente in vrbem Carolo Lanoio Cæſaris duce, in quo ſumma tum erat belli & pacis authoritas, Cæſari conciliatur, & inter eos nouum fœdus percutitur, ea conditione, vt Lanoius Borbonium principem ab Vrbis Romæ direptione auer-

1527 auerteret. Iam ibat Lanoius ad Borbonium cum multis Germanorum & Hispanorum copijs ad vrbem proficiscentem, sed nihil efficere apud Borbonium potuit, militibus pacem abnuentibus, & Romanæ prædæ inhiantibus. Erant enim inter Germanos non pauci Luteranæ factionis, quibus Pontificis nomen maximè inuisum esset. Ventum est ad vrbem commeatu & tormentis vacuam, pridiè Nonas Maij. Dux Borbonius dum mœnibus scalam admouet, in ipso Vrbis limine per inguen dextri femoris glande traiectus occubuit. At milites, eius morte nihil absterriti, statim scalis appositis, Clemente Pontifice exterrito, & ægrè se in molem Adriani, vulgò Castellum S. Angeli, recipiente cum suis, Leoninæ primùm vrbis, quam Burgum vocant, loca humilia superant, & obuiam multitudinem facilè reijciunt. Ibi tum horrenda cædes miserorum, abiectis armis frustrà mortem deprecantium, à Germanis & Hispanis edita est, ità vt barbarica quadam immanitate etiàm in ipsa D. Petri sanctissima æde, adeoque ad aras eius templi & monumēta veneranda S. Apostolorum aliorumque diuorum, permultum sanguinis fusum sit, direptis templi ornamentis, omnibusque sacratis vasis. Ea Vrbis parte vastata, magnam (vt vocant) Romam, transcensis inter Aureliam & Septimianam portam vetustate collapsis mœnibus, irrumpunt, in eaque cuncta auaritiæ & crudelitatis exempla passim edunt, arcem circunsident, & nè quà detur vllum Pontifici effugium, perductis fossis circunuallant. Nulla apud ferocem & partim Luterana peste infectum militem, sacri prophanique fuit distantia, omnibus in prædam vsurpatis: nemini omninò eius vrbis incolæ, siue is Italus, siue Germanus, siue etiàm Hispanus esset, parcitum est: plerique summis affecti cruciatibus, in tormentis expirârunt: nec paucos contigit bis ab hostibus captos, & tortos atrocitèr, modò à Germanis, modò ab Hispanis, rebus omnibus exui, & vix vitam solam ære alieno redimere. Sæuitum est horrēdum in modum in sacros calices, in vasa & arculas sanctissimas, quas abiecta sacrosancta Eucharistia insanus miles rapiebat: in sacras vestes, quibus mira exercebant ludibria: in diuorum reliquias, deniquè in virgines Deo dicatas, quibus ad suam libidinem turpissimè abutebātur. Atque hæc quidem omnia insciente & inuito Cæsare acta fuisse, vel indè facilè perspici potest, quòd nec approbauit, nec rata habere voluit, quæ prophanus miles à Pontifi-

Vrbis Romæ direptio.

Sæuitia militum.

Obsidetur Pontifex.

Fiunt om̄ia inuito Cæsare.

ce & Cardinalibus vi ac metu extorserat: & simul atquè in Hispaniam captæ vrbis nuncius allatus est, ilicò cessare iussit ludos & spectacula, quæ propter recèns natum ei filium Philippum edebantur, deditq; operam, vt Pontifex in pristinam libertatem restitueretur. In hac verò Vrbis vastatione id perquàm incommodè accidit, quòd Bibliothecam Vaticanam incomparabili optimorum co dicum thesauro instructam, magna ex parte furor barbaricus fœdissimè populatus est, maximo studiosorum omnium luctu & detrimento. 1527

Bibliotheca Vaticana vastatur.

Sub id tempus Romæ quidam fuit Italus sacco indutus, iram Dei grauem, nî resipiscerent, Romanis imminere prædicans. Cumque magnis clamoribus eadem crebriùs palàm dictitaret, coniectus est in carcerem, donèc capta vrbe res ipsa declarauit, vera ipsum dixisse. Erat eius austera vita, & nomen Iohannis Baptistæ. Post septimum deniquè carceris mensem Pontifex Clemens euasit. Ea Vrbis & Pontificis calamitas magnam attulit voluptatem Lutero & eius factionis hominibus: sed Dei benignitate factum est, vt ea voluptas eis non contigerit diuturna, Pontifice non diù pòst cum Carolo Cæsare amicissimè coniuncto.

Clemens VII. liberatur.

Hoc ferè tempore viguit noua hæresis Anabaptistarum, Lutero suis scriptis illi egregiam materiam suppeditante. Interim nihilo minùs & Luterani & Zuingliani acritèr eos persequuntur, cùm tamen æquè illi iactitent verbum Dei & puram doctrinam, atquè Luterani & Zuingliani, immò etiàm plerique longè maiorem præ se ferant vitæ probitatem, quàm vel Luterus vel Zuinglius cum toto grege suo. Quàm verò ridiculum est, Luterum eo nomine vel maximè se venditare populo, quòd syncerum se dicit adferre Euangelion & verbum Dei, & nihilo minùs damnare Anabaptistas, æquè Euangelium crepantes? Verùm Catholica Christi Ecclesia nihil horum vana iactatione permota, omnes ex æquo damnat & reijcit, Luteranos, Zuinglianos, Anabaptistas, vtpotè qui non Euangelium adferant, sed suas prauas & priuatas opiniones, & detortas scripturæ interpretationes, à Catholico totius orbis Christiani sensu & consensu prorsùs alienas. Habent autem Anabaptistæ multa perniciosa dogmata, negant baptismū paruulorum, & iam adultos rebaptizant, volunt omnia esse cōmunia, etiàm vxores, perindè vt Plato olim in sua Repub. & Nicolaitæ. Ex his sunt qui dicant, Spiritus meus concupiscit

Anabaptistarū hæresis.

Dogmata Anabaptistarum.

carnem

1527 carnem tuam: Veni itaque, & faciamus mirabilia. Anabaptistæ æquè àc Luterani & Sacramentarij, in multiplices, easque pugnantes, sectas dissecti sunt: vt nemini dubium sit, quo spiritu regantur. Est genus hominum propè arreptitium, & in suo errore mirabilitèr obstinatum, ità vt plerunquè hilaritèr ad mortem accedant: quæ res infirmis magno sæpè offendiculo & periculosæ tentationi est, nescientibus hanc non esse sobriæ mentis constantiam, sed insani pectoris satanicam pertinaciam. De Donatianis hæreticis scribit Augustinus multa horrenda Epistola 50. quàm illi, prodigiosa quadam mortis cupiditate insani, seipsos etiàm ethnicis atq; alijs necandos obiecerint. Per abrupta verò, inquit ibidèm, præcipitia, per aquas & flammas occidere seipsos, quotidianus illis ludus fuit. moxque addit: Hæc enim eos tria mortis genera diabolus docuit, vt mori volentes, quandò non inueniebant quem terrerent, vt eius gladio ferirentur, per saxa se mitterent, aut ignibus gurgitibusque donarent.

Hoc vnum notatu dignum est, Luterum ipsum, licèt esset professione monachus & Theologus, & sectarios omnes, è Lutero ceu quodam equo Troiano confertìm enatos atque profectos, hoc vel maximè dedisse & dare operam, vt habeāt lepidam aliquam suis in complexibus puellam, vt præcipuus Euangelij eorum scopus is haud obscurè possit animaduerti, vt quàm maximè se totos Veneri deuoueant, tanquàm desperata omni salute, nihil in futurum nisi certissima gehennæ supplicia expectent, recteque in illos dictum videri possit illud Apostoli, Quorum Deus venter est, & gloria in confusione ipsorum. *Philip. 3.* Certè Luterus ipse quodam loco etiàm matrimonio iunctis ausus est permittere, vt si nolit vxor, liceat accersire ancillam. Ità enim ait: Si non vult vxor, veniat ancilla. *Sermone de coniugio.* Proh pudor, eò amentiç recidisse homines, vt nō videant, in cuius Sardanapali disciplinam se tradiderint. Interìm Luterus & hæreticorum dogmatistarum tota cohors, mirè debacchantur in vitia Cleri, & nihil ferè concionantur aliud ad populum, nisì quorundam impuram vitam, eaque commemoranda & vehementèr exaggeranda, plaustris interìm conuiciorum inuehuntur in Pontificem & Catholicos omnes, cùm sint ipsi tèr execrandi hæretici, & omni flagitiorum genere cooperti, & propterea indigni, qui alios repræhendant. *Hæretici acres in vitia Cleri.*

Hac tempestate alijs atque alijs emergentibus in religione dissidijs, hæresibus & sectis, non solùm Catholici,

lici, sed etiàm plerique Lutetani principes & scriptores 1527
iis opprimendis operam nauârunt. Ipse Dux Saxoniæ Electór, qui Luterum tuebatur, in Sacramentarios siue Zuinglianos & Anabaptistas seuerè constitutis supplicijs animaduertit. Luterus quoquè benè longum scripsit librum in Zuinglium & Oecolampadium, qui ex ipsius schola prodiĕrāt. In eo libro gloriatur se suosque humanis abiectis præceptis, in libertatem se asseruisse ingenti ac difficili labore. Porrò Zuingliana hæresi nullam se legisse fœdiorem, quæ in ipso initio in tot sectas diuisa sit. Ait Germanos cupidè noua quæque complecti, eisque ceu fatuos adhærere. Diabolum nihil tam posse ineptum proferre, quin discipulos inueniat. Germanos esse spurcas sues vel porcos. Ciuiles magistratus ait debere Suermeros, id est, Zuinglianos, tanquàm blasphemos punire. Ipsos Zuinglianos vocat porcos & asinos. Multaque alia in eo libro habet, quibus non magìs Zuinglianos, quàm seipsum damnat. Ipse enim turbarum omnium author fuit in Germania suis pestilentissimis & pugnantissimis scriptis. Verùm dolebat ei, quòd multos vidit, se contempto, ad nouum Sacramentariorum dogma transire. Porrò Zuinglius & Oecolampadius scriptis contrarijs ei responderunt.

Luterani Zuinglianos puniunt.

Luter. in Zuing. & Oecolāp.

Vult Zuinglianos puniēdos.

Hoc anno vel circiter, 300. Anabaptistæ in Heluetijs in editum quendam conscenderunt montem, tanquàm illinc cum anima & corpore in cæulm assumendi. Hos intantùm dementârat malus dæmon, vt citra vllum pudorem instàr pecudum commiscerentur, ne virginibus quidem à fœdo congressu sibi temperantibus. Scripserat enim Luterus, magis necessarium esse congressum viris ac fœminis, quàm cibum & potum.

Anabaptistarum 300. insania.

In Sueuia quidam ausus est docere, finem iam adesse Christianæ legis, atque aliam subrogatum iri. Multaque alia per id tempus valdè absurda & impia spargebantur in vulgus, quibus omnibus ansam dedit præclarum Luteri Euangelium, quo passìm omnes ad carnis libertatem vocabantur, & suo exemplo Luterus prouocabat plurimos, vt & ipsi aliquid auderent.

Sub idem tempus Rotenburgi ad Neccarum fluuium Anabaptistæ quidam vtriusque sexûs vltimo sunt affecti supplicio: flammis exusti viri nouem, fœminæ decem in aquas demersæ. Horum dux & doctor Michaël Sellarius apostata monachus, pro meritis horrendas luit pœnas, primùm excisa illi lingua impia, deindè ignitis

Anabaptistæ necantur.

lace-

1527 laceratus forcipibus, & ad extremum corpore eius igni abolito. Nanque homo nefarius multa valdè absurda & impia in populum sparserat dogmata. Alijs quoquè multis Germaniæ locis seueritèr in Anabaptistas animaduersum est etiàm à sectarijs. Præter alios scripsit in Anabaptistas etiàm Melanchthon, & cùm ille contra Catholicos disputans non nisi meras exigeret scripturas, tamen Anabaptistas de baptismo paruulorum nulla re alia efficaciùs, quàm Ecclesiastica Traditione, contemptor ipse traditionum, confutare potuit. Est autem certè Anabaptistarum factio multùm execrabilis, & plerique ex eo hominum genere, vt paulò antè dixi, non multùm differunt ab arreptitijs & fanaticis. Quidam Sangalli, quod est Heluetiorum oppidum, inspectante vtroque parente, fratri suo germano caput præcidit, dicens id sibi diuinitùs imperatum. Verùm sententia magistratûs eandem pœnam ipse quoquè luit. Sunt multi in eis vita & moribus sic satis compositis, quæ res permultis imponit, sed habent absurdos doctrinæ errores. Tam est versutus diabolus, vt etiàm libentèr sinat sibi addictos quandam extrinsecùs præ se ferre vitæ probitatem, modò fidem in illis corruperit. Scit enim, sinè fide impossibile esse placere Deo. Erat id temporis quidam Præmonstratensis apostata, qui palàm negabat esse infernum, Christum cùm dixisset, Eli, Eli, lamma sabacthani, desperâsse, & ideò damnatum esse affirmabat. Porrò alij quidam non verebantur dicere, Christum non Deum fuisse, sed prophetam, inter Christianos quoquè nullum esse magistratum, & multa alia impia & nefanda. Ità certatim ab inferis erumpebant dæmones, & per apta perditionis organa, Luterum & id genus apostatas monachos & sacerdotes, sub verbi Dei splendido titulo tèr execrandas vomebant blasphemias, quibus in dies innumeri perdebantur.

Michaëlis Sellarij supplicium.

Melanchton cōtra Anabaptistas.

Immane facinus.

Heb. 11.

Hoc ipso anno decreta fuit apud Bernates Heluetios disputatio Catholicorum cum Zuinglianis, id agentibus Zuinglio & aliquot apostatis monachis. Sed hæc disputatio plurimùm offensionis habuit: itaque nullus Catholicus Doctor, præter vnum Conradum Trigarium prouincialem Augustinianum, eò profectus est. Senatus enim Berneñ leges ei disputationi præscripserat, catholicis iniquas, sectarijs plausibiles. Quin & Imperator ipse interdixit per suos, nè Bernatenses eam permitterent apud se disputationem fieri. Quatuor item Episcopi, ad

Disputatio Bernensis.

pi, ad quorum diœcesin pertinent Heluetij, multùm dehortati sunt ab ea disputatione: copiosissimè autē Cantones octo Heluetiorum Catholici eam literis impedire conati sunt, qui inter cætera scripsêre Bernatibus, memores essent disputationis Badensis intra biennium habitæ, quam ipsi approbâssent, & iuramēto ac literis sigillo munitis confirmâssent. Sed Bernates in sua sententia permanserunt: eumque hæc disputatio finem habuit, quòd mox apud illos & aliquot vicinos, Missæ, aræ & statuæ abolitæ fuêre, & multa alia insolentèr & barbarè instituta, quæ tamen illi malè persuasi putant esse prorsùs Euangelica, dolentque se hactenùs in tenebris versatos: nec vident se interìm damnare omnes Maiores suos, qui certè non tam stupidi fuêre, vt nescirent se veram amplexos religionem, quam isti reijciunt. Finem autem hæc disputatio habuit 26. Ianuarij, anno 1528. Est memorabilis apud Tertullianum libro de præscriptionibus aduersus hæreticos sententia, quam hîc apponere non grauabor. Non proficit, inquit, congressio scripturarum cum hæreticis, nisì planè aut stomachi ineat quis euersionem, aut cerebri. Quid promouebis exercitatissime scripturarum, cùm si quid defenderis, negetur: ex diuerso, si quid negaueris, defendatur? Et tu quidem nihil perdes, nisì vocem in contentione: nihil consequéris, nisì bilem de blasphematione. Ille verò si quis est, cuius causa in congressum descēdis scripturarum, vt eum dubitantem confirmes, ad veritatem an magis ad hæreses deuerget? certè de pari altercatione incertior discedet, nesciens quam hæresim iudicet. Hæc ille.

ANNO 1528. Luterus cùm malè audiret ob sectas varias pasśim emergentes, tanquàm ab eo ceu fonte manarent, scripsit Germanicè in Anabaptistas. Inter alia in ipso libello repræhendit principes eo nomine, quòd supplicium sumerent de Anabaptistis, quasi verò etiàm iam olìm supplicia constituta non fuerint in rebaptizantes. Immò & Luterus ipse paulò antè scripserat, Zuinglianos à ciuili magistratu puniri oportere: Si Zuinglianos, cur non etiàm Anabaptistas? Sed & ipse Dux Saxoniæ in Anabaptistas seuerè animaduerterat. In hoc quoquè libello fatetur, in Papatu multa esse bona, immò omnia Christiana bona, atque indè ad ipsos profluxisse. Ait in Papatu esse veram scripturam sacram, verum baptismum, verum sacramentum altaris,

1528

Luterus laudat Papatū.

1528 veras claues ad peccata remittenda, verum verbi ministerium, verum Catechismum &c. Et tamen solebat iactare, apud Papistas Euangelium sub scamno delituisse, se illud indè produxisse in lucem. Tanta erat illius hominis dictorum factorumque inconstantia & varietas. Verùm cùm Dux Saxoniæ perciperet multa contra religionem effreni licentia etiàm in suis ditionibus geri, Visitationem instituit. Ea postmodùm tam imperiosè & sumptuosè acta est, vt nullæ retrò Episcoporum synodi vel Archidiaconorum communitati tam onerosæ fuisse viderentur. Eam visitationem Melanchthon scripsit Latinè, non planè Luthericè in nonnullis, quia plùs ibì pœnitentiæ & doctrinæ legis & timoris Dei tribuere visus est, quàm Luteri Euangelion patiebatur: Atque adeò libertatem arbitrij, quam in Locis communibus cum Lutero pernegauerat, asseruit. His verò & id genus, licèt cum ipsorum superiori doctrina pugnarēt, etiàm Luterus subscripsit in editione Germanica eius ipsius Visitationis. Ità illi præclari Theologi de summis rebus & affirmare & negare non dubitabant, prout ipsis fortè in buccam venisset. Quod quidem turpissimū fuit in viris Germanis, nisì quòd Germani iam suæ constantiæ obliti, à Maioribus suis non absque ingenti dedecore degenerabant.

Visitatio Saxonica sumptuosissima.

Hoc anno Dux Geldriæ Carolus multis suis oppidis amissis, tandèm vt se Carolo Cæsari déderet, adactus est, interìm nihilo minùs Tila munitissimo ad Vaalim oppido fortitèr defenso. Fuit ille Princeps in amicitia & fœdere Gallorum regis, & quia ditionibus Cæsaris vicinus erat, multa eis sæpè damna intulit, quemadmodùm anno superiori derepentè signis mutatis inuasit in Hagam Comitis, Hollandiæ insignem & opulentū vicum, vastatisque omnibus, opimam egit prædam. Alioquì certè in fide Catholica fuit longè constantissimus, & alijs quibusdam principe dignis animi dotibus egregiè ornatus. Hæreticos omnes grauitèr persecutus est.

Carolus Geldriæ Dux.

Eodem anno Traiectensis Episcopus omnem ditionem suam transtulit in ius Ducis Brabantiæ & Comitis Hollandiæ, qui tum fuit Carolus Imperator, accedente eò non solùm regionis totius, verùm etiàm Romani Pontificis consensu. Multis enim modis eam diœcesim vexabat Geldriæ Dux, & iam Traiecti ciues in Episcopum concitârat: nec his malis aliud inueniebatur remedium, quàm vt Burgundiæ Ducibus sese permitterent, quorum potētia tum Geldrus ipse, tum subditi Traiecten-

Traiectēses fiunt Burgundici.

iectenses frenari possent. Est verò opulenta ea regio, sed populus pronus in seditiones & tumultus fuit, priusquàm Burgundis sese dedidissent. Iam verò in multa pace degunt, nec illis iugum graue impositum est, vtì nec Geldriensibus, postquàm ij Carolo imperatori sese submiserunt. Porrò Iurisdictio spiritalis vel Ecclesiastica mansit Traiectensi Episcopo, & prætereà annui quidam reditus non contemnendi. 1528

Fames in Italia. Hoc anno fames ingens pressit Italiam, præsertìm Insubres & Venetos, ità vt multi ea peste interierint. Tiguri quoquè visi tres soles, famem prænunciare existimati sunt, quæ paulò pòst tanta illic extitit, vt etiàm ex Hungaria boues eò adduci oportuerit.

Horrendū facinus. Accidit eo anno quiddam planè tragicum Basileæ. Ciuis quidā honestus & diues Christophorus Bongartnerus vxorē suam de adulterio suspectam habuit. Eam suspicionē auxit, quòd in famuli sui suspecti indusio ligulas sericas inuenit, quas suas esse nouerat. Extorquet vi ab vxore, vt fateatur se cum famulo rem habuisse: id si faciat, promittit impunitatem: sin neget, præsentem minatur mortem. Illa fatetur quod non fecerat, sed mox fugit ad sororem in pagum. At tamen amicorū intercessione mulier conciliata marito, redijt ad ædes illius. Ea nocte fertur ad commune admissa cubile. Atquì verò altera die, quæ erat Dominica, ablegata famula & liberis ex priore coniuge susceptis, primùm grauidam vxorem confodit, indè filiam vix quadrimam. Mox Epistolam scripsit ad senatum, & tèr inuocato nomine Iesu, è summa ædium suarum parte se præcipitem dedit, fractis ceruicibus. Epistola illa continebat, quid & quo animo fecisset. Porrò de eo, licèt mortuo, graue est sumptum supplicium, & corpus eius fractis ossibus sublimi rotæ impositum. Poterat hoc exemplum deterrere ab adulterio, quod iam inter Euangelicos, vt quidam vir magni nominis scribit, cœperat esse iocus, sicut & multa alia infanda facinota,

Georgij Paccij fraus. Eodem anno quidā ex iuratis Christianissimi Principis Georgij Saxoniæ Ducis consiliarijs, Georgius Paccius, vir nobilis, facinus audax & temerarium designauit. Erat is Luteri studiosus, sed occultè. nam alioqui princeps ille hominem in sua aula non tulisset. Agebat tum apud principem optimum vices Cancellarij. Ea occasione secretum Principis sigillū nactus, formulam effinxit fœderis cuiusdam icti à certis Catholicis principibus contra Electorē Saxoniæ & Hassiæ Lantgrauiū, vt eos in

1528 Catholicos principes ad arma concitaret, vtì etiàm factum est. Formulæ illi commentitiæ appressit sigillum Georgij Ducis. Porrò legendam obtulit Lantgrauio, qui viso sigillo, putauit rem prorsùs veram esse, communicatoque cum Saxone consilio, grandem vterque conscripsit exercitum, cæteris interìm principibus mirantibus, quid ea militum conscriptio sibi vellet. Interìm Lantgrauius per literas hortatur Georgium principem, vt illi fœderi nuncium remittat. Princeps Georgius lectis literis & visa formula, cuius exemplum ad eum Lantgrauius miserat, obstupuit: moxque datis ad Lantgrauium literis, generosè & luculentèr illi sese purgat, inter alia grauitèr postulans sibi ostendi virum, qui eam rem ad ipsum detulisset, deploratum, infamem & periurum nebulonem eum appellans. Excusârunt sese etiàm alij Principes, qui hoc fœdere compræhensi ferebantur: sed tamen belli cladem à se auertere non potuerunt tres viciniores Episcopi, Moguntinus, Herbipolensis & Bambergensis, nisì numeratis centum millibus aureorum. Imparatis enim magnus imminebat exercitus, cui ditiones suas populandas & diuexandas obijcere noluerunt. Porrò Lantgrauius nè hanc fabulam ipse confinxisse videretur, indicauit authorem, certumque pręstituit diem, ad quem adessent Regis Ferdinandi, Electoris Brandeburgensis, & Ducis Georgij oratores, hominem accusaturi, si quid haberent aduersùs eum. Venerunt legati Principum, & multorũ criminum atque etiàm falsi reum eum peregerunt. Cùm enim sua decoxisset, multis vijs homine ingenuo planè indignis, pecuniam vndecunq; conflare solitus erat, atque hoc nomine diuersas effinxerat epistolas, quas Georgij principis annulo obsignârat. Lantgrauius nomine fœderis ad ipsum falsò delati quatuor millia aureorum illi dono dedit, vt ijs æs alienum dissolueret, quanquàm id maius esset, quàm quibus vel tot millia sufficerent. Tandèm cùm non posset obiecta ipsi à Principũ legatis crimina diluere, turpissima illi ignominiæ nota inusta est. Et vitam quidem clementia Lantgrauij Principis retinuit, sed nusquàm ferè tutò consistere valens, instàr Cain vixit vagus & profugus in terra, latitans in vrbibus maritimis. Ad extremùm, cùm plerunquè malefìcia meritas non euadant pœnas, Antuerpiæ compræhensus est anno 1536. & sequentis anni mense Februario, post longos carceris squalores & grauissima quęstionum tormenta, capite plexus, & in quatuor partes disse-

Formula efficti fœderis.

Episcopi numerant 100000 aureorũ.

Paccius Antuerpiæ dat pœnas.

dissectus est. Indè pax reddita Germaniæ, nequaquàm diuturna fuisset, Sueuici fœderis socijs Lantgrauium incusantibus, quòd confœderatis ipsorum iniuriam fecisset, nisi ea res Vuormatiæ opera Palatini Principis compositione transacta esset. 1528

Per idem ferè tempus Galliæ rex Neapolim ingenti exercitu ità obsedit, vt iam propemodùm ea vrbe potiturus videretur, licèt Germani & Hispani milites, qui in præsidio erant, incredibili alacritate Gallos, vt se dederent, identidèm non iniquis conditionibus hortantes, contemnerent. Eccè autem mense Iulio sæuissima lues totum corripit exercitum, ipso Lotrechio primario duce, & multis alijs egregijs viris extinctis, ità vt ex sexaginta millibus hominum, vt quidam literis annotârunt, ægrè quadringenti ad sua redierint incolumes. Ità præpotens Deus pro Carolo Cæsare mirabilitèr pugnare videbatur, sicut & sæpè aliâs, cùm potentissimorum hostium validissimis copijs non vno loco premeretur. *Galliæ rex obsidet Neapolim.* *Pestis vastat exercitum.*

In hac Neapolis obsidione mortuus etiàm est Vaudemontius, Antonij Lotharingiæ Ducis frater germanus, qui regi militabat spe obtinendi regni Neapolitani. Erat enim ex Andegauensium regum familia, qui sibi in eo regno ius vendicant. Pater eius Renatus Lotharingiæ Princeps Carolum Burgundiæ Ducem, commisso prælio ad Nansim, interfecerat. Cadauer Vaudemontij in D. Claræ cœnobio honestissimo templi loco humatum est Neapoli. Id enim templum Andegauenses reges Vaudemontij progenitores, pia liberalique magnificentia condiderant. *Andegauēs. regum familia.*

Hoc ferè tempore à rege Gallorum Francisco discessit Andreas Auria, vir summæ authoritatis, Caroli Cæsaris amicitiam complexus, magno quidem Cæsaris commodo, sed non minori Regis Francisci detrimento. Habebat Auria captiuos apud se duos præcipuos Cæsaris duces, Alphonsum Vastium & Ascaniū Columnam, quos nauali prælio ceperat Philippus Auria. Hos Rex Franciscus ad se mitti voluit, sed Andreas Auria recusauit. Tulit hoc ægerrimè Rex, & contumeliosè Auriam proscidit. Is igitur dimisso à se Vastio & Columna ad Antonium Læuam, facilè obtinuit, vt in Cæsaris amicitiam reciperetur. Itaque breui tempore Genuam Gallis eripuit, eamque pristinę libertati restituit. Atque hoc potissimùm nomine fertur à Rege se abalienâsse, quòd doleret ei patriæ (ea fuit Genua) erepta libertas. Videbat *Andreas Auria deficit à rege Frāciæ.* *Genua Gallis eripitur.*

1528 enim Gallos quædam moliri in eius vrbis non leue detrimentum. Tum quoquè non obscurè sentiebat Gallos secum hostilitèr agere, Barbessio Gallicarum triremium præfecto ipsi insidias tendente. Ità ergò remisso ad Regem torque conchyliato, qua cæremonia à militari sacramento se absoluit, & auratis lilijs, quæ erant Galliæ regis insignia, in extrema puppe perfractis atque decussis, Cæsaris gratiam & militiam tanquàm vberiorem certioremque amplexus est. Clemens Pontifex, & eius hortatu rex Franciscus multùm in eam curam incubuêre, vt eius animum delinirent, hominemque possessione maris potentem in officio & amicitia retinerent. sed id frustrà fuit. Oblatus est deindè ipsi Aurię à ciuibus omnibus Genuæ principatus, sed ille eum insigni continentiæ exemplo recusauit. Multa is vir præclara edidit facinora, præsertim in mari aduersùs Turcicos & Barbaros piratas, quos mirabilitèr persequutus est. Decreta est illi apud Genuenses restitutæ libertatis ergô statua Colosseæ magnitudinis è Lunensi marmore, cuius basi hæc inscripta erant: Andreæ Auriæ ciui opt. felicique vindici atque authori publicæ libertatis, Senatus populusque Genuensis posuit.

Auria recusat Genuæ principatum.

Zuinglianismus increscit.

Per hoc ferè tempus aliquot superioris Germaniæ locis, præsertim in Heluetijs & Argentinæ, multùm increuit dogma Sacramentarium & secta Zuingliana: & Missa, qua nihil est sanctius, ceu idololatria abrogata est, imagines è templis deturbatæ & flammis exustæ, Basileæ quidem ipso die Cinerum, quo solent Christiani se ad meliorem frugem recipere. Non tamen simul vno anno, sed per temporum interualla hæc sensim irrepsêre diuersis in locis, ità vt res omninò ad Mahometicam, vel potiùs Antichristianam vastitatē spectare videretur, cùm isti Sacramentarij interìm Romanum Pontificem non alio quàm Antichristi loco haberent: porrò apostatas monachos, publicè incestis nuptijs infames, haud secùs atquè Christi apostolos susciperent ac venerarentur. Erat ea irati numinis horrenda vindicta & seuera animaduersio in hominum peccata. Contra hos sacramentarios rursùs nouum Luterus scriptum edidit, benè prolixum, de cœna Christi confessionem suam. Ibì rursùs affirmat quædam quæ anteà negârat, negat quæ affirmauerat. Negat enim in cœna Domini manere vinum, quod in captiuitate Babylonica asserit. Non possunt hìc omnia particulatim commemorari, nè nimis prolixi

Confessio Luterico, tra Zuinglianos.

prolixi simus. Missam sanè hîc quoquè vel maximè se 1529
abominari dicit, licèt non esset nescius, toto terrarum orbe omnibus retrò seculis apud Christianos Missam celebratam esse. Extat Græcè & Latinè D. Iacobi Apostoli fratris Domini, itemque Basilij & Chrysostomi Missa, vt nihil de Latina Ecclesia dicamus.

Scripsit eodem anno Luterus alium librum contra concomitantiam, planè scurrilem atque dicacem, ex quo *134. calumniæ Luteri.* quidam Catholicus Doctor collegit 134. calumnias. Sed quantumcunquè ille absurdus esset & petulans in scriptis suis, tamen mirè placuit cæcis mortalibus.

Cùm autem eius de Cœna Domini cõfessio in manus Zuinglij & Oecolampadij venisset, prolixè illi responderunt. *Zuingliani contra Luterum.* Absit enim, vt vel tantillum discipuli magistro concedant, quandò non id agitur, vt veritas vincat, quæ tamen neque à Lutero, neque à Zuinglianis stetit, sed vt miseri homunciones alij præ alijs vicisse videantur. Neque Bucerus hîc se mutum præbuit, sed edito Sebaldi & Arbogasti dialogo, Lutero non planè edentulum se ostendit. Fuit certè & est hæc res inprimìs ridicula & scurrilis, quòd illi sublimes gigãtes, qui se iactabant in Germaniam, qua tot seculis caruisset, lucem Euangelij inuexisse, tam inter se pertinacitèr & odiosè digladiabantur. Facessat hîc omnis friuola excusatio. Non est *1. Cor. 14.* dissensionis Deus, inquit Apostolus, sed pacis. Quomodò possunt me isti docere quid verum sit, cùm se ipsi vicissim in rebus grauissimis mendacij insimulent? Et hæc *Pugnãtia dogmata Euangelicorum faciunt vt multi resipiscant.* quidem non paucos permouerunt, vt in hac mutua Luteranorum & Zuinglianorum dissensione rem accuratiùs expenderent, aduerterentque non posse eos veritatis esse præcones, qui pugnantia docerent, atque eam ob rem ad Catholicam Christi Ecclesiam se reciperent, contemptis stultissimis fanaticorum hominum (sic enim ipsi se inuicèm vocant) opinionibus, quæ identidèm in alias atque alias formas transformantur, sicut necessè est euenire illis, quæ cum mendacio coniuncta sunt. Varium est enim & inconstans mendacium.

ANNO 1529. deimprouisò pestifer morbus *Sudor Anglicus.* (sudorem Anglicum vocabãt. eadem enim lues Britanniam vastauerat Henrici VII. Angliæ regis anno 1. qui fuit à nato Seruatore 1486.) totam Germaniã peruasit, multis hominum millibus intra 24. horas extinctis antè, quàm certum medici remediũ inuenissent.

1529 Permulti verò, vbi virus illud exudâssent, seruati sunt. Ità præpotens Deus nouis in dies emergentibus hæresum & scelerum portentis, noua adhibebat flagella. Simul autem & annonæ caritas, & tumultus bellici Germaniam per id tempus premebant. Turcarum enim Imperator Solimannus cum ingentibus copijs Viennam fortissimè obsedit, sicut paulò pòst dicetur. Luterus epistolam scripserat ad Vuenceslaum Lincum apostatam Augustinianum, concionatorem Nurenbergensem, qua Georgium Saxoniæ principem pijssimum vehementèr suspectum reddidit de fœdere illo, quod Paccius quoquè ei falsò affinxerat. Eius epistolæ exemplar tandèm venit ad manus eiusdem principis. Ille verò nouis editis literis multò etiàm fortiùs, quàm anteà, sese hac suspicionē purgauit. Tanta iam erat Luteri potentia, vt etiàm Principibus confidentèr insultaret, & quidem impunè. At nunc rursùs furore percitus, Germanicum confecit libellum de priuatis & furto surreptis literis, in eoq; tam petulantèr & scurrilitèr illum laudatissimum Principem exagitauit, vt rei indignitate etiàm non pauci Luterani permouerentur. Sed interìm tamen mansit apud

Psal. 9. cæcos mortales sua Lutero authoritas, & laudabatur peccator in desiderijs animæ suæ. Certè si quisquam Catholicus ità scriberet in principes Luteranos, quemadmodùm ille importunus homo scripsit in Imperatorē quoquè & reges & principes, quas non turbas cierent dogmatistę Euangelici? Atque vtinàm Principes rem hanc paulò attentiùs consideràssent.

Comitia Spiræ. Hoc anno conuentus Imperij fuit Spiræ multis de causis, quòd & Turca auctus viribus, perdomita & sub iugum missa Hungaria, captaque Buda, terribilior Germaniæ immineret, & sectæ vsqueadeò capesserent augmenta, vt iam non Catholicis modò, sed ipsæ sibi inuicem essent formidabiles. Nam in Heluetijs & primarijs aliquot Germaniæ vrbibus iam Zuingliana factio Luteranam anteibat, & Anabaptistæ occultis machinationibus tum sectarijs istis, tum Catholicæ Ecclesiæ non parùm terrori erant. Porrò in hoc conuentu ità discessum est, vt Ferdinandus rex nō minimo dolore ex amissa Hungaria affectus, & anxiè metuens reliquis ditionibus suis, nulla potuerit à Protestantibus auxilia impetrare, nisi eos sineret sua retinere dogmata. Itaque publico decreto permissum est, vt in fidei & religionis negocio ità se gererent, vtì & Deo & Cæsari facti sui rationē possent

redde-

reddere, nihil tamen deincèps innouarent vsque ad concilium, &c. Enimuerò illi in hoc ipso conuentu protestati sunt, se summi Magistratûs decretis quibusdam non posse subscribere: itaque ad Cæsarem prouocârunt. Indè primùm ortum est Protestantium nomen, quod etiàm quædam liberæ Ciuitates amplexæ sunt. 1529 *Protestantes vndè dicti.*

Huius anni mense Februârio Basileæ ciues tumultuantur, & duodecim Senatores loco mouent: quin & sacras imagines, vt suprà attigimus, in templis omnibus demoliuntur, ceu idola quædam, ità persuasi à suis doctoribus, quasi eadem sit apud Christianos ratio imaginum, quæ fuit olìm apud Ethnicos idolorum. Missam quoquè prorsùs abolent, nihil deinceps habituri commercij cum incruento illo Ecclesiæ sacrificio. Ipso die Cinerum statuas vel imagines ligneas distribuerunt in homines tenuioris fortunæ, vt illis barbaro inprimis exemplo ad focum abuterentur. Sed illi tanta contentione eas sibi singulatim vendicare conabantur, vt ad pugnas quoquè ventum sit. Ea re factum est, vt in nouem congestæ strues, ante summam ædem flammis omnes permitterentur. His rebus gestis, lætum illi diem egérunt, tam egregio patrato facinore. Alijs quoquè locis sæuitum est in imagines vel statuas, Missæque sacrosanctum sacrificium: & erat hoc præclarum Euangelij recèns orti studium, vt nihil intentatum relinqueretur à sui studiosis, quod amplissima Antichristo itinera præpararet. *Tumultus Basileæ.* *Imagines comburuntur.*

Anno superiori multùm tum Cæsar ipse per Episcopum Hildesheimensem, tum episcopus Argentoratēn & plerique alij egerant apud Argentinenses, vt nihil in religione mutarent, aut certè expectarent Concilij sententiam: at illi quóquè improborum hominum pestiferis persuasionibus circunuenti, ad res nouandas animum adiecerunt. Atque ità alij post alios pasśim in Germania, nobilissima quondàm prouincia, in olim damnatos nimiumque crassos errores prolapsi, cæteris nationibus se affatìm irridendos propinârunt. Certè ipse quoquè Turcarum Princeps Solimannus Luteranos detestatus fertur, proptereà quòd essent proni in seditiones concitandas. Interìm verò qui à Catholica Ecclesia deficiebant, valdè sibi gratulabantur, quòd tyrannicum Romani Pontificis iugum excussissent, & iam tandèm veram Euangelij lucem inuenissent. Romanos enim Pontifices non alio quàm Tyrannorum loco ha- *Solimannus detestatur Luteranos.*

 bent,

1529 bent, & doctrinam Catholicæ Ecclesiæ vocant Papisticam ac meras tenebras. Porrò interìm illos duces sequuntur, qui odiosissimè à se inuicèm in rebus grauissimis dissentiunt, & miseros plusquàm Cimmerijs tenebris inuoluunt: quod tum demùm ipsi nimiùm malè experientur, cùm erit migrandum è corpore.

Apud Heluetios tanta contentione exarsit de religione controuersia, vt iam ad arma descenderetur. Tigurini & Bernates suis fisi viribus, catholicis quibusdam cantonibus vel pagis iam vim inferre nitebantur: sed per sequestros res composita est ad tempus non diuturnum. Eius pacis conditiones catholicis parùm æquæ visæ sunt: discessum est tamen ad tempus ab armis.

Conuẽtus Euangelicorũ Marpurgi.

Princeps Hassiæ Philippus dolens inter Luterum & Zuinglium tam atrox extare dissidium, volens eos in concordiam redigere, Marpurgum vtriusque factionis homines euocauit. Venerant illi quidem, & nè nihil egisse viderentur, certa quædam capita vel articulos, in quibus contra Catholicam Ecclesiam inter se conspirârant, ediderunt. Porrò in primario Eucharistiæ articulo vetus dissensio mansit. ità illi re infecta discesserunt. Princeps Lantgrauius & quidam docti viri modis omnibus efficere conabantur, vt quanuis in negocio cœnæ conuenire non possent, tamen alij alios fratrum loco haberent. Sed id Luterus facere noluit. Porrò verò sunt, qui scribant & putent in hoc vno articulo dissidere Zuinglianos à Luteranis: sed hoc falsissimum est, cùm etiàm in alijs non paucis inter se hostilitèr dissentiant: immò verò paulatìm eò res redijt, vt nec Zuingliani cum Zuinglianis, nec Luterani cum Luteranis consentiant, sed alij alios palàm euulgatis libris odiosissimè & impotentissimè proscindant.

Liber de Actis Synodi Constantiensis.

Editus hac tempestate est liber quidam de Actis Concilij Constantiensis erga Iohannem Hussum, incerto quidem authore, sed opera Iohannis Islebij, socij & amici Luteri. In præfatione Islebius Hussum vocat probum Dei amicum, Concilium Constantiense synagogam Antichristi. Sed nos Hussum damnatum hæreticum multò rectiùs dicimus cum ea synodo, quàm cum Islebio virum bonum. Interìm tamen liber ille nihil facit admodùm pro Luteranis, quòd disertis verbis affirmet Hussum Constantiæ etiàm circa ipsum supplicij

cij

cij sui locum publicè negâsse articulos illos, quos Lutetani vel maximè asserunt ac tuentur. 1529

Sub hoc quoquè tempus cùm Turca in Germaniam aduentare diceretur, Luterus scriptum edidit, *De bello contra Turcas*. Sed eo ipso multò plùs deterret principes à bello Turcico, quàm ad id extimulet. Verisimile est, optâsse hominem odio Papæ deflagrantem, vt Turca occupata Germania, mox etiam Italiā pulso Pontifice occuparet. Verùm id Deus adhuc pro sua bonitate auertit. In eodem scripto valdè acerbè & contumeliosè inuehitur in Pontificem, Episcopos, Imperatorem, Reges, Principes, præcipuè verò curiam Romanam. Inter alia multa, Cæsar, inquit, non est caput Christianæ Reipub. neque defensor Euangelij aut fidei. Oportet sanè Ecclesiam & fidem alium habere defensorem, quàm sint Imperator & reges. Hi nanque ferè pessimi sunt hostes Christianismi & fidei, sicut Psalmus 2. ait, & Ecclesia omni ex patte conqueritur. Sic ille bonus vir tractabat sanctissimum Imperatorem & summos magistratus. Nihil enim metuebat sibi, in tuto loco hærens sub Saxoniæ Principe. Eam verò maledicendi licentiam non ex Euangelio, sed spiritu Antichristi hauserat. Quàm autem hoc quoquè prodigiosæ fuit inconstantiæ, quòd hoc quidem libro dehortatur à bello Turcico, dicens id esse contra doctrinam Christi, quæ dicit Christianos non debere malo resistere, &c. cùm non longè antè in Visitatione Saxonica scripsisset, eiusmodi orationem seditiosam esse atque intolerabilem, ex Pauloque probâsset, Magistratus nostros gladio & bello Turcas arcere debere, nec Christum vetâsse vsquàm immanitatē Tyrannidemque Turcicam repellere? Omni certè lachrymarum fonte plangendi sunt, qui tam varium & ipso quoquè Proteo mutabiliorem hominem, in grauissimo religionis negocio sequi non dubitârunt. Hac de re dici multa possunt, sed nunquàm satis multa.

Liber de bello Turcico.

Inconstantia Luteri.

Huius anni mense Septembri cum infinitis copijs Turcarum tyrannus venit in Germaniam, & Austriæ primarium oppidum Viennam grauissima pressit obsidione. Id bellum eiusmodi habuit originem: Rex Ferdinandus Caroli Cæsaris frater, Iohannem Vaiuodam regno Hungariæ exuerat. Is verò in eam redactus calamitatem, in Sarmatiam ad Hieronymum Laschum virum ab illustri nobilitate & eximia eruditione clarissimum confugit. Laschus tanto lætus hospite, omnem illi humani-

Turca obsidet Viennam.

1529 manitatem impendit, dissimulante Sigismundo rege, quòd Vaiuodæ germanam sororem in matrimonio habuisset. Intereà Laschus, vt erat solerti & excellenti ingenio, miraque ad res gerendas dexteritate, Vaiuodę id tandèm consilij dedit, vt Solimanno se clientem, fore profiteretur, si eius beneficio in regnum esset restitutus. Id verò consilium licèt inprimis speciosum videretur, & Vaiuodæ rebus accommodum, si huius vitæ prosperitatem spectes : erat tamen Christianæ Reip. admodùm perniciosum, vt rei euentus posteà luculentèr edocuit.

Laschus adit Solimannum. Cæterùm Laschus hortatu Vaiuodæ legationem suscepit ad Turcarum Imperatorem Solimannum : atque vbi venit Byzantium, oblatis muneribus facilè in purpuratorum gratiam & familiaritatem se insinuauit. Eorum verò opera id consecutus est apud Solimannum, vt is prolixè polliceretur, sibi eam rem curæ fore, breuique se in Hungariam aduolaturum. Misit deindè suum quoquè legatum Byzantium Ferdinandus rex, sed is demùm licèt à Solimanno humanitèr esset receptus, & à purpuratis, quos Bassas vocant, patientissimè auditus, non nisi superbum & insolens tulit responsum, & pro inducijs atque amicitia omnem belli cladem iussus est Ferdinando denunciare, & quamprimùm Byzantio excedere.

Per id tempus Ferdinandus Spiræ erat, hocque accepto nuncio, non immeritò perculsus est, quòd sciret Tyrannum à sententia haud facilè discessurum, & Carolus frater eius bellis Italicis distineretur. Itaque Solimannus copias omnes ad signa vocari imperat, quibus coactis, Hadrianopoli profectus, Belgradum quintisdecimis castris peruenit : indè rectà Budam petijt. Ei obuiàm processit Vaiuoda, Hungarorum procerum septus comitatu, quibus & Laschus aderat. Acceptus est comitèr à Solimanno, qui illi se recepit liberalitèr concessurum, *Solimannus venit Budam.* quæcunque eo bello vi & armis parâsset. Vbì Budam venit, propè vacuam inuenit, ciuibus metu in proximas vrbes dilapsis. Arx Germanico tenebatur præsidio, sed eam cuniculis euertere nitebatur : quæ res terruit Germanos, vt etiàm inuito arcis custode, cum hoste saluis rebus paciscerentur. *Barbara ferocitas.* Assensit Solimannus : verùm abeuntes cum sarcinis suis, contra fidem datam sæuus tyrannus Ianizaris ad vnum trucidandos obiecit, arcis aũt custodem humanitèr dimisit. *Excursiones Turcarum.* Capta Buda, Viennam iter habuit, dimissis quibusdam è suis, qui prędas agerẽt ex Christianis, qui

qui omnis generis hominum ingenti intercepta multi- 1529
tudine, ad Lincium vſque luctuoſas fecêre excurſiones, paſsim ſumma crudelitate flammis omnia vaſtantes. Erant iam Viennæ equitum & peditum plùs minùs viginti millia, & cum ijs aliquot præclari duces, inter quos præcipuam obtinebat authoritatem Philippus comes Palatinus. Vbì ad vrbem ventum eſt, Turcæ ampliſſima ſuis caſtris occupauêre loca, quæ vel ſolo adſpectu eſſent horrori. Et ſedulò illi cuniculis ſibi in vrbem aditum facere inſtituerunt. Porrò aliquot iam locis patefactis, audaciſſimè identidèm in vrbem irruentes, tanta vi Germanorum repulſi ſunt, vt in toto hoc bello è Turcis ad octoginta millia perijſſe ferantur, tandemque cum dedecore & ignominia coactus ſit Solimannus obſidionem ſoluere, & in Thraciam re infecta abire. Non dubium eſt, quin omnipotens Deus ſingulari benignitate eam victoriam contulerit Germanis, quorum certè vires tanto hoſti longè alioquì impares erant. Sub Turcarum aduentum iuſſi erant vrbe excedere fœminæ, pueri, ſacerdotes, monachi, & omnis imbellis turba. At, quod ſummè dolendum eſt, ij magna ex parte in immanes barbaros inciderunt, qui infantes ſecuerunt medios, fœminas & ſenes, quos in ſeruitutem nollent abducere, partìm palis infixerunt, verubus transfoderunt, gladijs diſciderunt. Feruntur in ea Turcicæ vaſtitatis procella ſupra 60000. Germanorum in ſeruitutem rapta. Porrò totus Viennenſium ager, ſucciſis vitibus & frugiferis arboribus, triſte intuentibus ſpectaculum præbebat. Solimannus vbì Budam redijt, Iohannem Vaiuodam regem conſtituit, amicumque & beneficiarium appellauit. Sed ſic recuperâſſe, regnum, miſerum profectò eſt, & à Chriſtiana pietate alienum. Quanquàm (ô cæca mortalium pectora) quid non faciunt plerique homines, vt vel ad breue tempus poſſint eſſe beati in hac vita, ijdem ipſi omnis laboris impatientes, ſi quid agendum ſit pro æterna vita.

Turca turpitèr abſcedit.

Crudelitas Turcarum.

Hoc anno Carolus Cæſar ex Hiſpanijs venit in Italiam. Sunt qui ſcribant illi iter molienti, Hiſpanos proceres longè plures & pecunias & milites obtuliſſe, quòd illum impensè charum haberent, quàm quis alius minis extorquere potuiſſet. Viri enim mille quingenti ſponte ſua Maieſtati eius liberalitèr obtulerunt, ſinguli millenos ducatos aureos in annos quatuor, abſque vllo ſuo commodo vel lucro. Plerique Principes equitum & pedi-

Hiſpanorum erga Carolum V. beneuolentia.

1529 peditum copias non spernendas pollicebantur, quas integro anno suis ipsorum sumptibus alerent.

Antè verò, quàm Cæsar ex Hispanijs solueret, Franciscus Gallorum rex, amisso copiosissimo apud Neapolim exercitu, amisso Andrea Auria viro incomparabili, animum ad pacis consilia adiecit. Filij eius adhuc obsides hærebant in Hispania: eorum liberandorum summo tenebatur desiderio. Itaque pax Cameraci confecta est, quò conuenerant præter cæteros Margarita Cæsaris amita, & Aloysia Francisci regis mater. Conditiones initæ pacis huc adscribere nihil attinet. Rex quidem pro filijs numerauit Cæsari viciès centena millia aureorum. Hæc est fortaßis illa ingens præda, quam se Cæsar amissurum cernebat, vt illi Sleidanus affingit, si Francisco regi in Hispanijs captiuo aliquid humani accidisset: atque propter eam Cæsarem ait magis ac magis in dies animum ad pacem adiecisse. Quod Cæsar clementissimus pro innata ipsi humanitate erga regem Franciscum, tunc ex animi dolore morbo correptum, fecit, hoc Sleidanus videtur tribuere auaritiæ, scilicèt optimus & candidissimus historicus. Quid verò de eius historia princeps ille senserit, alibi dicetur. Vbi autem Cæsar in Italiam venit, magna omnium gratulatione exceptus est, suoque aduentu ruenti Italiæ pacem attulit, præterquàm Florentinis, qui immodicis animis pro libertate, vt aiebant, tuenda & Pontificis & Cæsaris in se arma concitârunt.

Pax inter Carolum V. & Franciscum regem.

Annus hic Germaniæ fuit multas ob causas admodùm grauis & calamitosus. Irruebant sæuissimi Turcæ, grassabantur hæresum & nouorum dogmatum portenta, morbus Anglicus innumeros tollebat è medio, & insupèr tanta erat annonæ caritas, quantam nemo mortalium meminisset. In inferiori autem Germania Flandris, Hollandis, Selandis repentina Oceani insanientis inundatio damna paßim dedit longè grauissima, aliquot locis planè submersis.

Annus Germaniæ calamitosus.

Fuit hoc anno Suabachi conuentus eorum, qui se Euangelicos dicebant: sed cùm inter se conuenire non possent de cœna Domini, (sic enim vocabant sacrosanctum Eucharistiæ sacramentum) alius conuentus Smalcaldiæ indictus est. Ità hoc præclarum Euangelium in re præcipui momenti, neque tunc neque posteà vnquàm idem statuere potuit: eaque discordia magis ac magis semper aucta est, quemadmodùm illis euenire necesse est,

Conuentus Suabachi.

est, qui à veritatis constantissima luce ad incertas, va- 1529
rias & lubricas humani ingenij opiniones sese transfe-
runt. Et tamen non desunt qui scribant, amicè eos dis-
cessisse Marpurgo, quò eos Lantgrauius euocauerat,
cùm tamen (vt suprà diximus) Luterus Zuinglianos
fratrum loco, licèt plurimùm hortante Lantgrauio,
habere noluerit, hodieque non cessent scriptis atrocis-
simis sese inuicem lacerare, & Marpurgi à Zuinglio 300.
argumenta Lutero fuisse obiecta, ipsi Zuingliani affir-
marint.

Hoc etiàm anno Clemens Pontifex aduentanti è Genua Cæsari, & Placentiam contendenti, tres legatos obuiàm misit, qui à pontificiæ ditionis fines intrante solitum iusiurandum acciperent, nunquàm ipsum Pontificis libertatem violaturum. Iurauit Cæsar verbis ritè conceptis, sed ità tamen, vt se de suo iure nihil discessurum testaretur: quod putant quidam ea ratione eum fecisse, quòd Placentiam & Parmam Mediolanensi imperio antiquitùs attributas repeteret, quandoquidem Mediolanense dominium Imperatorum sempèr beneficiarium fuisset.

Iurat Cæsar.

Porrò Cæsar vbi Solimannum turpitèr in fugam coniectum comperit, ingenti perfusus lætitia, cùm iam circitèr duos me[illegible]s Placentiæ Parmæque exegisset, rectà Bononiam contendit, quò iam paulò ante Calendas Nouembres Clemens Pontifex peruenerat. Ibì quid tum gestum sit, ex Paulo Iouio scriptore Italico bona fide commemorabimus. Excipitur, inquit, Cæsar Bononiæ triumphali pompa, summis honoribus, incredibili omnium lætitia, ipse paludatus & militaribus armis, vna dempta galea, vndiquè protectus, albo insigni equo, regio sumptu phalerato, à Mutinensi porta in forum prouehitur. Præcesserant quaterna vexilla cùm leuis tum grauis armaturæ Belgarum equitum, sagulis, cristis, & colorum varietate ità inter se distinctis turmis, vt quorum ducum essent, ab ipso insignium & vestitûs argumento facilè noscerentur. Successit indè peditatus totiès victor, non tam opimis hostium spolijs exornatus, quàm armorum fulgore ac adspectûs feritate terribilis, ad trucem tympanorum sonitum & graues tibiarum modulos gradu superbè composito sub signis introductus. Quadratam vmbellam auro purpuraque distinctam gymnasiarchæ & celeberrimi bonarum artium professores in togis

Carolus V. venit Bononiã.
Põpa excepti Cæsaris.

1529 togis fericis præferebant. Latus Cæfaris à decora Bononienfi iuuentute non cuftodiæ, fed honoris caufa cingebatur. Prætor Vrbanus & decuriones cum vexillifero, & è Quadragintauirali magiftratu primoribusque patritijs fplendidiffimè fuccedebant. Conftitit in medio foro Antonius Læua æger pedibus, fed viuacibus oculis pugnaciffimi ducis habitum præ fe ferens, ac vt magis ob recentem bellicæ conftantiæ & rerum geftarum gloriam omnium oculis offerretur, in fublimi fella geftatus, hinc veterana Germanorum legione, illinc Hifpanorum cohortibus ità prædenfa acie directis aut obuerfis, & tormentis in fronte collocatis, vt exercitus concurfurus effe videretur. Erant iuxta Cæfarem illuftres reguli, auro in lacinijs vel folido bracteato, vel acu pingente inducto, vel ad luxuriem concifo, itemque exquifitis armorum & equorum ornamentis maximè fuperbi. Secundùm eos prælata eft Romana Aquila, aureo in vexillo picta, ac item candidum aliud vexillum purpurea cruce diftinctum, fub quibus totius aulæ familia ex flore gentium omnium delecta, & nobiliffimi Hifpaniæ facrati religione equites Cæfaris veftigia fequebantur. Prætorianus miles cuftodiæ corporis affuetus, diuerfis fub fignis Hifpanus, Belga, Germanus, in croceis fagis agmen extremum c[illegible]ufit, & quicquid in foro fpatij reliquum fuerat, occupauit. Erat erectus in Petroniani templi veftibulo peramplus ligneus fuggeftus, periftromatis & aulæis ad loci dignitatem vndiquè protectus, in quo Cardinales & epifcopi cæterique minores facerdotes purpurati fuo quifque ordine confederant. In medio autem præalta in fede mitratus Pontifex Cæfarem expectabat. Ille itaque nobilioribus tantùm regulis principumque legatis fibi adfcitis, equo defcendit : fubeuntem per gradus Cardinales duo deduxêre. Tum verò vt prodijt, omnium oculi in duos longè maximos terrarum orbis dominos funt coniecti. Explorabat enim quifque valdè fufpenfus & tacitus, propter memoriam veteris diffenfionis & recentis amicitiæ, an ora ipfa, interiores fenfus nunquàm ex toto fallentia, fubitis illis affectionum & nutantis animæ momentis obedirent. Erat vultus Cæfaris in geftu militari & graui, blanda quadam lenitate verecundiaque perfufus. Clementis verò facies ità fubitò ad eius occurfum exhilarata eft, vt vel ob id maximè lætari crederes, quòd illum multò humaniorem & auguftiorem, quàm

Exercitus pedeftris.

Vexillum Aquilæ. Crucis.

Cæfaris vultus. Clementis.

quàm putârat, esse conspiceret. Varia siquidem ab Hispanijs, & falsa quidem, de Cæsare plerique malignè retulerant, & multi etiàm vltrò trepidis animis, propter acceptas tot inusitatas clades, sibi illum fingebant vtì alterum Ariouistum, aut Rotomalcem, aliquo scilicet vultu Cimbrico & feritate Gothica metuendum, ac ipsius deniquè militibus ferocia & spiritûs immanitate persimilem, qui deuictis & stratis tot hostium exercitibus, tot vrbibus direptis, euastatisque prouincijs, diuina ac humana omnia dira confusione miscuissent. Sed iam fuerat exceptus Genuæ, Placentiæ cognitus, Parmæ demùm, Rhegij, & Mutinæ cum summa omnis generis hominum gratulatione salutatus, vtpotè qui passìm humanitatis, abstinentiæ, pietatis atque iustitiæ monumenta absque vllo vel superbiæ, vel crudelitatis, vel libidinis vestigio reliquisset. Enimuerò, quo nihil est in rege popularius & gratius, aditum cunctis atque aures summa benignitate & singulari patientia præbuerat, dederatque obitèr responsa spei æquitatisque plenissima, quæ propositis postulatorum capitibus singulatìm rectissimè responderent. Illam verò militum licentiam, diuturna impunitate confirmatam, ijs, qui vel oblata rapuerant, vel ante diem arrogantèr stipendia flagitârant, supplicio protinùs affectis, ità represserat, vt illo, quod teneret, longè maximo omnium imperio dignissimus haberetur. Sed nec eum, quanquàm ætate & fortuna florentem, vllæ vnquàm vel licitæ voluptates à perpetuis rerum maximarum consultationibus auocabant, ità vt in eo simul iuuentæ decor eximius ad Martiam laudem emineret, & consilia senili maturitate proprijs, non alienis, cogitationibus exquisita, elaborata, directaque manerent. Nunquàm enim præclarum, nobile & firmum eius ingenium vel irarum impetus perturbârat, vel cæca vindictæ libido pupugerat, vel vlla humana mollities, quin recta sentiret, expugnârat. Erat eius vultus, vt hoc quoquè curiosi minimè desiderent, & argenteo & grato quodam pallore dilucidus, oculi cærulei, suaues, nulla acri seueritate formidabiles, & ij quidem ad ingenuum pudorem virilemque modestiam instituti. Nasus à medio clementèr assurgebat, quod magnitudinis animi signum in Persarum etiàm regibus ab antiquis fuit obseruatum. Mentum erat ad exiguam venustioris iniuriam paulò prominentius, & quod grauitatis speciem addebat, subcripsa & flauenti

1529

Caroli V. affabilitas.

Eximia laus Caroli V.

Vultus Caroli V.

Oculi.

Nasus.

Mentum.

1529 barba conuestitum. Capillum verò fulgore pallentis auri more Romanorum Cæsarum circuntonsum ostendebat. Porrò statura corporis, vt in ipso ætatis integræ flore, & prosperrima valetudine, non ab inerti succo, sed à valido neruorum nexu longè firmissima, peramplæ item robustæque manus ad stringendum ferrum idoneæ: crura autem venustissimè extantibus toris trunci proportione directa, quod tum maximè apparebat, cùm equo veheretur. Tanta enim ei inerat cum dignitate equitandi peritia, vt nullus eo armato atque equum incitante & in gyrum reflectente vel pulchrior, vel viuidior, vel in ferendo armorum pondere patientior eques reperiri posse videretur. Cæterùm ad Pontificis pedes flexo genu prouolutus, ac mox dextra læti arridentisque Pontificis erectus ad osculum, Hispanica oratione, Véni, inquit, sanctissime Pater ad pedes tuos, quod summo voto sempèr expetiui, vt fessis Christianæ Reipublicæ rebus communi consilio succurramus. Oro Deum Opt. Max. qui me huius voti compotem fecit, vt nostris consilijs adsit, atque hic aduentus meus Christianis omnibus sit salutaris. Tum Pontifex, Certè hoc ipso congressu, inquit, sicut Deus immortalis & sancti cælites certissimi sunt testes, mihi nihil vnquàm fuit antiquius, & iam superis gratias ago, quòd te videam prosperè atque felicitèr mari terraque perductum, resque eò deductas intuear, vt te authote de concordia omnium & solenni pace minimè desperemus. Obtulit subindè Cæsar auri signati circitèr libras decem, deductusque est summa comitate à Pontifice ad templi limen: atque ità digressi, Cæsar ad aram maximam supplicaturus superis contendit, Pontifex verò in Prætorium, cum vniuerso sacerdotum ordine, continuò est reuersus. Nec multò pòst Cæsar & ipse Prætorium intrauit, cui paratæ erant summæ ædium partes, ità coniunctæ Pontificijs, vt intet vtriusque cubilia solus interesset paries, aditum præbente portula, vt cùm vellent, ignaris omnibus remotisque arbitris, interdiù noctuque de summis rerum negocijs familiarissimè disputarent. Eo modo sæpè arcana sensuum mutua & syncera animi liberalitate detegendo, ac odiorum origines ad fatalem vim & consiliariorum & ducum insaniam referendo, facilè Dijs benè iuuantibus viam inuenêre, qua pax egregiè componi, & tot malis & funestis incommodis optatus finis imponi posse videretur. Deindè pau-

Capillus. *Statura.* *Manus.* *Crura.* *Equitandi peritia.* *Alloquitur Pontificem.* *Pontifex respondet.* *Colloquia secreta Clementis & Caroli V.*

dè paucis interiectis de Veneti legati apud Pontificem & Cæsarem oratione, ipsiusque Pontificis pro Francisco Sforcia apud Cæsarem deprecatione, ità subiungit Iouius: Sed tanta erat altitudo iudicij Cæsaris, tanta moderatissimi eius animi religio, & tantum deniquè pacis & concordiæ studium, vt nihil regali fastigio dignius atque præstantius existimaret, quàm omnia consilia ad verum decus, ad solidam pietatem, & animi magnitudinem reuocare, vt arma in Turcas, adeò inter nos impiè fœdeque tractata, verterentur: quippe qui non adumbratam, sed veram & viuidam, non fortunæ adminiculis quæsitam, sed à fonte ipso propriæ virtutis profluentem gloriam sectaretur. Itaque Solimanno Turcarum Imperatore iam à Viennæ Noricæ mœnibus cum strage ignominiaque depulso, atque eo Byzantium præcipiti fuga properante, cùm nihil iam hostile indè amplius esset timendum, pacare cuncta constituit. Euocatur extemplò Bononiam Franciscus Sforcia, procumbit ad eius pedes, redditoque diplomate, quo illum data fide vbiquè terrarum Cæsar saluum & tutum esse iubebat, salutem, imperium & spes deniquè omnes vni Cæsaris probitati fideique committit: quoniam innocentia fretus, omnia se ex illius æquitate humanitateque sperare prædicabat. Tum verò stupentibus cunctis videre licuit, quantò Cæsar esset omni sua fortuna maior & excelsior. Certârat pro Imperio Mediolanensi, desertus à socijs, ab omnibus oppugnatus, in qua contentione omnes omnium vires ingentibus partis victorijs præclarè contuderat, & cùm aliquandò nutante partium fortuna, in dubia spe victoriæ versaretur, honestas pacis conditiones sempèr elato constantique iudicio repudiârat, nè quod virtute atque vna animi magnitudine erat facturus, veluti ignobili metu subactus & præsenti impulsus necessitate fecisse videretur. Habet enim hoc in se regius eius animus, velut excellenti & perfecta virtute præditus, vt nunquàm vel acritèr vrgēte fortuna abiectè se demittat, vel ea penitùs arridente intemperantèr extollat. Ergò vbiquè victor & triumphator supplicem in gratiam recipit, Mediolanensium Ducem appellat, & tabulis Augustalibus ritè confectis, totum ei paternum regnum adiudicat, neque amplioris pecuniæ tributum imponit, quàm ab initio & ante dissensionem imponendum esse censuisset. Nec multò pòst Calendis Ianuarijs, solenni adiecta precatione, sacra peraguntur, ab incredi-

1529

Francisco Sforcia restituitur principatus Mediolanensis.

Eximium Caroli V. præconiũ.

 credi-

1529 credibili hominum frequentia exoptatum afflictis Italiæ populis insperatæ pacis nomen excipitur. Præsentes Clemens Pontifex & Carolus Cæsar, orantis Romuli Amasæi viri eloquentissimi voce, Christiani nominis conseruatores, ac optimi maximi Italiæ parentes appellantur. Obortas præ gaudio lachrymas vix continent viri togati, optimi ciues, sanctissimi sacerdotes, legati regum omnium, Galliæ scilicet, Britanniæ, Lusitaniæ, Scotiæ, Pannoniæ, Sarmatiæ, Daciæ, Veneti Senatûs, ac item Allobrogis, Ferrariensis, Mantuani, Vrbinatisque regulorum, ac liberarum etiàm ciuitatum, Genuensium, Senensium & Lucensium, cunctique demùm proceres & principes, ipseque ante alios Franciscus Sforcia, honoris causa sessum inter postremos Cardinales receptus. Ea enim dies tranquillitati initium & ærumnis finem allatura videbatur. Intereà Cæsaris vxor Isabela puerum peperit, cui propter aui materni memoriam Ferdinandi nomen impositum est.

Nascitur Cæsari filius Ferdinandus.

Hæc quidem Iouius, quæ vti & alia pleraque libentèr adscripsimus ob memoriam sempiternam optimi & potentissimi Cæsaris Caroli V. qui de Ecclesia Catholica optimè meritus est, licèt ille ab ingratis non eam semper retulerit gratiam, quam æquum fuisset. Longè verò maiora ille proculdubiò præstitisset, præsertìm erga immanes Turcas, Christiani nominis atrocissimos hostes, & pseudochristianos hæreticos, nisi eius studia & consilia cum summo Christianæ Reipub. detrimento alij repressissent.

Porrò verò cùm hunc in modum per Italiam singulari quodam Numinis fauore compositæ res essent, licèt Florentini plùs æquo etiamnùm insolescerent, in Germania indiès res in deterius abijt. Iam enim qui se Euangelicos Protestantes vocabant, rursùm alium conuentum indixerant Smalcaldiam, eoque cùm ventum esset, tametsi omnes cuperent vires suas icto fœdere coniungere, & se aduersùs Pontificiorum, id est, Catholicorum potentiam communire, nihil tamen confici potuit, quòd & Luterani nollent eos recipere, qui dogmata Luteri omnia complecti non vellent, & Zuingliani vt id facerent, adduci nulla ratione possent. Putabant enim pro sua parte potiùs stare verbum Dei & puram Euangelij doctrinam, quàm pro Luteranis. Lantgrauius verò medium se inter vtrosque gerens, volebat eos redigere in con-

Cõuentus Protestantiũ Smalcaldiæ.

concordiam, sed eius conatus omnes irriti fuêre. Cùm enim iam vtraque pars ab Catholica Christi Ecclesia se separâsset, non poterant habere spiritum illum concordiæ & pacis. qui non est extra Ecclesiam Dei toto orbe diffusam. Interim Zuingliani nolebant à sua discedere sententia, nec minùs ipsi reijciebant Luteri iudicium & authoritatem, quæ erat maxima apud Luteranos, quàm Luterus Romani pontificis. Quid ergò mirum, si Luterus ab Ecclesia Romana sub verbi Dei & Euangelij prætextu procacitèr discessit, quandò ab ipso Lutero, quem iam plerique ceu deum suspiciebant, sub eodem prætextu intra paucissimos annos ipsius discipuli pertinacissimè desciuerunt? Non enim minùs nititur verbo Dei, licèt perperàm intellecto, Zuinglius cum sua cohorte, quàm Luterus cum suis. Et tamen necessè est vel Luterum errare, vel Zuinglium. Non ergò satìs est scripturas allegare, quibus plerique omnes hæretici sua sempèr, quantumuìs absurda, paradoxa firmare conati sunt, sed oportet legitimam scripturarum vim & intelligentiam adhibere, quæ non est apud hæreticos, sed in sola Ecclesia Catholica, cuius & doctor & rector est Spiritussanctus: id quod non sinè causa identidèm inculcamus. Sleidanus hoc anno mentionem facit libelli ab Erasmo Roterodamo editi contra quosdam, qui sese falsò iactant Euangelicos. Mordet ea res Sleidanum, & vult ipse quidem morsum intentare Erasmo, sed tamen cōtinet se, non sinè causa. Ait verò Erasmum, Basilea relicta propter mutatam religionem, & vitandæ suspicionis causa, Friburgum sese recepisse, porrò in libello iam dicto totum ordinem, putà Euangelicorum, perstrinxisse. Habet enim in eo libello Erasmus inter alia multa, vt refert Sleidanus, nullum se nouisse ex illis, nempè euangelicis, qui non seipso videatur esse factus deterior. Tantillum ex eo toto libello Sleidanus commemorâsse sat habuit, cùm ibi multo plura scribat Erasmus contra nouatores istos. Sed bellissimus historicus, qui tam multa Luteri aliorumque, quæ Catholicam Ecclesiam lædere possint, tam liberalitèr & profusè lectori obtrudit, de Erasmi libello vix tria verba suæ præclaræ historiæ inserere voluit, videlicet sentiens se suosque premi authoritate Erasmi, quæ tum multa fuit apud multos. Et nihil quidem veriùs dixit Erasmus, quàm ex istis nouatoribus nullum meliorem, omnes deteriores esse factos. Quòd si Erasmus in Catholicos

1529

Luterus deseritur à suis.

1530 ità scripsisset, integra folia Sleidanus ex eius libro suis commentarijs intexuisset.

Argentinens. fœdus cum Heluetijs.

ANNO 1530. Argentinenses Zuingliano dogmate imbuti, cùm nollent Luteri de Cœna Domini sententiam amplecti, & propterea in fœdus à Luteranis recepti non essent, vt suis rebus consulerent, cum Tigurinis, Bernatibus & Basileensibus Sacramentarijs fœdus pepigêre. Vbi hoc percepit Senatus Imperij, cui tum præerat Fredericus Palatinus, conatus est eos indè reuocare, præsertim quòd Cæsari & Imperio deuincti, sinè illorum consensu non debuerint cum alijs fœdus percutere: sed parùm efficere potuit.

Catechismus Luteri.

Hoc anno Luterus motus discordia concionatorum sectæ suæ, edidit Catechismum, in quo Decalogum, Precationem Dominicam, & Symbolum Apostolicum in plerisque longè alitèr exposuit, quàm fecerat ante annos decem. Docet ibì vsum Baptismi & Eucharistiæ, præter quæ nulla alia vult esse Sacramenta, cùm in Catholica ecclesia septem habeantur, quæ pleraque omnia etiàm à Dionysio Areopagita Pauli Apostoli discipulo numerantur. Indè verò innumeri à sectarijs editi sunt Catechismi, sed è quibus vix duos inuenias, qui inter se per omnia concordent. Fuit hoc scriptionis genus iuuentuti longè perniciosissimum, cui sua venena homines versuti instillàrunt, mira plerunquè vsi blandiloquentia & verborum lenocinijs. Porrò apud vulgus ea re effectum est, vt cerdones & laniones & edentulæ anus deliriquę senes tanquàm quodam numine afflati, de rebus theologicis etiàm in tabernis aut apud focum mira garrulitate deblaterent, putentque se plus aliquid in scripturis interpretandis valere, quàm vel præcipuos Catholicæ Ecclesiæ Theologos. Itaque non rarum est apud Euangelicos, vt homines ex infima plebe, plerunquè etiàm homicidæ, lictores, carnifices, concionandi & sacramenta ministrandi munere fungantur, & tanta sit apud plerosque omnes confusio, vt nemo id satìs explicare queat. Scripsit enim Luterus omnes homines esse sacerdotes, vt sacerdotium cogeret in ordinem, & populi studium ac fauorem sibi eiusmodi docendi genere arctissimè conciliaret. Et effecit ille quidem apud vulgus miserabile, vt sacerdotio catholico ritu initiati, & monachi omnes in summũ contemptum

Catechismi innumeri Sectariorũ.

Ministri Euangelici quales.

venerint, & in hoc sanè gloriari videtur in fœdissima illa Epistola, qua Cardinalem & Archiepiscopum Moguntinum Albertum, electoris Brandeburgici fratrem, ausus fuit hortari ad ineundum matrimonium. In ea enim hæc quoquè eius verba leguntur: Vulgus nunc didicit & intelligit Ecclesiasticum statum nihil esse, id quod satis superque declarant tam variæ cantilenæ, dicteriaque & lœdoriæ, cùm in omnibus parietibus, in omnigenis schedulis, denique in chartis lusorijs sacerdotes & monachi pingantur, & pro ludibrio & portento habeatur, si quem vel videre vel audire contingat è clero. Verùm Luterus horum causa est, & ipse docuit miseram multitudinem contemnere sacerdotium & clerum. Satius autem fuerat dicere imperitis, quàm grauitèr olìm Deus etiàm in veteri lege puniuerit eos, qui sibi volebant arrogare sacerdotij functiones, & vt Christus dixerit Apostolis suis, eorumque successoribus: Qui vos audit, me audit: & qui vos spernit, me spernit. Deniquè etiàm in noua lege Christum instituisse Apostolos & 72. discipulos, & ab Apostolis rursùs alios esse ordinatos episcopos & presbyteros, & diaconos. Sed Luterus volebat loqui placentia, & hoc pacto innumeros perdidit. 1530 *Luc. 10.*

Huius anni mense Februario ipsis ferijs D. Matthiæ, quo die natus erat Cæsar, & Galliæ rex captus, Bononiæ à Clemente Pontifice coronatus est, cuius rei historiam omnem visum est hoc loco ex Paulo Iouio Episcopo Nucerienſi adscribere, qui præsens interfuisse videtur. Cæsar, inquit, multis de causis Bononiæ coronari statuerat, quanquàm id anteà Romæ faciendum esse decreuisset, vbì superiores Cæsares, tanquàm in sanctissima sacrorum sede & felici nationum omnium domicilio, vrbeque ipsa veteris imperij honore, antiquorum triumphis, & stupendis supremæ fortunæ monumentis longè clarissima, coronas legitimo iure suscepissent. Sed euastatæ Vrbis & nondùm nouis commodis sublevatæ calamitosa tenuitas, & opulentæ supellectilis ornamentorumque penuria Cæsarem auertebant, quanuìs Romani eius spe aduentûs ab omni tristitia & sordibus ad lætitiam veteremque splendorem reuocati viderentur. Itaque euocatis omnibus regulis, deligitur Iouis dies 6. Calendas Martias, Matthiæ Apostolo dicatus, qui erat natalis Cæsaris, semper ei faustus, & Ticinensi etiàm victoria lætissimus. A medijs Præto- *Coronatio Caroli V. Bononiæ.* Nota

1530 rij fenestris, patefacto aditu, pons ligneus pensilis, sublicis impositus, incuruo tractu per forum & Petronianum templum ad aram vsque maximam protrahitur, & festa fronde pictisque tapetibus exornatur, vt sinè tumultu confundentis & prementis turbæ Pontifex & Cæsar in pompa prætervecti spectarentur. Erat de more veterum Cęsarum, vt Modoëtiæ propè Mediolanum coronam ferream susciperent, quæ indicaret Romano imperio firmitatem ferro & militaribus copijs comparati. Tres enim coronæ Cæsaribus debentur. Prima est argentea, Germanici scilicet regni, quam suffragio procerum Aquisgrani decennio antè susceperat. Secunda ferrea regni Longobardici. Tertia verò aurea Romani Imperij. Præstò igitur adfuêre Modoëtiensium legati, qui ad retinendam veteris prærogatiuæ dignitatem vetustissimi operis coronam & annalium codices antiquitate pernobiles detulêre. Ea erat sinè florentibus pinnis in simplicem & latum orbem circunducta, ferro introrsùs tempora præcingente, sed exteriùs auro & gemmis exornata. Biduo itaque antè, quàm tertiam coronam acciperet, in sacello domestico, adstante Pontifice, sacris peractis, Cæsar vngitur, ferreaque corona & cęteris regijs insignibus decoratur, ijsdem ferè cæremonijs quas paulò infra memorabimus. Prætulêre ante Cæsarem summi honoris causa, Aluarus Osorius Marchio Astoricensis aureum sceptrum, Didacus Pacecus dux Ascalonius ensem gemmata vagina conditum, Alexander Medices dux Pinnensis, Cæsaris gener, orbem aureum cum præfixa cruce gemmis distinctum, Bonifacius autem Marchio Montisferrati Modoëtieñ coronam. His rebus ritè confectis, aduenit demùm dies, maioris coronæ aureæ pompæ destinatus, & is quidem, cùm noctù pluisset, Superis mirè fauentibus, incredibili serenitate perspicuus. Ante alia Pontifex, vniuerso Cardinalium & Episcoporum ordine in mitris & pluuialibus sacris pallijs, cæteris verò sacerdotibus in coccinea veste per pontem solenni pompa traductis, in præalta sede gestatur, & comitantibus prætorianis sub vmbella templum ingreditur. Iam in forum Antonius Læua pedestres copias adduxerat, & obuersis in omnes aditus maioribus tormentis, & signis in medio constitutis, cuncta loca perpetua militũ statione firmauerat. Interim è lacubus, qui in summo prætorianæ porticûs fornice fuerant fabrefacti, per siphones rubra & alba vina fundebãtut, panes ab alto in subiectos milites

Pons ligneus pensilis.

Corona ferrea Modoëtiæ.

Tres Cæsarum coronæ.

Sceptrũ.

Ensis.

Orbis aureus.

Corona.

Milites Cæsariani.

Vina fundunt siphones.

milites ſpargebantur, torrebaturque in machina verſatili bos integer ingens, hœdis, veruecibus, ac omni ferè volucrum genere farctiſſimus, vt in tanta feſta hilaritate milites ſub armis in acie ſtantes, ad manum paratis obſonijs cum iucunditate veſcerentur. Nunquàm ab vlla memoria, vel ad celeberrimi triumphi, vel ad inauditi ſpectaculi famam, maior atque nobilior mortalium inſignium numerus in vnam vrbem confluxit. Erant adeò plena loca omnia, quæ foro imminebant, vt multi in alto ſuſpenſis & pendentibus ſpeculis, alij in ædium proiecturis & periculoſiſſimis locis cum aliorum admiratione proſpicerent. Iam Pontifex ſacratas tunicas & chlamydes induerat, & ſacra ſolennia excultis altaribus parabantur, cùm Cæſar ſub vmbella ornatiſſimo procerum comitatu ad templi veſtibulum peruenit, ità vt vix eo paucis paſſibus præteruecto, tabulata pontis, prægrauante prætorianorum turba, frangerentur. Ibi plerique militibus immixti, fœdo caſu procidentes, ſeſe pilis atque ſecuribus induerunt, inter quos fuit Albertus Pighius Belga Theologus Luteromaſtix: minima tamen pro tumultu clades incidit. Sed facile fuit æſtimare ex atrocitate periculi, quis in Germano milite ſupra ferociam militarem natura implacabili, animorum habitus eſſet futurus, ſi ad certam omnium perniciem Cęſar ipſe, ſe paululùm vertente fortuna, cecidiſſet. Sed intrepidè reſpectans Cæſar, leniter arriſit, ità vt fortunam ſuam certiùs agnoſcere videretur, quæ cœptis & votis omnibus benigniſſimè ſempèr adſpirâſſet. Erant omnia ad imaginem Vaticani templi conſtituta, & nouæ ſacellis appellationes impoſitæ, vt ea ſigillatìm ad veterem conſuetudinem ex Pontificijs libris reſponderent. Adfuère igitur Romani ſacerdotes, quibus ſacra Vaticani templi ſunt commendata. Ij ad aram Cæſarem ſuſceperunt, linteaque ſacerdotali tunica ſuperiniecta, in collegium eius ſacerdotij cooptârunt. Eum Saluiatus Cardinalis in verba ex libris Pontificijs concepta ſacramento adegit, ità vt in ſumma libens iuraret, ſe Pontificiæ dignitatis perpetuò futurum eſſe defenſorem. Ab hac ara duarum turrium nuncupata, duo Diaconi Cardinales, Saluiatus ſcilicet ipſe & Radulphus, ambo ex patruelibus Pontificis nepotes, ad templi limen deducunt. Flexo genu ſupplicantem, Picolomineus Presbyter Cardinalis, certis precationibus expiatum, in ſacellum S. Georgij perducit. Ibi lintea tunica deponitur, ſandalia margaritis &

1530

Bos integer toſtus.

Frequētia nobilium.

Cooptatur Cæſar in collegium Vaticanum.

Præſtat iuramētum.

1530 gemmis picta statìm induuntur, & Dalmatica veste in morem Diaconi priùs assumpta, paludamento demùm conuestitur. In eo habitu præcedenti Puccius Cardinalis ad porphyreticam rotam, quæ est ad Vaticani templi medium, mitratus occurrit. Ingeniculatus Cæsar, ad aram maximam obuertitur, solenniq́ue altera precatione, vt eius imperium stabile, perpetuum, victoriarum, pietatis & laudis plenum faxit, Deo maximo, in cuius manu sunt regna, commendatur. Sunt enim multa antiquitùs à pijs præstantibusq́; ingenijs cum summa verborum elegantia & Christiana grauitate composita, quæ ex sacrato libro ad statas rerum & locorum cæremonias ab alijs atque alijs sacerdotibus in frontem Cæsaris perleguntur. Quæ omnia in illis Pontificum iam editis libris quisque curiosus facilè poterit inuenire. Asscenditur demùm versùs aram maximam, vbì Innocētio Cibo Cardinale Litanias præeunte, alternis precibus piè pronunciatis, diui diuæq́ue omnes propitientur. In lectisternio supplicanti Cæsari Campegius Cardinalis adstitit, & de scripto oratiunculam, vt auspicatò coronaretur, religiosè recitauit. Indè mox Cæsar à Farnesio (quoniam is erat Senatûs princeps & Cardinalium vetustissimus) intra sancti Mauricij sacellum est deductus: vbì diffibulata Dalmatica, humeros & brachium dextrum sacro oleo, adiectis puris & pijs orationibus, inungitur. His rebus ritè confectis, solennia sacra erudito phonascorum concentu, alternantibus choris, operante Pontifice, ipso Cæsare in sacra veste ministrante, protinùs inchoantur: quæ miro ordine cæremoniarum, summa grauitate sacerdotum, insigni omnium religione adeò in serum diem sunt protracta, vt vel piè curiosos fatigare potuèrint, si is longè omnium clarissimorum Principum admirabilis consessus, spectantium oculos vlla in parte satiare potuisset. Cæterùm summa sacrorū fuit, vt Cæsari de manu Pontificis Romani Imperij insignia traderentur. Itaque solenni precatione sempèr adhibita, Pontifex ei supplici sceptrum aureum dedit, florenti cacumine conspicuum, quô piè gentibus imperaret: itemq́ue nudatum ensem, quo Christiani nominis hostes persequeretur: ac pomum aureum, quem vtì terrarum Orbem insigni pietate, constantia, virtuteq́ue regeret: & postremò tiaram illam potiùs quàm coronam bicipiti fastigio multisq́ue Adamantibus insignem, capiti imposuit. Ille piè inflexo genu, pronus exosculato pede Pontificem adorauit. Tum demùm

Induitur Dalmatica veste.

Humeri & brachiū dextrum vnguntur.

Datur ei sceptrum aureum. *Ensis nudatus.* *Pomū aureum.* *Corona aurea insignis.*

demùm Cæſar in illa tot gemmis ac vnionibus exor- *1530*
nata triumphali trabea, ad læuam non procùl à Pon- *Trabea*
tifice, in ſede auro protecta, ſed paulò humiliore, ſeſ- *triũphalis.*
ſum eſt perductus, & Romanus Imperator appellatus. *Salutatur*
Quod vbì in foro militibus eſt renunciatum, Antonius *Romanus*
Læua ad declarandam lætitiam maiora minoraque tor- *Imperator*
menta diſplodi iuſſit, ità vt terribili ſonitu cælum cre- *Diſplodũ-*
pitare, terra quati, & tecta nutare viderentur. Nec mul- *tur bom-*
tò pòſt Pontifex ſacratiſſimæ Euchariſtiæ hoſtiam hu- *bardæ.*
milimo quodam oris geſtu, puriſſimoque animi habi-
tu deſumpſit, atque eam obitèr Cæſari omni labe cri-
minum expiato religioſè communicauit. Peractis ſacris,
templo exceſſum : ad præparatos equos Sacerdotes, Le-
gati, Proceres diſcurrunt : omnis repentè multitudo in
equis conſpicitur : acclamationes, tubarum cantus, tym-
panorum ſtrepitus audiuntur. Conſcendenti equum
Pontifici Cæſar ad læuam pedes adſtitit, vti benignè
auratam ſtaffam ſacrato pedi protinùs inducturus. Sed
pium Cæſaris obſequium Pontificis humanitas reli-
gioſaque modeſtia ſuperauit. Ergò iunctìm equo vter- *Pontifex*
que albo, ſed Pontifex Thraicio, Cæſar Hiſpanico con- *& Cæſar*
ſidentes, vmbellam ſubeunt, ſummæ dignitatis homi- *ſimul e-*
nibus ad eam geſtandam honori ſimul & labori ſucce- *quitant.*
dentibus. Præcedebat miro pompæ ordine tum Car-
dinalium, tum procerum vtriuſque aulæ Familia : in
tergo ſigna erant viatorum, qui curſores appellantur :
Adhæc ſubſecuti ſunt ſeptem viri inſignes, armis, tra- *Septem*
beis, militaribus equis & pedeſtri comitatu valdè con- *vexilla.*
ſpicui, qui totidem ingentia vexilla deferebant. Tra-
ducti prætereà aliquot albi aſturcones ſinè ſeſſoribus, au-
ratis ephippijs inſtrati. Prætulêre etiàm adoleſcentes
eximiæ nobilitatis in ſcipionibus præfixos galeros Pon-
tificis purpureos quatuor. Nec multùm indè ſuccedebat *Euchari-*
Euchariſtia, ſub aurea vmbella loculo cryſtallino in- *ſtia ſub*
cluſa & ſellæ generoſi & tamen pacati equi ſuperimpo- *vmbella.*
ſita : laterna ingens antè, & circùm dena funalia fere-
bantur. Tum demùm promiſcuè gentium omnium ho-
neſtiſſimi quique ſucceſsêre, vt decuit in tanta hilari-
tate, regio ſumptu, ſuprà quàm credibile videatur,
exornati. Nemo enim ex tota Italia paulò vir illu-
ſtris non venerat, niſì vehementi valetudine præpe-
ditus. Hiſpani, Itali, Belgæ, prout libido genijque tu-
lerunt, auro textili & ſerico omnis coloris elegan-
tèr variegato, itemque Phrygijs operibus & acu pi-

1530 ctis ſagulis ſpectantium oculos perſtringebant. Germani in veſte obſcuriore, ſumptuoſa tamen, torquibus aureis relucebant. Viſebantur paſsim equi ex omni regionum ſobole maximè generoſi, & inſano ſumptu toto terrarum orbe conquiſiti. Aderant permulti illuſtres, nobiles, opulenti, clarorum principum progenie editi, quos dinumerare vix queas. Indè ſequutæ ſunt variæ legationes, & mox ipſi purpurati Cardinales. Indè non procul ſucceſſit vmbella, ſub qua duo longè auguſtiſſimi terrarum Domini in mitris illis ſtipenda & inæſtimabili gemmarum & vnionum varietate precioſis, ità tolutim & temperato paſſu incedentibus equis, vt ſi certa ingenij grauitate, quales ſeſſores veherent, ſentire viderentur. Antecedebant vmbellam, ipſe Montisferrati Marchio, ſolenni in chlamyde & corona gemmis ornata, qui Cæſaris ſceptrum deferebat: Franciſcus indè Maria, Feltrius Dux Vrbini, Venetorum Imperator, & quoniam erat præfectus Vrbis, in veſte purpurea Dalmatica, cum inuſitato in metæ formam capitis tegumento, aurea cruce diſtincto, & tænijs vtrinquè pendentibus, nudatum enſem pretendebat. Philippus verò Palatinus, quem decora proceritas & obſidio Viennæ aduerſus Turcas fortiſſimè tolerata, clariſſimum reddebant, aureum Orbem detulit in talari toga purpurea, adſtricta manicis, & plano pileo candidis pellibus redimito. Poſtremus erat Carolus Sabaudius Allobrogum Dux, pileolum ferens vnionibus, ſmaragdis & carbunculis collucentem, qui, cùm oporteret nobilioris officij cauſa, demptam capiti Cæſaris coronam prætentis manibus deferret. Inter hos ſummi ordinis principes & vmbellam ipſam, Cæſaris quæſtor obequitabat, qui per ſingulas regiones certis paſſuum interuallis ad dimouendam turbam excitandamque lætitiam, effuſè in populum argenteam atque auream ſtipem ſignatam imagine coronati Cæſaris diſpergebat. Secundùm vmbellam binis cubicularijs & medicis locus fuit. Tum verò Antiſtites opibus & authoritate præſtantes, qui vel legati regum erant, vel Cæſaris conſiliarij, vel ij, quos ab inſigni gratia Pontificis aſſiſtentes vocant, & cæteri demùm Epiſcopi in violaceis pallis, & poſt hos minores ſacrati viri ſucceſſerunt. Nouiſſimum agmen clauſêre cataphracti equites Belgæ, per alas turmaſque diſtincti, eo ordine indutis galeis & prætentis haſtis ſubſequentes, vt non modò tantæ pompæ præſidio, ſed ornamento eſſe viderentur. A templo-

Pontifex & Cæſar ſub vmbella.

Spargitur in populũ moneta aurea & argentea.

Belgæ equites cataphracti.

vt

vt diximus, profecti, modico ad læuam flexu ad vrbis 1530
vmbilicum, vbì eſt turris Aſinellorum, altitudine Italicarum nulli ſecunda: Indè per regionem albis & cyaneis pannis coopertam, quæ ad Flamineæ viæ portam perducit, inter acclamationes longo tractu proceſſum eſt, porticibus hinc & indè ſpectantium fœminarum multitudine refertis, ſic vt pompa omnis ſinè tumultu omnium oculis ad incredibilem voluptatem oſtentata, quietiſſimè ſpectaretur. Tum demùm ad regionis biuium, quod dicitur, Ad clauaturas, Cæſar à Pontifice digreſſus, ad diui Dominici templum contendit. Ibì venientem Romani Lateranenſis templi ſacerdotes cum ſumma veneratione ſuſceperunt, & vtì Vaticani dudùm fecerant, in collegium cooptârunt. Indè Cæſar ad aram D. Iohannis ſupplicauit, & multos omnis generis oblatos nobiles equeſtri dignitate, gladio leuitèr percuſſis humeris, ornauit. Nec multò pòſt alio itinere, quàm iſſet Pontifex, ad prætorium eſt reuerſus. Erat maximo triclinio, ad epulum præbendum aulæis vndiquè ſtrato, coniunctum cubiculum Hippolyti Medicis Cardinalis. In id familiaritèr Cæſar coronatus, excluſo fermè omni famulatu, ſe recepit, trabeam depoſuit, exuit ſandalia, & auream talarem togam ſumpſit, atque hilaris aliquandiù ab illo tanto prætextæ chlamydis & prægrauis tiaræ pondere conquieuit. Intereà præcinentibus tibijs & tubis, epulæ miro ordine miniſtrorumque ſilentio introferri ſunt cœptæ. Itaque adfuêre Cæſari præſtò quatuor illi principes, in ſua quiſque ſolenni chlamyde, vt inſignia præferrent, atque item alij illuſtres reguli, vt eum ad menſam deducerent. Cœnauit ſolus Cæſar, ſingulis Imperij inſignibus in menſa collocatis, quæ erat aliquot gradibus excelſa. At in alia infra gradus, in conſpectu tamen Cæſaris, diſcubuêre Sabaudius, Palatinus, Vrbinâs & Montisferrati reguli. In exteriore verò triclinio epulum cæteris proceribus præbitum. Remotis menſis, iterùm Cæſar gladium cepit, & pleroſque nobiles equeſtri dignitate decorauit. Hæc ex Paulo Iouio aliquantò fuſiùs, omiſſis tamen hincindè nonnullis breuitatis ſtudio, quæ non magnoperè huc pertinere videbantur.

Cooptatur Cæſar in collegium Lateranenſe.

Creat equites auratos.

Cœnat ſolus Cæſar

Creat iterum equites.

Intereà cùm eſſet in Italia Cæſar, conuentum Principum & Ordinum omnium Imperij indixit apud Auguſtam Vindelicorum in diem 8. Aprilis. Duæ omninò res, vt id faceret, vel maximè hortari videbantur: Diſſidium

Indicit Comitia.

1530 dium religionis longè perniciosissimum, quod nisi breuì componeretur, exitium Germaniæ minari certum erat. Deindè bellum Turcicum, cui sustinendo certæ rationes & viæ & opportuna remedia atque consilia paranda erant. Vsus est in ijs indicendis comitijs singulari quadam comitate & mansuetudine, ità vt proposita fide publica, nulli non liberum faceret ad ea comitia securè accedendi, & suæ fidei formulam exponendi. Ità enim iam erant exulceratæ Germanorum res, vt austeritate parùm profici posset, maximè quòd Turcarum immensæ vires & inexpiabile in Christianos odium, facilè Imperatorem absterrerent, nè quid ageret duriùs aduersùs quosdam refractarios, quos alioqui facilè domare potuisset, si à Turcis & quibusdam alijs securo ipsi esse licuisset. Fuit autem is conuentus longè celeberrimus, & Cæsaris aduentus atque apud omnes peruulgata clementia, facilè quoslibet, eò vt accederent, inuitabat. In eo conuentu obtulerunt Luterani confessionem suam Cæsari, cuius architectus fuit Philippus Melanchthon præcipuus Luteri discipulus, & quidem excellenti doctrina, sed adeò varius & inconstans, (id quod necessè est illis euenire, qui à veritate deflexerunt) vt ipsam quoquè confessionem Augustanam crebrò postmodùm mutauerit: quod vtiquè absterrere debuit omnes cordatos homines, nè tam incertæ & ad humani ingenij mutabilitatem subindè in alias formas transformatæ doctrinæ sese accommodarent ac traderent. Nam de ipsis quoquè sacramentis, per quæ in nos diuina gratia ceu per canales quosdam deriuatur, tam est ille Melanchthon in sua confessione lubricus & ambiguus, vt primò quidem velit esse duo tantùm, deindè in alia editione tria ponat, porrò in extrema quatuor numeret. Est autem notatu dignum, quòd de hac præclara Confessione scribunt quidam, eam tanto in precio fuisse apud quosdam non infimos Luteranos, vt dixerint se mâlle de Pauli Apostoli, quàm vel de Luteri vel Confessionis Augustanæ doctrina dubitare. O iusta Dei iudicia: qui decreta Conciliorum & Pontificum ducunt pro nihilo, eò amentiæ deuoluuntur, vt plus apud eos valeat Luteri & Melanchthonis, quàm Pauli, id est, Christi in Paulo loquentis, authoritas. Habent autem Vuittenbergæ in Academia sanctiones quasdam, quibus grauitèr inprimìs cauetur, nè qua dogmata aut spargantur, aut propugnentur, quæ cum hac Confessione pugnent. Deni-

Cæsaris clemētia.

Comitia Augustana celeberrima.

Melanchthon Proteus.

Sacramētorum numerus varius in cōfess. Augustana.

Deniquè in eius iurare verba oportuit ecclesiarum Luteranarum ministros & professores. Et hæc quidem de illa Confessione scribunt fratres quidam euangelici, qui tamen etiàm hoc habent, eam posteà sæpè repetitam, auctam & emendatam fuisse. Si ergò emendata fuit, subindè in pugnantia dogmata iurare oportuit. Et certè, vt dixi, non semèl mutata est ab vno eodemque Melanchthone. Non ergò à Christi spiritu, sed à cerebro parùm sano profecta fuit, nec aliud quàm humanæ doctrinæ fermentum esse censenda est. 1530

Et tamen ad hanc confessionem permultæ sectæ sese referunt, atque etiàm Caluiniani: quibus, vt id possent, occasionem dedit Melanchthon, dum illam Confessionem subindè recoquit, adeò vt Luterani quoquè nonnulli Melanchthonem grauissimè incusent, nec pati velint, vt Caluiniani, Zuingliani, & quidam alij ad Confessionem Augustanam admittantur, quippe à qua non parùm dissentiant.

Interìm solent isti iactare, vt aliâs diximus, se demùm veram & puram doctrinam in orbem reuocâsse. Sed absit vt hoc illis persuadeant, quibus salus sua curæ est, qui non instàr paruulorum fluctuantium omni volunt doctrinæ vento circunferri. Hanc igitur confessionem Augustæ Cæsari exhibitam, tanquàm illam Babylonicam Apocalypsis Diui Iohannis meretricem, pleræque horum temporum Sectæ adorant: & tamen nihil ferè in ea est, quod non ipsi Confessionistæ in mutua lite ponant, & in alios atque alios sensus, prout visum est, trahant. Nec quidem leuibus de rebus inter se atrocitèr digladiantur, sed de ipsis suæ confessionis capitibus. Et tamen ea est illorum hominum (de dogmatistis & concionatoribus loquor) propemodùm incredibilis impudentia, vt si fortè quæras ex illis inter Catholicos, cur adeò inter se pugnent, actutùm respondeant, nullam de fundamento inter ipsos esse dissensionem: & hoc quidem persuadent illi miseræ ac imperitæ plebeculæ, quam miris quibusdam dolis ac fraudibus tenent miserabilitèr implicatam. Quin & scriptis palàm editis conatus est quidam importunus & prodigiosus Luteranæ factionis concionator Iacobus Andreæ Smidelinus hominibus persuadere, sectarios inter se perbellè consentire. Sed eius tam improba & portentosa vanitas, etiàm ab ipsis sectarijs egregiè confutata est: immò verò ipsa rei euidentia tam fœdum

Confessio August. meretrix Babylon. Apoc. 13. 14. 16. 17. 18.

Sectarij quàm inter se pugnent.

Impudentia Smidelini.

1530 fœdum mendacium palàm coarguit, cùm permultis libris editis, inuicèm se mirabilitèr oppugnent & criminentur.

Et vt aliquid nôrit posteritas de impudētia istorum hominum, qui sub prætextu Euangelij Germaniam & totum orbem Christianum perturbârunt, libet hîc insigne facinus eiusdem Iacobi Andreæ Smidelini (quoniam se offert occasio) ad perpetuam rei memoriam subijcere. In colloquio quodam Vuormatiensi conuenerant multi docti viri, de religionis negocio tractaturi. Quodam die Andreas iste concionem habiturus in frequentissimo auditorio, suggestum ascendit. Sed quo tandèm habitu? Pudet referre, sed dicendum est tamen. Cum sago aulico paulùm infra genua, manica altera picturata circa sinistrum humerum, exertis vtrinquè brachijs, & cum cultro venatorio ad latus. Ità ille pacis & Euangelij præco, vt videri volunt, repentè quendam Thrasonem repræsentauit in æde sacra, sub adspectu tot hominum, & in sacra concione.

Nota concionatoris Euāgelici habitum.

Sed ad confessionem Augustanam reuertamur, de qua tamen priusquàm plura dicere pergamus, quod propemodùm obliti eramus, paucis explicabimus aduentum Cæsaris ad Augustam, & quæ tum illic obitèr gesta sunt. Venit Cæsar Augustam in profesto corporis Christi, & quidem sua spe tardiùs venit, propterea quòd in itinere passim etiàm à Venetis per eorum ditiones honorificentissimè esset acceptus. In comitatu Tirolensi, vbi sunt celeberrimæ argentifodinæ, oblatus est ei nummus argenteus, qui precio æquaret aureos 1700, omnia Cæsaris stemmata miro quodam opere & elegantia repræsentans. Monaci verò Principes Bauariæ quatriduo eum retinuerunt cum fratre Ferdinando & Cardinale Campegio, ità vt nullum officij & honoris genus prætermisisse viderentur. Indè vbi iam Augustam aduentare cœpit, Principes omnes & Ordines Imperij ei perquàm reuerentèr processerunt obuiàm, & vbi ad quinquaginta vel sexaginta passus appropinquârunt, ex equis descenderunt. Eo viso, Cæsar pro sua singulari & ipsi propemodùm innata modestia ac humilitate, vnà cum fratre Ferdinando itidèm se demisit in pedes honoris causa. Excepit eum decentissima oratione Principum & Statuum omnium nomine Cardinalis Moguntinus Albertus Brandeburgicus, cuius inter Electores prima fuit dignitas. Indè itum est ad vrbem, apud quam à Senatu

Aduentus Cæsaris ad Augustam

Nummus argenteus insignis.

Excipitur à Principibus.

& po-

& populo miro studio acceptus est. Intra vrbem excepit eum Episcopus Augustanus cum Clero, & sub vmbella ad summam ædem perduxit. Iam dies cœpit mutari in noctem, & ità Cæsar ad Episcopi ædes, quas Palatinas vocant, alij ad alia hospitia digressi sunt. Eiusdem verò diei vespera & manè sequenti multùm egit per suos cum Saxone & alijs Luteranis principibus, vt interessent Processioni publicæ, qua gestanda erat sacrosancta Eucharistia. Sed hoc ab ijs impetrare non potuit, cùm ferè ad meridiem cum illis egisset. Persuaserant enim illis ipsorum concionatores, idololatriæ crimen admitti ab ijs, qui Eucharistiam adorarent. Negant enim Christum esse in Eucharistia extra tempus sumptionis. Fuit ea horrenda blasphemia, sed illi in sua sententia tanquàm in magna luce permanserunt. At verò Cæsar religiosissimus, licèt iam meridies appeteret, cum reliquis principibus, quorum illic magnus erat numerus, cum Hispanis quoquè & Belgicæ proceribus, illi processioni cum quadam eximia in Deum pietate & haud vulgari splendore interfuit. Eucharistiam gestabat Cardinalis Moguntinus, à dextris rege Ferdinando, à sinistris Ioachimo Brandeburgico Principe eum deducentibus. Ante Eucharistiam præcedebant Principes seculares, itemque Clerus cum alijs permultis. Post eam sequebatur Carolus Imperator nudo sempèr capite, tametsi sol esset ardentissimus, in manu ferens quadrifidam facem ardentem, quod idem voluit fieri à cunctis Proceribus & Principibus. Imperatorem sequebantur omnes Archiepiscopi & Episcopi. Vmbellam ipsam, sub qua portabatur sacrosancta Eucharistia, vicissim gestabant seni Principes seculares. Porrò longissima processione diuersi generis Musici concinebant in laudem Dei. Omnibus ritè peractis, Cæsar valdè acerbè tulit Luteranorum Principum detrectationem, iussitque vt quamprimùm altera die cum publica fide Augusta excederent: sed Principum Catholicorum precibus ab ea se sententia deduci passus est. Fuit certè hic Princeps longè optimus sempèr egregia in Deum animi pietate, ità vt omnibus perspicuum esset, eum non tam suis viribus aut opibus, quæ quidem erant amplissimæ, quàm præpotentis Dei auxilio & fauore niti. Et quia ipse diuini honoris & cultûs admodùm studiosus fuit, propterea quoquè vbiquè ferè euidentissimis præpotentis Dei auxilijs mirificè fruebatur, adeò vt ipsi etiam Turcarum potētissimo Tyranno eius

1530

A Senatu.

Ab Episcopo.

Cæsar interest processioni.

It nudo capite, sole ardentissimo.

Vmbellã gestãt seni principes.

Pietas Caroli V.

N pro-

1530 prosperitas formidolosa fuisse dicatur. Non enim debent Christiani piorum principum prosperos successus fato vel fortunæ adscribere, quod quidam faciunt ethnico quodam spiritu parùm Christianè, cùm ex diuina prouidentia omnia pendeant, & Deus amplissimis verbis sæpè polliceatur in scriptis diuinis, se glorificaturum eos qui ipsum glorificent. Nec ijs obstat, quòd sæpè diuersum euenisse legimus. Expedit enim interdùm, etiàm aduersis iactari flatibus pios, nè rebus nimiùm ad voluntatem fluentibus superbia intumescant. Cęsar igitur auditis rationibus Catholicorum Principum, iram remisit, & ad diem vigesimum Iunij inchoaturus actionem, iussit Principes & Ordines Imperij adesse in primario templo, vbi tum Missam celebrauit Cardinalis & Elector Moguntinus. Saxoniæ Elector consuluit suos theologos, num liceret Missę interesse: & responsum est nihil esse periculi, quòd non ad Missam, sed ad suum officium euocaretur. Est enim hoc Saxonici Electoris munus, vt gladium Cæsari præferat. Ità nouerant illi Theologi Principibus quidlibet persuadere, vt dolendum sit, clarissimos Principes in tam infidos consultores incidisse. Itaque Saxo quoquè Missæ, licèt eam summè & extremè execratus esset Luterus in libro de abominatione Canonis Missæ, interfuit, & cum eo Georgius Brandeburgicus itidèm Luteranus. Sacrificio peracto, itum est in Curiam. Augustani octingentos pedites conscripserant vrbis tuendę causa. Illos Cęsar dimitti iussit, & mille ipse conscripsit, qui vrbi à seditione & tumultu seruandæ inuigilarent. Omnibus quoquè tùm Catholicis tùm Sectarijs Concionatoribus interdictum est, nè publicè ad populum sermonem haberent, donèc religionis negocium absolueretur. Quosdam tamen Cæsar ipse constituit, qui sinè cuiusquam contumelia in summa æde concionarentur. Id quidem grauibus de causis ità fuit constitutum. Erant enim diuersarum sectarum concionatores, & singuli ad se populum traducere nitebantur, quæ res seditionibus materiam præbitura videbatur. Ante omnia verò in ipsa actione Cæsar negocium religionis tractandum suscipi voluit, non dubitans quin eo transacto, reliqua omnia faciliorem essent expeditionem habitura. Itaque Luteranis permissum est suam publicè recitare Confessionem, quam & Teutonicam & Latinam Cesari obtulerunt. In ea alij sunt Articuli, quibus suam fidem declarant: alij, quibus indicant abusus

1.Reg.2.

2.Mac.6.

Cæsar placatur.

Principes Luterani intersunt Missæ.

Negocium religionis primò tractatur.

sus ab ipsis mutatos. In prioribus multa dissimulant, 1530
quæ anteà secùs docuerant : In posterioribus egregiè mentiuntur se non aboleuisse Missam, sed eam retinere & summa reuerentia celebrare, vsitatasque Cæremonias ferè omnes seruare, itemque se Confessionem non abrogâsse. Sed ea Melanchthonis mendacia, ipsa meridiana lux coarguit. Et hæc quidem ille Melanchthon scribere non dubitauit in illa præclara Confessione, quam totiès postea retexuit. An non verò Luterus longè antè librum conscripserat de abroganda Missa? an non sacrum Canonem Missæ impiè lacerârat? an non Missæ sacrificium exploserat? Ità, quòd ad Confessionem attinet, æquè impudens est Melanchthonis mendacium. Nam multis annis confessio integra, & qualis fit apud Catholicos, apud illos exulabat. Et quidem vt in inuidiam Catholici adducantur, Sleidanus more suo ait eos velle, vt delicta omnia diligentèr enumerentur : nec addit homo versutus, hoc de lœtalibus peccatis accipi oportere. Nam peccara leuiora, quæ venialia dicimus, omnia nec debent, nec possunt enumerari.

Eleonora in Gallias it.

Hoc ferè tempore ex Hispanijs in Gallias profecta est Eleonora Cæsaris soror, & cum ea duo regis Francisci liberi, Franciscus & Henricus, qui iam ad quadriennium apud Hispanos obsidum loco permanserant. Excepti sunt omnes incredibili totius populi gaudio.

Florentia deditur.

In Italia iam ad vndecimum mensem Florentia validissimo Pontificis & Cæsaris exercitu obsessa, hoc demùm anno sub certis conditionibus sese dedidit. Eiecerant Florentini optimates quosque & Mediceorum familiam, cuius tamen certè præclara in eam vrbem extabant merita : iamque Respublica ab obscuris & nouis hominibus, omnia ad priuata commoda referentibus, administrabatur. Ea verò libertas, quam insanis ac peruicacibus animis ad interitum vsque patriæ tuendam susceperant, quauis acerba tyrannide molestior erat : nec tamen poterant adduci, vt honestis conditionibus sese dederent. Sed diuturna obsidione ad eam vsque rerum omnium penuriam adacti sunt, vt iam plerique non feles modò, sed etiàm mures auidissimè deuorarent. Ità tandèm eorum fracta est pertinacia, summoperè gaudente Pontifice, quòd patriam sibi incolumem restitutam cerneret. Porrò à Cæsare illorū est Res-

Summa rerum penuria.

1530 publica constituta, iussique sunt Mediceam familiam in pristinam recipere dignitatem. Et quoniam in liberis ciuitatibus ob diuersa ciuium facilè dissidentium studia, nisi certo aliquo capite dirigantur, non ferè possit seruari concordia, declarauit Alexandrum Medicem, cui filiam suam notham desponderat, Reipub. caput, cuius singuli magistratus authoritatem sequerentur. Atque is fuit exitus pertinacissimæ rebellionis, quæ non tam iudicio, quàm quorundam temeritate suscepta, Florentinis multas attulit clades & calamitates, donèc vel serò ad sanitatem redirent. In eius autem vrbis expugnatione Cæsar egregium erga Pontificem studium suum re ipsa declarauit, non quidem certè absque suo incommodo, amissis non paucis strenuis viris, atq; in ijs Philiberto Aurasień, supremo eius exercitûs Imperatore, qui needùm 30. natus annos, duabus traiectus glandibus, miserè perijt, cùm iam iamque vrbs dedenda esset.

Alexãder Mediceus caput Reipub. Florent.

Cæsar, cùm ipsi oblata esset Luteranorum confessio, Theologis Catholicis examinandam & confutandam demandauit. Illi primò satis acritèr eam & scripturis & rationibus oppugnârunt. Sed Catholici principes, pacis vel maximè studiosi, putauerunt omittenda esse ea, quæ Catholici ostendebant alitèr Luteranos & docuisse & scripsisse anteà, eaque tantùm confutanda, quæ essent in Confessione exhibita. Faciebant hoc principes pacis studio, licèt nulla ferè res magis destruat Euangelicorum dogmatistarum nouum Euangelium, quàm quòd in sua doctrina tam varij sunt & inconstantes, quod illis non posset accidere, si vera essent quæ miseris persuadent. Dum autem Principibus Catholici Doctores morem gerere volunt, ea re factum est vt aliquot dies elaberentur. Sed confecta iam breuiori responsione, rursùs alia à Principibus iniecta est difficultas, cuius nomine ea confutatio recitanda foret. Interìm aliquot hebdomadæ paucæ transigebantur.

Confeßio Augustana datur Theologis examinanda.

Itaque Luterani tum Augustæ coràm, tum per literas apud absentes iactitabant, Papistas ad ipsorum confessionem non habere quod responderent. Vbi autem confutatio lecta est in consessu Principum, Cæsar & Catholici omnes eam approbârunt: & vt idem facerent Luterani, Cæsar rogauit quidem, sed non obtinuit. Interìm verebantur Catholici Principes, nè quid durius statueret Cæsar in Luteranos ob eorum contumaciam: itaque impetrârunt à Cęsare, vt permitteret cum illis de ineun-

ineunda concordia accuratiùs agi. Aſſenſit Cæſar pro ſua clementia, quæ erat in illo valdè ſingularis, & permiſit multis modis agi cum illis. Principiò, vt poſſet res faciliorem habere expeditionem, delecti ſunt ex cunctis ordinibus Imperij ſeptendecim, qui de ineunda cum illis, modò id fieri poſſet, quod non planè deſperabatur, concordia priuatim tractarent. Hi igitur illos ad colloquium in maioris ædis Auguſtanæ domo, vt vocant, Capitulari habendum inuitârunt: nec illi ſe difficiles præbuerunt. Vbi omnes pariter conſederunt, Ioachimus Elector Brandeburgicus, cuius erat excellens facundia, prolixa oratione nomine delectorum illos peramantèr hortabatur, vt cum Cæſare & reliquis Imperij ordinibus idem ſentire vellent in religionis negocio: alioqui metum eſſe, nè plurima indè mala exiſtant, bella, ſeditiones & clades. Illi, re deliberata, poſt biduum reſpondent: Primò quidem dolere ſibi aiunt ipſos ſic admoneri, vt interim quoquè minæ intententur. Deindè in quatuor capita ſua reſponſione diſtributa, Primò dicunt ſe à Cæſare non ſatis auditos: Secundò, non eſſe ipſis Catholicorum Confutationem liberè traditam. (Cæſar enim ob certas cauſas exemplum confutationis eis dare petentibus nolebat, niſi ſub conditionibus quibuſdam, vt apud ſe ſeruarent, nec eius iniuſſu alijs darent: quas illi conditiones accipere nolebant) Tertiò, religioni ipſis eſſe, in eam conſentire confutationem, quam necdùm ſatis perſpectam haberent. Quartò, in proximis Comitijs Spirenſibus promiſſum quidem eſſe Concilium, ſed nihil præſtitum. Vbi obitèr aduertendum eſt, vt etiàm infrà dicetur, verſutiſſimos Principum Proteſtantium vel Luteranorum concionatores & dogmatiſtas mira vafricie perſuaſiſſe Principibus, vt Concilium peterent, cùm tamen Luterus iam pridèm Concilia omnia reiecisset, nec quicquam minùs vellent vel Luterus vel eius ſymmyſtæ noui euangelij buccinatores, quàm vt legitimum concilium haberetur: ſciebant enim à multis ſuperioribus ſanctiſſimis œcumenicis Concilijs ipſorum pleraque dogmata damnata eſſe. Sed hac fraude id efficere conati ſunt, vt viderentur niti æquitate, & plures in ſuam ſententiam pertraherent. Nam poſteà multis modis Concilium iam Tridenti indictum reiecerunt, & abſolutum quoquè multis contumelijs & conuicijs proſciderunt. Quis verò non rideat Sleidani ineptias, qui cùm palàm affirmet, Proteſtantium

1530

Multis modis agitur cum Euangelicis.

Proponũt Catholici.

Reſpondent Proteſtantes.

Fraus Cõcionatorũ ſectariorum.

Sleidani ineptia.

1530 Protestantium Principes in hoc Conuentu Augustano dixisse Cæsari, si fortè iam definiri causa non possit, non se recusare totiès & promissum & decretum concilium: quod vtiquè non alitèr promissum erat, quàm qualia fuissent sempèr concilia œcumenica: non diù pòst addit, rursùs Protestantes in hoc ipso conuentu dixisse Cæsari, se petere vt primo quoque tempore pium atque liberum in Germania cogatur Concilium. Quod enim addit, pium & liberum, id tale est, vt his duabus dictionibus facilè excludere & eludere possit quæuis Concilia catholico ritu celebranda. Quod enim vel Sleidano, vel cæteris sectarum buccinatoribus Concilium vnquàm pium & liberum erit, nisì in quo præcipua, immò sola authoritas statuendi, probandi, reprobandi sit penès sectarios? Sed quomodò illi vnquàm certi aliquid statuent, qui inter se de rebus maximi momenti hostilitèr digladiantur? Addit iterùm non post multa Sleidanus, Luteranos principes id quoquè hoc tempore Augustæ dixisse Cæsari, nihil sibi commune esse cum sectis, se neminem ad suam doctrinam velle adigere, se Anabaptistas & eos qui sacramentũ altaris contemnunt, (Zuinglianos intelligunt) suos intra fines nunquàm tolerâsse. Hoc quidem illi faciebant authore Lutero, qui Sacramentarios atrocitèr proscindebat, licèt nihilo illis melior. Dicat nunc igitur Sleidanus, qui nobis tantoperè commendat Luterum: Quòd Luterus Sacramentarios hostilitèr persequebatur, ex verbo Dei id fecit, an verò minimè? Si ex verbo Dei, cur non intelligit se fœdissimo in errore versari, recteque hæreticum dici etiàm ab ipso Lutero? Sin minùs, cur non videt quàm nihil fidendum illi sit, qui in re tanti ponderis tam turpitèr sit allucinatus, præsertìm cùm ille testetur se certum esse, doctrinam suam non suam esse, sed Christi? sed valeat homo ineptus. nos ad historię ordinem reuertamur.

Luterani Principes non tolerant Zuinglianos.

Postquàm dixerant Protestantes, quæ suprà retulimus, delecti illis per Ioachimum Brandeburgicum ad singula accuratè responderunt, inter cætera hoc etiàm cum veniæ præfatione addentes, quòd vbì minimè oporteret, magnam sibi religionem iniici paterentur: vbì autem vel maximè religione opùs esset, ibì nihil animis angerentur. Grauari ipsorum conscientiam, quòd moneantur sentire cum Ecclesia: nihil autem grauari, quòd apostatarum iudicium totius Ecclesiæ iudicio anteponant, cùm interim illi tam inter se miserè dissecti sint, & fructus

Catholici respõdent Protestantibus.

ctus pessimos eorum doctrina adhuc attulerit. Tum 1530 quoquè Concilia à Lutero floccipendi, & multa eum scripsisse, quibus conciliorum authoritatem apud vulgus eleuârit. Ad hæc Protestantes sua rursùs responsa dedêre, multisque verbis omnem à se culpam separationis ab Ecclesia, aut contempti Cæsaris vel edicti eius, aut debiti honoris non impensi Concilijs, amoliri conati sunt. Placuit autem vtrique parti, vt septeni & septeni ex vtrisque deligerentur, qui de concordia inter se amicè conferrent. Ibì tum in aliquot Augustanæ Confessionis articulis quædam facta fuit conciliatio, & cùm speraretur in reliquis quoquè concordari posse, placuit Imperij Ordinibus ab vtraque parte ternos eligi, qui inter se tractarent: sed nihil potuit effici inter illos. Tandem post multos labores nullus fructus consecutus est. Cæsar quidem nihil reliquit intentatum, sed omnia frustrà, quod iam planè decreuissent Protestantes in eo permanere Euangelio, quod à Lutero apostata monacho didicissent. Et licèt id ad certissimam Germaniæ perniciem spectare videretur, illi tamen sic erant animati, vt patriæ & imperij extremam calamitatem perpeti mâllent, quàm cum Cæsare & Catholicis Principibus, qui certè longè illos & numero & dignitate superabant, redire in religionis antiquæ concordiam. Fuit hoc quidem longè acerbissimum omnibus, quibus Germaniæ, immò totius Ecclesiæ iam iamque, nî Deus auerteret, perituræ suprema clades & interitus dolebat: sed oportebat tamen omnia æquo ferre animo, & tacitè considerare atque admirari & timere occulta quidem, sed vera & iusta iudicia Dei, cuius admodùm extimescenda, licèt iusta, ira & seuera animaduersione fiebat, vt plus tribueretur vilissimi apostatæ malesanæ doctrinæ, quàm totius Ecclesiæ Catholicæ sententiæ & authoritati. Cùm igitur, vt dixi, iam diù multumque ab vtriusque partis delectis Principibus & Theologis ac Iurisconsultis tractatum esset, Elector Saxoniæ longioris moræ impatiens, petijt à Cæsare missionem, & abijt cum suis. Ità sinè concordia discessum est, multùm quidem dolente Cesare & Catholicis. Luterus interìm non paucos edidit libros, quibus ipsum quoquè Cæsarem perstringere non verebatur, atque ij nonnunquàm etiàm publicè prostabant Augustæ apud Saxoniæ principis hospitium. In his erat Epistola ad Archiepiscopum Moguntinum, in qua exponit Psalmum, Quarè fremuerunt gentes,

Protestantes se purgare moliuntur.

Elector Saxoniæ discedit.

1530 gentes, tanquàm principes Auguſtam conueniſſent animo oppugnandi Chriſtum & Euangelion. Itemque liber quidam hac inſcriptione, *Admonitio ad eccleſiaſticos Auguſtæ in Diæta imperiali congregatos*. quo in libro & ſuam doctrinam vſqueadeò commendat, & Epiſcopos atque Eccleſiæ cæremonias & inſtituta intantùm carpit ac repræhendit, vt ad commouendos in clerum vulgi animos nihil poſſit ſcribi vehementius. Et vt Epiſcopos ad ſe alliceret, iactabat ſe illos à Papæ Tyrannide & monachorum importunitatibus liberâſſe. Sanè apud multos ille iam Pontificem Romanum & Eccleſiæ inſtituta, ritus ac cæremonias in ſummum odium, inuidiam & contemptum adduxerat: ſed in tali ſcelere gloriari, & non modò nullo pudore ac metu affici, verùm etiam eo nomine virtutis & præclari cuiuſdam facinoris exiſtimationem venari: id quidem eiuſmodi eſt, vt non tam verbis, quàm flagris & flammis vindicandum ſit.

Luterus adulatur Epiſcopis.

Mirè quoquè in eo libro inuehitur in Satisfactionem, quæ tertia pars eſt Pœnitentiæ, quam ait ſentinam eſſe tartari ipſius, nec eam abominabilem doctrinam Epiſcopis vnquàm poſſe remitti. Piæ mentes ſinè horrore legere vel audire non poſſint, quæ ille infelix ſcribit contra Satisfactionem, de qua tamen eſt Eccleſiæ non alia doctrina, quàm ipſæ ſacræ literæ locis innumeris expromant.

Proſcindit ſatisfactionem.

Porrò perquàm commodùm accidit, vt cùm Catholici & Luterani, vt iam diximus, inter ſe ſepteni & ſepteni de concordia tractarent, & in XII. articulo Confeſſionis Auguſtanæ, qui erat de Satisfactione, non poſſent conuenire, primo veſpere id negocij daretur Cochlæo & Melanchthoni, vt altero manè quippiam, quod ad rei compoſitionem faceret, adferrent. Prolulit ergò Cochlæus ex Septicipitis cap. 31. quem Luterus contra indulgentias in Aſſertione 41. articulorum ſcripſerat, ipſius verba Luteri, quibus ſic ait: Eccleſia mater pio affectu præuentura manum Dei caſtigat filios ſuos ſatisfactionibus quibuſdam, nè incurrant flagella Dei, ſicut Niniuitæ operibus ſuis ſpontaneis præuenerunt iudicium Dei. Hæc pœna arbitraria eſt, inquit, non in totum, vt illi volunt, ſed tamen neceſſaria. Nam aut nos, aut homines, aut Deus punit peccata, quod illi per indulgentias tollunt omninò: cùm ſi eſſent pij paſtores, potiùs imponerent pœnas, & Eccleſiæ exemplo præuenirent Deum, ſicut

Luterus ſuo enſe iugulatur.

Moſes

Moses eum præuenit occidendo filios Israël propter peccatum vituli aurei. Optimum autem fuerit, si nosipsos puniremus. 1530

Hæc Luteri verba cùm Eckius è schedula recitâsset, Luterani inuicèm se respiciebant: Porrò Melanchthon rubore vultu suffuso ait, Scio hæc scripsisse Luterum: cumque præterea nihil adderet, Dux Iohannes Fredericus, Forsitan, inquit, hæc scripsit Luterus ante annos decem. Cui à Catholicis responsum est, Quid tum posteà? Nobis satis est, hanc illius esse sententiam. Mox ira commoti Brentius & Sneppius dixêre, se non adesse vt Luteri scripta defenderent, sed vt suam assererent confessionem. Præclarum videlicet discipulorum de magistro suo Lutero testimonium, cuius ipsi quoquè iam scripta suspecta haberent. Sed quanto fuisset satiùs, ab eius hominis disciplina penitùs discedere, cuius pugnantes sententias, & modò in has, modò in illas formas mutata animi sensa animaduerterent, idque in rebus maximi ponderis, & quæ iam satis superque Ecclesiæ Catholicæ sententia essent declaratæ ac definitæ? Quid, obsecro, in illo extremo mundi die ad Christi tribunal dicturi sunt, qui tale portentum tanto in precio habuerunt.

Pudefiunt Luterani.

Eodem hoc anno quidam amicus ex Lutero percontatus est, cur in epistola ad Roma. cap.3. vertisset Germanicè, Hominem sola fide iustificari, cùm tamen verba Pauli id non haberent, & eoipso ansam præberet Pontificijs ipsius versionem calumniandi? Tum ille intolerabili quadam arrogantia respondit, si sciuisset Pontificios omnes in vnum conflatos, vel vnum caput scripturæ diuinæ rectè posse vertere Germanicè, libentèr eorum opem se imploraturum fuisse ad transferendum nouum Testamentum. Et post pauca: Si Papista tuus, inquit, multa vult garrire de hac voce, Sola, ei confestim respondeto: Doctor Martinus Luterus vult sic habere, aitque Papistam & asinum esse vnum. Sic volo, sic iubeo, sit pro ratione voluntas. Nolumus enim Pontificiorum esse discipuli, sed magistri ac iudices. Hæc quidem ille, nescio qua phrenesi correptus & insania temulentus, quæ sanos & sobrios homines facilè auertunt, ne tali portento vlla in re fidem adhibere velint. Si Catholici sic scriberent, immò si Romani Pontifices tantum sibi sumerent, quot conuiciorum plaustris in illos inueherentur fratres Euangelici? porrò cùm Luterus

Arrogantiss. Luteri dictum.

O portentum.

nota impudentiam et superbiam Lutheri

1530 terus apostata infamis ità loquitur, non aliud est, quàm Christi Euangelion. O cæcas hominum mentes, ô pectora cæca.

4. Ciuitatum confeßio. Post Confessionem Luteranorum oblata est Cæsari & coram omnibus Imperij ordinibus recitata Augustæ etiàm quatuor ciuitatum, Argentorati, Constantiæ, Memmingæ & Lindauiæ, quæ Zuinglij dogma sequebantur, confessio. Eius confutandæ curam commisit Cæsar Theologis eisdem, à quibus erat Luteranorum confutata, ipsaque confutatio lecta est palàm. Itaque Cæsar orabat seriò, vt cum reliquis Principibus & ordinibus Imperij idem sentirent: sed illi in sua sententia perstitêre, neque catholicis, neque Luteranis per omnia subscribere volentes, quia videbantur sibi rectiùs sapere, & plus aliquid vidisse in scripturis, quàm vel Catholici, vel Luterus ipse cum sua cohorte vidisset. Et id quidem temporis Argentinenses Zuinglij partes sequebantur, quas Luterus prorsùs execrabatur. At Bucero postmodùm à Zuinglianis ad Luterum inclinante, eò tandèm res redijt, vt qui hodiè Argentinæ còncionantur, Luteri de Eucharistia doctrinam propugnent, & quidem acri contentione contra Caluinianos & Zuinglianos. Itaque aut illi omnes periêrũt, qui in illa vrbe priùs Zuinglium secuti sunt, aut certè eos perire necesse est, qui illic hodiè cum Lutero sentiunt. En in huiusmodi labyrinthos incidimus, cùm nos ab Ecclesia Catholica separamus.

Tiberis inundatio. Fuit hoc anno Romæ ex multa pluuiæ copia tanta Tiberis inundatio, vt in campo Floræ ad longissimæ hastæ altitudinem excreuisse visus sit, multaque ædificia subruerit, & per vicinas regiones ad duodecim ferè hominum millia extinxerit. Incidit ea clades in diem 8. Octobris, & horas 24. durauit. Sunt qui scribant aliquot dies durâsse hanc inundationem.

Diluuium inferioris Germaniæ. Non multò pòst etiàm inferioris Germaniæ homines, præsertim Flandros, Selandos, Hollandos, atque etiàm Franciæ aliquot subiectos populos, Oceano finitimos, mare ab imis visceribus exagitatum vehementèr afflixit, partìm aggeribus perruptis, partìm ipsos aggeres vnda ad tres vel quatuor pedes excedente. Feruntur ea repentina inundatione permulti mortales & bruta animantia grandi numero perijsse, demptis alijs incommodis & damnis vrbium & ædificiorum, quæ fuêre grauissima.

Paulò pòst Calendis Decembris diem suum Mechliniæ obijt Margarita Cæsaris Maximiliani filia, Belgarum moderatrix laudatissima. 1530 *Margarita Maximiliani filia moritur.*

Cæsar Carolus, dum adhuc Augustæ comitia haberentur, Luteranis domum abituris certos quosdam articulos publicè proposuit, sed quos illi recipere nollent. Itaque sinè concordia ad sua redièrunt. Porrò verò Cæsar cum Catholicis Principibus omnibus sub Comitiorum finem omninò statuit, in ea fide & religione, quam à sanctis Maioribus suis velut per manus traditam accepissent, constantissimè permanere. Ei sententię omnes & singuli subscripsère die 19. Nouembris. Deindè soluto cōuentu omnes discedunt, Cæsar cum fratre Ferdinando & non paucis Principibus Coloniam Agrippinam, alij domum.

Lantgrauius vt sibi rebusque suis consuleret, (videbat enim Cæsarem non æquo animo ferre iam olìm damnatas in religione nouationes, quas Luterani & Zuingliani ceu Euangelicas amplectebantur, malè persuasi à quibusdam turbulentis hominibus) cum Tigurinis, Argentinensibus & Basileensibus, qui Zuinglium à Lutero ipso damnatum sequebantur, in sex annos fœdus percussit, vt si qua vis ab Imperatore aut Catholicis religionis nomine inferretur, mutuis se auxilijs tuerentur. Factum est hoc mense Septembri. Constantienses & cæteri in Heluetijs, nouis dogmatibus addicti, iam anteà erant fœderati eandem ob causam. Hoc autem fœdus Christiana ab illis ciuitas dicebatur. Sed huius ciuitatis nemo cupiet esse ciuis, qui nolit excludi à ciuitate Dei. Eiusmodi pigmentis nôrant dogmatistæ sectarij fucare molitiones suas. *Lantgrauij fœdus.*

Iam suprà diximus, Marpurgi fuisse conuentum Luteranorum & Zuinglianorum concionatorum. Ibì cùm non posset certa pax constitui, tamen decretum erat, vt à scriptis aliorum in alios abstineretur, nè scilicèt Catholici magìs ac magis carpere pergerent eorum mutua odia & atrocissimas digladiationes. Sed eccè hoc ipso anno Philippus Melanchthon, vt Luteranorum contra Zuinglianos sententiam tueretur, veterum aliquot scriptorum sententias de Cœna Domini collegit & euulgauit. Non tulit hoc æquo animo Oecolampadius Sacramentarius, ediditque Dialogum, quo ostendit suo more, quid de Eucharistia veteres tum Græci tum Latini senserint: aitque Philippum *Melanchthō scribit contra pactum. Melanchthon ab Oecolam-*

Patrum

1530 Patrum mentem non satis perspexisse, sed filios contra matrem armare voluisse. Adeò non potuerunt sibi temperare, quin contrà quàm Marpurgi conuentum erat, mutuò se infestarent. At reuerà neque Philippus, neque Oecolampadius Patrum sententias bona fide citauit, sed ad suas prauas opiniones pro se quisque detorsit, cùm sit longè certissimum, Patres omnes de Eucharistia id sensisse & docuisse, quod hodieque & sentit & docet Catholica Christi Ecclesia. Facilè autem potuerunt isti versuti homines indoctæ plebeculæ persuadere, Patres veteres ab ipsis stare, quòd non essent nescij, vulgum Patrum libros neque legisse, neque vel legere vel intelligere posse. Est autem mirum, ab istis citari Patres, qui Patres in vniuersum omnes facilè contemnant, vbicunquè eis collibitum sit. Sed habet ea res fucum quendam ad incautum lectorem, vt & multa legisse videantur, & suæ doctrinæ habere approbatores veteres. Sed facessant cum suis calumnijs in illos sanctissimos Patres, qui si hodiè viuerent, omnibus ingenij, doctrinæ, eloquentiæ viribus istos calumniatores oppugnarent.

Pædo perstringitur.

Carolstadius fit diaconus Tigurinus

Circa hoc tempus Carolstadius, qui è Saxonia ad Heluetios migrârat, Tigurinæ Ecclesiæ diaconus factus est ex archidiacono quondàm Vuittenbergensi, ab equis, vt dici solet, ad asinos. Ea res non mediocritèr animum Luteri exacerbauit. Postquàm autem Zuinglius in prælio occubuit, vt pòst dicemus, Basileam se contulit, & illic in Zuinglianæ ecclesiæ ministerio vitam miseram miserè finiuit. De eo Luterani scribunt, eum Basileæ turbas concitâsse, & miserabilem vitæ exitum habuisse. Zuingliani id dissimulare videntur, qui etsi non planè probabant Carolstadij opinionem de Eucharistia, tamen Luteri hostem & aduersarium complectebantur.

Elector Saxoniæ accersitur Coloniã.

Post Comitia Augustana Cæsar Saxonem Electorem euocat Coloniam, idemque facit Elector Moguntinus, cuius hoc officium est, vt vbi creandus est Romanorum rex vel Imperator, ipse reliquos Electores conuocet. Saxo hoc indignè tulit, & per filium suum Ioannem Fredericum & quosdam alios docere conatur apud Cæsarem, Moguntinum citandis electoribus perperam egisse. Intereà verò Lantgrauium & alios Principes ac ciuitates Protestantes orat, ad 22. Decẽbris Smalcaldiam vt veniant. Vbi eo ventum est, fœdus ictum est, cui aliquot

Fœdus Smalcaldicum.

quot principes & ciuitates subscripserunt, quibusdam 1531
verò id in aliud tempus reijcientibus. Ab eo ergò loco dictum est hoc fœdus Smalcaldicum, cui temporis successu multi principes & ciuitates sese coniunxêre, non optimo certè exemplo, quòd contra Cæsarem & Catholicos se armare viderentur, id quod posteà quoquè re ipsa declarârunt, vt suo loco dicetur. Verùm dictitabant illi se non cuiusquam inuadendi, sed suî tantùm defendendi causa hoc fœdus percussisse. Hîc verò Luterus, qui aliâs docuerat non esse Turcis resistendum atrocissimis Christiani nominis hostibus, facilè consensit, immò & scripsit, in Cæsarem & Catholicos arma corripi iure posse.

Smalcaldiæ congregati Protestantes, literis ad Cæsarem datis summoperè eum absterrere conantur, nè Ferdinandum fratrem in Romanorum regem eligi patiatur. Multas allegant causas, sed quibus id demùm effecerunt, vt Ferdinandus optimus princeps, Romanorum rex renunciatus sit, sicut mox dicemus.

ANNO 1531. pridiè Epiphaniæ Domini, Ferdinandus Coloniæ in primario templo, vbì trium beatissimorum Magorum corpora condita asseruantur, Electorum principum suffragijs creatus est Romanorum rex, & die 11. mensis Ianuarij Aquisgrani coronatus. Saxo eam electionem per filium suum irritam protestatur, habuitque principes alios, præsertìm Luteranos, qui ei consentirent. Verùm Cæsar, quòd amplissimas haberet ditiones, nec posset semper esse in Germania, consultum omninò putauit, vt in Imperio haberent aliquem loco suo, qui ipso absente rebus præesset.

Ferdinandus fit Romanorum rex. Coronatur.

Hoc mense Ianuario Lusitaniam inusitatus concussit terræmotus, ità vt multi mortales terræ quassatione & ruinis oppressi sint, præsertìm Vlysbonæ, quæ vrbs damnum sensit incomparabile. Quædam etiàm nauigia turbulento inflati maris hiatu absorpta sunt, nec quisquam ferè tota Lusitania suis iam ædibus committere se audebat, subsultante scilicet solo. Rex & regina extra vrbem apert oin loco tabernaculum erexerunt: quorum exemplum secuti vniuersi ferè incolæ, castrensi more etiàm ipsi in tabernaculis sibi degendum statuerunt: quanquàm nec ibì sinè metu essent, veriti ne repentino aliquo terræ hiatu absorberentur. Durauit is terræmotus dies octo, sed tamen interpolatìm.

Terræmotus in Lusitania.

Fama

1531 Fama ſparſit Vlysbonæ 1500. magnas ædes & templa omnia funditùs corruiſſe. Eam ſecuta eſt peſtis ingens.

Proteſtantes ſcribũt Gallo & Anglo. Huius anni menſe Februario Proteſtantes literas ſcripſerunt Galliæ & Angliæ regibus, quibus ſuam cauſam egregiè tueri conati ſunt. Loquuntur ibì de vitijs Cleri, & de Indulgentijs: citant Gerſonem, qui iam olim vitia Eccleſiaſtica grauitèr notârit. Sed Gerſon ità notauit vitia Cleri, vt tamen propterea non ſe ipſe ſepararet ab Eccleſia, nec turbas cieret. Et hoc quidem illis viſum eſt de Gerſone commemorare. Quòd autem idem ipſe fortitèr ſcripſit contra eos, qui dicerent laicis neceſſariò vtranque Euchariſtiæ ſpeciem porrigi oportere, quod noſtræ ætatis nouatores pertinacitèr contendunt, eosque diſertis verbis hæreticos vocat, id ſilentio prætereunt. Facilè autem animaduerti poteſt, non Principes earum literarum fuiſſe authores, ſed Luteranos dogmatiſtas, quorum vtinàm fraudem Principes aduertere potuiſſent.

Alius Smalcaldiæ cõuentus. Menſis Martij die 29. rursùs Smalcaldiam ijdem Proteſtantes conuenêre, acturi de defenſione ſui, ſi qua vis ab hoſtibus, nempe Catholicis, inferatur. Solicitauerant per literas Fredericum Daniæ regem & Saxonicas maritimasque ciuitates de fœdere, ſed Danus recuſauit, quatenùs rex eſſet. Magnopolenſis Henricus, itemque Pomeraniæ Dux Berninus, Lubecenſes quoquè & Luneburgenſes, & quædam aliæ ciuitates fœderi minimè ſubſcripſerunt. Luterus hoc fœdus approbauit, aitque iniri poſſe, ſiue Cæſar ipſe, ſiue quis alius fortè eius nomine bellum faciat. Iam antè Proteus ille longè ſecùs ſcripſerat, quod Sleidanus quoquè non negat: ſed hic iam admonitum à Iuriſperitis dicit licere reſiſtere nonnunquàm, & eiuſmodi caſum nunc obtigiſſe, quo leges id permittant, ſicque Luterum ingenuè profeſſum ſe neſciuiſſe hoc licere, atque fœdus ipſum probâſſe. Multus in eo eſt Sleidanus ille Sacramentarius hæreticus, vt Luteri doctrinam modis omnibus propugnet, prætérquàm vbì à Zuingliano de Euchariſtia dogmate diſcrepat, & id facit longè maiori fraude & pernicie, quàm ſimplex lector poſſit aduertere: ſed ità tamen facit, vt dum vult Luterum etiàm turpitèr à ſeipſo diſſentientem tueri, ſuam ipſe prodat turpitudinem: ſicut etiam hoc loco, dum fatetur Luterum priùs docuiſſe, non eſſe reſiſtendum magiſtratui, deindè tamen à Iureconſultis ſecùs edoctum, alitèr docuiſſe & ſenſiſſe, & id quidem ex legi-

legibus politicis. Quid dicis Sleidane? Itáne iam apud Luterum & te ac tuî similes aliquid valent in re tanta leges politicæ, cùm Luterus vos docuerit nihil recipiendum, quod diuinis literis non sit expresse comprǣhensum? Sciebas Luterum pugnantia scripsisse & docuisse, & hoc fuco quodam oblinere cupiens, à legibus politicis, quid liceret, eum didicisse fateris. Et non te pudet tuî & Luteri tui? Hîc iam aliquid valent leges politicæ, cùm Luterus omnia reijciat, quæ in scripturis expressa non sint? Quàm verò turpe est, eum vos sequi Doctorem, qui à Iureconsultis demùm discere debuit, num Magistratui resistere fas sit, necne, cùm ille longè anteà scripserit, certum se esse, doctrinam suam non suam, sed Christi, esse? Cùm ergò anteà docuerit, sicut tu testis es, Magistratui non esse resistendum, & ea doctrina non ipsius, sed Christi fuerit: qua vel fronte, vel mente deindè aut ille alitèr docere potuit, aut vos alitèr docenti obtemperare? Hem, quò ruit cæca arrogantia, & vesana temeritas? Satiùs fuerat, clarissimis Principibus veritatem simpliciter aperire, quòd nullam haberent iustam causam eius fœderis percutiendi, quandò Cæsar nihil iniquum ab eis petebat, sed vt in religione idem secum & cum tota Ecclesia sentirent, vndè salus pendebat totius Germaniæ, quam istud religionis dissidium perdidit. Iam antè rustici seditiosi etiàm fœdus pepigerant contra Principes, & rectè se facere putabant, sed eorum audaciam principes meritò represserunt. 1531 *Sleidanus arguitur.* *Incōstantia Luteri.*

Luterus vbì resciuit Cæsarem & ordines Catholicos Imperij in extremis Comitijs Augustanis decreuisse firmitèr, in antiqua religione perseuerandum, nec nouandum quicquam ante Concilij definitionem, fretus viribus eorum qui in Smalcaldicum fœdus transiērant, duos hoc anno libellos Teutonicè edidit, nempè, Glossam in putatitium decretum Imperiale, & præmonitionem ad Germanos sibi charissimos. In quorum vtroque cùm planè suo more bellicum canat, & seditiones concitet, tamen nequissima simulatione protestatur se nihil velle minùs. Nec satis habet petulantèr incurrisse in Pōtificem & Ecclesiasticos proceres omnes, sed & Cæsarem & Principes Catholicos omnes non dubitat appellare proditores, ac sceleſtos vanosque nebulones &c. In Glossa vult persuadere omnibus, Decretum Augustanum esse commentitium, ac falsò prǣferre nomen Cæsaris: sed *Luterus proscindit Principes.*

1531 ris: sed eam importuni hominis calumniam multa, eaque certissima, argumenta facilè refellebant. Nam præter alia, tot sigillis Principum & procerum vtriusque ordinis Decretum illud obsignatum fuit, vt si Lutero ea in os congesta fuissent, hauddubiò teterrimum ille animum actutùm exhalâsset. Sed quid ille prodigiosus homo non ausus est scribere? Subscripserant illi Decreto siue per seipsos, siue per legatos, Cæsar ipse & quinque Electores, Principes Ecclesiastici 30. Seculares 23. Abbates 22. comites & Barones 32. Ciuitates liberæ 39. Hoc ergò Decretum miris ille modis exagitat, inter alia Catholicam Ecclesiam vocans meretricem, & multa blaterans de communione sub vtraque specie, cum tamen in Assertionibus dicat articulo 16. neutram speciem esse necessariam, sed fidem solam hîc sufficere. Porrò furore & amentia ebrius, scribit Ecclesiæ neque fidem habendam, neque morem gerendum, si quippiam præter vel extra verbum Christi loquatur aut instituat: nec aduertit à Christo dictum esse, si Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus & publicanus: & ab Apostolo vocari Ecclesiam columnam & firmamentum veritatis. Non igitur errat Ecclesia. Rectè enim dictum est ab Irenæo antiquissimo episcopo & martyre, lib. 3. cap. 40. Vbì Ecclesia, ibì & Spiritus; & vbì Spiritus Dei, illic Ecclesia, & omnis gratia: Spiritus autem veritas. Quapropter qui non participant eum, neque à mammillis matris nutriuntur in vitam, neque percipiunt de corpore Christi procedentem nitidissimum fontem; sed effodiunt sibi lacus detritos de fossis terrenis, & de cœno putridam bibunt aquam, effugientes fidem Ecclesiæ, nè traducantur. Hæc ille. Quid verò vnquam possit Ecclesia Christi statuere extra verbum Christi, cùm ipsa certissimè habeat spiritum Christi, manentem cum illa in æternum, & inducentem illam in omnem veritatem? Sed Luterus videns Catholicam Ecclesiam suis paradoxis planè contraria & docere & statuere, omnem illi authoritatem abrogare voluit, vt solus insanus Luterus audiretur.

Decretum Principum Catholicorum exagitat Luterus.

Matth. 18

1. Tim. 3.

Iohan. 14. 15.

Multa quoquè deindè contumeliosè euomit in Missam & cæremonias. Nec veretur principes porcis comparare. Et hîc iam perspicuè videre licet, quàm verum sit, quod in sua illa Augustana Confessione fatentur Luterani, se Missam retinere & vsitatas cæremonias ferè omnes, cùm Luterus in hoc quoquè libello irri-

1531

irrideat vtrunque Missæ canonem & cæremonias, & quidem valdè acerbè. Posteà vbì ad eum locum Decreti venit, vbì cauetur, nè deincèps quisquam doceat solam fidem absque charitate & bonis operibus iustificarè, mirè conuiciatur, ac deindè in hæc prorumpit verba, quibus haud scio an vel Lucifer ipse possit quicquam dicere arrogantius & insolentius: *Dico ego Doctor Martinus Luterus, Domini nostri Iesu Christi indignus Euangelista, quòd hunc articulum (Fides sola absque omni opere iustificat coram Deo) firmum atque inconcussum permittere debet Romanus Imperator, Turcicus Imperator, Tartaricus Imperator, Persarum Imperator, Papa, omnes Cardinales, Episcopi, Sacerdotes, Monachi, Moniales, Reges, Principes, Domini, totus mundus simùl cum suis dæmonibus, atque insupèr habebunt ignem tartareum in capita sua, neque grates vllas. Hic esto meus Doctoris Luteri instinctus à Spiritusancto, verumq; ac sanctum Euangelium.* Sed idem iste Luterus in libro Visitationis scribit, absque pœnitentia nullam esse peccatorum remissionem, neque absque pœnitentia remissionem peccatorum posse intelligi. Vbì autem non est remissio peccatorum, ibì certè non potest esse iustificatio. Vtrum ergò est ex instinctu Spiritussancti? isthúcne, an illud superiùs? O Deus bone, quis tandèm miserorum mortalium fascinauit pectora, vt tam importuno ac impotenti monstro, haud secùs atquè Christi Apostolo & Euangelistæ, suas animas credere non dubitârint? Quis, obsecro, vnquàm vel propheta vel Apostolus eiusmodi verborum portentis vsus est? Posteà adfert quoddam Ioannis Hussi damnati hæretici vaticinium, quod ad se ait pertinere. Sed Hussus & Luterus iam paritèr suæ temeritatis luunt pœnas, & licèt vterque Ecclesiam Romanam oppugnârit, tamen ea Ecclesia illis iampridèm extinctis manet, mansura etiàm vsque ad supremum mundi diem. In altero libello, quem Præmonitionem inscripsit, multò etiàm est insolentior, impotentior & contumeliosior. Sed non est pius lector eius blasphemijs onerandus. Responsum illi abundè fuit à Catholicis: verùm ille iam multo & Principum, & populi studio fruebatur, proindeque nullius pensi habuit scripta omnia, adeoque & Ecclesiasticos & seculares principes ac magistratus omnes incredibili mentis elatione contempsit. Cæsar eius improbitatem neutiquàm

Nota intolerabilē Luteri arrogantiam.

1531 tulisset, nisì eum grauissima, eaque ferè perpetua bella retardâssent. Edidit contra hunc Luteri libellum, scriptum quoddam lingua Germanica Ioannes Cochlæus, vir doctus & pius, & de Catholica fide optimè meritus, in quo inter cætera magna sanè constantia, vtì & aliâs non semèl fecerat, obtulit se etiàm sub periculo capitis, ad experiendum coram iudice cum quouis Luterano super doctrina & actis Luteri. Sed neque tunc, neque vnquàm aliâs quisquam eorum ausus fuit eius rei periculum facere, & cum illo in hanc iudicij disceptationem venire. Cùm enim tum Luterus ipse, tum eius symmystæ ex ipsorum editis libris planè conuincantur & hæretici & seditiosi esse, palamque venisse contra omnia tum diuina tum humana iura, verbis quidem miram præ se ferunt iactantiam & confidentiam, sed legibus experiri non audent, & neque ius, neque iudicem ferre vel volunt, vel possunt. Cùm sit autem inuicta veritas, defendi facilè potest, nec Christus deest pro veritate certantibus : indè fit, vt Catholici plerique etiàm sub vitæ periculo sæpè se obtulerint ad disceptandum cum nostræ ætatis nouatoribus coram Magistratu : sed timida nequitia, malæ conscientiæ stimulis agitata, non audet in tam præsens se discrimen conijcere: scriptis interìm & apud miseram plebeculam proijciunt ampullas & sesquipedalia verba.

Luterani non sunt ausi experiri certamen cum Cochlæo.

Fuit verò hoc Luteri pestilentissimum atque impudentissimum mendacium, quòd in eadem Pręmonitione sæpè iactitat Papistas probè scire ac vltrò confiteri, Luteri doctrinam verum ac merum esse Euangelium. Quod quidem ille faciebat, vt principes & populus tanquàm vera asserenti propensioribus animis fidē commodarent. Contra hoc eius insolens scriptum scripsit quidam laicus Dresdæ grauitèr & validè, cui Luterus suo more non Euangelico, sed scurrili & satanico respondit conuiciosissimè. Titulus libelli est, *Contra sicarium Dresdæ.* Ibì inter cætera sic habet : Nihil curo, quòd queritur, (scilicet laicus, quem sicarium vocat) in libro meo non ferè nisì maledicta & diabolos nominari. Hoc debet esse mea gloriatio, meusque honor. Sic & habere volo, vt deinceps dicatur de me, quòd plenus sim maledicentiæ, criminationisque & execrationis in Papistas. Volo & decæterò me aduersùs nebulones istos exercitare execrationibus ac maledictis vsque ad sepulturam meam, nec vllum verbum bonum ex me amplius audient. Ego meis

Luteri impudens mendacium.

Quid gloriaris in malitia? Vide hominem insania ebrium.

meis tonitruis ac fulminationibus sic eis ad sepulturam 1531
compulsabo. Sic ille miser, hauddubiò obsessus à dęmone. Ecquid verò in his verbis est non planè barbarum, immane, & plus quàm satanicum? Quis vnquàm vir bonus ità scripsit? Et certè ad sepulcrum vsque in Catholicos fuit maledicentissimus, cùm dicat Apostolus: Benedicite, & nolite maledicere. Quis autem vir fuit Luterus, vt tantum sibi sumeret? Dignus ille quidem, qui iusto Dei iudicio ad tantam insaniam & impietatem deuolueretur. *Rom.12.*

Hoc ferè tempore Maria germana soror Cæsaris, coniunx quondā Ludouici Hungariæ regis, qui quorundam infaustis deceptus consilijs, temerè cum paucis processit obuiam Turcarum amplissimis copijs, misereque perijt, in Belgium venit, successura Margaritæ Cæsaris amitæ nupèr defunctæ in administratione ditionum omnium Germaniæ inferioris, ad Cæsarē pertinentium. *Maria regina venit in Belgium.*

Protestantes iterùm conuentum habent Francofurti, vt erat constitutum. In eo ciuitatum legati renunciant, se nolle Ferdinandi regis electioni obstrepere: quòd si ille contra Euangelium vi quippiam moliturus sit, velle se ex fœderis Smalcaldici præscripto omnia sua ad defensionem conferre. Principes verò Cæsari & Ferdinando scribunt, eam electionem se nō posse approbare, quòd esset contra morem & libertatem Imperij. Itaque hac in re alia Principum, alia ciuitatum Protestantium sententia fuit. *Conuētus Francofurti.*

Ciuitates eædem magnoperè id laborabant, vt Heluetij in fœdus adscriberentur: sed Saxo recusauit, proptereà quòd de Cœna Domini non idem cum Luteranis sentirent: Non enim volebat cum ijs hominibus quicquam habere commercij, quos sciebat Lutero esse vel maximè inuisos.

Ad penultimum mensis Augusti diem Moguntinus Archiepiscopus & Ludouicus Palatinus princeps diem constituerunt, quo agerent cum Protestantibus de pace componenda. Ventum est Smalcaldiam, missis vtriusque partis legatis, sed nihil confici potuit, excusantibus sese Protestantium legatis. Hæc animorum, præsertìm in religione, dissensio non latebat Turcarum principem, qui totis viribus in Germaniam sese armabat. Egit quoquè Cæsar priuatim per Guilhelmum Nassouium & Nuenarium comites cum Saxoniæ Principe, si qua posset concordiæ ratio iniri: sed ille aie- *Cæsar agit cū Saxone per legatos.*

1531 bat in ea se doctrina ad supremum vsque spiritum permansurum, quam Augustæ sit professus. Ea fuit Luteri doctrina. Sed vtinàm ille princeps eam constantiam in Catholicæ Ecclesiæ doctrina retinenda declarâsset.

Quinquepagici Heluetij indicunt bellum Zuinglianis.

Hoc anno Tigurini & Bernates Zuingliani, quorum est apud Heluetios magna authoritas & potentia, Quinquepagicis, nempè Lucernatibus, Vranis, Suicijs, Vnterualdijs & Tugianis, qui Catholicam religionem fortissimè tuebantur, omnes conuehendæ annonæ aditus præcluserunt. Ea res vehementèr Quinquepagicos afflixit, compulitque bellum Tigurinis & Bernatibus indicere, vt factum est. Causas eius belli graues & vehementes in literis suis exprimunt: vt meritò pudere debeat Sleidanum, dum ait silentiò ab illis fuisse conductas copias, culpamque omnem eius belli in eos conferre nititur. Sed non est hoc valdè turpe apud Sleidanum, mala fide in rebus narrandis versari. Indictum est hoc bellum Tigurinis & socijs eorum die 4. Octobris. Itaque vtrinquè sese ad arma parant. Tigurini longè præstant humanis copijs & viribus: Quinquepagici causæ suæ æquitate freti, omnem spem suam in Dei auxilio collocant. Die 11. Octobris Tigurini apud Capellam monasterium Suicios, Tugianos & Vnterualdios inuadunt, Catholici fugam simulant, vt in paratas insidias hostem pelliciant. Mox ex insidijs valido agmine prorumpentes, Tigurinos in fugam compellunt. Cæsi sunt ex Tigurinis 1500. & in ijs omnium malorum incentor & caput Zuinglius, qui inuentus à duobus Catholicis adhùc spirans, interrogatusque num confessione expiare se vellet, mortuum se simulans, nihil respondit. Et illi quidem hominem non nouerant. Alius verò superueniens, vt vidit miserum, lœtale vulnus inflixit, detulitque ad belli duces, qui eum iudicio publico condemnatum proditionis & hæreseos, flammis tradi iusserunt. Cæsi sunt cum illo etiàm alij quidam apostatæ insignes. Ferunt, Tigurinos quosdam Zuinglij cineres domum absportâsse. Quid ni enim? Qui diuorum omnium cineres & reliquias nullo dignantur honore, digni erant qui damnati hæretici apud se cineres asseruarent. Eius vero mors vsqueadeò doluit Oecolampadio desertori monacho, vt paulò pòst à fœmina, quam incestis polluit nuptijs, in lecto extinctus repertus fuerit. Vsqueadeò enim frigidum est hoc genus apostatarum, vt periculum sit, nè præ

Zuinglius occumbit in prælio.

Nota.

Oecolampadius moritur.

præ frigore moriantur, nisi quamprimùm lepidam ali- 1531
quam puellam sibi per summum scelus adiungant, cuius
sulfureis amplexibus incalescant illo igne, quem non
Dominus Iesus amator integritatis & virginitatis fili-
us, sed tartareus satan misit in terras. Tigurini autem
hac accepta clade, intra paucos dies rursùs maiores in-
struunt copias, accitisque Bernatibus, ad triginta homi-
num millia producunt in aciem. Occurrunt illis Catho-
lici, quorum tota cohors octodecim millibus constitit.
Iterùm concursum est infestis signis, Zuingliani cæ- *Aliud*
duntur à Catholicis, fit fuga turpis Zuinglianorum, flu- *prælium.*
men quingentos absorbet, in conflictu septingenti pro-
sternuntur. Id prælium commissum est Octobris die 17.
Pessimè habuit ea res Tigurinos & Bernates, quòd plu-
rimi à paucis in fugam turpitèr acti & superati essent.
Eamobrèm in auxilium adsciscunt sibi Basileenses &
Schaffhusianos & Sangallios, & Mullusianos, eo consi-
lio, vt noctù Catholicos imparatos inuadant. Non la-
tuit Quinquepagicos quid illi machinarentur, iubent-
que suos interulas lineas armis superinducere, vt eo
symbolo noctù possint alij ab alijs internosci. Vbi *Tertium*
ad pugnam ventum est, atrox fit prælium, iamque Ca- *prælium.*
tholici non paucis amissis debilitari cœperant: sed De-
us, qui pijs nunquàm deesse solet, laborantibus opem tu-
lit, adeò vt hostes fugam arripere cogerentur, aliquot
millibus è suis desideratis. Fuit hoc die Octobris 24.
Sunt qui scribant, vltima Octobris iterùm commissum
esse prælium, multis Tigurinis occisione deletis. Est *Eremus*
apud Heluetios templum quoddam inprimis venera- *apud Hel-*
bile & miraculis celebre, Deiparæ virgini sacrum: Ere- *uetios.*
mum appellant. Ad id templum Quinquepagici pro-
cessionem decreuerant, à senibus, pueris, fœminis, vir-
ginibus, omnique imbelli turba peragendam. Tulerunt
hoc ægerrimè Zuingliani, iamque constituerant illam
ædem euertere, & imaginem beatissimæ Virginis in fru-
sta concisam, igni absumere. Sed ille tam barbarus & à
Christiana pietate alienus conatus, multo illis sangui-
ne constitit, nec tamen voto sunt potiti suo. In his præ-
lijs cùm Zuingliani longè essent armis & milite supe-
riores, satis euidentèr sese declarauit superni Numinis
fauor, quo freti Catholici, præclaras ex eis victorias re-
tulerunt. Habebant enim Catholici in exercitu suo sa-
crificos suos, quibus sua errata confiterentur, & quorum
sacrificijs quotidiè interessent, in quibus sanè religiosè

1531 admodùm diuinum implorabant auxilium, vt ostenderent se non in armis, sed in potentia Dei spem suam reposuisse. Constituerant etiàm xviij. viduas, quæ per vices nocte ac die senæ sempèr in templo D. Virginis eremitico pro exercitu deprecarentur. Ad extremum certis quibusdam conditionibus pax redintegrata est. Non dubium quin hac sua constantia sempiternam apud omnem posteritatem sibi laudem pepererint inuicti illi Catholicæ fidei assertores, cuius nomine seipsos & sua omnia in extremum non dubitârint discrimen adducere, nihil prorsùs absterriti neque multitudine neque potentia hostium, quòd scirent se causam fouere bonam, cui libentèr fauere soleat rerum omnium præpotens Deus.

Pietas & deuotio Quinquepagicorũ.

Henricus Bullingerus successor Zuinglij.

Zuinglio apud Tigurinos successit Henricus Bullingerus, qui longo tempore solus ferè, vt suam declararet animi pertinaciam, Zuinglianum dogma libris editis propugnare non dubitauit, alijs interìm & metu se intra silentium tenentibus, & sensìm in Luteri placita discedentibus. Multos enim ea, quam diximus, Zuinglianorum in Heluetijs strages, à Zuinglij sententia absterruit, & erant res Tigurinorum vehementèr afflictæ. Zuinglianus quidam duos illos miseros homunciones, Zuinglium & Oecolampadium, qui paruo, vt diximus, interuallo ex hac luce repentè subtracti fuére, vocat duo præclara Ecclesiæ lumina, quos tamen non solùm Catholica Ecclesia, sed etiàm Luterus ipse non alio quàm hæreticorum loco habuit. Quòd autem de malis hominibus tam præclarè sentiunt ab illis miserè euersi, id in augmentum cedit damnationis illorum apud inferos: præstaretque nullam vnquàm haberi eorum mentionem, quàm illos vel tenuitèr laudari. Est autem certè prodigiosum valdè, illos homines dici Ecclesiæ lumina, qui vastissimas Christiano orbi tenebras offuderunt. Oecolampadius Basileę sepultus est in summi templi circuitu, eique etiàm insigne positum est epitaphium his verbis: D. *Iohannes Oecolampadius, professione Theologus, trium linguarum peritißimus, author Euangelicæ Doctrinæ in hac vrbe primus, & templi huius verus Episcopus, vt doctrinæ, sic vitæ sanctimonia colendißimus, sub breue saxum hoc conditus iacet.* Ità apostata monachus, qui diù in incesto vixit coniugio, & aliquot proles reliquit, orbemque horrendis blasphemijs infecit, vocatur vitæ & doctrinæ sanctimonia

Væ qui dicis malum, bonum.

Epitaphium Oecolampadij.

monia colendiſſimus, & verus Epiſcopus Baſileenſis, 1531
quaſi tum primùm Baſilea conuerſa ſit ad fidem Chriſti,
quod certè illi vrbi vel maximè probroſum eſt. O quanta ignominia & dedecore afficientur iſti in ſupremo mundi die, qui etiàm poſt tantam iniquitatem eiuſmodi ſunt encomijs celebrati. Scripsêre quidam de eoipſo Oecolampadio, quòd ferro primùm, deindè veneno ſibi mortem inferre conatus ſit, ſed à ſuis impeditus, ſubita morte periërit. Zuingliani hoc negant, atqui eorum ſuſpectum eſt teſtimonium, præſertìm cùm iſti noui Euangelici non admodùm à pudendis etiàm mendacijs abhorreant: verùm vtcunquè ſit, ſi ſic mortuus eſt, vt Zuingliani ſcribunt, nempè in ſuo errore obſtinatus, infeliciſſimè mortuus eſt. Rectè enim ait ſcriptura: Mors peccato- *Pſal.33.*
rum peſſima. Cùm Zuinglij & Oecolampadij mortem ex cuiuſdam Catholici viri literis Thomas Morus Angliæ Cancellarius cognouiſſet, ità illi reſcripſit: Zuinglij & Oecolampadij mors nunciata, lætitiam mihi attulit. Quanquàm enim dolendi cauſas reliquêre nobis heu nimiùm graues, propter multa, quæ neque ſinè horrore eloqui poſſum, & nemini ſunt ignota, neque audire homines pij ſinè profundo gemitu debent: ſublatos tamen è medio eſſe tam immanes fidei Chriſtianæ hoſtes, tam accinctos ad Eccleſiæ excidium, tam intentos vbiquè in omnem perimendæ pietatis occaſionem, iurè gaudere poſſumus. Hæc ille vir tantus, cuius ſententia habet ſemperque habitura eſt pondus præcipuum apud bonos omnes.

Zuinglij ſtudioſus quidam ſcribit, hoc tempore in Gallijs Euangelij quædam iam ſparſa fuiſſe ſemina, ſed diuturnam ibì & horribilem, in Zuinglianos præſertìm, perſecutionem eſſe motam. Hoc nomine rex Gallorum Franciſcus multa laude dignus eſt, quòd has orbis peſtes, eorumque dogmata in ſuis ditionibus ferre noluit. Porrò verò in hac Zuinglianorum calami- *Luterani*
tate Luterani quoquè quotidianis concionibus, libris, *inſultant*
epiſtolis & carminibus, victis inſultabant, aiebantque *Zuinglia-*
iurè illos dediſſe pœnas ob iniurias Sacramento illa- *nis.*
tas. Et hoc quidem verum erat, ſed non decebat Luteranos iſthuc Sacramentarijs improperare, cum quibus iam Marpurgi pacti erant, vt deincèps à ſcriptis odioſis vtrinquè abſtineretur, & ipſi Luterani non minùs, atquè Sacramentarij, hæreſeos damnati erant. Sed quid iſti ſeruarent pacta conuenta cum hominibus, qui fidē Deo datā

1531 fallere non dubitârunt, cùm plerique post votum perpetuæ continentiæ palàm Deo nuncupatum, palàm ad nuptias transierint? quas quidem nuptias Augustinus libro de Bono viduitatis, adulterijs dicit esse peiores.

Zuingliani fiunt Luterani. Multi tum ad Luterum à Zuinglianismo paulatìm deficiebant, & vsqueadeò Zuinglij & Oecolampadij nomen, tanquàm pestilentissimorum hæreticorum, quales reuerà fuerant, execrationi habuêre etiàm sectarij, vt scripta eorum prorsùs condemnârint. Quin & Bucerus versutissimus apostata scripsit Tigurinis concionatoribus, Luteri sententiam de sacramento sibi tolerabilem videri, quem illi contrà hortati sunt, nè à tam manifesta Sacramentariæ doctrinæ veritate ad Luteri dogma deficeret. Multis enim modis Zuinglij sententiam Bucerus hactenùs probârat: sed ità tamen, vt videatur susque deque tulisse, vtcunquè de Sacramento sentiretur, modò ipsi liceret suauitèr & mollitèr cum sua Dalila viuere, & huius mundi voluptatibus frui. Quid enim aliud sentiendum est de excucullato monacho, in incesto concubitu tot annis putrescente? Et, nisi fallor, huius viri calliditate effectum est, vt etiàm Argentinenses, cùm suam confessionem Augustæ exhibitam copiosiùs exposuissent, non diù pòst in fœdus Smalcaldicum tandèm recepti sint. Videtur enim Bucerus ità vafrè illam Confessionem esse interpretatus, vt à Luterana aut nihil aut parùm abhorrere demùm visa sit. Et certè id ille sæpiùs etiàm Heluetijs persuadere conatus fuit mira verborum perplexitate, sed illi hominem versutum audire noluerunt.

Cõuentus Francofurti. Mensis Decembris die 19. Protestantes Francofurti tursùs conuenerunt, acturi de vlteriori sui fœderis defensione. Valdè illi soliciti fuêre rerum suarum, vt propemodùm suspectos sese reddiderint de mala fide, quasi Euangelium suum non, nisi armis defendi posse putârint, cùm tamen à Lutero didicissent, ne Turcis quidem resistendum. Sed quis tandèm huius inauspicati fœderis exitus fuerit, quàm nihil contulerit fœderatis, quot clades illis attulerit, infrà Deo volente dicemus. Rectè dixit Sapiens: Non est sapientia, non est prudentia, non est consilium contra Dominum. *Prou. 21.*

Cetus eijcitur. Hoc anno haud procul ab Harlemio, insigni Hollandiæ oppido, eiectus est piscis ingens ex Oceano, longus 68. pedes, crassus 30. oris tanta vastitate, vt pateret pedes duodecim.

ANNO

ANNO 1532. Cæſar Carolus comitia indi-xerat Spiræ, ſed ob Turcarum irruptiones transtulit ea Ratiſponam, vt eſſet propinquior Auſtriæ, cui imminebat Turcarum tyrannus. Interim rurſum Cæſaris permiſſu quidam Catholici Principes egerunt de pace cum Proteſtantibus, qui tum Suinfurti ſuos conuentus habebant. Multa ſibi permitti volebant Proteſtantes, & cùm non poſſet certa concordiæ via inueniri, Norinbergæ alter indictus eſt conuentus. Iam Turca cum incredibili exercitu imminebat Germaniæ, nec poterat negocium vltrà protrahi. Itaque Cæſare conſentiente in tanta rerum difficultate, pax publica totius Germaniæ ſancita eſt, & vt ad Concilium vſque nulli fiat moleſtia vlla religionis ergò. Sperabat enim Cęſar intra paucos menſes celebratum iri concilium. Multa coactus eſt pijſſimus Princeps ob temporum calamitatem diſſimulare, hauddubiè non facturus, ſi tanta Turcarum vis in certiſſimum totius Europæ exitium Germaniæ non incubuiſſet. Vbi verò Proteſtantes Cæſaris hoc decretum acceperunt, obſequentiam & officium illi deferunt, & auxilia contra Turcas pollicentur. Interim Luterus & noui dogmatiſtæ animis erigebantur, quòd viderent magno ſe metu liberatos, Cæſare Turcico bello diſtento. 1532

Hoc anno Chriſtiernus Danorum rex, ob Tyrannidem pulſus è ſuo regno, conſcripto milite, decimo exilij ſui anno conatus eſt amiſſas recuperare ditiones: ſed vbi in Noruegiam & Daniam venit, captus eſt parùm integra fide, cùm literis & ſigillis cautum ipſi fuiſſet. Miſſus indè in carcerem, ad ſupremum vſque diem vitæ ſuæ manſit captiuus. Tandèm cùm populus videretur propenſis in illum eſſe animis, fertur præſentiſſimo veneno ſublatus. Fuerat illius certè immanis & barbara planè crudelitas, cui etiàm hoc acceſſit, quòd in Luteri hæreſin lapſus, in ea quoquè diem ſuum obijt. Poteſt ille regibus & Principibus eſſe exemplo, vt ſi rectè & ordine ſubditis ſuis imperare ac dominari velint, priùs ſuis affectibus ſuoque animo dominari diſcant. Sed de hoc rege iam antè quoquè diximus.

Chriſtiernus Danus capitur à ſuis.

Cùm Cæſar & Principes eſſent Ratiſponæ, certis affertur nunciis, Solimannum innumeris inſtructum copijs, in Mœſiam penetrâſſe. Dolebat barbaro & arrogantiſſimo Tyranno, quòd non longè antè cum igno-

Solimannus immi-net Germaniæ.

1532 minia à Viennæ mœnibus depulsus & profligatus esset: famaq; erat, ea causa auctis copijs venire in Germaniam, vt Viennã maioribus viribus oppugnaret. Putabat enim vni sibi summo iure deberi Romanum Imperium, qui Constantini potentissimi Grecorum Imperatoris sedem occupâsset. Præterea cùm de Carolo Cæsare mentio haberetur, vel literæ scriberentur, eum non Cæsarem, sed Hispaniæ regem barbaro quodam fastu appellare solebat. Porrò in certam spem victoriæ se vocari minimè dubitabat, quòd certò comperisset Germanorum inter se de religione dissensiones, quæ illi animos vehementèr augebant. Et reuerà actum fuisset de tota Europa, nisi communi omnium sententia & voluntate auxilia Imperatori decreta fuissent. Quod quidem illi Tyranno preter expectationem euenit, qui Imperij sui fines Ottomannorum principum more magis magisque prolaturus, Germaniam spe iam deuorârat. Solent enim Ottomanni exercendo militi bella ex bellis serere, è veteri disciplina inerti ocio neutiquàm eos corrumpi sinere, finitimos quosque tanquàm veros hostes armis in potestatem redigere. Eo instituto alternis annis ingentes copias educendo, multis gentibus bello superatis, supra viginti Asiæ atque Europæ regna suo Imperio adiecêre.

Ottomannorũ erga milites institutum.

Ferdinandus rex certior factus de Solimanni expeditione, tres legatos cum muneribus ad eum mittit, quos ille quidem humanitèr suscepit, sed nihil impetrârunt aliud, nisi vt castra sequerentur. Cæsar interim proponit in comitijs Ratisponensibus, quanto in discrimine res sint, nisi animis ad concordiam reuocatis, coniunctis viribus immani hosti eant obuiàm. Tum verò principes legatique omnes propensissimis animis pollicẽtur, se more Maiorum salutem publicam & communem omnium, maximeque Imperij existimationem defensuros. Itaque disceditur, & vno omnes animo ad arma se parant. Cæsar ex Italia instructissimas Italorum & Hispanorum copias accersit. Andreæ quoque Auriæ maris præfecto dat negocium, vt comparatis triremibus & onerarijs nauibus aduersùs Turcarum classem in Græciam traijciat. Clemens Pontifex ad id bellum immensam auri vim contulit, & eo officio suum in Rempub. animum verè paternum egregiè testatus est, quanquàm exactiones sacerdotijs & clero impositæ, nimiùm graues plerisque viderentur. Galliæ & Angliæ reges, itemque Heluetij, eius belli spectatores ociosos se præ-

Legati ad Solimannũ missi.

Clemens Pontifex confert pecuniam.

se præbuerunt: sed si quid Germaniæ præter spem accidisset, nihilo meliori loco eorum quoquè res futuræ erant. Legatum Pontifex misit Hippolytum Medicem Cardinalem, iuuenem naturæ & fortunæ donis longè ornatissimum, qui bello interesset. Fuit eius aduentus non modò Cæsari & Ferdinando, sed etiàm Germanis vel maximè gratus. Nam præter ingentem pecuniam, etiàm multos viros fortes ac militares equos adduxit, nullum interìm Cardinei cultûs fastum præ se ferens. Eius pecuniæ parte quadam conducta sunt octo millia equitum Hungarorum, quos se habiturum Ferdinandus promiserat. Erant apud Ferdinandum duo, præter alios, duces admirandæ virtutis, quibus singulis singula vexilla honoris causa de manu tradidit Cardinalis, in quibus pictæ erant imagines crucifixi Seruatoris nostri, quæ vel ferrea possent mouere pectora ad pietatem. Sub hoc tempus Vaiuoda Aloysio Gritto, quem Turca illi socium reliquerat, negocium dat expugnandæ Strigonij arcis, quæ Ferdinandi præsidio tenebatur. Milites Germani eam oppugnationem aliquandiù fortissimè sustinuerunt, licèt rerum propè omnium inopia laborarent, parumque feliciter cum Turcis nauali prælio manus conseruissent, qui eis subsidio missi fuerant. Interìm in Austriam ex Italia venit Hispanorum ac Italorum non contemnenda manus, ità vt Alphonsus Vastius Cæsaris dux egregius, plerosque Italos, superante militum multitudine, dimittere cogeretur, quod quidem inuitus fecit, sed sic Cæsar iusserat. Indè Cæsar cum copijs Belgicis, quæ erant mirificæ, per Danubium à Ratispona Lincium deuehitur. Nunquàm tot naues, totque milites à Romanis vsque temporibus Danubius tulit. Vndiquè audire erat consalutantium acclamationes, tympanorumque & cornuum ac tubarum cõcentus. Ripæ quoquè fluminis equestribus & pedestribus copijs complebantur. Solimannus intereà vbi Belgradum peruenit, Sauo amne multis simùl pontibus constrato, innumerabilem equitum multitudinem in Pannoniam intulit, & in Valeriam prouinciam, quæ Stiria hodiè dicitur, rectà contendit.

1532

8000. equitum Hungarorum.

Copiæ Cæsaris.

Ex legatis Ferdinandi & captiuis quibusdam posteà cognitũ est, in exercitu eius fuisse ad quingẽta hominum millia, & in ijs trecenta ferè equitũ millia. In ipso itinere occurrit illi Guintium oppidum, quod Nicolaus Lurixius parua suorum manu contra tantam hostiũ vim defendere

500000. Turcarũ.

Guintium non possũt expugnare.

1532 dere non dubitauit. Circundata est vrbs immenso exercitu, aguntur cuniculi, certatur vtrinquè acerrimè: sed cùm tandèm eò iam res redijsset, vt immanissimi hostes propemodùm intra murum irrumperent, ingens clamor à fœminis & pueris sublatus, ferocissimum militẽ prorsùs attonitum reddit, ità vt impetum Turcæ reprimerent. Vrgebant præfecti Turcarum milites verbis & verberibus, vt fortitèr pedem proferrent: sed ijs planè detrectantibus, pugna finem habuit. Referebant Turcæ, se equitem districto gladio ipsis vrbem inuadentibus minas intentantem in aere conspexisse, quem plerique piè crediderunt D.Martinum fuisse, qui Sabariensibus, à quibus Guintium parùm aberat, omnibus dubijs temporibus sempèr opitulari consueuerit, licèt id rideant hęretici, quorum impietas nos ad imploranda Diuorum suffragia multò etiàm magis commouere debet. Scimus enim certa fide, illos iam Deo cõiunctissimos quidlibet facilè ab eo impetrare posse. Dolendum est, ante tot secula in Vigilantio & alijs perditis hæresum architectis damnatos errores, hoc æuo rursùm ab inferis in orbem reuocari, nec pudere Christianos eorum probare dogmata, quorum est apud Catholicam Ecclesiã memoria execrabilis.

In hac exigui eius oppiduli oppugnatione diebus 23. hæsit Solimannus, & cùm vi expugnare non posset, quod mirum profectò fuit, certis tamen conditionibus transegit cum Nicolao præfecto, atque ità non sinè dedecore indè abscedens, in Carinthiæ fines iter habuit.

Cùm adhùc apud Guintium esset, Ferdinandi legatos serica talari veste & singulis argenteis pateris donatos cum literis ad Cæsarem & Ferdinandum remisit. Erant illæ in oblongo & perangusto dentatæ chartæ volumine aureis atque cæruleis literis Arabicè conscriptæ, obsignatæque aureo sigillo, & sacculo purpureo inclusæ, tantis inuolucris barbari vanissimique regis superbiam præferentes.

Literæ Solimãni ad Cæsarem.

Summa literarum erat, se Ioannis Vaiuodæ amici sui ac beneficiarij vlciscendi causa in Pannoniam venisse, ipsorumque ditiones infesto exercitu vastaturum, & de totius orbis imperio cum eis prælio decertaturum. Hæc quidem ille & alia multa superbissimè, quæ tamen posteà, pręsertìm quòd ad pugnam conserendam attinet, non præstitit. Habebat in exercitu suo tormenta ænea curru-

Bõbardæ currules.

curulia circitèr trecenta : castra plena erant omnis opulentiæ, securitatis, silentij, disciplinæ : vniuersus exercitus veruecinis carnibus atque oriza affatìm reficiebatur. 1532
Verùm enimuerò non fuit ausus rectà proficisci ad Cæsarem, cuius exercitus magna alacritate eius aduentum ad Viennam sustinebat. Nè tamen absque Germaniæ clade discederet, missus est Casonus dux strenuus & impiger cum quindecim millibus equitum, qui omnia longè lateque depopularentur, & summam Germanis calamitatem sua crudelitate adferrent. Non defuit Casonus Solimanni votis : fit magna pasSìm in agris & pagis cædes hominum : cuncta fumo, flammis & ignibus per multa milliaria collucent, rapiũtur in captiuitatem pasSìm miseri, senes inualidi, fœminæque catenis & laqueis tracti, equorum cursum adæquare coguntur, infantes pueri simul cum ædificijs exuruntur. Ad Lincium vsque oppidum, vbì tum erat Ferdinandus rex, ea barbarorum rabies progressa est. At vbì multa onustus præda eodem ferè, quo venerat, itinere ad Solimannum redire contendit, in nostros pedites & equites incidit, qui diuersis in locis eius reditum opperiebantur. In ipso autem itinere captiuos ad quatuor millia, nè oneri essent, immanis barbarus crudelitèr occidit. Progressus indè, in Palatinum incidit, à quo magna equorum & hominum strage edita, ipse quoquè Casonus fortissimè pugnãs cæsus est. Qui superfuêre, paulò pòst in Londronij & Ioachimi Brandeburgici copias delati, pecudum modo mactati sunt, captis tamen nonnullis, qui in seruos venderentur. Postremi, qui effugerant Germanos, Hungaros sensêre longè infestissimos, qui etiàm fugientes per sexaginta ampliùs stadia, terga cedentes, persecuti sunt. Ità in diuersis locis ad octo ferè millia periêrunt. Quidam multò plures perijsse scribunt. Iam Solimannus ad Gratiam contenderat. Cæsar verò ad Viennam castra posuit, non detrectaturus prælium cum hoste superbissimo : sed frustrà illius aduentum præstolabatur. Ferunt eum à quibusdam Christianis proceribus admonitum, ne pugnæ aleam subiret, quòd Germania omnis in armis esset. Nec tum solùm, sed etiàm aliàs constat, Turcas, cùm iam in magno discrimine versarentur, à Christianis, vt sibi cauerent, admonitos. Sed tales nomine fortasSis sint, re autem vera minimè sunt Christiani, qui plùs Christiani nominis atrocissimis hostibus, quàm rebus Christianis fauere videantur. Solimannus itaque, licèt equitatu nostros multis modis supera-

Cædes, rapinæ, incendia.

Turcæ à nostris trucidantur.

Turca detrectat prælium.

pera-

1532 petaret, essetque alioquì bellicæ gloriæ auidissimus, non tamen est ausus vires periclitari suas, sed (quod maximè dolendum est) plus quàm triginta millibus Christianorum in fœdissimam seruitutem (vt ferebatur) abductis, præter eos quos Casonus & quidam alij Turcæ diuersis in locis trucidârant, Constantinopolim ex turpi fuga sempiternam secum ignominiam reportans, ità discessit, vt identidèm respectaret, an Cæsar à tergo sequeretur. Sic immanis ille Tyrannus intra paucissimos annos bis Germanorum è finibus cum dedecore profugit, pugnante hauddubiò pro pijssimis principibus Carolo Cæsare & Ferdinando rege, quos omninò extinctos voluit, Deo Opt. Max. quem illi sempèr religiosè coluêre, maximo ad omnem posteritatem veræ pietatis exemplo, quod Principes viri imitari summoperè debeant. Nam tametsi in hoc bello habuit Cæsar descriptorum peditum nonaginta, & equitum triginta millia, præter alios multos vltrò in id sacrum bellum profectos, præter equitum quoquè & peditum ministros, quorum erant non contemnendæ vires, & bellandi peritia haud vulgaris, nos tamen totam hanc victoriam, quæ certè fuit memorabilis, non tam humanis viribus, quàm præpotentis Numinis fauori acceptam referre debemus. Sicut enim in Cæsare fuit singularis erga Deum pietas & animi deuotio, ità quoquè singulari sempèr ferè Dei Opt. Max. benignitate & fauore perfruitus est. Vbi verò Cæsar de Solimanni discessu cognouit, in Italiam cum aliquot Germanorum & Hispanorum millibus proficisci instituit, plurimùm deprecante Ferdinando, vt tanto exercitu vterentur ad opprimendum Vaiuodam, quem Solimannus Hungariæ regem constituisset. Verùm Cæsar multis de caussis, tum quòd hyems subesset, tum quòd pestis atrox in castris atque adeò in ipsa aula multos quotidiè raperet, in proposito discedendi permansit: sic tamen, vt Italicas copias omnes relinqueret, quæ Austriacis iunctæ, bellum Pannonicum gererent. At verò Itali excitata seditione, sublatisque vexillis, summo Ferdinandi regis dolore, in Italiam contenderunt.

30000. Christianorũ capta.

Turca fugit.

Exercitus Cæsaris.

Cæsar abijt in Italiam.

Interìm dum Cæsar in Italiam parat iter, Andreas Auria cum ingenti classe aduersùm Turcos proficiscitur, quibus hauddubiò eius inopinatus aduentus certissimam videbatur cladem allaturus, nisi à Venetis quibusdam de Auriæ aduentu certiores facti, matura omninò fuga sibi consuluissent. At nihilominùs oppida aliquot

Andreas Auria aliquot Græ-

quot Græciæ, egregiè profligatis Turcis, Auria expugnauit, longè maiora damna daturus Solimanno, procul à Constantinopoli in Germania bella tum gerenti, si Veneti, quorum erat instructa admodùm classis, suas vires cum Cæsaris copijs coniungere voluissent. At illi fœdere cum Solimanno icto, quò minùs id facerent, se prohiberi asserebant. Non defuisset tum occasio rei apud Constantinopolim quoquè & alibì benè gerendæ, Gręcis præsertim Christianorum aduentum, suique è durissima seruitute liberationem auidissimè præstolantibus, Solimanno verò longissimè à Constantinopoli posito, si Christiani Principes coniunctis viribus sæuissimum hostem opprimere voluissent. Nulla ergò re magìs auctæ sunt Ottomannorum vires & potentia, quàm Christianorum intestinis odijs, bellis & simultatibus, quæ plerunquè ex rebus friuolis trahunt originem, dum alij alios excellere volunt, nec contenti ditionibus suis, alienas inuadunt, aliaque bella ex alijs serunt propter Meum & Tuum.

1532

cia vrbes expugnat

Cùm Ratisponæ Comitia adhuc haberentur, publicè prostabat scriptum quoddam valdè impium, hac inscriptione, *De Trinitatis erroribus libri* VII. *Michaelis Serueti Hispani*. Nefarios cumprimìs & inauditos hoc opus complectebatur errores, dataque opera est à Cæsaris confessario, vt supprimeretur. Verùm eodem tempore homo Germanus è terra Iuliacensi, Ioannes Campanus, qui biennio Luteri discipulus fuerat Vuittenbergæ, eosdem ferè de summa Trinitate errores asserere non dubitauit. Atquì Luterus, tametsi in eum calamum strinxit, tamen ad tantam impietatem fenestram illi aperuit, cùm non est veritus scribere libro aduersùs Iacobum Latomum, se odisse vocem Homousion, quam etiàm dicit non receptam à multis, ijsque præclarissimis: quin & Hieronymum ait queri, nescire se, quid veneni lateat in syllabis & literis. Verùm ibì sceleratissimè de D. Hieronymo mentitur. Is enim in quadam ad Damasum Epistola de Hypostasi dubitat, non de Homousio: immò verò etiàm per Homousion Trinitatem orat Damasum, vt respondeat. Porrò Luterus hocipsum iu Arrianis probat, quòd noluerunt Homousion, quam dicit prophanam vocem, recipere. Quòd autem D. Hieronymus de hypostasis vocabulo hæsitat, indè accidit, opinor, quòd Hypostasis Græcis substantiam significat, sed à Theologis in rebus diuinis prò persona accipitur. Et vna quidem est diui-

Michaëlis Serueti impium scriptum.

Ioannes Cãpanus.

Luterus mentitur.

1532 diuinitatis ſubſtantia, perſonæ verò tres. Habuit itaque ea dictio Hypoſtaſis quandam amphibologiam, vt à maleuolis & de ſubſtantia diuinitatis, & de perſona poſſet accipi. Quamobrèm etiàm repræhenduntur à D. Baſilio Epiſtola 64. ad præcipuos in Neocæſarea, qui D. Gregorij Neocæſareñ Epiſcopi verbis, quibus contra ethnicum diſputans, hypoſtaſin pro ſubſtantia præter aliorum Patrum morem vſurpârat, ad ſtabiliendum impijſſimum Sabellij dogma abutebantur. Porrò auſus eſt *O ſcelus.* quidam Poëticus Theologus tres ſummè adorandas perſonas, tres Chimæras dicere, prouocatus audacia Luteri.

Scriptum Bugenhagij. Hoc anno ſcripſit Germanicè librum Iohannes Bugenhagius Pomeranus, excucullatus monachus, contra Catholicos, quem voluit appellari, *Aduersùs calicis fures.* Illum apoſtatam Vuittenbergenſes ſuum paſtorem & ſuperintẽdentem vocant. Is liber ſcatet maledictis, mendacijs & calumnijs, vt agnoſcas ſpiritum Luteri quinti Euangeliſtæ. Impotentèr incurrit in Epiſcopos, quòd populo calicem ſubtraxerint: damnat quoquè Miſſæ ſacrificium, perindè àc ſi Eccleſia ab impuris apoſtatis diſcere debeat, quo ſint ritu & ordine Sacramenta adminiſtranda. Idem Apoſtata profectus quandoquè ad amplas quaſdam ciuitates, præſertìm maritimas, non abſque tumultu & ſeditione, qua nouum gaudet Euangelium, Luteri dogmata ſparſit in vulgus rerum nouarum auidum, Eccleſiasquè Lutericas ſpiritu illo quo plenus erat, conſtituit & confirmauit. Cùm autem ex Dania rediret, & ſinu Baltici maris emenſo, non quidem abſque *Vox digna deplorato apoſtata.* tempeſtatis periculo, littus Cimbricæ Cherſoneſi attigiſſet, non eſt veritus palàm his vti verbis: Tu meum habeas Dania Euangelion, ego nummos tuos. Vale. Et reuerà non parùm multis onuſtus opibus redijt Vuittenbergam, ſuauitèr & mollitèr illic perfruens rebus tam præclarè partis. Confecto bello Smalcaldico, de quo infrà dicetur, librum edidit, quo auaritiæ ſuæ dolos haud obſcurè prodidit delirus ſenex. Contra eius libellum, aduersùs fures calicis inſcriptum, grauitèr & eruditè catholicos defendit Michaël Vehus Doctor Theologus, profeſſione Dominicanus, qui fuit Cardinali & archiepiſcopo Moguntino à conſilijs. Principiò obijcit illi apoſtatæ maledicendi & conuiciandi libidinem: deindè oſtendit, quæ illum probare oporteat. Ait ergò: In quolibet negocio optimum fundamentum eſt veritas:

qua

qua ille prætermissa, librum orditur à mendacijs. Itaque nos eius calumnias domùm remittemus, donèc sua probet mendacia. Quòd si verò nescius est, quid illi probandum incumbat, nos haud grauatìm id eum docebimus. Primò quidem planum faciet, Calicem ex Christi mandato ab omnibus necessariò sumi oportere, id quod ille adhuc cum suis neque fecit, neque facere vnquam valebit. Sed estò: Sint hæc ad omnes dicta à Christo, Bibite ex eo omnes: at tum quoquè docere debebit, ea verba necessarium habere præceptum. At si hìc suos consulat, inueniet suæ sectæ primarios id negare, dicereque Christum neque alteram, neque vtranq; speciem sumendam præcepisse. Deindè si hoc quoquè ponamus, ea verba habere necessariam præceptionem, iam illud nihilo minùs testatum faciet, quòd ad singulos speciatìm, non ad omnes generatim, dicta sint, sicut illud, Crescite & multiplicamini. Atquì hoc etiàm concesso, dicta ea esse speciatìm ad singulos, porrò illi probandum venit, etiàm omnia huius præcepti verba ad singulos pertinere. Sunt enim hìc multa, Consecrare, Offerre, Edere, Bibere, In memoriam eius facere. At id certè nunquàm ille planum efficiet, nisi consecrandi munus velit etiàm ad singulos rusticos pertinere. Quòd si verò hoc quoquè illi permittatur, tamen restat adhuc probandum, Christum accedente necessitate & periculo, non reliquisse præceptum hoc nobis liberum, neque Ecclesiam tali occurrente casu hac esse authoritate præditam, vt eiusmodi possit edere constitutionem, qua id periculi euitetur. Hæc quidem ille in principio huius prolixi operis contra Pomeranum apostatam acutè & pensiculatè, ad quæ non facilè respondebit vnquàm tota colluuies horum nouatorum. 1532

Quæ probanda sint illis, qui Calicem volũt porrigi oportere.

Eodem anno scripsit Luterus ad Albertum Marchionem Brandeburgensem, neque id clàm, sed publicè, licèt secùs Marpurgi conuentum esset, hortaturque illum principem, vt sibi caueat à doctrina Zuinglij, & Zuinglianos è sua ditione profliget. Molestè hoc tulerunt Tigurinæ Ecclesiæ ministri, scripseruntque etiàm ipsi eidem Principi, pro suis symmystis illum deprecantes. Miserunt quoquè illi libellum Bertrami presbyteri de corpore & sanguine Christi, quem quidam Zuinglianus Germanicè conuerterat, vt sciret tota Germania, quàm antiquum ipsi dogma sequerentur. Bertramus ille monachus fuit anno salutis 830. aut paulò posteriùs.

Luterus contra pactũ scribit in Zuinglianos.

Zuingliani se tuentur.

1532 Et quanuis non admodùm sit vetustus, nec magni momenti author, tamen hunc idoneum iudicârunt Zuingliani, quem nobis tanquàm prodigiosæ antiquitatis & irrefragabilis authoritatis obijcerent, cùm ipsi interim innumeros sanctissimos Patres habeant contemptui, licèt hinc indè ex illorum scriptis quędam in speciem proferant, vt indoctis hac fallacia imponant, quæ tamen vix vnquàm syncerè & integrè, sed potiùs malè detorta proferunt: immò etiàm sæpè contra suam conscientiam aiunt eos sensisse & scripsisse, quæ tamen neque sensêre, neq; scripsêre vnquā. Caueat sibi, cui salus sua cordi est.

Iohannes Saxoniæ dux moritur. Per id tempus, quo in Turcas arma expediuntur, in venationis loco haud procùl Vuittenberga excessit è viuis Saxoniæ Dux Iohannes, Luteri patronus. In eius funere duas ad populum conciones habuit Luterus, quas etiàm voluit exire in publicum. Eas quidam catholicus scriptor ità confutauit, vt ostenderit pudendam Luteri inconstantiam, quæ in illo homine prodigiosa fuit, meritò cordatos omnes absterrere debere, nè eius doctrinam complecti velint. Piget referre ineptias, quibus Saxonem ipsi Christo videtur velle comparare, tāquàm instàr Christi pro omnibus, putà Luteranis, biennio anteà Augustæ mortuus fuerit, cùm tamen ibi corpore mortuus non fuerit. Quòd si sentit, Principem illum animæ mortem illic oppetijsse, ea quidem horrenda mors est: nec obscurum est, Augustæ eum palàm subscripsisse confessioni Luteranæ, quæ reuerà non potest non mortem adferre ipsam approbantibus. Successorem habuit Iohannem Fridericum filium, Lutero impensè fauentem. *Eum Luterus cōparat Christo.* Ante annos aliquot, cùm Luterus primùm scribere cœpisset, inter alia edidit etiàm librum de decem præceptis. In eo vehemens est contra Vualdenses siue Pighardos, quòd illi Germanis affingerent idololatriam propter cultum & venerationem sanctorum. Et quia loca scripturæ, quibus vnus Deus adorari iubetur, insulsè pro se allegabant, vocat eos impios scripturæ peruersores, & subdolos calumniatores pietatis nostræ: quæ nos verba & in illum, & in sectarios omnes rectissimè retorquere possumus. Eodē libro hæc addit: Omnes sancti omnia possunt, & tantum tibi per eos à Deo datur, quantum credis te accepturum. Scripsit etiàm concionem de Præparatione ad mortem, in qua hortatur ægrum, vt inuocet omnes angelos, præcipuè proprium, item Christi matrem, apostolos & sanctos omnes, eos præsertìm, erga

quos

quos specialem sentiat animi deuotionem. At non diù post de sanctis admodùm contemptìm scripsit, inter alia dicens, Sanctos, dum viuerent, fuisse ceu gemmas quasdam, mortuos verò, esse velutì ligna quædam, immò mera idola, & quicunque eos venerarentur. At nunc rursùs homo inconstantissimus in altera cōcione funebri multa dicens in laudē defuncti Saxonis, docere nititur, quàm preciosa sit in conspectu Domini mors sanctorum eius, quàm in maiori precio habeat sanctos defunctos, quàm in carne degentes, &c. Spectatum admissi risum teneatis amici? Quis enim non rideat tale portentum? 1533

Eodem anno noua Oceani rabies Phrisones, Hollandos, Selandos, Flandros incredibili damno affecit. Pauloantè Franciæ & Angliæ reges Boloniæ & Caleti fœdus percutiunt, quod meritò suspectum esse potuit Carolo Cæsari multas ob causas, quas commemorare nihil opùs est. Vnum certum est, vt alibi dicemus, non diù pòst nouum bellum inter Cæsarem & Gallum exarsisse, ridētibus Turcis & hæreticis, quibus ea summorum principum discordia, ad agendas res suas inprimis opportuna fuit. *Inundatiò aquarum.*

Cęsar postquàm in Italiā venit, cum Clemēte Pontifice Bononiæ sæpè familiaritèr collocutus, de Concilio indicendo inter alia, vt erat Protestātibus pollicitus, egit. Verùm Protestantium concionatores etsi verbis Conciliū petere viderentur, re ipsa tamen nihil petebāt minùs. Nam eiusmodi illi habere volebant Concilium, quale nulla vnquàm ætas apud catholicos vidisset. Atq; posteà res certa declarauit, quàm illi Concilia nihili penderent, spreta authoritate & sententia concilij Tridentini, quod tamen certè fuit eiusmodi, vt cum quouis vel ante mille annos celebrato conferri possit. Sed de hoc suo loco. *Cæsar Bononiæ cum Pontifice loquitur.*

ANNO 1533. Henricus eius nominis VIII. Anglorum rex, à quibusdam improbis adulatoribus malè persuasus, repudiauit Catharinam Ferdinādi Hispaniarum regis filiam, & Caroli Cæsaris materteram, quam annos ampliùs viginti in matrimonio habuerat, præstanti sanè pudicitia & singulari humanitate modestiaque reginam, duxitque Annam Bolanam siue Boleniam, in aula reginæ liberiùs educatam. Ferunt quendam eximium Angliæ procerem, Gallicis captum muneribus & auro, persuasisse Henrico regi, iurè ac meritò repudiari posse, immò & debere Catharinam. *Henricus Anglus rex repudiat Catharinam reginam.*

1533 Hoc enim eò pertinebat, vt ea iniuria Carolo Cæsari irrogata, ab eius amicitia Angliæ rex prorsùs abalienatus, cum Francisco Gallorum rege arctissimo fœdere copularetur. Aliquandiù causa diuortij huius Romæ ventilata, eò tandem adduxit Clementem Pontificem, vt contra regem Henricum ferret sententiam, minareturque ei Excommunicationis fulmen, nisi intra certum tempus, reiecta Anna, Catharinam reciperet. Verùm Henricus à suo proposito nulla se passus est ratione deduci. Quæ res tandem Angliæ regnum florentissimum in multas coniecit calamitates & clades, ità vt vsque in præsens eius regni status sit admodùm infaustus ac turbulentus. Ex Catharina susceperat rex filiam vnicam Mariam, quæ licèt compulsa fuerit renunciare regni titulo, postquàm Bolenia aliam regi filiam peperit, at posteà tamen mira Dei prouidentia in Reginam procerum studio electa, religionem Catholicam iam propemodùm extinctam restituit, & animo plusquàm virili multa egregia eo in regno facinora designauit, vti infrà dicetur.

Pontifex contra Anglum profert sententiam.

Georgius Saxo persequitur Luteranos.

Hoc anno Georgius Saxoniæ princeps optimè meritus, ægerrimè ferens Lipsiæ quosdam è plebe Dominicis diebus ad vicinum pagum, qui erat ditionis Electoris Saxoniæ, confluere ad Cœnam, vt ipsi vocant, vtriusque speciei, pestem illam à suis subditis, nè serperet eius mali contagio, prorsùs arcere deliberauit. Fuit hoc molestum ciuibus eo morbo correptis: & quia Lipsia à Vuittenberga non nisi septem Germanicorum milliariorum interuallo separatur, Luteri, ea in re quid agendum sit, consilium implorant. ille incunctantèr respondet, vt nihil hac in re agant contra conscientiam, quam tamen ille satìs nouerat esse erroneam, & ad Ecclesiæ Catholicæ sententiam meritò corrigendam ac deponendam. In ijs literis importunus ille scurra pijssimum & verè Catholicum Principem Georgium vocat hostem Euangelij, satanæ apostolum, homicidam & raptorem. Iam seditionem Lipsiensis Senatus metuebat ipsis sacratissimis Paschatis diebus, quibus hæc Luteri Epistola venit Lipsiam, & à multis certatìm describebatur: at tamen Senatûs Catholici studio sedata res est. Georgius Princeps vbì isthuc comperit, conquestus est apud Saxoniæ Electorem, & is quidem visus est minari Lutero, nisì se purgaret. verùm hoc ipso magìs inflammauit Luterum ad iactanda in optimum principem atrociora conuicia.

uicia. Et id fecit homo audax admodùm impunè, cùm 1533
iam plerique etiàm Principes perſuaſum haberent, nihil
à Lutero dici vel fieri, quod non eſſet planè Euangelicum.
Sic ille prodigioſus Euangeliſta multos Catholicos
vtriuſque ordinis principes audaciſſimè proſcidit,
ſecurè latitans in nidulo Vuittenbergenſi, ob bella perpetua,
quæ Cæſarem cogebant ab eius repreſſione aliò
animum cogitationesque ſuas omnes transferre. Dici
ſatis non poteſt, quàm ſeſe impudentèr iactitat, quòd
ipſe vnus omnium iam indè ab Apoſtolis ciuilium Magiſtratuum
& ordinum conſcientias cumprimìs luculentèr
confirmârit, inſtruxerit, & conſolatus ſit per ſingularem
Dei gratiam, ità vt neque Ambroſius, neque
Auguſtinus hac in parte ipſi comparandi ſint. Et certè
multùm ille egit, vt perſuaderet Principibus & Magiſtratibus
politicis, res & facultates Cleri atque monaſteriorum
iurè ab ipſis vſurpari poſſe, vt etiàm multis locis
factum eſt: ſed quantùm indè creuerint opes Principum,
res ipſa teſtatur. Quòd ſi verò hoc eſt confirmare & conſolari
conſcientias Magiſtratuum, quod quidem nemo
ſanus dixerit, non erit planè mendax Luterus, quippe qui
hac in re vix parem habuerit vnquàm. Sic item alibì ſcribit,
Euangelium ſuum luculentius & clarius eſſe, quàm
fuerit temporibus Apoſtolorum, & Germanos ante ipſius
doctrinam nunquàm verum habuiſſe Euangelium.
Sed ea portenta verborum, hominis inſaniam produnt.
Immò verò nunquàm Germania denſioribus fuit inuoluta
tenebris, quàm vbi Luteri Euangelium accepit. Teſtantur
hoc tam variæ & monſtroſæ ſectæ, quæ in dies
magis ac magis increſcunt. Porrò Princeps Saxoniæ
Georgius, diligenti adhibita inquiſitione, comperit homines
circitèr 70. Lipſiæ nolle vna ſpecie eſſe contentos.
Illos igitur intra certum tempus iuſſit vel animum
mutare, vel locum. Laboratum eſt ab Epiſcopo Merſburgenſi
& aliquot Prælatis & Doctoribus hortatu Principis
Georgij, vt poſſent in viam reduci, ſed ægrè duo
admiſère in pectus ſana conſilia: alij Lipſia exceſſerunt,
quos Luterus ſuo more conſolatus eſt, egregiè interìm
& fortitèr mentiens, vt talem decebat Euangeliſtam. Inter
alia enim auſus eſt ſcribere, Lipſiæ Euangelium, ſanctum
Paulum, totamque ſcripturam diuinam prohiberi
& condemnari, hominesque ad eam abnegandam & infeſtandam
iuramento adigi. Multa ab illo improbiſſimo
homine pertulit ille inſignis princeps Georgius: &

Luteri inſolens iactantia.

In ſermone de destructione Ieruſalē.

Calumnia Luteri.

1533 est certè dolenda res, licuisse homini importuno non solùm impunè, sed etiàm multis applaudentibus, tam impotentèr & insolentèr incurrere in virum tantę & dignitatis & integritatis. Et tamen non desunt qui molestè ferant, si catholici tam improbum hominem, eiusquesimiles sycophantas, interdùm duriùs tractent. Scilicèt licere isti debet quicquid libet: catholicis verò nec id quidem licere debet, vt pro tuenda veritate paulò liberiùs istorum effrenem conuiciandi, mentiendi & maledicendi libidinem perstringant. Quòd si verò tam sunt quidam addicti Lutero & eius satellitibus, vt ferre nequeant si quid in eum asperiùs dicatur, certè non paulò æquiores eos nobis fore non dubitamus, si legissent quibus illi se inuicèm emblematîs ornant.

Cõtrouersia inter Saxoniæ Principes.

Hac ferè tempestate fuit non minima dissensio inter Electorem Saxonem, & Georgium Principem, neque id tamen solo religionis nomine, verùm etiàm quasdam alias ob causas politicas. At verò quandoquidèm Electoris auus Ernestus, & Georgij Principis parens Albertus, cum in modum commixtim ditiones suas partiti erant, vt alter alteri bellum facere non posset absque propriæ ditionis detrimento, lis ad arbitros delata est, quorum industria satìs prudentèr composita controuersia omnis, eum habuit euentum, vt tum Cochlæo, tum Lutero & alijs interdictum sit, nè suis altercationibus, quæ religionis ergô susciperentur, nomina & causas principũ horum atque vrbium ad ipsos pertinentium admiscerent.

Anabaptistæ nidificant in Vuestphalia.

Hoc anno sensìm in Vuestphaliam irrepsêre Donatistarum reliquiæ, impij Anabaptistæ, quorum secta in multas partes, vt olìm Donatistarum, mirabilitèr distracta est, quemadmodùm & Luteranorum & Zuinglianorum, tametsi & ij & hæretici omnes nostræ ętatis sua dogmata pleraq; ex Luteri fontibus hauserũt. Est in Vuestphalia oppidum insigne, quod Monasterium vocant. Eò tanquàm ad tutissimũ asylum (est enim vrbs egregiè munita) confluxit ea perditorũ hominum fex, eo consilio, vt ibì quasi Capitolium aut Sion sibi constituerent. Quem autem successum habuerint, dicemus paulò infrà.

Eodem anno deflagrauit Antuerpiæ, quod est celeberrimum Brabantiæ emporium, insigne templum virginis Matris, incendij origine incomperta.

Cùm Cæsar venisset in Italiam, egissetq; cum Pontifice de Concilio cogendo, iamque ex Italia mense Martio nauigâsset in Hispaniam, Pontifex legatũ suum misit

sit vnà cum Cæsaris oratore ad Protestantes, qui illos 1533
certiores redderet de habenda Synodo Oecumenica. Vbì Legatus
ad Saxonem venit legatus, ille cum reliquis Protestanti- Pontificis
bus deliberandi spatium petijt, & facilè impetrauit. Ve- ad Prote-
rùm satis posteà ex responso Protestantium apparuit, stantes.
quale illi cōcilium, quàm alienum ab omni superiorum
ætatum consuetudine peterent. Nolebant enim autho-
ritatem Pontificis, leges Pontificias & scholarum opi-
niones, vt ipsi vocāt, quicquam hìc valere, immò & con-
tra ipsum Pontificem Romanum tanquàm reum agi vo-
lebant, quòd ille Luterum iniquè damnâsset, & multa
alia, quibus id apertè declarabant, se nullum omninò
velle in Concilio admittere iudicem, præter sacram scri-
pturam, sed ità tamen, vt liceret ipsis eam pro suo arbi-
tratu interpretari. Ità quidem Euangelici dogmatistæ
mirum in modum crepabant sacram scripturam, cùm Scripturæ
nihil minùs vellent, quàm gnisiam scripturæ sacræ men- sensus vn-
tem & intelligentiam, quam non ex priuatis & depra- dè petens-
uatis prauorum hominum iudicijs, sed ex Catholico to- dus.
tius Christiani orbis consensu petere oportet. Et quidem
verissimè dixit Apostolus, Litera occidit, spiritus viui- 1. Cor. 3.
ficat. At isti inhærent literæ, ad suas prauas opiniones
plerunquè violentèr detortæ: mentem & sensum literæ
floccipendunt: vndè igitur confutabunt hæreses ab ipsis
dissentientes, quæ non minùs atquè ipsi scripturas cre-
pant? Dicit Luterus se puram doctrinam, purum Euan-
gelium adferre. Idem dicunt Zuingliani, Anabaptistæ,
Zuencfeldiani, Seruetiani, qui omnes in quibusdam pla-
nè discrepant à Lutero. Quis hìc iudex erit legitimus,
qui has dirimat controuersias? Certè non nudus scri-
pturæ textus, quem omnes isti ad se rapiunt, & sibi sin-
guli potissimùm vendicant: sed scripturæ genuinus sen-
sus, quem ex Catholico orbis Christiani consensu longè
securiùs & certiùs accipimus, quàm ex insanis hæretico-
rum cerebris.

Quòd si illi vsqueadeò abominantur Pontificis Ro-
mani sententiam & authoritatem, quam vniuersus or-
bis Christianus sempèr agnouit, suspexit, & reueritus
est: quantò nos iustiùs Luterum & eius generis pestes
execramur, qui iam olìm damnatas hæreses reuocant in
orbem, easque in summi Dei singularem contumeliam
non dubitant vocare purum Dei verbum, & purā Euan- Luteran-
gelij doctrinam? Fuit ea profectò mira Luteri & aliorum norū ver-
dogmatistarum versutia, quòd suis principibus & magi- sutia.

 strati-

1533 ſtratibus perſuadere potuerunt, ſe nihil magis petere quàm Concilium: & tamen cùm iam eſſet habendum concilium, iiſdem perſuadere, eiuſmodi non eſſe legitimum Concilium. His illi atque aliis quibuſdam artibus mirè illuſerunt Germaniæ, & horrendum in modum permultos faſcinârunt, prodigioſa quadam incogitantia paſsim ruentibus miſeris mortalibus in præcipitia mortis æternæ, ad quæ vocabantur ab iſtis animarum parricidis, licèt interim viderentur ſibi iam tandèm veram agnouiſſe vitam & lucem, & euaſiſſe laqueos & impoſturas Pontificias.

Sleidani ſtudium. Cuius generis multa leguntur in Sleidani commentariis, cuius hoc præcipuum ſtudium eſt, vt Luteri & hæreticorum noſtratium pernicioſa dogmata, dum lectorem incautum, hiſtoriæ voluptate captum, detinet, in totum orbẽ diſpergat, & plurimos inficiat, interim ſubindè impudentèr mentiens, neque tam id ſpectans, quàm *Vanitas.* bona fide narret res geſtas, quàm vt ſuæ cauſæ patrocinetur. Qua quidem re apud cordatos & intelligentes homines id conſecutus eſt, vt hiſtoriæ eius tantum apud ipſos habeant ponderis, quantum debent eius hominis, quem nec pudet, nec piget identidèm egregiè mentiri. Et hoc ille facit libertate Euangelica, quæ iſtis permittit quidlibet, modò poſſint credere, ſola fide ſe iuſtificari apud Deum. Eſtque hoc certiſſimum, iſtos homines nullius pudere mendacii, modò ſua dogmata apud imperitos rerum tueri, & catholicos vel maximè inuiſos reddere queant.

Hæc paulò fuſiùs eò dicta ſint, vt nôrit Lector, Concilium quidem ſæpè petiiſſe Proteſtantes ordines, ſed *Conciliũ quale Proteſtantes petierint.* fraude ſuorum concionatorum eò adductos eſſe, vt Concilium verum & legitimum prorsùs repudiârint, atque eiuſmodi duntaxàt voluerint, quod ipſorum concionatores ſuæ cauſæ iudicâſſent cumprimis opportunum & accommodatum. Nam cùm in omnibus œcumenicis ſynodis ſempèr prima fuerit authoritas Romani Pontificis, iſti concionatores Pontificem prorsùs cogunt in ordinem, eumque rei perſonam ſuſtinere volunt, quod eſt impudentiſſimæ inſolentiæ, cùm non ſint neſcii, ſecùs in omnibus Conciliis legitimis actitatum eſſe, licèt ſuis Principibus & ciuitatum Magiſtratibus diuerſum perſuaſerint. Immò vſqueadeò Romanum Pontificem in odium & contemptum adduxerunt, vt apud omnes, qui Luteri & diſcipulorum eius dogmata complexi

plexi sunt, non alio quàm ipsissimi Antichristi loco habeatur. Sic enim expedit istis Euangelistis, vt nulla sit Romanæ sedis authoritas, cuius pondere sciunt superiorum temporum hæreses omnes mirabilitèr oppressas & elisas. *1533*

Huius anni mense Septembri Elizabetha, Annæ Boleniæ filia, nascitur Henrico Anglorum regi, Maria Catharinæ Cæsaris materteræ filia, regni titulo se abdicare coacta, quæ tamen posteà mirabili rerum permutatione in regnum euecta, hanc Elizabetham, quòd malè sentiret de religione, captiuam detinuit, nec capitis discrimen, vt ferebatur, Elizabetha euasisset, nisi Philippi Hispaniarum Catholici principis, qui tum Mariam in matrimonio habebat, precibus seruata fuisset. Atquì cùm paucis annis rerum potita esset Maria, & heroica quadam animi virtute Catholicam religionem apud Anglos egregiè instaurâsset, mortua est non sinè multa veneni suspicione: porrò Elizabetha illi substituta, rursùs religionem mutat, aliquot Catholicos Episcopos in carceres conijcit, & execrabilem Iohannis Caluini hæretici Sacramentarij doctrinam toto regno propagat. Nec tamen ea sola ibì grassatur, sed multiplex portentosarum hæresum confusio illud opulentum regnum miserè deuastat. *Elizabeth filia regis Angliæ.*

Hoc anno Clemens Pontifex rogatu Francisci regis Massiliam profectus, nuptias Catharinæ ex iuniore Laurentio Medice neptis suæ, quam iam antè Henrico Valesio Francisci regis filio desponderat, incredibili totius Galliæ studio & alacritate celebrat, familiaritèr admodùm, idque crebrò, cum rege Francisco colloquia miscens. Ea verò res Caroli Cæsaris animum non parùm offendit, quòd nouos motus & turbas præsagire videretur. At Pontifex, qui Cæsaris filiam notham domi suæ tanquàm nurum habiturus erat, regiæ quoquè & nobilissimæ stirpi sanguinem suum inserere maximè decorum arbitrabatur, communemque vtriusque & Cæsaris & Regis amicitiam sibi colendam existimabat, quemadmodùm deceret Christi in terris Vicarium, cuius est communem omnibus se parentem exhibere, cunctisque se ex rectæ rationis præscripto præbere æquabilem. Præter materna oppida in Aruernis, centum millia aureorum cum vnionibus multisque gemmis & preciosa tori supellectile dotis nomine Henrico accesserunt. Poterant plerisque, vti etiàm accidit, eæ nuptiæ impa- *Nuptiæ Henrici Galliæ regis.* *Dos neptis Pontificis.*

1533 res videri: sed Franciscus rex non frustrà putandus est Pontificis amicitiam varijs hominum suspicionibus anteposuisse. Habebat apud se Pontifex vnicornis bicubitale cornu, aureæ cęlatæ basi inclusum. id regi Francisco ad depellenda epulis venena dono dedit. Ferunt enim sudare cornu, si venenum mensis inferatur. Rex insigne aulæum rependit, Belgica arte affabrè elaboratum. Dedit item Hippolyto Medici Cardinali mansuefactum leonem eximiæ proceritatis, quem è Mauritania Hariadenus Barbarussa cum legatis transmiserat. Vbì demùm Romam Pontifex redijt, alij atque alij eas nuptias alitèr atque alitèr interpretabantur, vt solent in libera ciuitate liberiùs interìm iactari sermones in quoslibet. Cæsar interim admonebatur ab amicis & socijs, vt à Francisco rege sibi caueret, qui conquiescere minimè posse videretur. Erat enim rex ille præcelso animo, nec facilè concoquere potuit eam ignominiam, quam in Ticinensi pugna captus & in Hispanias abductus acceperat: & certè, vt infrà dicetur, non diuturna pace afflicto orbi Christiano frui licuit. Hoc obitèr annotare libet, quanto illi in errore versentur, qui opibus cumulandis perpetuò inhiant, cùm videant potentissimos reges in summa rerum omnium affluentia quietos esse non posse. Essent autem quieti, si suis affectibus & cupiditati potiùs, quàm vel toti orbi terrarum, dominari ex animo studerent.

Luterus contra Zuinglianos.

Hac tempestate Luterus, contra Marpurgensem pactionem, scribit Francofurtensibus, nè communicent cum Zuinglianis. Bucerus profectus Tigurum, purgat se à defectionis suspicione, atque interìm nihilominus versipellis homo Tigurinis ministris persuadere nititur, Luterum verbis potiùs quàm re ipsa à Zuinglio dissentire, quod tamen illi non crediderunt. Erat hoc in illo homine prodigiosæ cuiusdam audaciæ, quòd cùm sciret Luterum penitùs execrari Zuinglianos, tamen persuadere Zuinglianis voluit, non diffidere Luterum ab illis, nisi verbis. Quid autem isti ausi non erunt, qui in re tam perspicua præstigijs quibusdam id volunt efficere, vt apertis oculis non putent homines se id videre, quod vel maximè videant? Hi nimirùm sunt, qui incredibili temeritate palàm asserere non dubitârunt, hactenùs Germanos non habuisse verum Euangelium, ipsos demùm hoc in lucem protulisse. Et certè cùm tam impudens mendacium, cum intolerabili stultitia & amentia

tia coninnctum, nullum prorsùs fidem mereretur, tamen 1534
innumeri illud haud secùs atque ipsam Euangelij veritatem amplexi sunt. Sed hac de re posteritas iudicabit, nec satis mirari poterit, tantum potuisse versuta ingenia apud homines Christianos.

Zuinglianus quidam hæreticus Sebastianus Francus grande scripsit volumen Germanico idiomate, quod Chronica inscripsit. Tres eius operis partes sunt: Prima, ab Adam vsque ad Christum gesta commemorat: Secunda, à Christo vsque ad coronationem Caroli Cæsaris: Tertia cæteris prolixior & exitialior, omni ingenij contentione oppugnat Ecclesiam Catholicam. Sed tanta fuit eius scripti impietas, vanitas, impotentia, vt Magistratus Argentinẽsis authorem quidem iusserit ex vrbe emigrare: typographo verò eius vendendi facultate prorsùs interdixerit. At tamen per fraudem multa clàm sunt distracta exemplaria, quæ leguntur à miseris non minori pernicie quàm voluptate. *Chronica Sebastiani Franci.*

Hoc quoquè anno Luterani, vt propheticæ gratiæ opinionem sibi conciliarent, multa spargebant in vulgus non solùm de iam iamque impendente iudicio extremo, sed etiàm de certa eius die, cùm tamen Christus ipse dicat, De die autem illa & hora nemo scit, neque Angeli cęlorum, nisi pater solus: vt neque plerique ciues ædificare, neque agricolæ rus colere vellent: nobiles verò aliquammulti, tanquàm certo eodemque supremo mundi die morituri, Eucharistiam acciperent. At ea pseudoprophetarum vana persuasio in risum & ludibrium abijt, resque ipsa docuit, quàm sint isti præclari prophetæ. Accidit hoc Vuittenbergę & in alijs nõnullis oppidis. Eiusmodi terriculamentis etiàm Anabaptistæ libenter imponere soliti sunt rerum imperitis. Cautior longè fuit Manes vetustus hæresiarcha, qui nè in suis vaticinijs coargueretur mendacij, si de futuris prædiceret, de præteritis prodigiosa figmenta contexuit. *Luterani prophetizant.* *Matt. 24. Mar. 13.*

ANNO 1534. mense Ianuario Anabaptistæ audax facinus aggressi, Monasterium Vuestphaliæ metropolim occupârunt. In eam vrbem, quòd multo sit Clero insignis, tardiùs irrepsit Luterana lues. At vbi ea semèl irrepsit, sensim Anabaptistarum quoque perdita fæx sese, quadam vsa modestia, in id oppidum insinuauit. Cumque paulatim suum gregem increuisse cernerent, seditionem mouent, forum occupant, cæte- *Anabaptistæ occupant Monasterium.*

1534 cæteris non magnoperè resistentibus, siue quòd abhorrerent à fundendo ciuium sanguine, siue quòd Episcopum, non longè ab vrbe peditatu & equitatu instructum, vererentur per eam occasionem in oppidum irruiturum. Porrò Anabaptistæ Magistratum loco mouent, & primò quidem eos, qui ipsis consentire nollent, patiuntur abire cum rebus suis, non tamen esculentis & poculentis, quas exportari nolebant. Deindè verò rebus omnibus spoliatos, ex vrbe exigunt, quotquot ab ipsorum secta abhorrerent, adeò vt etiam infantibus corallia detraxerint, nec à conuicijs in abeuntes iactandis sibi temperandum putârint, impios & ethnicos eos vocitantes. Hoc enim ea hominum pestis sibi persuasum habet, qui idem cum ipsis sentire nolint, eos ethnicorum loco haberi oportere. Itaque non modò Catholicis, sed etiàm Luteranis fugam arripere coactis, Anabaptistæ vrbem sibi vendicant, ædes pulcherrimas Canonicorum, Patriciorum & Senatorum aliorumque homines profligati & perditi sibi vsurpāt, funestum aliquid haud dubiò in totius orbis perniciem meditaturi, nisì Deus illorum cruenta consilia anteuertisset. Mouit ea res non immeritò Episcopum Monasteriensem, vt de reprimenda sceleratorum hominum audacia maturè deliberaret.

Mouent loco Magistratū.

Fuit in vrbe sartor quidam natione Batauus, quem illi miseri, miserè ab illo tanquàm diuinitùs admonito delusi, sibi regem creârunt. Nam ille mirabili vafricie persuasit insanis, Deum ipsi per spiritum mandâsse, vt rex fieret Israel & iustitiæ instàr Dauidis, & in totum orbem suæ dominationis iura proferret, perderetque omnes, qui ipsius fidem amplecti & iustitiæ subditi esse detrectarent. Non est dubium, quin ex Luteri scriptis multam hauserint pestilentissimi erroris occasionem Anabaptistæ, vtcunquè eum discipuli eius excusare nituntur. Quid enim aliud ille docet, quàm turpissimam quandam carnis libertatem, omnes ferè humanas leges respuentem? Igitur ille sartor promotus in regem, non defuit sibi, quòd ad corporis voluptates affatìm explendas attinet. Duxit vxores multas, (nam plerunquè Euangelici omnes valdè sunt eam in rem intenti, nè, si solis cubandum sit, frigore enecti miserè pereant: & hoc habent ex schola Euangelistæ Luteri) aulam regiam & proceres instituit, quorum essent diuersæ functiones & officia, eosque & se quoquè holosericis, aureis & argenteis

Anabaptistæ multa hauriunt ex fontibus Luteri

Sartor fit rex.

Eius vxores.

Aula.

Proceres.

genteis vestibus, quas è templis abstulerat, splendidè exornat : in capite gerit diadema triplici corona insigne, ex auro lectissimo, catenamque auream gemmis coruscantibus conspicuam : pomum item aureum, cui exigua crux aurea esset infixa, cum hac inscriptione, *Rex iustitiæ super terram*. Denique ensem aureum cum capulo argenteo. Reginam quoquè, inter vxores quas complures habuit, primariam, eiusque puellas mirifico splendore afficit. Certos quoquè per hebdomadam dies constituit, quibus audiret ciuium actiones & querimonias. Cùm in publicum prodiret, stipatus erat aulæ suæ proceribus & officiarijs : proximè cum sequebantur in equis bini adolescentuli : qui à dextris erat, Biblia & coronam gestabat : alter euaginatum ensem. Certè enim Anabaptistæ non minùs quàm Luterani Euangelium & scripturas crepant, nec alia ratione Melanchthon, cùm in eos scriberet, vincere eos potuit, quàm Traditione Ecclesiastica, cùm tamen alioquì nihil extra scripta diuina recipiendum blaterent Luterani. In foro sublimis ei collocatus erat thronus, aureo tapeto vestitus. Ibì qui causam dicturi essent, priùs bìs curuato poplite, deindè semèl proni in terram prostrati, regem venerabantur. Longum esset, prodigiosæ insaniæ deliramenta omnia enarrare, quæ in ea vrbe tum visebantur. Vt verò dogmata sua longè lateque propagarent, quosdam in vicinas vrbes emitti voluit : quòd ità gestum est. Propheta quidam tubę cantu conuocat omnes ad primariæ ædis atrium. Venerunt armati ad quatuor hominum millia, cœnam inueniunt & elixis & assis carnibus instructam : discumbunt omnes, Rex & Regina ministrant. Iam propemodùm peracta cœna, rex ipse panem singulis porrigit, his verbis : Accipite, comedite, nunciate mortem Domini. regina poculum porrigit, dicens : Bibite, & annunciate mortem Domini. Quid ni enim sacerdotum sibi munus vendicarent, cùm Luterus docuerit omnes homines esse sacerdotes? Sed eiusmodi Eucharistiæ integro, vt ipsi vocant, sacramento digni sunt, qui in Ecclesiæ Catholicæ sententia nolunt acquiescere, sed calicem quoquè putant necessariò sumendum esse ab omnibus. Cùm autem comedissent ij, quos iam diximus, etiàm illi cœnârunt, qui interìm in excubijs fuerant circitèr mille. Cœna absoluta, Propheta supradictus ex editiori loco percontatur, num omnes Dei verbo morem gerere velint. Illis asseuerantibus, ait

1534

Vestes.

Diadema.

Pomum aureum.

Ensis aureus.

Regina.

Processus in publicum.

Thronus in foro.

Cœna regis.

Nota insaniam.

eam

1534 eam Patris esse voluntatem; vt in quatuor orbis plagas dimittantur ex vrbe, qui doctrinam, quam ipsi essent amplexi, disseminarent. Deindè è scheda nominatìm recensentur ad vigintiocto, è quibus sex Osnaburgum, totidem Cosfeldiam; octo Susatum, & totidèm Vuarendorpium iussi sunt petere. Deindè rex & regina cum reliquis ministris & Apostolis ad profectionem designatis, cœnatum abeunt. Ibì inter cœnandum rex surgit è mensa, ait sibi quippiam à patre demandatum: militem proditionis accusat ipse, & suis manibus caput illi amputat: redit ad cœnam, & cruento commemorando facinore funestas epulas homo prophanus magis etiàm polluit. Pòst dimittuntur illi portentosi Apostoli, quibus singulis singuli nummi aurei à rege erant attributi, præter ea quæ essent victui parando necessaria, vt eos ijs locis, vbì illorum non esset recepta doctrina, in perditionis testimonium relinquerent. Mira hæc sunt omnia, & plena insaniæ, & quæ vix creditura sit posteritas. Sed quid non faciunt homines veritatis lumine destituti, & malorũ dęmonum potionibus demẽtati? Eunt illi insani homines, vt iussi erant, & suis quisq; locis horrendos edunt clamores, homines vt pœnitentiam agant admonent, alioquì breui perituros: prætorium quoquè adeunt, coram magistratu vestem humi expandunt, in eam aureum nummum quem diximus, conijciunt, à patre pacis annunciandæ causa missos se testantur, quam si recipere velint, iubent facultates suas omnes in commune conferre: sin minùs, hoc se nummo contestari, quòd pacem oblatã repudiârint. Iam enim venisse tempus illud à prophetis omnibus prædictum, quo Deus toto orbe velit coli iustitiam: & cùm rex suo functus officio, in orbem vniuersum iustitiam propagârit, tum Christum traditurum regnum patri suo. Habent Anabaptistæ in verbis & moribus pleraque, quæ miram præ se ferant religionem: sed est reuerà genus hominum à malo dæmone miserè fascinatum & quasi arreptitium, ità vt eam religionem multis pudendis & turpissimis flagitijs permixtam, re ipsa demonstrent non ex pietate, sed insania & dæmonum illusionibus proficisci. Capti sunt autem Apostoli isti, & primùm blandè, pòst per tormenta rogati de sua fide, vrbis munitione, & plerisque alijs. Inter cætera responderunt, se solos habere veram doctrinam, quemadmodùm Luterani quoquè cum suo grege, & Sacramentarij cum sua factione, itemque singula-

Facinus prodigiosum.

Dimittit suos rex in orbem Apostolos.

Euangelium suum legati promunt.

Capiuntur Apostoli Monasterienses.

gulatim hæretici omnes. Porrò vbi Apostoli, quos diximus, à sua sententia deduci nõ potuerunt, capite damnati sunt, sed vnus euasit. Interim vrbs Monasteriensis grauissima obsidione premebatur, & tãdem eò redacti sunt, vt mures & glires in delicijs habuerint, corioque & pellibus contusis & coctis, panis loco vterentur, rege interim non ad necessitatem modò, sed ad luxum etiam rebus omnibus abundante. Plerisque verò inedia pereuntibus, quædam ex reginis illorum miserata calamitatem, dixit cæteris, non sibi videri eam miserorum cladem Deo gratam esse. Id vbi Rex resciuit, in forum illam cum cæteris suis vxoribus producit, caputque illi præcidit. Ad tam præclarum facinus aliæ cantillant, & gratias agunt cælesti patri: Rex quoquè choream ducit, populo vt idem faceret, persuaso, cui vix esset quod ederet. Luterus per hoc tempus scripsit in Anabaptistas Monasterienses, de quibus agimus, & ea in illis reprehendit mirabili versutia & simulatione, quæ ipse docuerat. Inter cætera scribit, nullum esse errorem tam absurdum & inconditum, quem non satanas persuadeat. Hoc quidem verissimum esse, vel in ipso Lutero cernere licet, cuius sunt multa tam fœda & pudenda & absurda tum in moribus, tum in doctrina, vt nihil maiorem habeat admirationem, quàm vel vnum aliquem potuisse inueniri, qui illius dictis fidem adhiberet, id quod aliquotiès non frustrà à me repetitur.

1534

Monasterium obsidetur.

Rex reginam decollat.

Vbi tandem summa inopia obsessos in vrbe pressit, duo ad castra Episcopi profugerunt, è quibus ille didicit, qua via vrbs posset capi. Tum verò Episcopus hortatur obsessos vt se dedant, volens parcere multitudini. Erant enim in vrbe non pauci, qui cuperent suæ saluti consultum: sed rex duodecim duces creârat, quorum opera fiebat, vt nihil posset populus sese commouere. At præsente rege oppidani per Bernardum Rotmannum, qui in ea vrbe primò Luteri, posteà Anabaptistarum Euangelium docuit, respondent se à proposito minimè discessuros. Ità ergò duce perfuga milites circitèr quingenti per fossam in vallum euadunt, occisis vigilijs portam minorem patentem inueniunt, vrbem intrant, & aliquandiù ancipiti Marte cum oppidanis congressi, portam reliquo exercitui patefaciunt. Tum verò copijs omnibus irruentibus, fit atrox cædes hominum: parcitur tamen quibusdam veniam implorantibus. Rex & Cnipperdollingus eo ipso tempore capiuntur. Rotmannus

Vrbs proditur.

Vrbs capitur.

1534 mannus perditus nebulo, qui primus ferè author fuerat mutatæ in ea vrbe veteris religionis, in confertos hostes desperabundus incurrit, ab ijsque confossus, impiam animam ad stygias paludes transmisit. Deindè Rex & eius consiliarij Cnipperdollingus & Crechtingus aliquot menses ludibrio & in vinculis habiti, anno M.D.xxxvj. horrendo supplicio exanimati sunt. Nam palis alligati, diù ignitis forcipibus lacerati, & demùm adacto per pectus mucrone perempti sunt. Adextremùm caueis ferreis illigantur singuli, & ad summam vrbis turrim suspenduntur, rex quidem medius & ad hominis staturam cæteris excelsior. Is fuit exitus hominum sceleratorum, qui reuerà quiddam Gothicum, vel Cimbricum aut Vandalicum iam meditabantur, nisì Dei prouidentia, quæ nunquàm deest rebus humanis, illorum furiosa consilia retardâsset, & impios conatus perfregisset. At nec sic tamen ea hæresis extincta est, immò hodieque multis locis magno numero id genus hominum versatur impunè quidem, sed non finè magno eorum apud quos degunt, periculo.

Supplicium regis &c.

Synodus Euangelicorum Constantiæ.

Huius anni mense Decembri habita est Synodus pastorum Euangelicorum Constantiæ. Bucerus eius habendæ author fuit, nescio qua authoritate. In ea Synodo, rectiùs conciliabulo, rursùm actum est de pace cum Lutero in Eucharistiæ negocio componenda. Dici vix potest, quàm in id totus mira vafricie & verborum inuolucris, quæ Tigurini quoquè in ipso repræhenderent, Bucerus ille incubuerit, vt Luterani cum Zuinglianis conciliari possent. Videbat id facilè astutus ille, quàm turpis esset & probrosa illa dissensio. Euocârat ad hoc conciliabulum etiàm Tigurinos pastores, sed illi non venerunt: Porrò scripto suam sententiam de Eucharistia declarârunt, & quatenùs cum Lutero concordia possit iniri. Hoc scriptum Basileenses, Schaffhusiani & Sangallenses, itemque aliquot Sueuici ecclesiastæ approbârunt, Bernenses autem quædam in eo repræhendebant. Summa summarum, Non est pax impijs, dicit Dominus: neque potuit inter dogmatistas sectarios concordia constitui. Euocatus est ex hoc conuentu Bucerus literis Lantgrauij & Melanchthonis, vt de concordia certiores rationes inirentur: sed laboratum est frustrà. Vtraque pars suam sententiam pertinacitèr tuebatur, nec Tigurini Buceranas præstigias admittebant.

Esa.57.

Hac

Hac ferè tempestate Luterus euulgauit scriptũ longè pestilentissimum de Angulari (vt ipse vocat) Missa, consecrationeque sacerdotum. In præfatione minas intentat de profligando rancido, vt ait, Chrismate, rasisque coronis. Ibì quoquè per Dei verbum iactitat indulgẽtias abolitas, Purgatorium extinctum, peregrinationes suppressas, & multas alias Papistarum idololatrias, & Dei Mammonæ cultus prostratos: vt rectè in eum cõpetat illud scripturæ diuinæ, Qui lætantur cùm malefecerint, & exultant in rebus pessimis: Itemque illud, Impius cùm venerit in profundum peccatorum, contemnit. Sed quia non Dei verbo, sed ipsius Satanæ opera & hortatu multa ex iam dictis apud quosdam Germaniæ populos profligauit, vt tandèm id totus orbis perspicuè posset intelligere & videre, ipsemet in hoc libro sese turpissimè prodit, aitque se cum diabolo in disputationem ingressum de Missa & quibusdam alijs, tandemque ab eo victum ac superatum rationibus illius, illas se pro inuictis acceptâsse: vt iam nemo tam stupidus & plumbeus sit, quin vel digitis tangere possit eius infausti hominis doctrinam, non Christi, vt solet iactare, sed diaboli esse. Fatetur ibì diabolum aliquotiès sibi noctù apparuisse, atque ità afflixisse, vt sibi mortem oppetiturus videretur: addit etiàm se persuasum habere, Oecolampadium & alios quosdam eiusmodi ignitis satanæ telis & lanceis in subitariam mortem impulsos esse. Non est autem disputãdum cum malo dæmone, & neque tunc ille mendacij parens audiendus est cùm vera dicit. Et tamen Luterus contra Missæ sanctissimũ sacrificium illum audiuit. Certè postquàm hoc ille de seipso scribit, eant iam in suas tenebras cum illo à diabolo edocto Euangelista, quotquot eius dogmata sequuntur, iactentque puram doctrinam Luteri. nos non à diabolo, sed à Christo & eius Ecclesia discere & doceri volumus. In eodem libro Papam vocat regem glirium, quæ contumelia etiàm in Cæsarem & omnes catholicos reges, principes, magistratusque redundat: Episcopos dicit fures Dei, sacrilegos, sacerdotes angulares, damnatos, fatuos &c. Missam vocat abominationem: tremendum altaris sacrificium vocat stercus, lutum, sordes, illuuiem, quod ipse Lucifer dicere vix auderet: sacros ordines dicit rancidum putidumque Chrisma. Quæ sunt quidem eiusmodi, vt non argumentis, sed tormentis & supplicijs omnibus seuerissimè & atrocissimè vindicata oportuerit. Quis enim sanæ mentis dubitare pos-

1534. *Luterus de Missa angulari.* *Prou. 2.* *Prou. 18.* *Diabolus vincit Luterum, & in suã adigit sententiam.* *Luteri blasphemiæ immanes.*

Q sit,

1534 sit, hæc non nisì à sceleratissimo & longè impijssimo pectore proficisci potuisse? Vbì iam, obsecro, zelus ille est, quo Maiores nostros prȩditos fuisse non ambigimus, qui certè tam blasphemum & execrabilem hominem ne ad punctum quidem temporis, huius lucis vsura frui permisissent? At nostra ætas miro applausu eius hominis dicta factaque omnia excepit, quod sanè quid mali portendat, & nos indiès experimur, & posteri longè etiàm acerbiùs, vt verendum est, experientur. Verùm cùm hoc de Angulari Missa scripto Luterus plerisque suspectum se reddidisset, quòd cum Zuinglianis & Vualdensibus consentiret, Germanicè Epistolam edidit, qua longè etiàm horribiliùs in Missam debacchatur. Inter cætera sic habet: Deus Christianis omnibus eam mentem adspiret, vt cùm Missæ nomen audiunt, exterreantur, & tanquàm contra satanæ abominationem cruce se muniant. Quid verò hoc est aliud, quàm iuge Ecclesiæ sacrificium, quod omnes retrò ætates reuerentèr agnoscũt, velle abolitum, quod tandèm Antichristus efficiet? Immò potiùs Christiani omnes frontem atque pectus crucis signo muniant, quotiès vel verbo vno Missam sacrosanctam violari audierint. Porrò ante non multos annos scripserat Luterus in visitatione Saxonica quædam in Missarum laudem, easque viuis præcipuè vtiles dixerat. In Confessione quoquè Augustana & Apologia fatentur Luterani, apud se Missam summa cum reuerentia celebrari. Sed horũ oblítus Luterus, dum Missam proscindit, seipsum toti orbi luculentèr prodit, & quàm nihil suæ doctrinæ fidendum sit ostendit, dum de vna eademque re intra paucos annos tam longè dispari ratione scribere non veretur. Atque eiusmodi antilogiæ & pugnantes sententiæ tam multæ sunt in Luteri & eius similium tenebrionum & sectariorum scriptis, vt nemo illis enumerandis sufficiat. Cùm autem fateatur Luterus à diabolo se didicisse ea, quæ in Missȩ contumeliam & abrogationem faciunt, nos ex hoc ipso tanto magìs certi esse debemus, Missam Deo vel maximè gratam esse, quam alioquì non esset impugnaturus satan, si sciret Deo inuisam. Non enim ille damnatus & perditus spiritus ea infestat, quæ scit nolle Deum, sed quæ in illius nouit honorem cedere, & eius voluntate fieri.

Luterus imprecatur Missæ.

Per hoc ferè tempus Sigismundus Poloniæ Rex pius & Catholicus, seuero proposito edicto, omnes Polonorum liberos, qui Vuittenbergæ literis operam darent,

Poloniæ rex cons

rent, indè reuocat, alijsque, nè eò proficiscantur, interdicit. Prouidebat sapientissimus ille Princeps, si iuuentus corrupta exitiale illud Luteri virus semèl hausisset, difficilè post curari posse, immò illorum opera totum Poloniæ regnum, quod hoc tempore adhùc religionis Catholicæ erat tenacissimum, infectum iri. Atque vtinàm ea seueritate alij quoquè Principes vsi fuissent: non tam latè serpsissent dogmata Luteri. 1534 tra Luteranos.

Hoc anno Parisijs in ipsa aula regia atque alijs eius vrbis & regni locis scripta quædam affixa fuêre Zuingliani dogmatis, quibus sacrosancta Eucharistia indignis contumelijs lacerabatur. Ea res Franciscum regem vehementissimè commouit, indictaque publica processione, in qua ipse aperto capite pedes incessit, ardentem gestans facem, sequente eum Regina Leonora, regijsque liberis & aulæ proceribus, omnique populo, scelus hoc expiare conatus est: ac deindè à meridie grauissima oratione ad eius teterrimæ hæresis extirpationem omnes hortatus est, aitque palàm, se ipsum quoquè brachium suum excisurum, si ea peste infectum sciret. Grauissima quoquè de quibusdam hæreticis supplicia sumpta sunt, vt & alij eorum exemplo deterrerentur. Erat genus supplicij lentum & valdè terribile. Nam ad machinam alligati, in sublime tollebantur: indè in subiectum ignem submissi, iterumque sursùm sublati, tandem carnifice præcidente restim, in flammam præcipites ruebant. Zelus Christianissimo rege dignus.

Fuit certè ille rex in suo regno, quod est amplissimum, tuendæ & asserendæ Catholicæ religionis perquàm studiosus: potuissentque facilè hæreses omnes è Luteri schola profectæ, penitùs extingui, si non intercessisset illi perpetua ferè cum Carolo Cæsare simultas, quæ Christiano orbi maximam & incredibilem attulit calamitatem. Ea, quam diximus, processio siue supplicatio incidit in mensem Ianuarium anni 1535. quã Sleidanus, vt pleraque alia, malignè commemorat, inter alia dicens Parisienses & Galliæ populos ad D. Genouefam virginem in summis rerum difficultatibus, tãquàm ad supremam ancoram & portum vnicum salutis, confugere. Eiusmodi mendacijs & calumnijs tota Luteranorum & reliquorum sectariorum turba Catholicos apud rudes & imperitos semper odiosissimè traducere consueuit, quasi Diuos pro Deo colamus, nec vt intercessores, sed vt deos imploremus. Quanquàm nec hoc Calũnia Sleidani.

1534 illi ferre volunt, vt sanctos inuocemus, vel ab eis auxilium petamus: sic enim loquitur Melanchthon in sua toties recocta confessione. Et tamen hic quoque varij sunt. Ait Oecolampadius: (Nam Luteri hac de re antilogias iam suprà partim adduximus) Sancti in cælis sua charitate flagrantes, non desinunt pro nobis intercedere. Cur ergo non pudet istos arcere nos ab inuocatione sanctorum, quos Oecolampadius semper pro nobis dicit intercedere? An verò turpe nobis est ab illis petere, quod illi non dubitant pro nobis facere? Sed hæc Sanctorum inuocatio tot habet illustria ab omni Ecclesiæ antiquitate exempla & testimonia, vt istorum impudentiam nemo satis & mirari & detestari possit, quod eam exagitare & criminari non verentur. Certe autem dum Sanctorum inuocatio multis locis hodie abolita est, tam propitio fruimur Deo, & aureum experimur seculum, vt propemodum nemo sufficiat cladibus, calamitatibus, malisque innumeris; quibus continentèr opprimuntur prouinciæ; dinumerandis. Olim verò cum id genus calamitates existerent, solebant publicæ fieri litaniæ, & ad placandum citius Deum, adhiberi sanctorum supplices implorationes: atque ità redibat tranquillitas. Noui Euangelij spiritus has curauit explodi, nè scilicet sui conatus impediantur.

Calũnia hæreticorum. Eundem in modum passim miseris persuaserunt, nos bonis operibus nostris eam Vim tribuere, vt illis solis gratiam Dei iustificationisque beneficium & vitam æternam possimus promereri, quasi nos Christum & eius gratiam reijciamus: quæ licet sit valdè crassa & absurda calumnia, tamen suis & verbis & scriptis id assecuti sunt, vt plerique omnes verum eos dicere putent. Atque indè factum est, vt Monasticæ vitæ professores omnes plane contemptui habeant, tanquam qui suis operibus, non Christi gratia, nitantur: vocantque eos sanctulos operarios, vulgò Werckheiligen. Porrò ipsi nullam merendi vim tribuunt operibus bonis, quantumlibet in gratia & charitate peractis, sed sola fide aiunt nos iustificari. Cum autem scriptura euidentissime dicat, Qui non diligit, manet in morte: certum

1.Ioh.3. est, eam fidem, quæ sit sine charitate, iustificare prorsus

Fidei vita non posse. Nam vita fidei, charitas est. Vbi ergo fidei iustificatio attribuitur, necesse est eam intelligi fidem, quæ sit cum spe & charitate coniuncta. Tolle charitatem,

tatem, & fides mortua est. Quî verò iustificare, & vitam conferre possit fides mortua? Sed quid tandèm illi hac inanis fidei buccinatione effecerunt? Nimirùm quòd iacet apud illos studium omne bonorum operum, & viuitur planè genialitèr, immò & bacchanalitèr, idque perpetuò, & plerunquè tum vel maximè, cùm ipsa temporis ratio hortatur ad continentiam, victûs parsimoniam, pœnitentiam, vitæ compositionem & pietatem omnem, nempè in ipsa sancta hebdomade, qua Christi passionem toto orbe celebrare solet Ecclesia Dei. O quotiès illa hebdomade, atque adeò in ipsa sacra parasceue, quæ saxa posset prouocare ad luctum & lachrymas propter passionem filij Dei, visi sunt apud istos prodigiosos Euangelicos laruis indutì discurrere, comessationibus, compotationibus, libidini, atque omni generi lasciuiæ, petulantiæ & obscœnitatis vacare, & in ijs ipsis tanquàm præclarè & ex Euangelicæ libertatis præscripto gestis, impotentèr & scurrilitèr gloriari? Sed hæc vberius fortassis, quàm pro instituto. 1534

Nota Euangelicorũ amentiam.

Hoc quoquè anno 1534. Angliæ rex, grauissimè ferens à Pontifice contra ipsum latam sentẽtiam de diuortio Catharinæ Cæsaris materteræ, totum se ab authoritate & obedientia Romanæ sedis subducit, atque in conuentu Parlamenti Vuestmonasterij se supremum Ecclesiæ Britannicæ caput vocat, eoque nomine sibi sacrorum prouentuum annatas, vt vocant, decimasque deincèps persolui iubet, & id genus alia facit, quibus eam laudem, quam superioribus annis pro Catholica tuenda religione aduersùs Luterum & eius farinæ homines susceptis laboribus sibi comparârat, prorsùs obliterauit. Sunt qui eum regem scribant cuiusdam magni viri adulationibus deprauatum, à pristina virtute deflexisse. Ità est certè rerum humanarum conditio, vt iuxta Pauli sententiam, qui stat, aut stare sibi videtur, meritò videre debeat nè cadat. Est verò adulatorum genus longè pestilentissimum, quod dum suis priuatis commodis studet, assentando omnia aut interdùm etiàm praua suggerendo sub quadam honesti specie, non raro etiàm optimos Principes corrumpit.

Angliæ rex abalienatur à Põtifice.

I.Cor.10.

Non diù pòst Clemens pontifex diuturno stomachi vitio tabefactus, 6. Calendas Octobris diem clausit extremum, anno Pontificatûs vndecimo, ætatis verò 57. Rex Galliæ bellum moturus erat Francisco Sforciæ principi

Clemens VII. moritur.

1534 Mediolanensi, sed obitus Pontificis moram & impedimentum intulisse putatur. Fertur Pontifex consilio medici cuiusdam vitæ ratione commutata, cùm alioquì firma esset valetudine & innato membrorum robore prævalidus, celerem sibi vitæ finem conciuisse, non sponte sua, sed quòd medici consilio parùm cautè sese accommodâsset.

Per id tempus inter Cardinales principem locum obtinuit Alexander Farnesius patria Romanus. In eum propenso admodùm fuit animo Clemens, adeò vt si Pontificatus hæreditate posset obtingere, eum se testamento sibi hæredem scripturum affirmaret: hortareturque Hippolytum Medicem Cardinalem, vt modis omnibus eum sibi substituendum curaret. Quod etiàm factum est. Nam simulatquè Clemens inter viuos esse desijt, non diù pòst 35. Cardinalibus conclaue ingressis, in Alexandrum Farnesium, qui & ætate omnes anteiret, & iam quadraginta annis Cardinalis fuisset, vota ferè omnium rara quadam concordia, simplicitate, religione collata sunt. Non enim syngraphis suffragiorum obsignatis, & de more in vrnam coniectis, sed publico consensu & præclara voce Cardinalium omnium, Pontifex est salutatus, & secundo Non. Nouemb. ità vt moris est, coronatus, Alexandri nomine in Pauli tertij mutato.

Alexādri Farnesij concors electio.

Eodem anno Lantgrauius Hassiæ, pactus priùs cum rege Gallorum, copias conscripsit, & bellum mouit regi Ferdinando, qui profligato Vlricho Vuirtenbergensi principe, eius ditionem occupârat. Ferdinandus volebat iure & legibus agi, sed ille interìm producit exercitum, & apud Laufenum oppidum in fugam actis copijs Ferdinandi, quibus præfuit Philippus Palatinus, Vlrichus princeps restituitur. Tandèm certis quibusdam conditionibus pax inter Ferdinandum & Lantgrauium atque Vlrichum conciliata est. Restitutus Vlrichus, mox Catholicis pulsis, Luteranos & Zuinglianos concionatores recipit. Stutgardiæ Luteranus, Tubingæ Zuinglianus concionator regnabat. Ea res contentionem peperit, quam Bucerus versipellis componere nitebatur, sed princeps voluit, nè ab Augustana confessione discederetur. Ità Luteri dogma Zuingliano fuit ijs in locis efficacius. Eodem quoquè tempore inter Ferdinandum & Saxoniæ Electorem pacem fecerunt Moguntinus Archiepiscopus & Saxoniæ Princeps Geor-

Lantgrauius restituit, Vuirtenbergicū.

Saxo conciliatur Ferdinando.

Georgius. Aegrè enim hactenùs adduci potuit Saxo Elector, vt Ferdinandum pro Romanorum rege agnosceret. 1534

Per hoc tempus Carolus Cæsar non obscurè veritus, nè quid in ipsum Franciscus rex moliretur, præsertim cùm non ignoraret, quas ille sibi copias & legiones peditum veteri Romanorum more in Gallijs pararet, quidque cum Germaniæ quibusdam Principibus haberet commercii, licèt adhuc res quietæ esse viderentur, in eam curam diligentèr incubuit, vt pacem in Italia conseruaret. Iam enim elapsum erat tempus induciarum, quas Bononiæ cum Pontifice & alijs quibusdam fecerat, quo tempore Hispani milites ex Italia ad Pontificis preces deducti, in diuersa loca abière, magno Gallorum commodo, si in Italia bellum facturi essent. Qua quidem in re, vt plerisque alijs, Carolus optimus Cæsar plùs Pontificis precibus tribuisse videri posset, quàm esset ex vsu & dignitate ipsius Cæsaris: sed multa faciebat pacis studio, licèt plerisque nunquàm posset satisfacere, qui eius potentiam & prosperos successus parùm æquis animis ferre viderentur. Itaque vt Franciscum Sforciam arctiùs sibi deuinciret, è Belgio accitam Christianam, Christierni captiui regis Danorum filiam, suam è sorore neptem, illi matrimonio iungit. nuptiæ Mediolani celebratæ sunt regio sumptu, &c. qui populis vix esset tolerabilis, sed tamen æquioribus toleratus est animis, quòd diuturnæ pacis spes amplissima oblata videretur. Alios quoquè Italiæ proceres magnis affecit muneribus, & Andream Auriam Melphitano donauit Principatu, & eius propinquis ac trierarchis auxit stipendia. In eius enim viri consilio & virtute totius Liguriæ opes & classes copiæque nauales sitæ erant. Atque hunc in modum confirmatis Principum & procerum animis, Cæsar rebus suis prospexit.

Carolus studet paci Italiæ.

Francisci Sforciæ nuptiæ.

Iisdem fermè diebus, quibus Pontifex Clemens è viuis excesserat, Aloysius Grittus, Andreæ Gritti Venetorum Principis filius, cùm iam apud Solimannum Turcarum Tyrannum summa flagraret gratia, & amplissimi ei honores offerrentur, iussu Solimanni cum mandatis & authoritate missus in Hungariam, vt consilijs omnibus pacis & belli interesset, tanquàm Solimanni legatus, ab Hungaris trucidatus est: vt blandientis fortunę ludibria discant mortales cõtemnere, & animum

Ludouicus Grittus.

1534 ad ampliſſimos regni cæleſtis honores appetendos transferre. Eo ferè tempore, quo Solimannus iter habebat in Armeniã & Hariadenus Barbaruſſa cum ingenti claſſe Turcica in Italiam, & Africam properabat Grittus Conſtantinopoli profectus cum multis & equitibus & peditibus Turcis, aliquot etiàm Italis & Hungaris, ſuperato Danubio, venit in Valachiam, quæ olìm quidem Mœſia ſuperior fuit, at hodiè in Moldauiam & Tranſalpinam ſecatur. Indè conciliata priùs amicitia Petri, qui tum apud Moldauos rerum potiebatur, in Tranſſyluaniam deflexit, cui tunc præfectus erat Americus epiſcopus Varadinenſis, de quo mox plura dicemus. Porrò verò plurima vſus authoritate Grittus, ad ſe tanquàm ad Solimanni legatum paſsìm iuſſit res controuerſas omnes deferri. Habuerat ille Byzantij villam ſuburbanam cum hortis amœniſſimis, quę dono dederat Abraimo viro primario inter Baſſas. Eius verò commendatione multam iam Solimanni gratiam erat adeptus, relictusque ab Abraimo in Pannonia, Budam contra Ferdinandi exercitum fortiſſimè defenderat: atque adeò ab ipſo quoquè Ioanne Vaiuoda regni Hungarici quæſtor erat effectus, & filius eius Antonius ab eodem donatus eſt ſacerdotio Agrienſi admodùm opulento. Verùm his fortunæ arridentis ſucceſſibus factus confidentior, etiàm contra Tranſſyluaniæ præfectum ea molitus eſt, quæ illi certiſſimum exitium attulerunt. Erat is, vt iam diximus, Americus Cibachus Epiſcopus Varadinenſis, vir illuſtri nobilitate, magna potentia, & virtute eximia, dignitate à rege id temporis proximus, multaque authoritate præditus. Idem autem ipſe moleſtiſſimè ferebat, Turcas paulatìm in opulento illo regno nidificare & augeri viribus: atque eo nomine Grittum quoquè minimè paſſurus videbatur. Hunc ergò virum opera Hungari cuiuſdam Grittus opprimendum curauit, quanquàm incertum eſt, vtrùm trucidari eum voluerit, an tantùm viuum capi & ad ſe adduci, quô vinctum catenis ſub cuſtodia Byzantiũ mitteret. Vtcunquè ſit, Americus nihil tale metuens, Hungari ducis perfidia capite truncatus eſt. Caput ad Grittum allatũ eſt, quo ille conſpecto, paulò pòſt viſus eſt pœnitere, præſertìm quòd Hieronymus Laſchus qui tum aderat, id factum improbaret, aitque Americum iurè quidem cæſum eſſe: ſed ſe eum capi potiùs, quàm interfici, cupiuiſſe. Vbì autem ad hominum aures Americi cædes perlata eſt, incredibili

Americus Epiſcopus Varadinẽſis cæditur.

dibili dolore perciti, necem eius magna animorum consensione & contentione quamprimùm vlcisci decernũt. Fit magnus hominum concursus, & paucis diebus supra quadraginta millia peditum & equitum confluunt, duce præcipuè Mailaro, qui Americi fuit studiosissimus. Grittus interim passim ab omnibus, quibus plurimùm fidebat, destitutus, vt est plerunquè mortalium genus in rebus dubijs parùm constantis fidei, in magnas adductus angustias, insupèr morbo corripitur. Tandèm ad Moldauos receptum se habiturum sperans, in fugam se dedit, sed non inuentis Moldauis, in hostes incidit, atque ità ad extremùm ingenti machæra caput ei detruncatum est. In eius autem sanguine, quæ fertur esse eius gentis consuetudo, proceres & propinqui Americi penulas militares intinxerunt, vt esset apud illos diuturna expetitæ vltionis memoria. Quę quidem barbara videtur esse consuetudo. Porrò Hungarus ille, qui Americum occiderat, infestioribus animis & atrociori supplicio affectus discerptusque est. Gritti cadauere posteà nudato, in eius femorali loculus inuentus est, gemmas habens precij inæstimabilis, ità vt omnis illa præda quadringentis nummûm aureorum millibus æstimata sit. Sunt qui putent Grittum Byzantij natum, & apud Turcas educatum, studioque Abraimi, qui apud Solimannum facilè principem gratiæ locum obtinebat, Solimanno egregiè commẽdatum, atq; ad summos honores, si Christianam religionem abiurâsset, promouendum, non multùm ab hac execrabili defectione abhorruisse. Sed id non est admodùm verisimile, maximè quòd parẽtem haberet iam grandæuum, Venetiarum principem, quem nollet tam immani scelere in summos animi dolores mortemque ipsam præcipitare: tum etiàm quòd res facultatesque suas in Pannoniam absportâsset, vt illic procùl Byzantio inter Christianos vitam exigeret. Porrò verò discunt hoc eius repentino interitu, qui huius mundi prosperis successibus fruuntur, nè se illis dedant. Nam tunc vel maximè fallit vitæ prosperitas, cùm præcipuè arridet. Sed quis hęc miseris persuadeat mortalibus? Volunt esse beati in hac vita misera, & tamen tum plerunquè supremam adeunt calamitatẽ, cùm iam se fore putant omniũ beatissimos. Exempla extant innumera, sed fascinata hominum pectora pergũt suo more. Suprà diximus, Hieronymum Laschum Polonum Byzantij id effecisse, vt Solimannus ingentibus copijs in Hungariam proficisceretur,

1534

Grittus trucidatur.

Præda Gritto cæsso ablata.

1534 retur, & Iohannem Vaiuodam in regnum restitueret. Is igitur Laschus à Gritti cæde Budam, Iohanne rege iubente, vocatus, tormentis subiectus est, vt Gritti consilia & machinationes proderet. Atquì orante pro illo Sigismundo Poloniæ rege, tandèm euasit, & in Poloniam profugit. Non omninò præter meritum in eam calamitatem is incidisse videtur, quippe qui ausus fuerit Turcas immanissimos Christiani nominis hostes in Hungariam euocare, scilicet vt dum Iohanni Vaiuodæ gratificari vult, totum orbem Christianum in summum discrimen vocaret.

Turca bellum mouet Persis & Afris.

Hoc ipso tempore, quo Grittus è Thracia in Pannoniam abijt, Solimannus Turcarum princeps duo ingentia terra marique bella mouit, impotenti quadam arrogantia totius orbis imperium sibi pollicens, si Persas & Afros sub iugum misisset. Ex Africa enim facilem se videbat aditum habiturum in Hispanias, Siciliam & Italiam. Erat tum illi Africæ inuadendæ author & incentor Hariadenus Mitylenæus Barbarussa, Algerij rex in Numidia proxima Mauritaniæ, cuius crebræ victoriæ celebrem illum apud Solimannum reddiderant, adeò vt Byzantium ad se euocatum, inter Bassas annumerârit, & mari præfecerit. Is Hariadenus fratrem habuit Horucium: vterque patre Mahometano in insula Lesbo natus est, arreptaq; biremi, piraticam exercere cœperunt sub Camale archipirata. Interìm aucti viribus, nauibus, copijs, multaque præda, Mauritaniam prędabundi adiêrunt. Algerij tunc duo fratres de imperio contendebant. alter in suam perniciem Horucij opem implorat. Eam non negat Barbarus, sed intereà gentis ingenium & vires explorans, animaduertensque Maurorum mobilitatem & inter se discordiam, ea occasione opportunè arrepta, Algerij regnum multis profligatis occupauit. Multa deinde prosperis successibus fortitèr gessit: sed non diù ea prosperitate fretus, captus ab Hispanis & Mauris equitibus, neci datus est. Eius ferocissimi piratæ caput in Hispania circunlatum, multis lætitiam attulit: sed ea diuturna non fuit, succedente illi Hariadeno fratre eius, qui iam totius Africæ imperium spe deuorârat, maximisque sæpè cladibus Afros & Christianos deincèps affecit, multis ijsdemque prosperrimis terra marique partis victorijs, non è Christianis modò, verùm etiàm Mauris & Numidis, quos vehementèr attriuit. Eius igitur, vt dixi, fama permotus Solimannus, cùm è Pannonia turpitèr fugiens

Horucius pirata neci datur.

Byzan-

Byzantium reuertiſſet, eum ad ſe acciri iubet. Ille hoc ac- 1534
cepto nuncio, incredibili afficitur lætitia, moxque cum egregijs aliquot muneribus Solimanno præſentandis, ſe dat itineri. Fuit eius aduentus gratiſſimus Solimanno, coram quo multa acutè & grauitèr dixit præter alia de rebus Chriſtianorum, & quàm illi fœda inter ſe diſcordia diſtraherentur: de profligando item Mulcaſſe Tuneti rege, quem multis modis criminabatur. Nec tamen interim deerant, qui inuidia quadã torquerentur, cùm eum cernerent exiſtimatione creſcere apud Solimannum, & iam cunctantiùs admittebatur ad Solimanni conſpectũ, tandemq; ab ipſo Solimanno iuſſus eſt adire Abraimum, qui tum in Syria erat cum exercitu. Quanuìs autem ſentiret id ad ſuam ignominiam pertinere, at tamen imperij cupidus, terreſtri itinere adijt Abraimum: à quo honorificè receptus, & per literas Solimãno egregiè commendatus, Byzantium redijt, ſuſceptusque ob Abraimi commendationem magna animorum propenſione, coram Solimanno rursùs multa de gerendo in Africa, contra Muleaſſem præſertìm, bello perorauit. Habebat autem ſecum Roſcettem Muleaſſis regis fratrem, ante annos aliquot domo pulſum, quem Baſſis oſtentans, belli in Africa gerendi occaſionem captabat.

Barbaruſſa fit Turcicus maris præfectus.

Solimannus multo iudicio perpenſis, quæ erant à Barbaruſſa dicta, illum Baſſam creat, totius maris imperium ei defert, vexillum, ſceptrum, gladium de manu tradit, & vt dicta factis præſtet, hortatur. Ità ille cum ingenti claſſe octoginta triremium & aliquot biremium, multa onuſtus pecunia ex ærario deprompta, vela ventis permittit, maximaque Italiæ littoribus damna dat, aliquot vrbibus captis & direptis, multis Chriſtianis cæſis & interceptis. Indè adeò celeritèr in Africam flectit iter, vt priùs eò peruenerit, quàm ab Italia deflexiſſe putaretur. Fuit tum etiàm Romæ non parùm trepidatũ, & niſì præpotens Deus rebus Chriſtianorum proſpexiſſet, longè deteriora ab illa immani belua pati facilè potuiſſent. Ea autem in Africam traijciendi celeritate vſus eſt, vt Muleaſſem Tuneti regem imparatum opprimeret.

Africæ hiſtoria breuis.

Libet hìc pauca quædam de Africa, itemque Muleaſſe & Tuneti regno commemorare, quæ legiſſe iuuet. Africa multas olìm Romanorum colonias habuit, eò deductas ob ſoli fertilitatem, poſtquàm Carthago Romani imperij æmula deleta fuit. Regebatur autem proconſulari adminiſtratione vſq; ad Vandalorum irruptionem,

1534 quos Belissarius protriuit. Posteà verò redacta est in Græcorum imperatorum prouinciam, qui quotannis duces & præsides eò mittere consueuerunt. Postremò Saraceni Mahometicam superstitionem, pulsis Christianis, in eam vi & armis expugnatam inuexerunt, adeò vt etiàm in Illiberi, quam nunc Granatam vocant, Mauri sedem suam statuerint, & Cordubæ gymnasium cum insigni bibliotheca sit constitutum, vbi Arabicæ literæ ex professo iuuentuti traderentur. Fuerunt ibì non pauci egregia eruditione & præclaris ingenijs viri. Atquì non solis literis dabatur opera, sed etiàm militiæ: quo factum est, vt tota penè Hispania Punicis armis subacta sit. Verùm post sexcentos demùm annos nostra ferè memoria Ferdinandus Hispaniæ rex insigni virtute & singulari Numinis fauore è tota Hispania, præsertim verò Granatæ siue Bæticæ regno, impuros Mauros exturbauit. Hisce temporibus in Aphrica plurimùm omnium opibus & imperij amplitudine valent Tunetani & Festani reges: sed Tunetani & imperij antiquitate & generis nobilitate præcipuam sibi comparârunt authoritatem. Ab ijs enim sacra & iura omnia peti solebant. Supra Tunetum itinere tridui vrbs est Caruenna: in ea templum est peruetustum, & sacerdotum pro eius gentis ritu sanctissimorum collegium: eaque causa vrbs libera est & immunis: ibiq; Mauri & Numidæ proceres etiàm è remotis apportati tumulantur, quòd putent illorum sacerdotum præcipuam esse vim & efficaciam ad impetrandam ijs, qui illic humati sint, cælestem beatitudinem. Ditio Tuneti regis octingentis ferè millibus passuum in ora ab occasu ad Orientem extendebatur. Festani verò in Tingitana Mauritania, quòd plurimùm armis & equitatu polleant, cum Lusitanis perpetuò belligerantur. Reliquæ regiones & oppida, præcipuè circa oram, regulis, quos Scecos vocant, párent. Porrò mediterranea loca Numidæ, vno nomine dicti Arabes, vagabundi incolunt, cum Afris bella gerunt, & pro more bella cient, alunt cõtrouersias, perpetuò militiæ student, pecoris & agri colendi operam in seruos, præsertim Aethiopes, reijciunt, quandoquidem gentes omnes nobilitate se facilè anteire persuasum habent, originem suam ab vetusta Pœnorum stirpe repetentes. Diuisi in multa agmina à Nilo amne introrsùs ad Atlanticum Oceanum extenduntur, & cùm incertis vagentur sedibus, certis tamen pagorum finibus imperia præscribunt. Viuunt admodùm parco & tenui victu: ficu sicca, dacty-

Granatã obtinent Mauri.

Caruena vrbs.

Ditio Tuneti regis.

Arabes.

Victus Arabum.

dactylis, pulticula atque acido lacte conuiuia finiunt: Si quid verò ex venatione aut falconum aucupijs, quibus præcipuè delectantur, prædæ ceperint, tum quidem epulantur. Equum pernicitate insignem immenso precio alioquì seminudi & egentissimi homines sibi parant: is totius patrimonij eorum census est. Nam si desint bella, tota vita in latrocinijs & venationibus agitur. Vxores admodùm seruilitèr viris officia etiàm vilia exhibent. Vtuntur verò equites æstate iuxtà àc hyeme pellicea talari tunica, quippe quæ & ventos possit arcere à corporibus, & in magnis solis ardoribus ab æstu corpora tueatur. Ità quidem illi persuasum habent, licèt apud nos ridiculum videri queat, æstiuo cælo corpora pellibus operire. Habent quoquè corporum frictiones, artuum plicationes & contentiones, quibus exercitationibus & morbos depellunt, & à pharmacorum molesta vexatione sese tuentur, atque ad multam pertingunt senectutem, ità vt plerunquè sinè vllo doloris sensu inter familiaria suorum colloquia mortis debitum persoluere videantur. Ex hac gente traxit originem Lentigesia Muleassis Tunetani regis mater, cuius & hortatu & industria Muleasses regnum vsurpauit. qui sanè fratres suos ferè omnes, cùm essent duo & viginti, barbarica crudelitate partìm peremit, partìm candenti ferro oculorum vsu priuauit: quosdam etiàm fratrum filios iugulauit, multaque alia sanè crudelitèr gessit in suum sanguinē & paternos amicos quosdam atque etiàm nouercas, vt non immeritò omnibus inuisum & odiosum se reddiderit, ob suam feritatem regno tandèm exutus, vtì dicemus. Habuit fratrē ipsō natù maiorem, Roscettem nomine. Is multorum Numidarum ducum fretus studio, bellū Muleassi fecit, sed re parùm felicitèr tentata, ad Barbarussam confugit, a quo non multò pòst Byzantium ad Solimannum perductus est, & licèt in libera custodia, tamen in catenis ibì derelictus, sparsa interìm fama, Roscettem Solimāni beneficio & opera in Tunetanum regnum restitutum iri. Erat enim Muleasses iam plerisque admodùm inuisus, porrò Roscettis nomen longè gratiosius. Hac simulatione Hariadenus quædam loca Muleassis ditioni subiecta occupauit, persuasis populis Roscettem esse in classe, qui mite ac liberale ingenium præ se ferens, in ipsa quoquè Tunetana vrbe miro studio expectabatur, præsertim aduentante iam classe Turcica, quæ ex Tuneti arce conspiciebatur. Interìm Muleasses pessimè sibi conscius, à quibusdam

1534

Vestitus.

Corporis exercitationes.

Lentigesia mater Muleassis.

1534 busdam admonetur vt fuga sibi consulat. Et ille quidem fugam inijt, at Hariadenus vrbe primùm multa omnium gratulatione susceptus est: vbì verò Roscettes nusquàm comparuit, Tunetani in tumultum versi, Muleassem reuocare instituunt, mox arma corripiunt, in Turcas magno impetu irruũt, ad arcem aduolant, eamq́ue expugnare moliũtur, sed frustrà. Nam Turcæ magna vi in homines bellicæ rei imperitos ex arce duabus portis erumpunt: fit tetra cædes ciuium: Muleasses ipse vix ægrè euasit, liberalitèr ex illa fuga habitus, & summa fide seruatus ac defensus à Dorace regulo, cuius soror Muleassis mater fuit: mansitq́ue apud eum vsque ad Caroli Cæsaris aduentum, qui fuso fugatoq́ue Barbarussa, eum in regnum restituit, vti pòst referemus.

Muleasses fugit.

Turcæ occupāt Tunetum.

Porrò Hariadenus magna annonæ penuria alijsq́ue rationibus permotus, cum Tunetanis inducias paciscitur, blandaq́ue oratione persuadet, vt in Solimanni verba iurare non dubitârint. Rebus Tuneti compositis, Numidarum principes, vt est eius gentis admodùm venale & mobile ingenium, facilè sibi conciliauit, ac deindè missis Turcis, vrbes tum mediterraneas tum maritimas deditione recipit intra dies non multos. Ità tum Solimanno cessit Tunetanum imperium opera audacissimi piratæ Hariadeni Barbarussæ. Non dubiùm quin ea res summoperè incommodatura fuerit Christianorum vicinis prouincijs, nisì Caroli Cæsaris virtute ex illo nido paulò pòst Turcica barbaries exclusa fuisset, vt breuì dicturi sumus.

Tunetani iurant Solimanno.

Hoc etiàm anno cùm Barbarussa Byzantio excederet, Solimannus cum ingenti exercitu in Persas mouit, bellum illaturus Tammaso Persarum regi. Iam enim Ismaël Sophus eius parens, qui ob multa fortia facinora Magni cognomen adeptus fuit, desierat esse in humanis, quatuor relictis filijs, è quibus natù maximus Tammasus patri in imperio successit: reliqui fratres amplissimis sunt præfecturis ex patris voluntate honestati. Porrò Tammasus Ottomannorum genus vehementèr exosum habẽs, bellum animo meditabatur in Solimannum, vlturus iniuriam, quam à Selymo pater ipsius accepisset. Persico imperio subiectæ gentes, hodiè vno nomine Agiamij vocantur, & diuersam à reliquis Mohometanis plerique superstitionem sectantur, de qua iam suprà diximus, cùm de Ismaële Sopho ageremus. Fiebant interim excursiones tum Persarum in Turcicas, tum Turcarum in

Solimannus in Persas mouet.

Agiamij dicuntur omnes Persis subiecti.

in Persicas ditiones, quę quasi præludium graui inchoando bello facere viderentur. Vbi enim Solimannus didicit, quid Persę molirentur, vt erat excelso & elato animo, vehementèr in bellum Persicum accendebatur, dolens nihilo minùs haud mediocritèr, à Christianorum infestatione hac se occasione distineri. 1534

Abraimus princeps inter Bassas.

Erat inter Turcicos Bassas longè princeps Abraimus, qui in suum exitium, vt pòst dicemus, Solimānum, vt bellum Persis faceret, plurimùm incitauit, quandoquidem incredibili & summa apud Solimannum gratia & authoritate pollebat. De hoc Abraimo pauca referre operæprecium fuerit, vt eius exemplo discant sapere, qui huius vitæ secundis ventis ad omnem voluntatem perpetìm fruuntur, sintque memores conditionis humanæ, & quàm nihil certum, nihil stabile, neque diuturnum habeat vita præsens. Abraimus ergò ignobili Epiri vico natus, Scandarbassæ magno apud Turcas principi à prima pueritia seruiuit. Ibi ergò Mahometica superstitione imbutus, (licèt sint qui putent eum nunquàm ex animo Christianismum deseruisse) pro mira ingenij dexteritate celerrimè didicit Arabicè legere & scribere, & pleraque alia, quibus longè gratissimus esset tum Scandarbassæ ipsi, tum ipsius gynæceo, adeò vt Solimanno etiamnùm puero, ceu festiui & elegantis inprimìs ingenij ac moris seruus, dono missus sit, cum quo pariter educatus, sensìm ad amplissimos ab illo honores, præfecturas, opes & dignitates euectus est, Vesiris etiàm inter Bassas dignitatem adeptus, qua nulla maior dari potest. Quin etiàm regij scrinij sigillum Solimannus ei tradidit, & non modò ab intimis eum consilijs, sed etiàm voluptatum horarumque omnium comitem habere voluit, ità vt iam tanquàm Imperij consortem etiàm potentissimi quique eum suspicerent & colerent, hac ipsa immodica gratia haud dubiè certum illi exitium breuì paritura. Hac ergò fretus fidutia, Solimannum in Persas concitabat, Germanos omni tempore inuictos, minimè bello lacessendos dictitans: breuì fore, vt ipsi mutuis contentionibus & dissidijs confecti, nullo negocio Turcis se absque vllo periculo diripiendos & occupandos præbeant. Eius crebris adhortationibus inflammatus Solimannus, maximo Christianorum commodo ab Europa in Asiam arma vertit. Fuit sanè idem Abraimus erga mercatores Christianos, haud obscurè id molestè ferentibus Turcis, animo liberali & per-

Abraimi historia.

Vesiris apud Turcas dignitas.

quàm

1534 quàm humano, perpetuo atque mirifico eos patrocinio & fauore prosequutus. In diuersam autem sententiam trahebatur Solimannus tum à matre sua, tum vxore Roxolana; quę ambæ Abraimum oderant, nec rarò pseudoturcam & ex animo Christianum per contumeliam vocabant. Verùm muliebria consilia Solimannus facilè contempsit; Abraimum secutus. Itaque euocato vndiquè milite in Persas, Vlamane (qui à Tammaso profugus, ad Solimannum se contulerat) itineris duce vsus, in Armeniam cōtendit. Vbi ad Caim eiusdem Armeniæ vrbem peruenit; summa cepit admiratio Turcas omnes, quòd nullus eis Persarum exercitus longo itinere occurrisset. Verùm Tammasi consilium erat, relictis vrbibus montes petere, donèc Hiberi & Albani leuis equitaturæ, qui Persas cataphractos antecedere consueßent, superuenirent. Ea re per exploratores cognita, Solimannus castra mouit, rectaque ad eum perrexit. In eo itinere Taurisium amplissimam vrbem absque vllo maleficio ingressus, moxque egressus, Sultaniam petijt haud procùl indè distantem, quæ olim Persarum regia fuit, sed à Tamerlane Tartaro deuastata, adhuc vetusta dignitatis suæ templorum ornamenta retinet. Ad eam vrbem aliquandiù hærente Solimanno, ex vicinis altissimis montibus, quos niues perpetuæ obsident, sæuissima erupit tempestas paulò ante æquinoctium æstiuum, vt ex ipsis montium iugis præalta nix in campos, vbi Solimannus Tammasum sustinebat, ventis propellentibus decideret, & ea immanis procella Turcarum tabernacula disijceret, iumenta & vel maximè camelos grandi numero perimeret, milites permultos extingueret, adeò vt nec Solimannus ipse multùm à periculo abfuerit. Auxerunt eam cladem noctis tenebræ, & timor hostis propinqui, licèt is longè abesset. Non deerant, qui magorum incantationibus eam tempestatem excitatam autumarent. Postera luce solis radij multis attulêre remedium iam frigore & metu attonitis. Solimannus nonnihil recreato exercitu in Assyriam proficiscitur, hortante Vlamane transfuga, ac nullo negocio potitur Babylonia. In ea vrbe Caliphæ sacrorum principis sedes est, quem Mahometani reges omnes obseruant, isque ex veteri instituto & adoptat & cōfirmat Assyriæ reges, ità vt etiàm Solimannus ab eo insignia atque ornamenta eius regni accipere voluerit. Vrbs illa, si veteris structuræ ambitus expendatur, longè omnium amplissima est, libuitque Soli-

Tammasus abit in montium recessus.

Sæua tēpestas vexat Turcas.

Turca potitur Babylonia.

Babylonia vrbs qualis.

Solimanno in ea hyemare: sed iam multa illic vastitas 1535
conspicitur, horti innumeri ædificijs coniuncti, agri quoquè aratris proscissi, ferarumque captiuarum & inclusarum nemora. Frequens indè nauigatio est ad Ormutium Persici freti vrbem clarissimam, in qua hodiè Lusitaniæ rex suum habet præfectum, & fides Christi Catholica mirificè propagatur agente eodem rege, & ea in re Maiorum suorum clarissimorum Lusitaniæ regum, pietatem egregiè sectante. Nec fide carent quæ ab antiquis scriptoribus de hortis pensilibus, de regia structuræ admirandæ, & murorum incredibili magnitudine prodita sunt, cùm hodieque earum rerũ vestigia non desint. Exceptus est Solimannus ab Assyrijs & Mesopotamiæ populis mira propensione, ità vt per vrbes illarum regionum exercitus in hybernis collocaretur. Quæ deincèps tum Solimanno, tum Abraimo acciderint, anno sequenti referemus.

Turca redit in Persidem.

Taurisiũ diripitur.

ANNO 1535. Solimannus, hortante Abraimo & Viamane, in Tammasum arma instaurat, egregiam quandoquè, vti sperabat, ex Persis victoriam relaturus. Itaque Taurisium reuertitur, Tammaso indè ad eius inopinatum aduentum in Coraxenos iterùm abeunte: vrbemque amplissimam, licèt iussa facere paratis incolis, sæua barbarie militi diripiendam obijcit, & ipse quoquè multa ornamenta ex regis palatio parùm liberaliter secum absportat Byzantium, præter artifices sericos, seruos quoq; & delectam vtriusque sexûs iuuentutem, quorum erat ingẽs multitudo. Ea præda onustus, cùm iam aduentantis Tammasi fama increbresceret, redit in Mesopotamiã: nec eo in itinere abfuisset à periculo exercitus, nisi falconum & sclopetorum ictibus Persæ absterriti fuissent. Verùm enimuerò iam Tãmasus Taurisium redierat, eumque persequi statuit, sed cataphracti Persæ leuissimos Turcas equites insequi non poterant. Interim Delimenthes satrapa fortissimus petit à Tammaso certum expeditorum equitum numerum, cum ijsque per nota itinerum compẽdia Turcas insequitur, eosque iam nihil aduersi formidantes vndiquè inuadit, perturbat, opprimit, ità vt Bassæ ipsi vix euaserint. Vix vsquàm Turcæ maiorem cladem vel in pugna cruẽtissima feruntur accepisse, ablatis præsertim tormentis atque tabernaculis, cunctisque vasis castrensibus & impedimentis, atque insupèr plusquàm dimidia equorum parte

Ingens Turcarũ clades.

R desiderata

1535 desiderata. Fuit hoc ad tertium Octobris, quem diem posteà celebrem Persæ habuêre. Ea clades Solimanni animum vehementèr afflixit, omninoque Byzantium redeundum statuit, interim profundè ac dissimulantèr inexpiabili odio in Abraimum concepto, qui ei huius infelicis expeditionis suasor fuisset. Vbi Byzantium redijt, atrox Abraimo multorum procerum conspiratione, quibus iam immodica eius potentia nimisquàm inuisa esset, inuidia conflata est, atque apud Solimannum gratia eius omnis conuulsa est, matre quidem & coniuge Solimanni, primis eius exitialis odij authoribus, quæ ferre non poterant, ad serui vnius arbitrium tantum principem huc illucque impelli. Nam certum est, nulli ferè vnquàm tantum apud principem tributum fuisse, quantum ipsi Abraimo: sed ea gratia in summum odium repentè mutata est, vt rectissimè admonuerit propheta Regius: Nolite, inquiens, confidere in principibus, in filijs hominum, in quibus non est salus. Plurimùm verò Abraimi existimationem prægrauabat, quòd haud obscuris indicijs compertum esset, eum Christianorum rebus fauere, proptereaque Solimannum à Carolo Cęsare & Ferdinando rege, itemque Venetis infestandis ad Persas reuocâsse. Erat enim Solimannus acerbo in Venetos animo, tum quoquè Carolum Cæsarem vehementèr oderat, quòd didicisset eum per legatos cum Persis egisse, suspicareturque eum Tammaso tormenta per Lusitanos è finitima India suppeditaturum. Itaque Abraimus ingrati & perfidiosi erga Solimannum animi conuictus, cùm circiter Idus Martias in regiam fuisset admissus, acerbissimis verborum flagellis cæsus est, seuerissimeque à Solimanno obiurgatus, nec vllis lachrymis ad Solimanni pedes prostratus, sæuum eius animum flectere potuit. Nocte indè proxima, in puluino dormitans in cubiculo, cultro adunco, quem Solimannus carnifici de manu tradiderat, iugulatus est. Porrò sole orto supellex & pecunia eius omnis in fiscum relata est, nihilque ferè præter dotem miserrimæ coniugi relictum. Is hominis longè fortunatissimi exitus fuit. Contemplentur hæc, qui tantoperè venantur hominum gratiam, & nihil non agunt, vt Principum fauore conciliato, ad dignitates, honores, diuitias capessendas prouehantur. Extant aurea cuiusdam doctissimi viri carmina, quæ huc adscribere visum est:

Abraimus perdit gratiam.

Psal. 145.

Abraimus iugulatur

Felix

1535
Felix ille animi, Diuisq; simillimus ipsis,
Quem non mendaci resplendens gloria fuco
Solicitat, non fastosi mala gaudia luxûs:
Sed tacitos sinit ire dies, & paupere cultu
Exigit innocuæ tranquilla silentia vitæ.

Hoc anno per Angliam facta est religionis infausta & funesta mutatio, rege ob odium Pontificis, qui eius nuptias probare noluit, conniuente, licèt anteà Luteri dogma acerrimè oppugnâsset. Hoc quoquè humanæ mutabilitatis exemplum fuit, non facilè obliuioni tradendum, vt qui stat, videat nè cadat. Erant per id tempus in illo regno inter alios duo præcellentes viri, pietate & eruditione clarissimi, Iohannes Fischerus Roffensis Episcopus, & Thomas Morus regni Cancellarius, qui est apud Britannos proximus à rege magistratus. Ij, vtpotè viri graues, neque diuortium cum Catharina probare, neque regis, caput Britanniæ se profitentis, sententiæ subscribere volebant. Id verò rex tulit animo periniquo, & Roffensi quidem maioris odij auctarium fuit, quòd captiuum Pontifex in cardinalium ordinem cooptauit. Extant eius reuerendi antistitis aliquot præclara volumina, quibus tum Luteranam, tum Zuinglianam hæresim grauitate & maiestate Pontifice digna sic confutat, vt vix quisquam vnquàm illi respondere ausus fuerit: quanquàm vt illi non magnoperè responderent, vel eo nomine adduci poterant aduersarij, quòd Latinè scripsisset, nec vulgus eius scripta posset intelligere. Id enim semper hæretici omnes nostrorum temporum vel maximè curârunt, vt popularis gratiæ auram captarent, scilicet vt illis liceret suauitèr & mollitèr ætatem agere, nihil intereà morati, quòd tot miseros, simplices & idiotas homines in grauissima salutis suæ pericula conijcerent. Hoc certè ex illorum scriptis palàm editis, tum ex quotidiana viuendi ratione tam potest planum testatumque effici, vt qui secùs hominibus persuadere volunt, quod conati sunt homines quidam medij vel neutrales, ij suam impudentiam toti orbi plùs satis prodant. Quod quidem nos de sectarum authoribus & concionatoribus dictum præcipuè volumus, quos plerosque perspicuum est contra suã mentem & conscientiam longè alitèr & scribere & docere, quàm rem ipsam se habere non sint nescij. Nam sæpissimè apertè mentiuntur: quod non facerent, nisì de industria in errore versari de-

In Anglia mutatio religionis.

Scripta Episcopi Roffensis.

1535 creuiſſent. Sed ad rem reuertamur.

Rex Angliæ cernens neque Roffenſem neque Morum ſibi obtemperare velle, vtrunque capite damnauit per ſuos adminiſtros. Roffenſis quidem ad X. Calend. Iulij, Morus autem ipſius Iulij 7. die capite plexus eſt. Roffenſis certè multis annis diligentèr inuigilando gregi ſuo, adminiſtrandis ſacramentis, aſſiduitate docendi tum voce, tum ſcriptis, mira quoquè liberalitate in egenos benignitate in ſtudioſos, verum ac legitimũ egerat Epiſcopum, ità vt eius aula nihil ferè à monaſterio differre videretur. Nec dubitauit conatibus regis verbo ac ſcripto ſe opponere, nè ſuam conſcientiam negligeret, tametſi ea re exitium ſibi pararet. Nolebat enim ſalutem Regis diſſimulando negligere, ſed vt verus Epiſcopus veritatem libera voce profeſſus eſt ad ſupremum vſque ſpiritum, adeò vt tum quoquè cùm in eum proditorum immane ſupplicium eſſet conſtitutum, atque pronunciata eius horrendæ necis ſententia, hilari & placido vultu intrepidus permaneret. Sed quia ſenio grauis, multiſque vigilijs & ſtudijs confectus erat, in mitiorem ea ſententia mutata eſt, quòd vererentur antè exhalaturum ſpiritum, quàm rheda trahávе, vt moris eſt, tractus ad ſupplicij locum perueniret. Itaque X. Calendas Iulij productus in planitiem, conſtanti & alacri vultu populum eſt allocutus, ac primò quidem regi & regno benè precatus eſt: deindè prece ad Deum fuſa, illi ſe commendauit, atque ità ſecuri caput præcidendum obiecit. Apud Anglos enim non enſe, ſed ſecuri plectuntur rei, capite in truncum inclinato. Is exitus fuit clariſſimi atque doctiſſimi Pontificis, poſtquàm iam diuturni carceris moleſtias pertulerat.

Roffenſis capite damnatur.

Breuì pòſt etiàm Thomas Morus, qui rege nouas res moliente, vltrò ſe Cancellariatu abdicârat, eundem vitæ exitum habuit. Videbat enim vir prudentiſſimus quorsùm tenderent Regis conſilia: itaque nè cogeretur de innocentibus ſumere ſupplicium, illi ampliſſimo muneri ſpontè renunciauit. Cùm autem Regis nuptias probare nollet religione prohibitus, bonis omnibus exutus, & perpetuo carceri addictus eſt. Porrò hoc anno menſe Iulio eductus ex arce Londonienſi, ſiſtitur iudicibus à Rege deſignatis. Ibat debilis ſcipione fultus longo itinere, ſed vultù animum minimè perturbatum præ ſe ferente, donèc ad locum ventum eſt. Ibì primùm hortari eum cœperunt ad reſipiſcentiam: ſed ille Deum rogat,

Morus capite plectitur.

gat, vt in ſententia ipſum confirmet. Deindè obiecta diluit, licèt multùm iam debilitato corpuſculo ex carceris diuturnitate & morbo: quæ res permouit iudices, vt allata ſella dum ſe purgat, ſedendi habeat facultatem. Ijs peractis, vocati ſunt ex gentis inſtituto Duodecimviri, vt inter ſe conſultarent, num Morus in decretum Parlamenti malitiosè peccâſſet. Illi breui intèr ſe habita deliberatione, reuerſi ad Iudices aiunt, Gylthi/ hoc eſt, Reus eſt mortis. Mox à Cancellario in eum prolata ſententia eſt. Tum ille mentem ſuam coram omnibus explicauit de Decreto Parlamenti, quòd rex eſſet habendus caput Eccleſiæ Anglicanæ, aitque totis ſeptem annis ſe diligentiſſimè veterum ſcripta & concilia euoluiſſe, nec tamen vſquàm inuenire potuiſſe, hominē laicum vel ſecularem caput eſſe poſſe Eccleſiæ in rebus Eccleſiaſticis. ſed interſtrepebant quidam, nec oratione eius permoueri potuerunt, licèt eſſet ſolidiſſima. Indè reducitur in carcerem, vbì priuſquàm ad turrim ventum eſſet, miſerandum accidit ſpectaculum. Erat Moro filia Margareta eleganti forma, optimis moribus, rara eruditione. Ea vbi cognouit in patrem mortis prolatam ſententiam, pietate in parentem & acerrimo animi dolore permota, per medios ſatellites vi qua poterat perrupit, & in patris amplexus ruens, quod voce non poterat, nimio præpedita mœrore, lachrymis vbertim teſtata eſt, nempè ſummam pectoris ſui ægritudinem & angores. Verùm pater, ſatellitum permiſſu, conſtanti vultu iuſſit eam miſſos facere eiuſmodi ſingultus, & animo infracto ferre præſentem rerum ſtatū. Sic enim, inquit, viſum eſt Deo: & tu iampridèm conſcia es arcanorum pectoris mei. Iam verò Patre ab illa decem vel duodecim paſſibus progreſſo, illa non ferens immodicos doloris aculeos, ex tam præſenti parentis amantiſſimi periculo eius animum vehementèr pungentes, rurſùs accurrit ad Patrem, amplectitur abeuntem, ſed ab illo neq; lachrymas vllas fundente, neque faciem in rugas aut mœrorem contrahente, hoc ſolùm audit, Vale, & Deum ora pro ſalute animæ meæ. Fuit ea hauddubiò grauis tentatio tanto viro. ſed qui iam pro veritate ſemèl vitam cum ſanguine profundere prorſùs deliberârat, Chriſti amori omnem quantumuis propinquorum amorem poſthabuit, vt ſe verum & inuictum Chriſto martyrem conſecraret. Ità quidem nos de tali viro ſentire congruum eſt, qui cùm poſſet in illo regno rebus omnibus eſſe florentiſſimus, tamen nè

1535

Mori oratio.

Ad Morū filia accurrit.

Virilis pectoris constantia.

1535 Deum offenderet, ipsam quoquè vitam perdere maluit. Idem autem ipse, cùm esset regni Cancellarius, quandiù rex Catholicam tuebatur religionem, seuerè in eos animaduertere solitus erat, qui Luteri aut alterius dogma hæreticum sequerentur. Deindè septimo Iulij caput illi præcisum est.

Calendis Iulij damnatus est, 7. Iulij capite trũcatus.

De eius itemque clarissimi Roffensis Episcopi morte, ità quidem scriptum reliquit: Sexto Nonas Iulij (alij, septimo Iulij, vt diximus) obtruncatus est in Britannia Thomas Morus, non minorem constantiam in iudicio & supplicio præ se ferens, quàm iniquissimo Atheniensium senatusconsulto condemnatus Socrates: Paucis diebus ante illum interfecto Episcopo Roffensi, in quem regis furor non alia causa vehementiùs exarsit, quàm quòd is in Cardinalium ordinem à Pontifice esset cooptatus. Sed audi, quod vincit omnem feritatem. Caput Roffensis inditum stipiti, multis diebus omnium oculis fuit expositum: quod non modò non contabuisse, verùm etiàm multo venerabilius esse factũ ferebatur. Vbi is rumor percrebuit, mox amotum est loco. Et nè quid in Mori capite existeret, quo populus religione turbaretur, audi iam facinus immanissimum. Renouata est Thyestæa fabula, & caput eius non nisi longa coctura maceratum, quò celeriùs difflueret, hastili est impositum. Hæc ille.

Reginaldus Theologus.

Eodem anno 15. Aprilis Reginaldus Doctor Theologus, omni virtute, & trium linguarũ atque omniũ rerum diuinarum cognitione præclarè instructus, ex Abbatia Londinensi, quam Sion vocant, professione Brigittanus, itemque alij nonnulli religiosi & seculares Iudicibus sistuntur, tanquàm qui sententiam Parlamenti nollent admittere. Ibì Doctor ille Reginaldus inter alia palàm dixit, Si rex sciret quàm malè ipsi persuasum esset à quibusdam regni proceribus, grauissimè indignaturum malis consultoribus. Tum verò mox illi indictum est silentium. Hoc enim malè fortaßis sibi conscij ferre non poterant. Et dolendum est certè, quòd non raRò optimi principes improbissimorum hominum prauis consilijs transuersìm aguntur, & faciunt plerunquè quod alioquì nunquàm attentàssent, si aliena fraude deprauati non essent. Deindè iussus est ad quædã respondere, quod cùm faceret magna libertate, rursùs silere iubetur. Vbi porrò audiuit mortis in se latam sententiam, Hoc est, inquit, iudicium huius mundi. Petijt autem bidui tri-

Iohan. 12.

duive spatium sibi permitti, quo se ad mortem præpararet: sed responsum est illi, hoc iam non in iudicum, sed regis arbitratu & clementia situm esse. Tum ille, Credo, ait, videre bona Domini in terra viuentium. 1535 *Psal.26.*

Per idem tempus Carthusiani quoquè Londineñ in regis iram incurrerunt, quòd nollent eum caput Anglicanæ Ecclesiæ agnoscere. Erant in ea Carthusia multi religiosi fratres & Patres, inprimis præfectus cœnobij, quem Priorem vocant, Iohannes Houhthon, cuius fuit insignis pietas in Deum. Dum autem hæc procella in Regno grassaretur, & iam Carthusianis periculum impenderet, casu Londinum alij duo Carthusiani Priores venerunt, Robertus Laurens, & Augustinus Vuebster. Cum ijs Prior Iohannes Houhthon accessit Thomam Cromuel regni Cancellarium, sperans se ab illo impetraturum, nè ipse cum suis cogeretur in regis verba iurare. Vbì preces suas submissè admodùm proposuit Cancellario, hoc solùm consecutus est, quòd mox tanquàm regi rebellis, cum alijs duobus Prioribus in carcerem coniectus est. Ibì postquàm hebdomadam vnam exegerunt, Cancellarius cum plerisque alijs Regis consiliarijs venit, hortaturque vt abiurato Pontifice, Regem caput Ecclesiæ tam in Ecclesiasticis quàm in politicis rebus profiteantur. Responsum est illi à patribus negatiuè. Non enim sic didicerant ab Ecclesia Catholica. Itaque iussi sunt iterùm in custodiam recipi. Deindè ad certum diem producti sunt in concilium, rursumque vt consentirent admoniti, constantèr responderunt se nec in minimo velle ab Ecclesiæ sententia discedere. Mox adhibiti sunt Duodecimviri, iussiq; inter se tractare, num mortis rei essent Patres illi, qui nollent in Parlamenti sententia acquiescere. Illi deliberandi spatium proferunt in crastinum. Interìm cùm essent viri boni, statuunt illos innocentes pronunciare, & nequaquàm mortis reos. Subodoratus Cancellarius rem sicutì erat, misit ad eos qui percontaretur, cur sententiam cunctantiùs proferrent. Respondent se non esse ausos in tam inculpatæ vitæ homines necis sententiam promulgare. Vbì hoc Cancellarius percepit, ira percitus, euestigiò iubet eis renunciari, si quidem illi non inueniant vndè eos reos pronuncient, ipsos reorum pœnam subituros. Cùm verò nec sic flecterentur, ipse eos adijt, & crudeles minas intentans, eò parùm firmos adegit, vt maiestatis eos condemnârint. Quod cùm postera luce fecissent, à Iudicibus

Carthusiani Londinenses.

Tres Priores in carcerem coniecti.

Damnans

1535 cibus lata in eos ſententia eſt, quæ ſolet in reos maieſtatis. Indè iterùm in carcerem rapti, quinque diebus illic manſerunt, multas interim perpeſſi moleſtias. Poſteà ad mortem duci iubentur 4. die Maij. Itaque trahæ impoſiti, immò reſupini toto corpore alligati, per totam vrbem ad locum vſque ſupplicij, qui à carcere milliari Gallico aberat, equis trahentibus modò per aſpera, modò per cœnoſa & lutulenta paſsìm obuia loca raptantur. Vbì eò ventum eſt, primus ſoluitur Prior Londinenſis Carthuſiæ. Carnifex flexo poplite, vt habet patrius Britanniæ mos, rogat veniam crudelis ipſi mortis inferendæ. Id ille magno facit affectu, complexus hominem, & tum pro illo, tum pro cæteris Deum orans. Tum verò ſcalam aſſcendere iuſſus, obtemperat incunctantèr. Ibi vnus ex conſiliarijs Regis, qui illic cum multis hominum millibus adſtabant, rogat num regi & Parlamento conſentire velit, impunitatem pollicens, ſi id faciat. At ille palàm teſtatur, ſe ſolo Dei timore, non vlla in Regem ſuum rebellione adductum, id facere neque poſſe, neque velle: immò mâlle pati omnia, quàm vel latum vnguem à decretis Catholicæ Eccleſiæ deflectere. Porrò, inquit, orate pro me, & miſereat vos fratrum meorum, quorum Prior immeritus fui. His dictis, breui ſpatio impetrato, legit ſex primos verſus Pſal. 30. Mox euerſa ſcala, manſit pendulus, craſſo fune de induſtria illigatus, nè præfocaretur. Atquì ſubitò alius quidam funem præcidit priùs quàm moreretur, ſicque lapſus in terram, paulùm palpitans ad ſe redijt. Nec mora, raptus in vicinum locum, & veſtibus omnibus magna vi nudatus, trahæ rursùs nudus alligatur. Primò carnifex verenda præcidit, deindè ventrem ſcindit, & viſcera omnia in ignem proijcit, corde transfixo. Quæ omnia vſqueadeò conſtantèr & placidè tulit, vt & præſides & reliqui omnes non mediocritèr demirarentur. Caput indè truncatum eſt, & corpus quadripartitum. Idem ſupplicij genus reliqui duo Priores & Doctor Theologus Reginaldus, & quidam presbyter ſecularis Iohannes Hailus, magna conſtantia perpeſſi ſunt. Nullus in his omnibus neque in vultu pallor, neque in ſermone trepidatio, neque in vllo corporis geſtu mortis formido apparuit: eodem habitu in teterrimo ſupplicio perſeuerârunt, quo fuerant incolumes, nimirùm ſpiritu eos veritatis corroborante. Alia ratio eſt eorum, qui pro ſuis ſceleribus vel prauis opinionibus pœnis ſubditi, hilaritatem & conſtantiam præ ſe ferunt.

tur à Iudicibus.

Prior Londinen. ſuſpenditur.

Horrendũ ſuppliciũ.

Ea

Ea enim non constantia, sed pertinacia est, prauo animi errore, non recta ratione, concepta, cùm vtiquè non pœna faciat martyrem, sed causa: ità vt valdè ridiculi, immò insani sint huius ætatis sectarij, qui magna conscribunt martyrologia eorum, qui non fidei, sed hæreseos nomine apud Catholicos supplicijs affecti sunt: quasi verò apud posteritatem illorum memoria venerationi, & non execrationi potiùs, futura sit. Sed his omissis, ad nostros reuertamur: qui cùm tam immanitèr excruciarentur, rogabant principes & reliquos circunstantes omnes, vt constantèr ad supremum vsque spiritum benè viuerent, Regi fidelitèr seruirent & obtemperarent in omnibus, quæ non essent à Dei & Catholicæ Ecclesiæ placitis aliena. Corporum membra aliquandiù cocta, diuersis Londini locis suspensa sunt, & capita stipitibus infixa. 1535

Nondùm tres elapsæ erant hebdomadæ ab horum patrum nece, & eccè quidam vilissimi homunciones à Cancellario copiam petunt, & facilè impetrant, quosdam alios Carthusianos Londinenses diuexandi. Itaque Carthusiam aduolant, & Vicarium Hunfridum Middelmore, Vuilhelmum ex Mewe, & Sebastianum Nendegate sacerdotem innocenti insania adducunt cum ignominia ad putentissimum carcerem, atque illic dies quatuordecim catenis ferreis colla & crura constringunt atrocitèr, ità vt perpetuò erecti starent, nulla permissa facultate corporis exonerandi, quod necessè erat magnam illis ex fœtore & communi verecundia molestiam creare. Posteà seorsìm concilio sunt exhibiti, & cùm constantèr responderent se nolle ab Ecclesia Catholica deficere, & validis rationibus & scripturæ sententijs ostenderent, Regem sibi non posse vendicare Ecclesiasticam authoritatem, idem supplicium, quod superiores, perpessi sunt die 16. Iunij. Erant quidem omnes tres ætate iuuenes, sed animo cani, & præclara prosapia, nec mediocritèr eruditi. Et Sebastianus quidem in ipsa Regis aula fuerat enutritus. Verùm edocuerunt illos suo exemplo, pro Christi & veritatis amore contemnere omnia. Deindè anno 1537. decem alij Carthusiani Londinenses in fœtidissimum carcerem protrusi, inibi vitam breuì cum morte commutârunt, vno dempto, qui annis quatuor vixit ibi incolumis, sed tandèm idem supplicij genus perpessus est. Multùm laboratum est annis aliquot, vt Carthusiani Londinenses Regi con-

Tres alij Carthusiani mittuntur in carcerem.

Afficiuntur supplicio.

9 alij Carthusiani moriutur in carcere.

1535 sentirent, & modò blanditijs, modò terroribus pulsati sunt. Pauci quidam versutissimis hominum fraudibus decepti, specie quidem visi sunt in verba Regis iurare, sed animo prorsùs detestabantur. Verùm horum imprudens simplicitas hoc præmij adepta est, quòd cùm seruandæ Carthusiæ Londinensis causa simulatè iurâssent, illa prima omnium deleta est, monachis indè omnibus expulsis. Alij quoquè duo Carthusiani Londinenses anno 1537. quinto Idus Maij suspensi catenis, tam diù in patibulo hæserunt, donèc ossa omnia deciderent. Dicebantur illi Iohannes Rochester & Iacobus Wannert. Præter hos ob eandem causam supplicio affecti sunt Ioannes Trauersius Doctor Theologus in Hybernia, & Ioannes Stoneus Augustinianus Cantuariæ in Anglia. Stoneus quidem tenebatur aliquandiù in carcere, ibique ad solita Christianorum arma confugiens, precibus & ieiunio triduano sinè intermissione se dedit. Ibì tum ad eum vox facta est, licèt neminem videret, quæ eius appellato nomine, iussit eum infracto animo pro ea, quam professus erat, sententia mortem oppetere. Multùm indè ille confirmatus, permansit constans, nec vllis vel minis vel terroribus potuit à sententia deduci, maluitque fortitèr mori pro iustitia, quàm regis parére voluntati. Porrò Trauersius scriptis quibusdam Romani Pontificis primariam authoritatem cùm defendisset, eo nomine accusatus est: & raptus ad tribunal, non negauit, sed extensis digitis, His, ait, ea conscripsi, nec me eius facti vnquàm vel pœnituit, vel Deo benè propitio pœnitebit. Igitur dictata in eum mortis sententia est, grauiaque de more supplicia sumpta. Accidit ibì res admiratione digna, quam narrârunt illi, qui præsentes huic spectaculo interfuerunt. Cùm carnifex manum illam amputâsset, & spectante populo in ignem conieciſſet, reliqua parte exusta, pollicem cum proximis duobus digitis, quibus solemus literas pingere, nulla ratione ignis, licèt identidèm inflammatus, absumere potuit. Quo insigni miraculo Deus, martyrem suum causam bonam tuendam suscepisse, declarare voluit. Causa enim, vt rectè ait Augustinus, martyrem facit, non pœna. Prætereà malè habiti sunt & ad vnum omnes in carcerem cõiecti patres Franciscani, qui Obseruantes dicuntur, quòd etiàm illi regi assensum præbere nollent, Ecclesiæ Anglicanæ caput sese dictitanti. Vtrùm autem ex eorum numero aliqui neci dati sint, incertum habeo. Hoc pacto accepti sunt,

2. alij in crucem acti.

Iohannes Stoneus.

Iohannes Trauersius.

Miraculũ.

Frãciscani in carcerem mittuntur.

sunt, qui in bona causa defendenda eam declarârunt constantiam, quam & religio Christiana, & ipsius causæ æquitas flagitabat. Verùm non diù impunè tulerunt, qui illas cædes innoxiorum hominum patrârunt. Nam ipse Thomas Cromuel Cancellarius, post Carthusiam Londinensem direptam & vastatam, intra biennium capite punitus est, vti nè quis confidat in principibus. Certè valdè impium est, vt possis humanam aucupari gratiam, omnem contemnere legem diuinam: & qui huiusmodi sunt, non immeritò principum alienissimos etiàm post summam gratiam animos experiũtur. Alij quoquè alias perpessi calamitates, non diuturno gaudio potiti sunt. Porrò insignis illa Carthusia mutata est in officinam scelerum, vbì scortationi, palæstræ & ludis vacaretur. Et hæc quidem & id genus alia tolerat Luteri Euangelium: Diuinas laudes, Ieiunia, Preces, Vigilias, carnis castigationes, quibus anteà illic vacari solebat, tolerare non potest. Et ea causa est, quòd hæc noua noui Euangelij dogmata, tam cupidè à plerisque cæcis mortalibus suscipiuntur, quia iucunda sunt & plausibilia carni. O satanæ versutiam. Sed illi timere debent, quod in Iob dicitur: Ducunt in bonis dies suos, & in puncto ad inferna descendunt. Et quod Christus ipse in suo Euangelio, Væ qui ridetis, quia flebitis. Hoc sanè permultis locis fecit Luteri Euangelium, vt monasteria vel prorsùs euersa, vel in prophanos vsus mutata sint, scilicet vt extincto cultu diuino, ad Mahometanam insaniam sensim deuoluamur, aut certè in Ethnicismum, vt iam aliquot fit locis, relabamur. Oportet reuerà non Christi, sed satanæ spiritum esse, qui ferre non potest laudes Dei, studium perpetuæ continentiæ, contemptum mundi & voluptatum omnium, vigilias, ieiunia, preces, voluntariam paupertatem, propriæ voluntatis abnegationem: quæ quidem & id genus alia pietatis exercitia certum est nusquam magis, quàm in benè institutis monasterijs, viguisse & vigere. Sed ea, hortante Lutero, vastata & prophanata sunt, adeò vt ipse Luterus Cœnobium Augustinianum occupauerit, vbì anteà multi fratres solebant Deo seruire. Et ipsa quoquè Carthusia Londinensis, de qua nunc agimus, postmodùm data est cuidam militi, qui ex ea struxit sibi palatium, templum mutauit in triclinium, & totum ferè cœnobium euertit. Paulò antè in eius Carthusiæ templo Regis tentoria & arma bellica tanquàm in armamentario reponebantur: imagines

Margin notes: 1535 — *Cromuel capite plectitur.* — *Iob 21.* — *Lucæ 6.* — *Carthusia mutatur in castrũ.*

1535 gines non modò diuorum quorumlibet, ſed etiàm ipſius crucifixi Seruatoris, quæ nos tantæ charitatis admonere debent, cultris conciderunt, & pedibus calcârunt. In ipſis ſacris aris ſaltârunt, & aleis luſerunt, choreas duxerunt, multaque alia valdè deteſtanda perpetrârunt, cuiuſmodi & Arrianos olìm feciſſe legimus. Ea verò cœnobiorum euerſio etiamſi nihil prætereà mali haberet, tamen vel ob hoc pernicioſa nimiùm eſt, quòd innumeri homines inopes, mendici, calamitoſi fraudantur eleemoſyſynis, quæ illic largiſſimè præſtari ſolebant. Nunc poſtquàm à nobilibus vel alijs prophanis hominibus ſunt occupata, citiùs lapidem quàm panem, ad fores ſtipem poſcens, retuleris. Eſt & aliud, quòd mercatores peſſimè habet, qui etiàm licèt infecti Luterano dogmate, tamen mâllent cœnobia pleraque minimè euerſa, quanquam ferre non poſſunt Mendicantium Ordinum monaſteria. Cauſam huius quandoquè audiui ex quodam mercatore egregiè Luterano, qui quotiès Luteri nomen promebat ore, nudabat caput honoris cauſa. Aiebat ille proptereà ſe dolere extincta monaſteria, quòd olìm nobiles conſueuiſſent proles ſuas in ea intrudere, & facultates ſuas relinquere illis liberis, quos domi retinendos cenſuiſſent, & tum nobiles fuiſſe locupletes, nec opus habuiſſe rapinis & cædibus. At nunc poſtquàm deleta ſunt Cœnobia, puellos & puellas inire coniugia, indè grande examen nobilium liberorum exiſtere, qui cùm ex parentum facultatibus, inter ipſos pro rata cuiuſque portione diſtributis, non poſſint tantum conſequi, vndè ſic viuant quemadmodùm habet nobilium conſuetudo: iam nobis, inquit, mercatoribus iter agentibus inſidiantur, merces noſtras diripiunt, atque ex rebus noſtris prædas agunt. Ità ille Luteranus non propter Ieſum dolebat ſublata monaſteria, ſed quòd ipſis iam non liceret tutò iter facere. Verùm ſi malum eſt eſſe monaſteria, vt Luteri habet euangelium, non debent tolerari priuati cauſa compendij vel lucri. Si autem malum non eſt ea eſſe, cur non etiàm ferant Mendicantium fratrum domos, cùm tamen ex illis plerunquè plurimùm capiant ſolatij & ſubſidij ſpiritalis, dum ab illis vel in confeſſione vel in ſacris concionibus & multis alijs modis, rectè ac piè inſtituuntur? Sed hoc ipſum ſcilicèt dolet malo dæmoni, & ideò dedit operam, vt Mendicantium Ordines prorsùs profligati ſint, vbicunquè Luteri Euangelium dominatur. Sed & alia omnium Ordinum

Mercatores Luterani vellent ſalua cœnobia.

num cœnobia innumera aut destructa, aut miserè expi- 1535
lata & deformata sunt, iacetque prorsùs omnis cultus diuinus, nisì quòd Dominicis diebus apud sectarios in templo conueniunt Euangelici fratres & sorores, & ibì aliquem Germanicè vel alio idiomate vulgari psalmum cantillant, suamque cœnam peragunt, nihil à prophano conuiuio discrepantem, cùm plerunquè non sint sacris initiati, qui illis cœnam suam conficiunt, vt ideò quoquè corpus & sanguinem Domini conficere non possint. Si qui verò inter eos sunt apud Catholicos sacerdotio initiati, illi si conficiunt Eucharistiam, tamen negant manere corpus & sanguinem Christi extra sumptionem. Indè fit, vt æditiuus quod superest vini, plerunquè secum domum absportet, hilaritèr cum suis inter edendum illud potitans, non absque summa contumelia tanti sacramenti. Nam licèt illi negent esse verum sanguinem, non tamen propterea desinit esse verus sanguis, si sit semèl ritè consecratus. Sed ad institutum redeamus.

Cœnobia euertit Luteri euangelium.

Hoc anno rebus tam prosperè ad Luteri voluntatem in Anglia præter eius expectationem fluentibus, magìs etiàm ferocire cœpit. Scripsit acerbè & suo more calumniosè in principes & ordines Catholicos Imperij, inter alia vocans eos seditiosos & rebelles Cæsari, atque fures Dei, vt qui neque Deo, neque veræ Ecclesiæ Christi, (scilicet Luteranæ) neque Cæsari aut vlli potestati obedire dignantur. Sed hæc citra dubium in nullum veriùs quàm Luterum ipsum & eius similes quadrant, qui sic Papæ iugum excusserunt, vt nullum omninò imperium ferre velint. Inuehitur deindè, & quidem vel maximè seditiosè, in Cardinalem Moguntinum, idque in hunc modum, quanuis Teutonicè: *Si ciues Hallenses & subditi prouinciales Archiepiscopatûs Magdeburg. Episcopum Moguntinum tyrannum suum Cardinalem expellerent aut interficerent, iustè facerent ei.* Vbì verò Christus vnquàm dixit Iudæis, Si pontifices, scribas & Pharisæos vestros interficiatis, rectè facietis? An non potiùs dixit, Super Cathedram Moysis sederunt scribæ & Pharisæi: Omnia quæcunque dicunt, facite? Quòd si Catholici scriberent subditis principum Luteranorum, Præclarè egeritis, si tyrannos principes vestros tuleritis è medio, quas turbas Luterus cum suis concitaret? Quid verò futurum est in orbe Christiano, si liceat subditis priuata authoritate vel expellere, vel trucidare suos

Luterus in Catholicos principes.

Nota seditiosum scriptum.

Matt. 23.

1535 suos principes? Dignus ergò Luterus erat, cùm ad huiusmodi nefarium scelus, Cardinalis Moguntini subditos incitaret, qui seditiosorum pœnas lueret. Mirum est, nusquàm videre potuisse homines, quàm nihil Luteri Euangelium consentiat cum Euangelio Christi: tum quoquè, quàm ille nusquàm sibi constet, sed tam sit in doctrina varius & inconstans, quàm se illi diuersa scribendi argumenta obtulerunt. Hæc verò idcircò sæpiùs repetuntur, vt vel posteritas discat nostro magno malo sapere. Vt autem in Moguntinum Principem tam impotentèr Luterus incurreret, ea res in causa fuit, quòd is princeps iusserat subditos suos Luteri fermento deprauatos, rebus suis distractis, aliò emigrare, nè reliquos inficerent: quæ quidem non tyrannica fuit, sed admodum tolerabilis mulcta, nisi quòd Lutero licuit dicere quicquid libuit. An non verò Luterani Magistratus in Anabaptistas gladiò animaduertunt? Cur id non repræhendit Luterus?

Caspar Querhamer. Per id ferè tempus fuit quidam Hallæ Saxonicæ ciues, eiusdem Cardinalis subditus, nomine Casparus Querhamer, homo laicus, sed non planè stupidus. Is mira Dei prouidentia in summam Luteri ignominiam miro studio magnaque solertia ex diuersis Luteri scriptis collegit xxxvj. pugnantes & planè contrarias sententias de communione Eucharistiæ sub vna vel vtraque specie, easque in magnam digessit tabulam, quæ possit ad parietem suspendi. An non verò longè turpissimum est, in re tanti ponderis tam esse varium & nunquàm sui similem? Et ità quidem in hoc vno articulo ille lubricus & varius fuit. Quis verò etiàm de aliis articulis eius antilogias vel numerare sufficiat? Verùm ille laicus postea in bello Smalcaldico malè mulctatus est ab Euangelicis. Fertur enim ad virilia ligato fune demissus in puteum, illicque diù tortus cùm in catholica fide constantissimus permaneret, rursùs extractus fuisse. Eant sanè Luteri symmystæ, & quantùm velint sui Luteri Euangelium laudibus vehant: veniet, veniet ille dies, quandò eos vehementèr pœnitebit, sed serò, tam inconstantem doctrinam non toto pectore esse execratos: nec habebunt quod in sui excusationem adferant, quandò ea inconstantia vel sola abundantissimè docere potuit, Luteri Euangelium non alium quàm ipsum mendacij parentem, satanam habuisse authorem, vtì iam sæpiùs dictum est.

Hoc

Hoc anno, ipsis ferijs diui Iohannis Baptistæ, Monasterium Vuestphaliæ metropolis expugnatur. Quæ ibì tum gesta sint, iam suprà diximus. 1535

Eodem anno conati sunt Anabaptistæ Amsterodamum, insigne Hollandiæ emporium, fraude & dolo obtinere, sed frustrà. Fuit per id tempus Frisia quoquè ab ea hominum peste vindicata. Inuaserunt Anabaptistæ Amstelredamum nocturnis horis, Senatum vi occupant, vigiles & plerosque ex Senatu perimunt: sed tandèm superati, pro meritis pœnas luunt, easque valdè acerbas. Habuerunt episcopum quendam suum, cuius caput affixum palo, in vrbis turri collocatum est. Iam paulò antè insigne quoddam Frisiæ cœnobium, aquarũ ambitu egregiè munitum, occupârant: sed Frisiæ præfectus opportunè illorũ conatibus occurrens, iugulauit omnes fortissimè repugnantes, in quibus etiàm virgines quædam erant, quas ob pertinaciam eadem pœna inuoluit. Faxit præpotens Deus, vt ea hominum lues principum & magistratûs negligentia & dissimulatione non maiora indiès accipiat incrementa, & rebus Christianis maximam adferat cladem & calamitatem. Iam enim non paucis Germaniæ locis licet eis impunè degere, atque sensim apud Catholicos quoquè in magnas vrbes irrepunt, & sic paulatìm coalescunt & augescunt magno Reipublicæ detrimento.

Anabaptistæ inuadunt Amsterodamum.

Hoc anno 8. Idus Ianuarij in Anglia diem vitæ extremum clausit optima & constantissima Herois Catharina, quam rex Angliæ Henricus VIII. malè persuasus, à se separârat, cùm iam viginti annis eam in matrimonio habuisset. Ea quidem post diuortium illud infaustum, se contulerat in Comitatum Bedfordiensem ad villam regiam, quam appellant Kymbalton, cælo parùm salubri sitam: vixitque illic admodùm religiosè & sanctè, magnoque animo illam separationem fortitèr perferens, quanquàm non dubium est, acres illam interdùm animi dolores sensisse, quòd videret regem parùm memorem salutis suæ, ipsa contempta, Annam Boleniam sibi copulauisse. At hoc mense & anno grauitèr laborans aduersa valetudine, misso ad illam ab Henrico rege Cæsaris Oratore, saluere iussa est. Porrò sexto pòst die sentiens mortem adesse pro foribus, vocat ad se ancillam non indoctam, eique ad regem dictat Epistolam in hæc verba: Domine mi Rex marite semper charissime, salue. Iam aduenit hora mortis

Catharina regina decedit.

Epistola eius ad regem.

1535 meæ, in quo temporis puncto amor facit, vt te paucis admoneam de salute animæ tuæ, quam debes cunctis mortalibus rebus anteponere, neglecta præ ea omni corporis cura, propter quam & me in multas miserias, & teipsum in solicitudines plures coniecisti : sed hoc tibi ignosco, ac Deus tibi ignoscat tam velim, quàm precibus pijs oro. Quod superest, commendo tibi filiam communem nostram, in quam (quæso) officium illud paternè totum conferas, quod ego à te aliâs desideraui. Præterea precor summè, vti ancillas meas respicias, easque suo tempore benè locare nuptijs placeat : quod multum non est, cùm non sint nisi tres : & dare meis ministris stipendium debitum, atque in vnum etiàm annum ex tua gratia, benignitate, liberalitate futurum, nè deserti vel inopes esse videantur. Postremò vnum illud testor : Oculi mei te solum desiderant. Vale. His literis scriptis, eodem die mortua est. Facilè autem hinc liquet, quàm castè matrimonij iura coluerit etiàm in ipso diuortio, cùm se scripsit, nullum nisi Henricum petere. Rex certè literis his lectis, lachrymas tenere non potuit. Corpus optimæ principis ad Burgum Petri delatum, in cœnobio monachorum D. Benedicti, honorificè tumulatum est. Quidam vir impensè doctus annotauit huius optimæ & sapientissimæ reginæ dictum memorabile, quod huc adscribere visum est : Aiebat illa, se quidem temperatam & mediam quandam fortunam mâlle, quàm vel asperrimam vel lenissimam : alterutrum tamen optandum si esset, electuram citius tristissimam, quàm blandissimam : Infelicibus non deesse consolationem, fortunatissimis deesse mentem. Fuit hoc dictum verè pudici pectoris & sapientis, vt ait idem.

Apophtegma eius.

Eo ipso anno Carolus Cæsar inuictus, sentiens alieno in se esse animo quosdam Europæ proceres, non se deserit, sed vt erat mirabili prudentia, hostes suos anteuertere studet, vt sibi potiùs timerent, quàm ipsi bellum inferrent. Itaque in Africam ad opprimendum Barbarussam expeditionem parat, honestissimis & Christianæ Reipublicæ vtilissimis ad id rationibus inductus. Galliæ rex nullam interim fert opem, sed potiùs animo in Cæsarem alieno visus est esse, licèt eius sororem in matrimonio haberet. Neque ea res latuit Italos. Itaque & Genuenses & Florentiæ Dux Alexander sese egregiè communiêrunt, si quid fortaßis vellent Galli moliri.

Cæsar in Africam.

moliri. Porrò Paulus Pontifex aliquot triremes in Africanam expeditionem Cæsari misit subsidio, nolens deesse publicæ saluti & vtilitati. Interim in Hispania magnus fit belli apparatus, adeò vt rumores de Gallo, Britannoque rege & Heluetijs sparsi, facilè extincti sint. Veneti ob fœdus ante annos triginta cum Baiazete Turcico Imperatore percussum, nihil ad hoc bellum contulerunt, huius sacræ expeditionis spectatores futuri potiùs quàm adiutores. Sed hoc quoquè quoddam fuit auctarium calamitatum afflictæ Reipublicæ. Porrò vniuersa Hispania in hoc bellum egregiè incubuit. Andreas Auria ob singularem fidem & rerum maritimarum peritiam, à Cæsare suorum consiliorum factus conscius, ingentem comparat classem, in qua erat quadriremis vna, quæ Cæsarem ipsum veheret, cuius remiges omnes sericis erant vestiti tunicis, & ipsa nauis multo ornatu longè elegantissima. Paulus Pontifex Andreæ Auriæ dono misit ensem solenni ritu consecratum, cuius erat gemmis ornatus capulus, multaque alia eiusdem gladij insignia ornamenta. Misit etiàm pileum è villoso serico margaritis Phrygio opere depictum. Eiusmodì verò munus dari solet magnis regibus : nec tamen immeritò datum est Andreæ Auriæ, maritimis contra Turcas, Mauros, & piratas bellis clarissimo duci. Ea res strenuum alioqui senem magis etiàm ad res præclarè gerendas incitauit. Interim Mediolani Cæsar reliquit Antonium Læuam, virum in rebus bellicis propè incomparabilem, qui sua diligentia res Italiæ tueretur. Porrò Paulus Pontifex ad Centumcellas subsistens, indè benè precatus est exercitui in Africam traijcienti. Venit autem ad Cæsarem etiàm Ludouicus Lusitaniæ regis germanus frater, cuius sororem in matrimonio Cæsar habebat, cum classe vigintiquinque nauium, in quibus præter nautas descripti milites erant ad duo millia. Inter nauigandum verò accidit casus inopinatus. Quadriremis prætoria, qua Cæsar vehebatur, hæsit in vado sabuloso, eratque res plena periculi, nisi quòd Andreas Auria, mirabili industria celerrimè ex illo arenæ tumulo nauim curauit extrahi. Mouit ea res non parùm Cæsaris animum, qui sciret patrem suum Philippum in simile discrimen coniectum, minimè euasurum fuisse, nisi grandi miraculo ingens fluctus nauim, qua vehebatur, vltra sabuli tumulos extulisset. Tota autem hæc Cæsaris classis septingentis ferè nauibus

[Margin: 1535 — Apparatus belli. — Classis Cæsaris. — Pontifex benè precatur classi. — Periculū Cæsaris. — 700. naues.]

1535 bus conſtitit. Barbaruſſa vbi certò comperit, Cæſarem ipſum in claſſe aduehi, vehementèr animo angi cœpit. Non enim putârat Barbarus Cæſarem tam difficile & periculoſum in ſterili & ſabuloſo ac omnis penè aquæ indigo ſolo, ſolſtitialibus præſertim diebus, bellum ſuſcepturum, ſed illud potiùs per ſuos duces adminiſtraturum. Hortabatur nihilo minùs ſuos, vt ſe viros præberent, nec de victoria quicquam ambigerent: inprimìs autem, vt Guletæ defendendæ fortiſſimam operam nauarent. Eſt autem Guleta turris lateritia, circùm adiectas habens munitiones, eamque Barbaruſſa multis tormentis egregiè inſtruxerat. Vbì tota claſſis ad ancoras conſtituta fuit, Cæſar iuſſit milites ſcaphis ſe in continentem transferre: quod adeò compoſitè factum eſt, vt mox Barbari omnes, nullo commiſſo prælio, è littore profugerint, noſtrorum bombardas minimè ferentes. Deſcendit & Cæſar ipſe in terram, bonæ ſpei & multæ alacritatis plenus, non ſuis, ſed præpotentis Dei viribus innixus, qui hauddubiò illius & fautor & protector erat. Miſſi ſunt autem, qui explorarent omnia. Ibì tum Numidæ, velox, inſidioſum & ſummi laboris militum genus, vbiquè noſtris ſeſe offerebant valdè infeſtos, ſagittis, iaculis, lapidibus incautos atrocitèr vulnerantes. Verùm Cæſar eorum feritate nihil deterritus, licèt amici graues à tam præſenti periculo eum reuocare niterentur, cum paucis exploratum iuit, vndiquè volitantibus Numidis, quos ille mira animi conſtantia contempſit. Pugnatum eſt interea aliquotiès, irrumpentibus Barbaris in noſtros, & modò illi, modò noſtri victores abiêrunt, donèc tandem paucos poſt dies Cæſar omnem vim expugnandæ Guletæ adhibere conſtituit. Iam enim militum corpora morbis vexari cœperant, quòd interdiù vehementiſſimo ſolis ardore torrerentur, noctibus verò nimio cæli rore perfuſa, propemodùm præ frigore rigere viderentur. Huc accedebat, quòd Barbaruſſa ingentes Numidarum copias mercede conductas in dies expectabat, quorum aduentum Cæſar anteuertendum putauit: & quamuis Cæſar inſigni pietate ægris opem ferret rebus neceſſarijs abundè ſuppeditandis, tamẽ in arenoſo ſolo vix vlla dabatur copia dulcis aquæ, ità vt tum ſani, tum ægri ex acrioribus pomis ſiti vtcunquè mederi cogerentur, quæ res non erat commoda valetudini. Itaque Cæſar bonis auibus ad Idus Iulias iuſſit tormentorum omnem appa-

Guleta.

apparatum ad Guletam oppugnandam adhiberi. Andreas Auria à mari eius munitionis diuerberandæ negocium suscepit. Tum verò ab aurora vsque ad meridiem tanta tormentorum vi is locus est oppugnatus, vt non modò concuti tellus, sed tota passim hiscere videretur: porrò mare, paulò antè tranquillum, mirabilitèr concitari & exæstuare atque feruere cerneretur: cælum autem ipsum, densissima fumi caligine omnium oculis eriperetur. Ea vi turris cum suo antemurali penitùs prostrata, & munitiones omnes latè disiectæ, non omninò difficilem nostris inuadendi aditum præbuerunt. Vt verò animis magis incalescerent, quidam monasticæ vitæ professor ligneam crucifixi Seruatoris imaginem præferebat. Ibì iubente Cæsare alacritèr nostri milites in Barbaros irruperunt, nihil morati tela omnis generis & missilem ignem tenaci flamma armis adhærentem, quæ ab illis in subeuntes conijciebantur. Quamobrèm territi, fuga sibi consulunt immanes Barbari, quorum non pauci in illo itinere cæsi & in stagnum detrusi periêrunt. Porrò paucis è Cæsaris exercitu desideratis, tormenta omnia & tota Barbarussæ classis, quæ intra Guletæ fauces subducta fuerat, in ius victoris Cæsaris concessit, magno quidem Cæsaris commodo & voluptate, sed summa Barbarussæ & sæuissimorum piratarum detrimento, qui acerbissimè ferrent sibi totius nauigationis & maris facultatem ereptam. Illi verò qui è Guleta profugerant, vbì Tunetum ad Barbarussam venêre, ab illo contumeliosè primùm accepti, sed mox repressa ira, ad audendum fortitèr animati sunt, quòd Afrorum & Numidarum auxilia iam appropinquarent.

1535

Guletæ oppugnatur.

Guletã expugnãtur.

Dum hæc geruntur, in castra Cæsaris venit Muleasses rex Tunetanus, quem Barbarussa è regno exturbârat. Fuit is procera statura, suffuscò vultu planeque virili, sed admodùm strabus. Vbì Cæsaris dextram deosculatus est, more patrio humi collectis cruribus, sedit in tapete substrato, & per interpretem supplex petijt ab Imperatore restitui sibi paternum regnum, multam eo nomine pollicens Cæsari fidem, & id genus alia. Cæsar illi omnia liberalitèr daturum recepit, hortans vt non Punica, sed integra fide promissis staret. Erat in illo Barbaro & Mahometanæ stultitiæ professore rege magna tum bellicæ exercitationis, tum rerũ cælestium ex Auerrois disciplina peritia. Iussit autẽ Cæsar tendi ei taberna-

Muleasses rex.

1535 culum, & hoſpitali liberalitate tractari hominem. Idem autem ipſe in Cæſaris exercitu præcipuè mirabatur numerum atque ordinem tormentorum, & incredibilem in foro rerum venalium omnis generis copiam, & militum res neceſſarias ementium modeſtiam ac tranquillitatem. Ab illo verò multa didicêre duces exercitûs, quæ Cæſari magno vſui fuêre ad oppugnandum Barbaruſſam.

Guleta expugnata, Cæſar ad Tunetum iter intendit. Interim verò dum multa ſecum animo reputat, & omnia diligentèr expendit, commiſſa ſunt varia cum Numidis prælia. Solent Numidæ ferocitèr aduolare, & rurſùs mira vafricie, ſi premantur, fugam arripere, vt inſequentes longiùs proliciant: tum verò conuerſis armis, paucos multi circunſiſtere, & nullo negocio trucidare. Cæſar vbi animaduertit Hiſpanos à Numidis in pugna quadam premi, acritèr cum grauis armaturæ equitibus in Barbaros inuectus, eos in fugam præcipites egit: eoque die non ſolùm ſtrenui ducis, ante alios armatus in acie conſiſtens, ſed etiàm fortiſſimi militis officium præſtitit, ciuicamque coronam meruit, Andrea Pontio equite nobili ab hoſtibus circunuento, & ſua ope liberato. Erant per id tempus quidam togati homines, qui Cæſarem hortarentur ad maturè diſcedēdum ex Africa, quòd iam ſatìs multa laude potitus eſſet, Guleta expugnata & piratis egregiè edomitis: verùm illos Cæſar graui oratione, vt erat vir longè prudentiſſimus, præclarè compeſcuit, Guletam autem rurſùs communiri iuſſit, impoſito plùs mille Hiſpanorum præſidio. Indè Tunetum verſùs promotus eſt totius belli apparatus. Cæſar Vaſtium eo bello, eaque præſertìm die, qua cum hoſte confligendum erat, Imperatorem pronunciârat. Habebant Itali, Hiſpani, Germani, ſinguli ſuos duces, qui eos hortarentur: verùm Cæſar ad omnes ordines adequitans, alacri vultu & ingenti fidutia hortabatur, vt fortitèr contra Chriſti inermes inimicos decertarent, prædæ loco ipſos habituros vrbem locupletiſſimam. Dici vix poſſit, quātùm ea Cæſaris alacritas inflammârit militum animos, ità vt intolerabiles labores, præſertìm ſitis moleſtias, fortitèr pertulerint, licèt quidam ægrè in officio contineri potuerint, quos tamen Cæſaris præſentia & ſeueritas ad ſanitatem citò reduxit. Vt enim erat natura clementiſſimus, ſic etiàm vbi res poſcere videbatur, non deerat illi Imperatore digna ſeueritudo.

Numidarum mores.

Guleta inſtauratur.

Iam

Iam ad Tunetum propinquabat exercitus, & eccè 1535
Barbaruſſa immenſas Barbarorum copias in aciem *Exercitus*
producit, quæ centum millia hominum exceſſiſſe fe- *Barbaruſſæ.*
runtur. Tum verò Vaſtius, quem (vt dixi) Cæſar Imperatorem eo bello eſſe voluit, antequàm cum hoſte manus conſerere‸tur, ſic ait ad Cæſarem: Iure meo vtens, iubeo vt hinc abſcedas ad mediam aciem, vbi ſunt vexilla, nè fortuitò incidentis pilæ caſu vniuerſa communis fortunæ ſalus, vnius hominis periculo, inexpiabile ſubeat diſcrimen. Cæſar ſubridens, metu vacuum eum eſſe iubet, quandò nemo Auguſtorum Cæſarum tormento ſublatus eſſet: at nihilo minùs pro ſua ſingulari modeſtia dictis illius obtemperans, confeſtim quò iuſſus erat, abſcedit. Indè ſigno pugnæ dato, tanto im- *Congreſſus pugnæ.*
petu noſtri in Barbaros irruperunt, vt trecentos ſclopetis peremerint ante conflictum, reliquos omnes in fugam coniecerint, tormentaque ab illis relicta ceperint, præ dolore & ira dentibus frendente Barbaruſſa, & cum Turcis Tunetum properante. Erant Tuneti multa millia captiuorum Chriſtianorum. Hos omnes ille immanis Barbarus, circumpoſito puluere tormentario, in carcere concremare voluit. Verùm dehortante quodam inſigni pirata, ſententiam mutauit. Eius autem crudelis conſilij fama iam in carcerem peruolârat miſericordia duorum libertorum, Franciſci Hiſpani & Vincentij Dalmatæ, qui licèt Barbaruſſæ eſſent alumni, tamen inſigni pietate permoti, patefacto carcere, inſtrumenta, quibus catenas frangerent, miſeris illis obtulêre. Mox ruptis catenis, nudi homines ſaxis alijſque correptis rebus Turcas inuadunt. Fugiunt ex arce Turcæ, Chriſtiani captiui totam arcem occupant, aliquot cæ- *Captiui occupant arcem.*
ſis Turcis: regios theſauros omnes, omnem commeatum & arma intercipiunt, & è ſumma arce Chriſtianis dudùm ablatum vexillum expandunt, vt Cæſari & eius exercitui captam arcem ſignificent. Barbaruſſa ad arcem reuertitur, falſis dijs ſuis crebrò maledicens, & nimio furore percitus, apertaque ianua ſupplex & propè lachrymans orat Chriſtianos, vt ipſum intrò cum ſuis recipiant, cunctis libertatem pollicitus. At illi certatim in eum ſaxa conijciunt, ità vt totus præ ira inſaniens, rebus deploratis, cum ſeptem Turcarum millibus, turpi arrepta fuga Hipponam, vbi olìm D. Auguſtinus incomparabilem egit Epiſcopum, properaret. Ea re co- *Barbaruſſa fugit.*
gnita, Cæſar propiùs vrbem caſtra mouet, cui Magiſtratus

1535 tus claues deditæ vrbis obtulerunt, id enixiſſimè obſecrantes, nè militem intra vrbem admitteret. Ad id Cæſare cunctantiùs reſpondente, milites frementes & omnis moræ impatientes, vel iniuſſu Cæſaris certatim in oppidum irruunt, fruſtrà deprecante Muleaſſe. Et ipſi quidem Cæſari vehementèr ſuſpecta erat Punica fides, vt non ſinè cauſa cunctantiùs preces Tunetanorum admiſiſſe videatur. Nam ſtipendium per Muleaſſem promiſſum, aſtutè & vafrè protrahebant, viſuri qui Barbaruſſæ ſucceſſus forent. Primus cum parua manu ad arcis portam acceſſit Vaſtius, quem Chriſtiani paulò antè captiui, gratulabundi exceperunt. Arce in poteſtatem redacta, milites agminatìm irruunt in vrbem, Itali & Hiſpani in prædas inhiant, Germani Mahometano ſanguine fundendo ſitim ſuam explent, nulli omninò parcentes neque ætati, neque ſexui: quæ res permouit Cæſarem, vt propoſito edicto capitis pœnam minaretur omnibus, qui Tunetano ciui vim intuliſſent. Cæſar arcem ingreſſus, captiuis Chriſtianis libertatem & nauigia atque commeatum, quibus in patriam redirent, promittit. Porrò Franciſco & Vincentio Barbaruſſæ alumnis, qui rumpendorum vinculorum authores miſeris fuerant, pecuniam ac veſtem largitur. Tria præcipuè in arcis Tunetanæ direptione Muleaſſes deplorauit, Arabicos inprimìs codices antiquiſſimos, qui non modò diſciplinas omnes, ſed etiàm ſuperiorum regum hiſtoriam, & Mahometanæ ſuperſtitionis interpretationem continerent, quorum Muleaſſes iacturam tulit grauiſſimè. Secundò vnguenta & aromata odoris incomparabilis, ambram, moſcum & zibetum, quæ plumbeis loculis & arculis eburneis aſſeruabantur, & neutiquàm vulgaris erant precij. Tertiò pigmenta & colores varios & admodùm precioſos, quos milites diſſipatos conculcârant: multùm illic lazurij, multùm cocci & laccæ Indicæ perijſſe dolebat Muleaſſes. Inuenta quoquè ſunt in arce arma & ocreæ Gallorum equitum, qui ante annos trecentos cum Ludouico rege Tunetum obſederant.

Tunetum diripitur.

Dum hæc geruntur Tuneti, Barbaruſſa venit incolumis Hipponam, & ibì triremes quatuordecim in ſtagno demerſas, celerrimè educit, ſeque egregiè munit. Interìm miſſi ex noſtris, qui eius iter impedirent, cùm parùm eſſent rei naualis periti, re infecta, ad Cæſaris exercitum redierunt, nec ſinè magno Chriſtiano-

Barbaruſſa abit Byzantiū.

rum

rum detrimento illi sæuissimo piratæ ad Algieram primò, mox ad Byzãtium elabendi ingens spatium præbuêre. Ea res vehementèr commouit Andream Auriam, ità vt non planè desperans se hostem posse consequi, Hipponam contenderit: porrò non inuento Barbarussa, vrbem cepit, muros destruxit, arci præsidium imposuit, quam tamen Cæsar paulò pòst iussit funditùs euerti. Deindè Muleassem Cæsar regem Tunetanum pronunciat, tributum imponit annuum falcones duos & totidèm è Numidia velocitate conspicuos equos, ea conditione, vt Christianis amicus, Turcis hostis, Cæsari addictus sit, & Hispanis, quos Guletæ ampliùs mille præsidij loco imponebat Cæsar, stipendium persoluat. 1535

His gestis, Cæsar ab Africa soluens, cum tota classe Siciliam contendit. Ibì triumphali pompa exceptus, & passìm pecunia donatus, indè Neapolim peruenit. In ipso itinere nunciata ei est mors Francisci Sforciæ, qui non ità pridèm Christianam Christierni regis Danorum filiam duxerat. Eius mors nouos in orbe Christiano, Gallis Mediolanum pertinacissimè repetentibus, tumultus & clades excitauit, hæreticis interim mirè exultantibus, quòd non deesset Carolo Cæsari Christianus rex, qui eum suis armis ab ipsorum coërcitione retardaret. Quanto satiùs fuerat, Mediolanum vel terræ hiatu absorptum, ab hominum conspectu penitùs tolli, quàm eius causa Christianum orbem tot mala perpeti? Putant plerique potentes, se insignem sibi comparare gloriam, si ius suum, quod tamen plerunquè vel incertum habent, vel etiàm nullum se habere non sunt nescij, egregiè tueantur, etiàm interim totus debeat perturbari & perire orbis. Sed huiusmodi studijs non valdè magnam sibi laudem parant apud cordatos & Christianæ pietatis amantes. Verùm hæc Deus iustus iudex iudicabit, nos ad alia transeamus.

Cæsar venit in Siciliam.

Sub huius anni finem Saxoniæ Elector ex Austria, vbì Ferdinandum regem conuenerat, domum proficiscens, Pragæ appellatus est à legato Pontificio Petro Paulo Vergerio, qui illi Pontificis sententiam de Concilio indicendo, itemque de loco Concilij indicauit, simul etiàm de sententia Cæsaris & Ferdinandi regis certiorem eum reddidit, quòd eis non displiceret Mantua, quam Pontifex Concilio destinâsset. Saxo respondit, se cum socijs Smalcaldici fœderis deliberaturum. Decembris die 26. ex Conuentu Smalcaldico responderunt

Legatus Pontificis agit cum Saxone.

1535 derunt Protestantes inter cætera, sibi Mantuam non placere, neque perpessuros ipsos, vt in concilio Pontifex sua authoritate vtatur, quòd ille sit ipsorum aduersarius, qui dogmata ipsorum damnârit. Itaque eum iudicem esse non posse, sed ex voluntate Cæsaris, regum & principum deligendos idoneos viros, qui iuxta verbum Dei causam cognoscant, atque definiant. Idoneos autem viros vocant hauddubiè Luterum, Melanchthonem, Bucerum, Pomeranum, & id genus alios apostatas monachos, quos certum erat hæresios nomine damnatos esse, & vel maximè reorum personam sustinere, atque ideò nulla ratione posse sententiam pronunciare. Atque ità Protestantes Concilium quidem se vehementèr optare & expetere dixerunt, sed à suis Concionatoribus malè persuasi, tale Concilium petiêrunt, quale nulla vnquàm ætas verum & legitimum esse putauit. Cùm verò verbum Dei alitèr Luterus, alitèr Zuinglius, alitèr Anabaptistæ, alitèr Zuencseldius, alitèr Seruetus exponant, quis vnquàm sanæ mentis ex sola verbi Dei litera, non adhibita Catholicæ Ecclesiæ interpretatione, aliquid certi in Concilio statui posse credat? Ità his tergiuersationibus nouorum Euangelistarum siue dogmatistarum id apud Protestantes Magistratus effectum est, vt Concilium nullum admittere velint, cui Pontifex ab omni antiquitate recepto more præsideat, & ipsam quoquè Synodum Tridentinam, cui grauissimi & longè doctissimi viri interfuêre, non magnipendant. Sed absit, vt Ecclesia Dei alium habendorum Conciliorum modum à Sectarijs accipiat, quàm ipsi traditus est ab Apostolis & Apostolorum successoribus. Quòd si verò ex sectariorum sententia mutanda est Synodorum habendarum ratio, iam facilè quidlibet obtinere illi poterunt: Sed ità tamen, vt aliud statuat Synodus Luterana, aliud Zuingliana, aliud Anabaptistica, aliud alia nupèr natorum schismatum. Porrò in hoc Smalcaldico Protestantium Conuentu fuit etiàm Galliæ regis legatus. Rex ille Germanorum Principum captauit gratiam, vtpotè qui iam bellum in Italia gerere decreuisset: atque interìm nihilo minùs in regno suo seuerissima sumpsit supplicia de nouorum dogmatum assertoribus vel sectatoribus. Itaque quòd Luteranorum Principum captauit beneuolentiam, suî aduersùs Cæsarem communiendi causa id fecit, non quòd illorum religionem probaret: & rursùs Luterani in eius se amicitiam eadem omninò ex causa insi-

Conciliū non recipiunt Euangelici.

Gallus captat amicitiam Germanorum.

insinuabant, alioquì propter diuersam religionem non magnoperè addicti Gallis. Timebant enim vtrique Cæsaris potentiam, atque ideò modis omnibus communire se studebant. 1535

Hoc tempore Zuingliani Tigurini, offensi scriptis quibusdam Luteri & complicum eius, præsertim quòd scripsisset Luterus Oecolampadium subitò à diabolo præfocatum expirâsse, synodum Tiguri conuocant sexta Augusti ministrorum Euangelij sui ex vrbe & agro Tigurino, vbì definitum est, Apologiam Latinè & Germanicè edendam contra Luteri & gregis eius calumnias. Sed hoc tam egregij conuentûs decretum vnus Vuolffgangus Capito Argentoratēsis ecclesiastes Zuinglianus, impediuit ad tempus non longum. Interìm Luterus 5. Octobris scribit ministris Argentinensibus, se non alieno esse animo à concordia: itaque hortatur vt synodum indicant, in qua de illa tractetur. Mira res. Nolunt isti Romano Pontifici licere conuocare Synodum, & interìm ipsi tam multas cogunt synodos authoritate prorsùs nulla. Istas imposturas indoctum vulgus non aduertit, Principes alijs occupati, non satis considerant, &ità impunè faciunt noui dogmatistæ quicquid libet. Conuenerunt igitur Arouiæ, quod est oppidum ditionis Bernensium, quinque Euangelij Zuingliani prædicatores, qui tutissimam aliquam formam conscriberent concordiæ cum Lutero ineundæ. O miseram Europam, quæ non videt, quid sub prætextu Euangelij moliantur horum temporum pseudeuangelistæ. Si à Deo missi sunt, vt iactitant, cur non idem docent? cur tam atrocitèr inter se digladiantur? An non meritò pereunt, qui tales duces sequuntur?

Synodus Zuinglianorum Tiguri.

Synodus alia Arouiæ.

Hoc quoquè anno & apud Cæsarem & Ferdinandum regem impensè laborârunt Protestantes, vt fas non esset Cameræ Iudicibus tueri causam Catholicorum, quibus ipsorum facultates essent sub religionis prætextu ereptæ. Id quidem certè durum fuit, & non multùm à barbara feritate alienum, monasteriorum & Cleri bona diripere, nec tamen patére miseris perfugium ad Imperij iudices, quorum authoritate possent ius suum obtinere. Quid verò faceret vel Cæsar, vel Ferdinandus, cùm & Gallus minimè quiescendum sibi putaret, & Protestantes iam vsqueadeò viribus creuissent, vt si quid minùs impetrâssent, facilè vi extorquere posse viderentur? Interìm valdè quiritabantur Euangelici, si quid à Ca-

Protestātes volūt silere Cameram.

1535 meræ Iudicibus contra ipsos hoc nomine decretum fuisset, & tamen ferre nolebant, vt de suis iniurijs quererentur Ecclesiastici, vel res suas repeterent. Atque hęc quidem & id genus alia vocantur purum Euangelium, pura doctrina, purum verbum Dei. Sic olìm Iulianus apostata fertur dixisse cuidam locupleti Christiano: Christus vester in Euangelio præcipit, vt relinquatis omnia: Da ergò mihi facultates tuas conuenientèr Christi Euangelio. Sed non præcepit Euangelium, ait Christianus, vt diuitibus, sed vt pauperibus res nostras largiamur. Porrò Luteri Euangelium non hortatur, vt tua relinquas, sed permittit etiàm, immò & præcipit, vt aliena tibi vsurpes. O prodigiosam rerum omnium in deterius mutationem. Olìm Germani Principes, Augusti Cæsares, celeberrima passìm in Germania collegia, episcopatus, Cœnobia fundârunt, & amplissimis reditibus donârunt: hodiè ea multis locis vastata, diruta, dissipata cernuntur: nec tamen licet extrema calamitate affectis, ius suum prosequi.

Matt.19.

Hoc anno Bruxellis nubit Dorothea Christierni Danorum regis filia Friderico Principi Palatino, qui hoc nomine quandoquè ius sibi vendicauit in Daniæ regno: quod tamen, Cæsare multis bellis implicito, non est satis prosecutus. Et Cæsar quidem, si non defuisset opportunitas, videbatur Friderico in eius regni iure repetẽdo opem laturus.

Facinus atrox.

Eodem anno in Ducatu Vuirtenbergensi caupo quidam hospitibus carnes porci, rabidi canis morsu infestati, edendas proposuit parùm hospitalitèr. Vbì homines eius rei ignari carnes comederunt, mox versi in rabiem, mutuis se morsibus lacerârunt.

Gallus petit Mediolanensem principatum.

Hoc ipso anno è rebus humanis ablato Francisco Sforcia, Gallorum rex à Cæsare petijt sibi concedi Mediolanense Imperium. Verùm Cæsar non ignarus, quantum ex ea ditione ipse commodi haberet, tum etiàm non immeritò veritus, nè opulentissima Italiæ parte potentissimo Galliæ regi permissa, ille non contentus eo imperio, etiàm aliena, sua præsertìm regna, mox inuaderet, quod superiores Galliæ reges fecisse meminerat, nullis precibus adduci potuit, vt Mediolanensem principatum Gallo concederet. Ea res nouas rerum perturbationes peperit, vt iam suprà attigimus. Porrò nè Franciscus rex in Cæsarem primus arma vertisse videretur, Sabaudiæ principem auunculum suum sibi inuadendum

statuit,

ſtatuit, vt eius ditionibus in poteſtatem redactis, expedi- 1536
tum in Italiam iter haberet. Porrò eius principis cõiunx,
vxoris Cæſaris germana ſoror erat. Eius belli cauſam
hanc prætexebat Gallus, quòd Sabaudus nollet ipſi Nice-
am Prouinciæ vrbem, perſoluta pecunia, qua olim à Gal-
lis oppignorata fuerat, reſtituere.

ANNO igitur 1536. ineunte vere aut circitèr, magnis copijs Sabaudi Principis ditionem Galli inuadunt, multaque loca Duci deſtituto ab omnibus eripiunt, & niſi Antonius Læua Cæſaris Dux egregius valida manu eis occurriſſet, Vercellas, quas obſidione premebant, & multa alia miſero principi facilè eripuiſſent. Et nè quid illi ad ſummam calamitatem deeſſet, etiàm Bernates Heluetij ad Lemanum vſq; lacum, quæ illius erant, vi abſtulerunt. Cauſa hæc erat: Geneuenſes Zuinglianum dogma complexi erant. Eſt autem Geneua ferè in medio regionis Sabaudicæ. Princeps igitur, tum Zuingliani dogmatis profligandi cauſa, tum alijs rationibus permotus, Geneuam obſidet. Geneuenſes ſociorum Bernatum fidem & opem implorant. Illi nolentes ſocios negligere, bellum Sabaudo faciunt, multaque illi auferunt. Ità & à Gallis & ab Heluetijs oppugnatus, ad Cæſarem confugit, qui tum ex Africana victoria reuerſus, vbiquè in Italia ſummo omnium ſtudio & maxima pompa excipiebatur. Neapoli quidem amœniſſima in vrbe hyemabat, vbì tum filiam notham Alexandro Medici celebratis nuptijs in matrimonio collocauit, eximia cum laude veræ ac integerrimæ probitatis, quòd fidem Clementi Pontifici datam, licèt is iampridem exceſſiſſet è viuis, inuiolatam ſeruaret, nihil permotus quorundam Florentinorum patriciorum precibus, qui ei quotannìs grandem auri ſummam offerrent, ſi repudiato Alexandro, priſtinam ciuitati libertatem reſtitueret.

Galli inuadũt Allobroges.

Itémque Bernates.

Nuptiæ principis Florentini.

Sub id tempus Hippolytus Medices, qui Alexandri erat frater patruelis, quorundam adulationibus deprauatus, licèt ampliſſimo eſſet Cardinalatûs titulo, opulentiſque ſacerdotijs, multiſque opibus inſignis, adſpirare cœpit ad Hetruriæ principatum, eiuſque obtinẽdi cauſa necem Alexandro molitus eſt: ea in re vſus fertur opera cuiuſdam magni viri. Sed Alexander inſidias depræhendit, ſcripſitque Paulo Pontifici, qui ex Hippolyti familia quendam eius facinoris conſcium compræhendi iuſſit.

Hippolytus Medices adſpirat ad principatum.

1536 iussit. Ea re territus Hippolytus, ex vrbe excessit: deindè ad animum rediens, tam immanis sceleris ductus pœnitentia, cum Alexandro in pacem redire studuit. Itaque Cæsarem, qui tum in Africa erat, adire omninò voluit, sed à Prorege Siciliæ negata ipsi naue, in quodam oppido agri Fundani consilij inops substitit, ibique febre pestilenti correptus sexto die obijt, iuuenis longè omnium elegantissimus, rebusque omnibus florentissimus: scilicet vt insani mortales discant nullis neque corporis & ætatis viribus, neq; quantunlibèt amplissimis opibus fidere, neque vitæ huius voluptatibus, sed vni viuo & vero Deo totos sese dédere, cùm in hac vita tam sint incerta & caduca omnia, vt ne puncto quidem temporis certa nobis sit huius lucis vsura. Porrò Cæsar cùm esset Neapoli, certo nuncio didicit Barbarussam classe apud Algieram reparata, Byzantium abeuntem, & in itinere apud Mangonis portum Christiana vexilla præferentẽ, Mangonianos omnes in miseram seruitutem in Africam captiuos abduxisse. Dolebat illi immani piratæ, quòd tanta clade affectus fuerat expugnato Tuneto, noluitque Christianis id omninò impunè cedere.

Idem miserè perit.

Fœdus Cæsaris cum Venetis.

Intereà Cæsar multa vsus prudentia, cum Venetis fœdus percussit. Vt eam in rem Veneti propensioribus animis consentirent, non parùm in causa fuit, quòd sperarent Cęsarem principatum Mediolanensem alicui traditurum. Nam neque Cæsarem, neque Gallum æquo ferebant animo tam opulenta Italiæ ditione potiri, sed infirmiorem volebant, cuius vires & potentia ipsis neutiquàm formidolosa foret. Deindè Cæsar per Ferdinandum fratrem & amicos principes in Germania militem conscripsit. Interim verò Nonis Aprilibus Romam venit, ingenti triumpho exceptus tum à Clero, tum à populo.

Cæsaris præclarũ facinus.

In Cœna Domini lauit pedes duodecim pauperum singulari pietatis affectu, & non mediocri admiratione eorum, qui huic spectaculo intererant. Lotos verò, egregijs donatos muneribus, nempè omni argenti abaco mensæ illato, à se dimisit. Fuit in illo principe, vt antè diximus, modestia & humilitas incredibilis, amica & grata præpotenti Deo, qui superbis resistit, & humilibus dat gratiam. Quatriduo autem Romæ moratus, pridiè quàm indè abscederet, grauissima & ardenti oratione regem Franciscum, circunstante Pontifice & Cardinalibus, multorumque principum Legatis, perstrinxit, quòd

Iacob. 4. 1. Pet. 5.

Oratio Cæsaris.

fœdus

fœdus abrupisset, & totum ferè terrarum orbem contra 1536
se concitâsset. Demùm is exitus orationis fuit, vt se paratum diceret cum Francisco singulari certamine de ditionum iure contendere, vt reliquo Christiano sanguini parceretur. Erat tum commotus Cæsar calamitate Caroli Sabaudiæ principis, nec Iohannem Lotharingiæ Cardinalem, qui à Francisco pacis conciliandæ causa ad eum missus apud Senas posteà ipsum conuenit, admittere voluit, totus iam ad bellum regi inferendum intentus. Pontifex verò Cæsarem complexus, orauit vti nè vel non iniquo dolori plùs tribueret, quàm clementiæ & pietati. Cæsar deindè, reiectis Galli legatis, Senas proficiscitur, honorificentissimè à Senensibus exceptus, oblatis vrbis clauibus, cum hymnis ad ædem summam deducitur. Pòst Florentiam abit, & Alexandri generi summo studio colitur: quem hortatus est, vt ab insidijs sibi caueret, non ignarus quòd ea in vrbe principem ageret, quæ omnis iugi impatiens, immodica cupiditate ad libertatem sempèr adspirâsset. Atque vtinàm Alexander ijs monitis diligentèr obtemperâsset, quę à grauissimo & experientissimo Imperatore non temerè illi promebantur, non tam horrendum vitæ suæ exitum habuisset. Sed de hoc suo loco.

Cæsar venit Senas.

Florentiã.

Cæsar deindè apud Lucenses quoquè triduo moratus, maximum eius vrbis studium, propensionem, liberalitatem est expertus. Posteà ad Antonium Læuam peruenit, qui parùm tempestiuo consilio, diuersum hortantibus Daualo Vastio & Ferdinando Gonzaga, Cæsarem impulit, vt in Prouincia Gallo bellum inferret. Egerat iam Antonius cum quibusdam, vt Massiliam Cęsaris exercitui proderent, sed ea res successum non habuit. Deniquè eò tandèm res redijt, vt ex insperato superuenientibus Heluetiorum viginti millibus ad Franciscum regem, & iam morbo castra Cæsaris vehementèr affligente, Cæsar re infecta Genuam redierit, interim in Gallijs mortem oppetente Antonio Læua. Atque eodem tempore exercitus, quem Maria Cæsaris soror, virilis animi fœmina, in Belgis conscriptum, duce Henrico Nassauio ad Peronam Gallorum vrbem duxerat, in Belgas reuersus est. Magnus quidem Parisienses timor inuaserat, tantis copiis in Gallias penetrantibus, adeò vt iam vrbi muniendæ incumberent. Intereà verò nouo in Italia conscripto milite, Gallus Genuam occupare mirabili astutia nititur: sed is conatus frustrà fuit. Porrò

Lucam.

Cæsar frustrà tentat Massiliam.

Paulus

1536 Paulus Pontifex missis tum ad Cæsarem, tum ad Franciscum regem Legatis è cœtu Cardinalium, ad pacem hortatus est, & licèt id non impetrârit, specimen tamen eximiæ pietatis de se præbuit, functus optimi Pontificis officio.

Delphinus excedit è viuis. Dum ità in Gallijs bella feruent, Franciscus Delphinus Galliæ regis primogenitus, incredibili totius regni dolore ex hac luce morbo subitario subtractus est. Erat is quoquè iuuenis annos natus octodecim, eximijs præditus ornamentis, in ipso ætatis & fortunæ arridentis flore positus: tam inopinato casu admonens mortales omnes conditionis suæ, vt eius sempèr memores, quemadmodùm sapientissimè hortatur D. Augustinus, omnem diem, supremum putent vitæ suæ diem; & sic Deo placitos mores ad extremum vsque perducant diem. Sed hæc quis persuadeat hominibus? Erant qui dicerent, veneno interijsse prestantissimum iuuenem, & eo nomine quidam Sebastianus Montecuculus in quæstionem raptus, cùm se id crimen doloris impatiens admisisse fateretur, ab equis in diuersa nitentibus discerptus perijt. Verùm is præcipiti suspicione appetitus, victus doloribus, vt alij volunt, crimen à quo erat alienus, ità fassus est, vt Antonium Læuam & Ferdinandum Gonzagam eius sceleris authores diceret. At illi viri egregij detestabile facinus à se depulerunt, nullis præsertim veneni indicijs in extincti corpore existentibus, & affirmantibus plerisque ex pilæ ludo immodico æstuantem, ac sudore diffluentem Delphinum, nimis auidè aquam potâsse, eaque re sibi mortem conciuisse, obruto natiuo calore.

Conuētus Vuittenbergensis. Hoc anno cùm pessimè audirent Luterani & Zuingliani concionatores ob dogmatum discordiam, rursùs quandam inter se concordiam sarcire conati sunt, idque in Synodo Vuittenbergensi in ædibus Patriarchæ & Euangelistæ Luteri. Sed cùm verissimè dicat Sapiens, *Prou. 13.* Inter superbos sempèr sunt iurgia: concordia illa simulata fuit, non syncera. Nec potuit suum habere effectum, quòd propter aliorum absentiam & absque magistratuum suorum consensu nihil statuere ausi fuêre: sed nec ipsa quidem illius egregij conuentûs acta in lucem edere sunt ausi, tametsi scripta erant. Fuit ille syncretismus *Cretensiū mos.* quidam, qualis olìm inter Cretenses, qui cùm perpetuò intestinis ac mutuis se bellis infestarent, vbì ab hostibus imminebat bellum, quandam inter se pacem conciliabant,

bant, vt iunctis viribus faciliùs hostes propulsarenr. Ità etiam Zuingliani cum Luteranis quandam simulabant pacem, vt signis infestioribus in Christi Catholicam Ecclesiam paritèr inueherentut. Atque in eo quidem inter ipsos conuenit, panem & vinum minimè transsubstantiari, vtque eo nomine Catholicos, qui diuersum docent, atrocissimè idololatriæ insimularent. Sed Ecclesia Dei hæreticorũ calumnias irridens, in Eucharistia Christum viuum & verum Deum adorat cum omni antiquitate: & Christo ipso dicente, Hoc est corpus meum, Hic est sanguis meus, ijs verbis certissimam fidem adhibet, sciens non esse impossibile apud Deum omne verbum. In hoc enim tremendo Sacramento oportet omnia humani ingenij argumenta procùl abscedere, & vel maximè fidem exerceri, quæ tanto est maioris meriti apud Deum, quantò minùs rationibus fulcitur. 1536 Matt.26. Luc.1.

Hoc anno multas Synodos habuêre Zuingliani, quatuor Basileæ, vnam Tiguri, & generalem quandam, si dijs placet, apud Bernates, cui interfuerunt ex pagis & vrbibus coacti 300. parochi, minùs quatuor, fortassis plerique desertores monachi. Non dubium quin istorum conuenticulorum decretis plùs tributum sit ab hominibus miserè seductis, quàm vel Tridentinæ, quæ tot habuit præstantissimos viros, vel cuiuis alteri à Catholicis habitæ Synodo. Fuit etiàm alia quædam Synodus Heluetiorũ Zuinglianorum Arouiç, in qua decretum est, neminem ex ministris Helueticarum Ecclesiarum mittendum ad Synodum generalem Euangelicorum, quæ ad 14. Maij diem indicta erat Isenaci, quod est Thuringiæ oppidum, sed posteà Vuittenbergæ, vt iam diximus, celebrata est. Hanc Synodum videtur indixisse Luterus, & eo nomine recusâsse Heluetios ministros eò accedere. Mirum est non fulminâsse in eos Luterum, pro sua scilicet authoritate, & repentè omnibus diris deuouisse refractarios. verùm Zuingliani necdùm Luterum pro Papa suo agnoscebant: nec tamen eius fulmina euadere potuerunt. Mirabilitèr laborauit versipellis Bucerus, vt qualiscunque posset in speciem conflari concordia: sed quibus non aderat spiritus Christi, qui vnius Catholicæ Ecclesiæ & Doctor & moderator est, à qua se separant sectarij omnes, non mirum est, certam inter illos concordiam iniri non potuisse. Atque vtinàm soli concionatores inter se mutuis arsissent dissidijs, & non etiàm miserrimam plebem in tam varias easque pugnan- *Crebræ Synodi Zuinglianorum.*

1536 pugnantissimas opiniones & sectas distraxissent. Nullis Buceri quantunuis versutis declarationibus & machinationibus Heluetij Zuingliani eò permoueri potuerunt, vt Luteri sententiæ aut Buceranis figmentis subscriberent. Nitebatur enim Bucerus illis persuadere, nullam in rebus ipsis, sed tantùm in verbis inesse discordiàm: quasi non è diametro pugnent inter se, Christus est substantialitèr præsens in Eucharistia, & Christus non est illic præsens substantialitèr. Ità inanes fuère Buceràni conatus: qui vir, vt antè dixi, non magnoperè curâsse videtur, vtrùm huic an illi sententiæ accederetur, licèt miram præ se ferret in verbis & scriptis religionem: quare permultis imposuit, qui hominis vafriciem non aduerterunt.

Buceri versutia.

Eodem tempore Ioachimus Vadianus Sangallensis Consul, insignis Sacramentarius, scripsit sex libros Aphorismorum de consideratiône Eucharistiæ, quibus apertè docet, quàm nôn conueniat Zuinglianis cum Lutero. Facessant ergò qui dicunt, pacem inter istos vnquàm synceram conciliatam. Dissentiunt acerbissimè in hunc vsque diem, & in dies è suis schôlis nouorum dogmatum monstrosos & abominandos producunt architectos, qui simplex & incautum vulgus miserabilitèr perdunt.

Erasmi mors.

Eodem anno mortuus est Basileæ Erasmus Roterodamus, vir certè excellenti doctrina, sed qui in plerisque scriptis suis non minimam prębuerit Lutero & alijs perditis ac seditiosis hominibus tumultûs in religione concitandi occasionem. Extant libri eius, quibus id potest euidentissimè doceri. Et ipse certè in Epistola ad Albertum Pium Carporum principem ingenuè fatetur, quædam à se facta scriptaque, quæ nec facturus erat, nec scripturus, si hoc seculum exoriturum diuinare potuisset. Sed interìm in Colloquijs, vbi multa sunt ab eo non solùm incautè, sed etiam perniciosè scripta, nihil ferè correxisse videtur. Quid autem necessè est imperitæ iuuentuti tam crebrò inculcare ea, vndè nihil discat aliud, quàm Ecclesiæ constitutiones, cæremonias, instituta vel contemnere, vel in dubium vocare? Non dicam quàm multis locis odiosè suggillet monachos & Theologos, alioquì plùs satìs huic nouo euangelio inuisos: hoc vnum in confesso est, multa eum scripsisse, quæ præstaret nunquàm in hôminum venisse manus. Quàm sæpè puerilitèr hallucinatus sit in Censuris suis, Augustini & Hiero-

Censuræ

Hieronymi præsertim operibus præfixis, facilè demonstrari possit, si res postularet. Est quædam in Hieronymi Tomis Epistola, eam negat esse Hieronymi, sed vel Tertulliani eam esse ait, vel alicuius vetustioris: & tamen in eadem Epistola fit mentio D. Ambrosij Mediolanensis Episcopi, & ab ipso repertorum corporum Geruasij & Protasij martyrum. In Augustino opus 50. Homiliarum libentèr tribuit ipsi Augustino: alibì quandam ex ijs separatìm in ijsdem Augustini Tomis excusam Homiliam negat esse Augustini. Nec mirum, errare eum plerunquè, dum nimiùm suo iudicio tribuit, & omnia ex stylo vult metiri, qui sanè apud Augustinum admodùm varius est, dum plerunquè ad vulgi captum sese accõmodat, cui tãquàm Episcopus debuit pastoralem curam impendere. Non fuit illis sanctissimis Patribus tanta cura expoliendæ dictionis, quin pro captu illorum, quibus vel scriberent vel loquerentur, suam quoquè orationem libentèr interdùm deijcerent: id quod D. Hieronymus de seipso quodam loco apertè fatetur. Quantùm eius scripta nocuerint monasticis Ordinibus, immò veriùs monasticæ vitæ contemptoribus, quales ex eius libris multi euasêre, vt verendum est, nihil attinet dicere, nè videar odio potiùs, quàm veritate, ad hæc scribenda impelli. Consulit certè, nè quis ante annum 28. monasticæ vitæ genus aliquod amplectatur, multaque adfert, quæ possint iuuentutem non mediocritèr à vita monastica absterrere. Vbì in monasterijs omnis disciplina monastica iacet, & planè dissolutè viuitur, meritò non debent ea peti. Vbi autem religiosè viuitur, quid (oro) necesse est absterrere homines, nè eò se conferant ante annum ætatis 28? Scilicèt vbì iam planè vitijs assueuerint, vel etiàm matrimonium contraxerint, quod plerunquè ante eam ætatem fieri videmus, tum cœnobium petent. Nos verò cum tota Dei Ecclesia constantèr asseueramus, cœnobia esse saluberrimè instituta, & eos suæ saluti vel maximè consulere, qui in tenera ætate, cùm iam sunt rationis benè compotes, ad ea se conferunt, Deo illic perpetuò non inuiti, sed sua sponte libentèr & alacritèr seruituri, quandò præsertìm tot sunt hodiè inter homines praua exempla, quibus tenera ætas ad horrenda plerunquè scelera & flagitia prouocatur. Nec enim cogitur quisquam inuitus monasticam vitam profiteri, sed datur satis iustum deliberandi spatium, quò abundè possit quisque vires experiri suas, & tum demùm id statuere,

1536
Erasmi quales.
Cœnobia petenda.

1536 tuere, quod videat suæ saluti conducere. Quòd si Erasmus posito monachi habitu mâluit in hominum frequentia degere, non absque multorum graui offendiculo: nos cum beatissimis Patribus, Basilio, Gregorio Nazianzeno, Hieronymo, Gregorio Romano & innumeris alijs, hominum turbas tanquàm periculosas fugere mâlumus, aut certè, si institutum monasticum id poscat, vt inter homines versandum sit, alieno potiùs quàm nostro arbitratu viuere, cùm nulla sit peior libertas, quàm cùm sic licet viuere, vt libet. Quæ quidem omnia idcircò dixerim, vtì nè quis nimiùm tribuat Erasmi scriptis plerisque, sed meminerit hominem eum fuisse, & qui non semèl lapsus sit, sicut paulatìm res ipsa euidentiùs & docet, & docebit. Hæretici, vbì pro ipsis facere videtur, libentèr eum amplectuntur, aliàs contemnunt. Atque vtinàm res theologicas aut nunquàm attigisset, aut religiosiùs & modestiùs tractâsset. Ipse quidem fatetur in memorata ad Pium Epistola, se primum omnium subodoratum fuisse, ambitione corruptum Luteri animum: sed vtinàm tam se præbuisset strenuum in oppugnando Lutero, quàm res ipsa flagitabat. Quid illum mouerit, cur non omnibus ingenij viribus causam religionis contra nouos dogmatistas tueretur, ego certò affirmare non possum. certum est autem, si vti sua doctrina & eloquentia voluisset, plurimùm eum Ecclesiæ conferre potuisse, maximè quòd apud multos ingens eius esset authoritas. Audiui ego ex quodam docto & graui viro, extare quandam Thomæ Mori, non tamen typis excusam, ad Erasmum Epistolam, qua illum hortatur, vt scripta sua retractet & corrigat: alioquì fore dicens, vt ab Ecclesia reijciantur. Non omninò vanus fuit vates ille eximius vir: nam videmus hodiè Ecclesiæ de Erasmi scriptis iudicium. Quanuìs autem, vt dixi, multa de monastica vita incautè scripsit, nō tamen eum ab ea vita prorsùs abhorruisse, non vno eius ipsius testimonio doceri potest. Fuit apud nos eius manu scripta epistola ad quendam Carthusianum, in qua inter cætera ità dicit: Vereor nè imponāt tibi quorundam præstigiæ, qui iactant hodiè splendidis verbis libertatem Euangelicam. Crede mihi, si rem propiùs nôsses, minùs te tæderet istius vitæ. Video genus hominum exoriri, à quo meus animus vehementèr abhorret. Neminem video fieri meliorem, deteriores omnes, quotquot ego sanè nouerim: vt vehementèr doleam, me quondàm in libris meis

Thomas Morus hortatur Erasmum ad palinodiam.

Erasmus de Luteranis.

meis prædicâſſe libertatem ſpiritûs. & poſt pauca: Ciui- 1536
tates aliquot Germaniæ implentur deſertoribus monaſteriorum, ſacerdotibus coniugatis, pleriſque famelicis ac nudis: nec aliud quàm ſaltatur, editur, bibitur, ſubatur: nec docent, nec diſcunt: nulla vitæ ſobrietas, nulla ſynceritas. Vbicunquè ſunt, ibì iacent omnes bonæ diſciplinæ cum pietate. Plura tibi ſuper his ſcriberem, ſi tutum eſſet literis committere. & rursùs: Quænam eſt hęc libertas, vbì non licet dicere preces, non licet ſacrificare, non licet ieiunare, non licet abſtinere à carnibus? Cogita quid talibus poſſit eſſe miſerius etiàm in hoc ſeculo. Itemque poſt pauca: Emoriar, ſi vel tantillum roboris haberet hoc corpuſculum, vt ſaltem viuere poſſet, nî mâlim iſthic tecum agere, quàm in palatio Cæſaris eſſe primus epiſcopus. Proindè mi chariſſime in Domino, & per veterem, immò perpetuam amicitiā noſtram, & per Chriſtum oro, obſecro, obteſtor, vt iſtud tædium penitùs excutias ex animo, nec aurem præbeas exitialibus hominum fabulis, qui nihil opitulaturi ſunt tibi, ſed irriſuri potiùs, vbì te in foueam pellexerint. Hæc Eraſmus ante annos plurimos ad Carthuſianum quendam, quem etiàm tum, licèt iam ſenem, videntur quidam improbi inſtigâſſe ad excutiendum cucullum, à quo ſcelere eum Eraſmus vehementèr deterret. Sleidanus libentèr adferre ſolet in ſuis commentarijs, ſi quid habeat Eraſmus, quod poſſit facere contra catholicos, cætera vel ſilet, vel floccipendit. Et nos igitur non grauabimur vel vnam Eraſmi de Luteri & ſatellitum eius euangelio ſententiam adſcribere. Ait ergò in libro illo, quem tertium ſcripſit de libero arbitrio: Certè multi Luteri diſcipuli ad publicam tranquillitatem adeò ſunt inutiles, vt Turca quoquè feratur Luteranorum nomen execrari ſeditionis odio, cùm Chriſtianos toleret ab ipſius dogmatibus alienos. Quid hîc commemorem, quanta inter euangeliſtas (ſic enim ipſi ſe vocant) diſſenſio, quàm atrox odium, quàm amarulenta contentio, immò quanta inconſtantia, cùm ipſe Luterus totiès mutârit ſua placita, & ſubindè noua paradoxa ſuppullulent? Sed de his ſatis: quanquàm non erit alienum, ſi de hac diſſenſione quid ſentiendum ſit, ex ipſo Lutero audiamus, vt hæreticus proprio enſe iuguletur: Chriſtus (inquit in Pſalmum 5.) non alia ratione confligit cum hæreticis, quàm vt inter illos exiſtat factioſus quidam diſſenſionis ſpiritus. Ex illorum enim diſcordia, interitus

Libertas Luterici Euangelij

Turca execratur Luteranos.

1536 quoquè eorum & perditio consequitur. Sed ad historiam reuertamur.

Anna Bolenia supplicio afficitur.

Eodem anno Henricus Anglorum rex Annam Boleniam, quam repudiata Catharina regina sibi copulârat, palàm capite plecti iussit, atque altero pòst die Ianam Semeriam virginem sibi coniugem accipit. Persuaserat quidam ex Angliæ proceribus, vt antè diximus, Henrico regi iure eum repudiare Catharinam, quæ fuisset Arturi fratris eius vxor. Verùm Arturus quatuordecim annorũ puer, Catharinam vt acceperat virginem, ità quoquè ea ætate mortuus virginem reliquit: quod Henricus ipse tum Cæsari, tum alijs confessus fuit. Et isthuc quidem inter alia grauitèr in scripto quodam suo obijcit Henrico Reginaldus Polus Cardinalis, ex regio Anglorum stemmate ortus, vir doctissimus atque integerrimus, quem virum incredibili impudentia (vt hoc obitèr Lectorem admoneam) non vno loco nugator ille Sleidanus scelerate traducit, tanquàm is Luteri insano dogmati fauerit, cùm illo viro nihil fuerit grauius, & in Catholica religione constantius, cuius etiàm causa posteà in regno Angliæ multa præclarè gessit. Cur autem Henricus Rex Boleniam trucidârit, hæc causa fuit: Sentiens Bolenia nullam se ex rege masculam posse prolem concipere, quod dictu quoquè nefas est, germanum fratrem suum Georgium ad incestum concubitum prouocauit, scilicèt nè quis omninò suspicari de adulterino conceptu posset. Atquì nec sic voto potita suo, frustraque fratris experta complexus, procax mulier Norresium, Vestenium, & Breertonum equites ex aula illustres, vt secum concumbant, inuitat, deniquè etiàm Marco artis musicæ magistro se prostituit. Accidit deindè, vt ancillam cum amico ludentem seueriùs castigaret. Id illa indignè ferens, omnia defert ad regem. Is quæstione de supradictis habita, iubet eos interfici, prolata etiàm mortis sententia in Boleniam à iudicibus, inter quos suum quoquè tulit suffragium Thomas Bolenius Annæ parens.

Sleidani calumnia.

Victoriæ Lusitani regis.

Hoc anno potentissimus idemque Christianissimus Lusitaniæ rex Iohannes, insigni potitus est victoria apud Indos, in potestatem redacta Cambaia vrbe inprimis insigni potentia atque opulentia, & omnis generis frumenti copia. Cõstruxit illic idem rex arcem munitissimam, & paulatim mirum in modum in illis Barbaris regionibus propagata est fides Christi, dum interim in Europa aliæ

pa aliæ ſuper alias hæreſes exiſtunt, quas miſeri homines pro verbo Dei cupidè amplectuntur. 1537

Indicitur Concilii. Paulus 3. Romanus Pontifex, ſolicitante etiàm piiſſimo Carolo Cæſare, volens perturbatæ Eccleſiæ mederi, hoc anno Concilium Oecumenicum apud Mantuam celebrem Italiæ vrbem indixit. Verùm is locus non placuit Germanis Proteſtantibus. Allegabant multa pericula, quæ tamen longè iuſtiùs alleganti Pontifici cedere nolebant, incitati à verſutis concionatoribus, qui Pontificem in ſummum odium & contemptum adducere non ceſſabant.

Aetnæ incendium. ANNO 1537. menſe Aprili Aetna mons Siciliæ, materia plenus ſulphurea, quam humida gignunt nutrimenta, ingentem ignis maſſam euomuit, quæ non repentinò, ſed paſsìm decidens, colles, nemora, ſaxa, rupes, pagosque duos (nam multos ille mons pagos complectitur) flammis vaſtauit, arbores, homines & pecora magnis affecit cladibus. Eius montis ignis ſulphureus interdiù obſcurum & ſubnigrum, noctibus verò prorsùs horrendum ſe ſpectantibus oſtendit. Ratio naturalis terribilis ignis huius, à Philoſophis eiuſmodi adfertur, quòd Sicilia intrinſecùs in ipſis viſceribus ſit planè cauernoſa & referta ſulphure, alumine, igne, aqua, & id genus rebus alijs ignem fouentibus. Porrò ignis non poteſt eſſe ſinè reſpiraculo, ſed vbiquè ſeſe exerit. Indè fit, vt in Sicilia non paucæ reperiantur admodùm calidæ thermæ. Cæterùm ignis in cauernas ſeſe proripiens, flammam excitat, quæ foràs erumpere cupiens, fumum & igneos vomit globos, multisq; locis ſuos quærit caminos, per quos reſpiret. Nonnunquàm verò in ipſis terræ viſceribus tanta eſt ignis violentia, vt vnà cum globis igneis vel flammis etiàm lapides exuſtos & arenam eijciat. *De Aetnæ Trogi ſententia.* Trogus lib. 4. ſic ſcribit de hoc monte: Sicilia terra eſt cauernoſa & fiſtuloſa: quo fit, vt ventorum flatibus pateat, vndè ignis concipitur. Intrinſecùs ſulphur habet & bitumen: vbi ventus per ſpiramenta cauernarum incubuit, diù luctatus concipit ignem. Sic Aetnæ durat incendium. Motus ergò ventorum, cauſa incendij eſt. Strabo ſcribit ſe in eius montis cacumine fuiſſe, & omnia diligentiſſimè luſtrâſſe. Feruntur in ſummo vertice mirabiles eſſe mutationes, interdùm erumpente igneo flumine, aliquandò vel flãma, vel obſcuro fumo. Id verò ſummam habet admirationem, quòd illius ignis

1537 calor neque vllo frigore temperari, neque frigus depelle-
Nota miri quiddam. re poteſt. Noſtro æuo nihil ferè præter obſcurum vaporem ex eo monte erumpere viſum eſt, vſque ad hunc 1537. annum, quo ignem ſupradictum euomuit. Veriſimile eſt, quicquid dicant Philoſophi, ijs in locis quædam eſſe Tartari oſtia, aut loca puniendis animabus deſtinata: quemadmodùm etiàm in Iſlandia inſula, quæ in Oceano ſita, æſtiuo ſolſtitio noctem nullam, brumali nullum diem habet, mons eſt Occidentem versùs, Hecla dictus, à quo non longè abſunt fodinæ ſulphuris, quod indè copioſiſſimè plenis nauibus euehitur. Mons ille cùm furit, haud ſecùs atquè horrenda tonitrua inſonat, proijcit ingentia ſaxa, ſulphur euomit, cineribus egeſtis terram circuncircà tam longè operit, vt ad viceſimum lapidem vel milliare coli non poſſit. Sunt ibì multæ voragines, ità cineribus opertæ, vt vix euitari poſſint ab illis, qui vt eius incendij naturam explorent, propiùs montem accedunt, è quibus plerique viui à voraginibus abſorbentur. Emergit illic ignis quidam, qui aquam abſumit, ſtuppam non abſumit. Viſuntur illic mortuorum ſpiritus, qui in nota ſpecie offerunt ſe familiaribus colloquijs hominum, idque adeò, vt adhùc viuere putentur ab illis qui eos neſciunt vel ſubmerſione, ſeu alia violenta morte perijſſe. (Nam tales præcipuè apparent.) Cùm autem orant eos amici vel noti, vt domum redeant, dicunt cum ingenti gemitu ſe petere montem Heclam, ilicoque diſpárent. Voluit autem omnipotens Deus eiuſmodi in terris extare loca terribilia, vt certiùs nôrint mortales, quæ pœnæ maneant impios poſt hanc vitam, & ſic diſcant timere Deum, vt poſſint æternos ignes euadere.

Hecla mons in Iſlandia.

Mirum.

Carolus Cæſar cùm aliquandiù valetudinis confirmandæ cauſa Genuæ hæſiſſet, priuſquàm in Hiſpanias proficiſceretur, res Italiæ non negligendas putauit. Itaque cùm Montisferrati dominium à tribus magni nominis competitoribus, ſingulis ſua iura allegantibus, magna contentione peteretur, Cæſar erecto tribunali illud Frederico Gonzagæ adiudicauit. In eius enim matrimonio cernebatur ſoror Bonifacij, non dubia hæres fratris ſui, qui repentino labentis equi caſu interierat. Porrò arci Mediolanenſi, toto orbe celeberrimæ, Hiſpanum quendam præfecit: ijſque rebus confectis, ſecundiſſima vſus tempeſtate, in Hiſpanias nauigauit, vrgente præſertìm Andrea Auria, vt ante brumales dies eam profe-

profectionem maturaret. 1537

Huius anni mense Ianuario accidit crudelissimum facinus, quod potest multos non mediocritèr ad agendam salutis suæ tum temporariæ, tum æternæ curam extimulare, viros præsertim principes, qui nunquàm satis possunt esse circunspecti ob multorum insidias: quas tamen faciliùs euadent, si Deum vita innocentèr transigenda sibi propitium reddant. Fuit Florentiæ dux & princeps Alexander Medices, Cęsaris potentissimi gener, iuuenis robusto ac vegeto corpore, vigintisex aut circitèr annorum, qui etiàm iure dicendo ciuibus æquum & moderatum se præberet. Verùm in tanta rerum affluentia, iuuentutis accedente feruore, admodùm in Venerem procliuis fuit, ità vt coniugis toro contentus non esset, parùm interim habita tum dignitatis, tum valetudinis, tum salutis suæ cura. In eius intimam familiaritatem se mira vafricie insinuauit Laurentius Medices, ex Mediceis omnibus illi sanguine maximè propinquus, cui incautus princeps tantum tribuit, quantum vix vlli alij. Is verò cùm Alexander esset Neapoli, vbi tum quoquè erant exules Florentini, incredibili perfidia & Alexandrum ferè quotidiè apud exules se iactitabat è medio ablaturum, ore maledicentissimo crebrò in illum inuectus, & rursùs exulum consilia ad Alexandrum ilicò deferebat. Quod cùm exules persensissent, eum vehementèr detestati sunt, & Alexandri stultitiam perstrinxerunt, quòd tam perfido homine vsqueadeò delectaretur. Detulit id quidam ad Alexandrum, & is accito ad se Laurentio, quid audierit, indicat. At homo versutus vera ipsum audisse confirmat, sed hac demùm ratione, si se simulet apud exules principi quàm infensissimum, illorum machinationes facilimè posse perdiscere. Credidit princeps in suam certam perniciem impudenti mendacio. Accidit interim, cùm iam sesquiannum & ampliùs exitium Alexandro molítus esset, vt matronam quandam pernobilem & constantissimæ pudicitiæ Laurentius tandèm expugnatam se polliceretur media nocte ad Alexandrum perducturum. Credidit miser scelerato homini, & passus est se ab illo duci in ipsius Laurentij cubiculum, cuius domus principis ædibus erat coniuncta. Eò vbi ventum est, dimittere à se cubicularios duos iubetur, & in ipsius proditoris lecto repositus, vt somno se tradat paulispèr, monetur, donèc matrona possit in ipsius amplexus adduci. Porrò etiàm monetur deponere gladium, quo erat accin-

Cædes horrēda principis Florentini.

Nota versutiam.

Alexander credit temerè.

1537 accinctus, vt suauiùs cubet. Id vbì factum est,ità capulum gladij inuoluit Laurentius, vt si fortasſis eum sui defendendi causa princeps velit educere, non facilè possit. Ità iam cædi maximè opportunus, tradit se quieti, ignarus miser proximè impendentis extremi periculi. O cæca mortalium pectora, quæ breuis cuiusdam eiusque nefariæ voluptatis explendæ causa, sæpè seipsos in ipsam & corporis & animæ sempiternam mortem præcipitant. Laurentius deindè exitè cubiculo, corripit ensem, iuuenem homicidam, cui princeps vitam donârat, orante pro illo Laurentio, ad fortem sibi nauandam operam pellicit, adiuncto etiàm alio quodam nefario homine: quanquàm sunt, qui scribant vnius tantùm opera in hoc patrando parricidio vsum eum esse. Cum ijs clàm in cubiculum ingreditur, infelicissimũ principem iam somno correptum adacto per costas gladio confodit, & aliquandiù reluctantem sociorum opera interficit. Audiebatur quidem à familia strepitus & clamor ingens, sed nemo se mouit: quòd Laurentius iam antè consuêsset crebrò eiusmodi in eo cubiculo excitare tumultus, tanquàm iocosa exercitatione cum sodalibus animum oblectans, vt scilicet eam in diem dolum pararet. Quòd si princeps ille animo benè constituto eam horrendam necem ab illo perditissimo nebulone pertulisset, tametsi immane hauddubiò id esset parricidium, tamen moderatiùs dolendum foret, quòd mors illa nihil animæ noceret. Atqui verò eo in statu, quo tum erat ille princeps, tam inopinatam & nihil penitùs prouisam mortem adferre cognatum cognato, multis auctum beneficijs liberalissimo principi, id omnem excedit modum sæuitiæ & immanitatis. Sed iusto tamen Dei iudicio effrenatam principis libidinem tam terribilitèr castigatam esse nemo ambigit. Debebat ille princeps fidem seruare coniugi, debebat vereri tremenda Dei iudicia, qui non respicit personam principum, sed indiscriminatim plerunquè seuerissimè in hominum flagitia animaduertit. Quod quia non fecit, in id genus horrendæ mortis incidit, vt suo summo malo doceat sapere mortales, nè ipsis similia eueniant. Nam vt sint fortasſis permulti, qui diù impunè vitam viuunt impuram & sceleratam, tamen etiàm innumeri inopinatis omninò casibus in ipsis sceleribus opprimuntur, & ruunt præcipites in sulphureas gehennæ æstuantis carnificinas, nunquàm indè emersuri: quo quid possit esse horribilius? Ea cæde patrata,

Princeps cõfoditur.

trata,

trata, animo consternatus homicida execrabilis, nihil 1537
iam præter fugam meditari potuit, licèt antè decreuisset, Florentinis ad libertatem vocatis, gloriam sibi ex ea perfidia parare. Itaque in ipsa nocte ex vrbe excedens, quod nulli alteri facilè permissum fuisset, re necdùm comperta, incitatis equis primùm Bononiam, indè Venetias cum suis sicarijs peruolauit. Fuit deindè altera luce principis mors prudentissimè dissimulata, donèc accitis in vrbem & arcem militibus, tandèm triduo pòst mira præpotentis Dei prouidentia in defuncti locum subrogatus est Cosmus Medices, adolescens summæ spei, annorum decem & octo, qui vsque in præsens magno ciuium studio & amore patriæ suæ principatu, nisi forte breuì è vita migrauit, moderatissimè potitur, studiosissimus sempèr Caroli Cæsaris longè optimi, cuius in se propensissimam voluntatem, in confirmando præsertim principatu, expertus erat. Porrò ille detestabilis parricida Laurentius ex Gallijs profugit ad Solimannum Turcarum principem. Verùm Solimannus vbì scelus ab eo patratum didicit, execratus hominis perfidiam, capiendum dedendumque decreuit ipsum Cosmi principis iussu persequentibus : sed ille properè redijt Venetias, vbì tamen paucis pòst annis, à duobus Volaterranis militibus, Alexandri principis studiosis, trucidatus est.

Laurentius fugam capessit.

Cosmus Medices Alexãdro substituitur.

Laurentius cæditur.

Hoc anno Galli in Atrebates irruerunt, oppidum & arcem Hesdinum egregiè munitam intra mensem deditione accipiunt, imposito firmiori præsidio. Abeuntibus Gallis, Cæsareani par pari relaturi, oppidum D.Pauli vi capiunt, ac diripiunt magna strage edita, deniquè incendunt. Idem faciunt Monstrolio, cùm deditione id in potestatem illorum venisset, priùs tamen passi sunt ciues incolumes abire. In oppido S.Pauli vel Simpolio, vt quidam vocant, quod rex Franciscus præsens egregiè communiĕrat, vnico horæ spatio quinque lectissimorum iuuenum Gallicorum millia cæsa sunt, multique præfecti & ipse prætor Parisiensium capti sunt. Monstrolium latissimum & copiosissimum Picardiæ oppidum est : eo compilato, & miserandum in modum incendio deformato, itum est ad Teruanam Morinorum. Iam fame laborare cœperant qui intra vrbem erant Galli, cùm ecce opportunè illis suppetias tulerunt Annibaldus & Pienesius, duo fortissimi Gallici proceres : verùm ij dum se ad suos recipiunt, prælio

Galli capiũt Hesdinum.

Monstrolium incensum.

1537 commisso capti sunt. Indè iussu regis Francisci percussæ sunt decem mensium, vel vt alij habent, trimestres induciæ cum Maria Cæsaris sorore, quæ spe futuræ pacis incitata, exercitum dimisit. Vtinàm verò hæc arma in Christiani nominis hostes versa fuissent, quorum vires mutuis Christianorum principum dissidijs in dies augescebant. Interim nihilo minùs in Taurinis bellum perseuerabat.

Conuētus Smalcaldiæ. Huius anni mense Februario Protestantes conuentum egêre Smalcaldiæ. Aderant illic etiàm illorum concionatores, qui, cùm deliberaretur de Concilio à Paulo 3. Mantuæ indicto, de mandato principum atque vrbium euangelici nominis professi sunt, se iuxta capita confessionis Augustanæ & Apologiæ sentire & docere in suis Ecclesijs. Hoc quidem illi persuaserant principibus: sed quàm verè, ipsi viderint. Certè ipsa confessio sæpè in alias formas mutata est. Nitebantur quidam in hoc conuentu efficere, vt de cœna Domini & ecclesiasticis ritibus certum aliquid, quod omnes sequerentur, statueretur. Principes verò, misso ad eos Saxonis Cancellario cum altero quodam nobili, de solo concilio illos agere iusserunt. Videbant enim hisce de rebus inter istos præclaros euangelij buccinatores nulla ratione posse pacem confici. *Luterus ægrotat.* Luterus morbo correptus, missus est Gotham à Principe Saxoniæ, atque eiusdem principis voluntate adiêrunt eum Bucerus & Bonifacius Lycosthenes, qui eum ad respondendum Heluetijs hortarentur. At Luterus vi morbi se ait à scribendo impediri, licèt interim Basileensi consuli Iacobo Meyero scriberet, Heluetiorum scripta sibi esse reddita. Sed nunquàm adduci Luterus potuit, vt Heluetijs cederet.

Hac tempestate orta fuit inter concionatores Zuinglianos de cœna Domini rixa. Itaque habita est Synodus Bernæ vltima Maij, in qua decretum planè sacramentarium editum est, & sic ea lis vel sublata est, vel vtcunquè in speciem sopita. Nihil enim ab istis concionatoribus syncerè & bona fide agitur. *Turris incenditur.* Huius anni mense Iulio Parisijs turris Belliaca ad Sequanam, in qua magna vis nitri, sulphuris & pulueris tormentarij cōdita seruabatur, fulminis ictu funditùs euersa est.

Polus mittitur ad Hoc ferè tempore Paulus Pontifex maximus Reginaldum Polum, ex Margarita Eduardi 4. Angliæ regis

gis nepte prognatum, quem paulò antè in Cardinalium ordinem adsciuerat, in Britanniam legatum misit, vt Henricum regem ad saniora complectenda consilia reuocaret. Verùm Henricus rex iam scripserat Francisco regi, vt legatum ad se captiuum in Britanniam mitteret. Eius rei commonitus Polus Cardinalis, ex Gallijs in Flandriam profectus, aliquandiù hæsit Cameraci. Indè Leodium abiens, aliquot menses liberalitèr habitus est à Cardinale Erardo : pòst Romam repetijt. Sleidanus suo more pessimè eam legationem interpretatur, tanquàm propterea missus fuerit ad Franciscum regem, vt eum in Anglum inflammaret. Ità sempèr improbi homines ex animi sui prauitate etiàm alios metiuntur. Et valdè hoc familiare est Sleidano & sectariis dogmatistis omnibus, vt Romanos pontifices & catholicos quosque magnoperè studeant apud omnes in summum odium & inuidiam adducere, licèt interim illi piam doctrinam, & purum ac syncerum Euangelium, & incredibilem vitæ innocentiam sibi impudenti vanitate tribuere non vereantur. *1537 regem Angliæ.*

Mense Octobri Iana Semeria, quam ab Anna Bolenia Rex Angliæ Henricus suo iunxerat matrimonio, filium Eduardum peperit, sed ipsa duodecimo pòst die vitam cum morte commutauit. *Eduardus nascitur.*

Per id tempus quo paulò antè diximus in Belgio viguisse bellum, multa Gallis apud Allobroges eripuit Daualus Vastius Cæsareanorum dux inclytus, & cùm iam binis castris obsideret Taurinum & Pinarolum, Gallosque ad summam alimentorum penuriam adduxisset, in ipso tempore Henricus Delphinus cum exercitu superueniens, rebus necessarijs grauissimè pressos subleuauit. Indè verò de pace tractari cœptum est, ictis primùm trimestribus inducijs, & ijs rursùs in alias trimestres, deniquè in longiores prorogatis. Ea in re conficienda præclaram sanè Reipub. Christianæ nauauit operam Paulus 3. Romanus Pontifex, cui dolebat illud bellum intestinum.

Cùm Cæsar in Italia esset, miserunt ad eum legatos suos Protestantium ordines. Illos Cæsar quidem audiuit, sed occupatus rebus bellicis, respondit se per legatum illis responsa daturum. Hoc cùm Protestantibus renunciatum esset, illi conuentum indicunt Smalcaldiæ ad septimum Februarij anni huius diem, vbì omnes adessent. Adduxerunt eò primi nominis concionatores suos, *Legatio ad Cæsarem. Cōuentus Smalcaldicus.*

1537 os, Luterum, Melanchthonem, Bucerum, Osiandrum, aliosque multos: qui tamen ità inter se erant animis concordes, quicquid interim extrinsecùs simularent, vt quondam Cadmæi fratres. Et vt parùm aliquid lector nouerit, concionabantur illic isti sectarij theologi: Luterus iustificationis suæ fundamentum esse voluit Relationem, quæ est minimum entitatis, hoc est, nihilum, vt ipsius habet disputatio typis excusa. Osiander verò prorsus è diametro cum illo pugnans, fundamenti loco posuit ipsam diuinam essentiam, quæ est simul omnia. Vult enim, eadem iustitia qua Deus essentialitèr iustus est, nos quoque iustos esse oportere. Luterus autem, non reuerà, sed tantùm imputatiuè coram Deo iustos nos haberi dicit, perindè vt olim Alexander Magnus apud Lacedæmones his verbis in deos relatus est: Alexander vult esse deus: Deus esto. Et licèt hęc inter se maximè sint diuersa, tamen Principibus & reliquis Ordinibus illis versuti homines visi sunt purum putum euangelium & ipsissimum Dei verbum prædicare: nec animaduertebant, quibus dolis & fraudibus ab istis Euangelistis circunscriberentur. Interim mirè execrabantur summum Pontificem & Doctores Catholicos tanquàm Antichristi (sic enim vocāt Pontificem) administros & satellites, & non videbant eos, qui isthuc ipsis persuaserant, re vera ipsissimi Antichristi pręcursores & prænuncios esse. Sed quid hoc magnoperè mirandum in principibus, cùm etiam plerisque doctissimis viris satis interdùm negocij facessant importuni & versipelles homines, dum omnia vbique rimantur & excutiunt, & si quid vspiàm occurrat, quod vel in speciem pro ipsis facere videatur, id mirè exaggerent, illud mirificè iactitent, adeò vt sæpenumerò non pudeat ipsos impudentissima vanitate ad suum sensum detorquere, quæ tamen sciunt nihil pro ipsis facere: scilicet vt indoctis & imperitis aliquid dixisse videantur. Has fraudes si persentiscere potuissent Principes, puto equidem suis dentibus infidos homines discerpsissent potiùs, quàm vlla in re sibi sequendos statuissent.

Luteri & Osiandri fundamēta diuersissima.

Sed vt ad legationem Protestantium reuertamur, tria potissimùm illi à Cæsare petebant: primùm, nè commodaret fidem sparso de ipsis rumori, quasi cum Gallo & Anglo fœdus fecissent: deindè, vt Cameræ iudicium cohiberet: postremò, vt qui post pacificationem Norbergicam in fœdus Smalcaldicum recepti essent,

Summa legationis Protestantium.

ſent, eius quoquè pacis beneficio fruerentur. Cæſar ad illos miſit Matthiam Heldum procancellarium, virum eloquentiſſimum, qui in publico omnium conſeſſu die 15. Februarij accuratè reſpondit. Hortabatur inter alia Cæſaris nomine, nè Cameræ præſcriberent, nec ius ipſum impedirent. paſsim enim ad Cæſarem & Cameræ iudices deferebantur miſerorum querimoniæ, qui ſe rebus & fortunis omnibus exutos, in integrum reſtitui rogarent. illorum verò preces Cæſar, vt erat pijſſimus, negligere non potuit, licèt interim Proteſtantes, à ſuis Eccleſiaſtis inſtigati, rem ſe Deo gratam præſtare arbitrarentur, ſi eccleſiaſticos, præſertim monachos, profligarent. Hoc verò Chriſti Euangelium non docet, res alienas priuata authoritate, immò legibus omnibus & ſummo Magiſtratu acerrimè vetante, ſibi vſurpare, aut pro ſuo arbitratu alijs conferre. Et quia Cameræ iudices plerunquè ſententiam ferebant, qua iuberentur ablata reſtituere, Proteſtantes eos ferre nolebant. Ità oportebat miſeros rerum ſuarum ferre direptiones, nec tamen vllum à iure ſubſidium petere. Quis verò hoc docuit? Luteri ſcilicet Euangelium. Sed hoc Euangelium iura omnia, & totus orbis Chriſtianus damnat. Priùs videndum erat, qua æquitate, quo iure, quibus rationibus hoc euangelium niteretur. Certè illi, penès quos ſumma eſt apud Chriſtianos authoritas, quibus diuinæ & humanæ leges nos obtemperare volunt, hoc Euangelium iampridèm execrati ſunt. An non verò plus tribuendum eſt totius orbis iudicio, quàm vnius deteſtabilis apoſtatæ, cui nec id quidem tribuendum eſt, vt aliquo numero habeatur? Verùm Proteſtantes, vt à Lutero, & id genus alijs edocti erant, omninò pati noluerunt, vt aliquid contra ipſos eccleſiaſtica bona ſibi vendicantes, Cameræ, id eſt, Cæſareæ Maieſtatis iudicium valeret: putabant enim ſceleratos homines & idololatras, hoc eſt, monachos (vt de alijs taceam) omninò profligandos, & interim apoſtatas monachos haud ſecùs atquè Chriſti Apoſtolos complectebantur, quorum omnium parens Luterus in ſummo apud eos honore fuit, qui ſi nihil aliud feciſſet, quàm quòd, omni abiecto pudore, auſus eſt virginem Deo ſacratam ſuis nuptijs copulare, hoc ſolo nomine dignus erat, qui flammis cremaretur. Nouimus Iouinianum Imperatorem religioſiſſimum iam olìm ante mille annos legem ſanciuiſſe, vt capitalitèr in eum animaduerteretur, qui ſacram

cram

1537

Legatus Cæſaris ad Proteſtantes.

Proteſtãtes recuſant Cameram.

l. Si quis. C de epiſcopis & clericis.

1537 cram virginem, non dico rapere, sed attentare tantummodò iungendi matrimonij causa, aut oculos impudicos ei adijcere auderet. Impius ille apostata Iulianus Imperator ad eiusmodi incestas nuptias connixisse legitur, sed certè Christiani principes conniuere minimè deberent. Multa prętereà alia in eo conuentu dixit Heldus: postera verò die cum Saxone priuatim locutus, multam ei Cæsaris erga ipsum beneuolentiam indicauit, sed quam hactenùs ob disparem religionem in eum declarare satis nequiuerit. Itaque hortabatur eum ad concordiam, ad adeundū Concilium vel legatos eò mittendos, ad ferenda auxilia contra Turcam, ad contribuendam pecuniam in Cameræ iudicium. Saxo se cum suis communicaturum respondit. Deindè 24. Februarij ad omnia fœderati omnes responderunt prolixè, quæ quidem commemorare nihil attinet. Nolebant Cameram contra se procedere, nolebant à suo fœdere excludere quenquam, licèt Noribergæ conuentum esset, nè quis ante Concilij definitionem religionem mutaret: porrò in id fœdus non admittebantur ferè nisi Luterani & id genus homines. Orabant Cæsarem, vt Cameræ iudicibus, nè ipsis molestiam vllam crearent, interdiceret, & quædam alia: sed ità orabant, vt precibus armatis vti viderentur. Nam si secùs attentaretur, & si qua vis fœderatis inferretur, se socijs minimè defuturos indicabant. Quòd si Cæsar permittat omnibus aditum ad veram doctrinam, (sic enim vocant Luteri dogmata) tum se propensiùs præstituros, quæ de Turca & Camera Cæsar postulârit. Multa deindè de concilio dixêre, quod liberum esse voluerunt, vbi Luterus cum suo grege aut parem, aut superiorem etiàm præ Romano pontifice locum & authoritatem obtineret contra morem omnium seculorum. Multa ibi acerbè in Pontificem dicta, quòd is doctrinam non solùm verbo Dei, sed etiàm vetustis concilijs atque doctoribus contrariam inuexerit atque defendat, cùm tamen reuerà non Pontifex, sed Luterus cum suis concilia & doctores omnes non sinè contumelia reiecerit, & sua pestilenti doctrina, quæ in multis ipsius quoquè Alcorani impia commenta longè superat impietate, florentissimum Germaniæ regnum, adeoque totam ferè Europam in summas calamitates, bella & odia intestina, incredibiles animorum dissensiones, & nullum non malorum genus præcipitârit. Sed hæc & id genus alia multa licet

Heldus cū Saxone agit.

Protestātium responsum.

Pontifex perstringitur.

Prin-

Principum & fœderatorum nomine proponerentur, *1537*
non tamen à Principibus, sed eorum concionatoribus petulantèr conficta fuère. Non desunt vitia in Ecclesia Catholica, sed quòd doctrina eius pugnet cum verbo Dei & concilijs & Doctoribus antiquis, id isti sycophantæ nunquàm docere potuerunt. An verò non scatet omni flagitiorum genere istorum nouorum dogmatistarum vita? An non Luterus ipse fatetur, suæ sectæ homines vel decuplo Sodomitis peiores euasisse? Sed hoc illi importuno solius fidei buccinatori imputandum est. O si in Christianorum pectoribus non penitùs lux omnis rectæ rationis extincta fuisset: vidissent quæ dogmatum horrenda monstra, quàm prodigiosas & immanes tenebras pro Euangelij luce, quas deniquè tigrides, quósve lupos pro veris pastoribus complexi essent.

Luteri de Luteranis testimonium.

Vbì dicendi finem Protestantes fecerunt, Heldus euestigiò eis respondit, inter cætera periniquum esse dicens, quòd cùm ea negocia, quæ ipsi dicant religionis esse, alij prophana esse contendant, nolle ipsos alterius partis rationes & argumenta cognosci, cùm tamen & legibus, & æquitati, & diuinis literis consentaneum sit, vt in omni controuersia pars vtraque ex æquo audiatur, neque secundùm alterutrius narrationem, etiamsi ea nihil à vero abhorreat, quicquam pronuncietur. Tum quoquè nullo iure fas esse, quenquam vel religionis, vel alia quauis de causa, rebus suis spoliari. De Concilio ait grauissimum fore Imperatori, si ipsi iam exceptiones contrà facere velint, cùm non sint nescij, quantoperè eam in curam Cæsar incubuerit, vt Concilium quandoquè cogeretur. Quòd ad Pontificem attinet, sperare Cæsarem, illum tanquàm præcipuum ordinis Ecclesiastici caput, pro sui muneris ratione, Christianè sese gerere, nec de illo quicquam omninò sinistrum suspicari. Licere tamen ipsis, si quid secùs de illo nórint, in Concilio modestè proponere, itemque de forma & modo Concilij: nanque vt in ea re ipsi alijs nationibus præscribere velint, id sanè minùs æquum esse: neque ipsos persuasum habere debere, ipsorum theologos solos sapere, reliquos omnes bardos & bliteos esse: alijs quoquè locis passim viros & eruditione & pietate præstantes inueniri. Hæc & id genus alia dixit ibi Heldus, vt erat excellenti doctrina & mira ingenij dexteritate.

Heldus respōdet.

Eodem

1537

Legatus Pontificis ad Protestantes.

Eodem autem die venit eò legatus Pontificis Episcopus Aquensis, sed à Protestantibus non magna eius fuit habita ratio, cùm tamen etiàm Turcarum tyrannus legatos Christianorum comitèr excipiat. Die quodam voluit is legatus cum Lantgrauio colloqui. Ille respondit sibi non esse integrum, & eodem ferè momento adijt Luterum ex calculo grauitèr decumbentem. Poterat id è sua domo facile videre legatus, sed debuit æquo ferre animo apostatam monachum Pontifici maximo, cuius ipse legatus erat, longè anteferri.

Protestãtium responsum.

Ad Heldi dicta vltima Februarij iterùm Protestantes prolixè admodùm responderunt: sed referre piget, quia eiusmodi sunt, vt præclaræ Germanicæ nationi apud exteras nationes omnes ignominiam potiùs quàm laudem sint paritura: verùm hæc quoquè non Principes, sed concionatores ità composuerant, vt identidèm splendidè mentirentur. Deniquè in hac responsione Concilium à Pontifice indictum reiecerunt. Aiunt enim iudicandi potestatem non ad solum Pontificem & Episcopos, verùm ad Ecclesiam pertinere: quo quidem in numero sint etiàm reges & cæteri ordines: dicerent apertiùs, etiàm cerdones, lictores, carnifices, garrulæ anus, ambubaiarum collegia, pharmacopolæ. Quis verò ista non irrideat? Scilicet pronunciare de Ecclesiæ dogmatis pertinet ad laicos, immò & ad cocos & subulcos. O vastissimam dogmatistarum Ecclesiasticorum cæcitatem. Et isti sunt puræ doctrinæ & germani Euangelij synceri atque integerrimi præcones. Oportebat sanè Germanos ad eiusmodi credenda non temerè adduci, oportebat priscæ Germanorum constantiæ meminisse, & in rebus grauissimis summa, vti par erat, vti grauitate & maturitate. Verùm hæc & id genus alia versuti homines parùm cautis facilè persuaserunt. Priùs autem quàm is conuentus dissolueretur, quod fuit 6. Martij, ad Galliæ regem datis literis, eius beneuolentiam & amicitiam captàrunt. Rex eis liberalitèr respondit, licèt ex animo Luteri dogmata detestaretur: sed mutuis se auxilijs vt communirent, res ipsa poscere videbatur.

Reijciunt Conciliũ.

Scriptum regis Angliæ.

Per id ferè tempus etiàm rex Angliæ scriptum edidit, quo se ostendit non multùm tribuere authoritati summi pontificis, neque venturum, neque legatos missurum ad concilium Pontificium: & alia pleraque satis

acerbè in Pontificem, quem Catholici tanto propensiùs 1537 obseruare & suspicere debent, quòd ab illis tam hostilitèr oppugnatur, qui Luteri quàm Christi Euangelium sequi mâlunt. Multùm hæretici plerique omnes quiritantur de tyrannide Romanorum Pontificum: scilicet extinctam vellent illam summam authoritatem, qua hactenùs hæreses omnes oppressæ sunt.

Turca infensus Lusitanis.

Hoc anno Solimannus Turcarum Imperator molestissimè ferens Lusitanorum potentiam in Indiam vsque prolatam, maxima ipsius regionibus detrimenta adferre, interclusis Arabici sinûs nauigationibus, quibus Memphim (hodiè Cairum vocant) atque Alexandriam omnis generis aromata & mercimonia, & indè in Europam aduehi solerent, quæ iam per vastissimum Oceanum in Lusitaniam aueherentur, atque indè porrò in Angliæ, Belgij, Germaniæ aliarumque regionum emporia dispensarentur, hortatu Aegyptij præfecti ingentem triremium & aliorum nauigiorum classem magnis impendijs institutam, contra Lusitanos misit, vt eos ex tota India, vbi iam illi munitissimas aliquot arces construxerant, exturbaret. Iam paulò antè in bello Persico contra Tammasum infelicitèr susceptо, didicerat Lusitanos quosdam sclopetarios & tormentorum magistros, qui maiora tormenta & fundere & peritè dirigere Persas docerent, regi Persarum militâsse. Id verò eius animum vehementèr in Lusitanos exacuit.

Mons Sinæ.

Obitèr hîc commemorare libet, in intimo Arabici sinûs termino montem Sina situm, qui natura saxeus & abruptus in cælum exurgit, difficilimumque præbet in superiora nitentibus ascensum. In eius summo cacumine, vndè est latissimus in maria prospectus, positum est delubrum, Diuæ Catharinę praeclarissimæ martyri dicatum, quò confluunt peregrini Christiani religionis ergô, licèt non absque periculo pateat accessus. Nec dubium, quin illo in loco singulari quodam gaudio afficiantur piè visitantium animi, non solùm ob tantæ martyris sacras reliquias, sed etiàm quòd indè prospiciendo mari rubro liceat grata mente reminisci, ibì olim submersum perijsse Pharaonem cum infinitis equitum turmis, cùm is persequeretur filios Israël, præsenti Dei beneficio ex eius manibus grandi miraculo elapsos: tum etiàm, quòd eo in monte olìm lex vetus data sit Hebræis: quanquàm hodiè plerique irrident eius-

Delubrũ D.Catharinæ.

V modi

1537 modi peregrinationes religionis ergô susceptas, cùm ipsi potiùs sint irridendi, qui ea carpant, quæ Christiani omnes sempèr religiosè admodùm sibi obseruanda statuerint. Legant scioli isti (vt innumera alia omittamus) vitam D. Paulæ matronæ Romanæ, à D. Hieronymo conscriptam, & indè discant, quàm non sit nouum in Ecclesia, loca sacra inuisere.

Triremes plicatiles. Porrò verò Solimannus, vt ad institutum reuertamur, egregia classe instructa triremium plicatilium, quæ longo terrestris itineris spatio ad Suetiam vsque maris rubri portum camelorum opera traherentur, itemque aliarum nauium, ità vt omnes simul octoginta circiter numerum implerent, in quibus erant ad vigintiquatuor hominum millia, Aegypti præfectum misit expugnatum Lusitanos.

Solimannus Venetis infensus. Eo tempore Solimannus leuibus de causis alieno, immò & infenso in Venetos erat animo, iusseratque contra fidem abrupta pace Venetas triremes apud Alexandriam intercipi, & aliquot patritios mercatoresque Venetos, nautasque complures in carcerem conijci. Ex ijs autem eos qui idonei viderentur, in classem contra Lusitanos instructam distribuit præfectus Aegyptius. Sunt qui scribant, Solimannum id temporis à Christianis quibusdam, qui nimia Cæsaris Caroli felicitate offenderentur, non mediocritèr in nostros incitatum fuisse: quod quidem miserrimum est, vsqueadeò torqueri felicitate aliena, vt propterea non dubites orbem Christianum prodere Christiani nominis atrocissimis inimicis. Verùm hoc nos in medio relinquimus. Itaque Aegypti præfectus Solimannus Eunuchus (sic enim vocabatur) adiuncto sibi Moro Alexandrino, sinûs Arabici angustias egressus, præteruectusque Persici maris sinum, ad Indum vsque fluuium peruenit.

Duæ in Indiam nauigationes. Vt verò Lector rem meliùs perspectam habeat, nouerit duas ex Europa in Indiam fieri nauigationes. Vnam ab Hispania vel Lusitania per littora Aphricæ & Aethiopiæ in Arabiam vsque ad vrbem Aden, indè porrò ad Ormutium nobilissimum emporium, ab Ormutio verò ad Cambaiam ciuitatem, atque indè Calecutium, à Calecutio verò longè vlteriùs vsque ad auream Chersonesum, quam Malacham accolæ vocitant, quæ vrbs est miræ magnitudinis, regem habens Maurum. (Nam eousquè, proh dolor, impia Mahometis secta

Aurea peruaserat) Eam autem Lusitani vi expugnatam occupâ-

cupârunt ac diripuerunt, deniquè flammis permiserunt. 1537
Multa ibì præda cessit Lusitanis, & præter homines captiuos septemque elephantos, æneorum omnis generis tormentorum ad duo millia. Porrò Lusitaniæ rex munitissimam ibì construxit arcem, apud quam diuersarum nationum mercatores multis opibus atque diuersis aromatibus & odoribus eam vrbem complentes, sibi ædes cum bona venia præfecti Lusitani comparârunt, ità vt iam longè insignius quàm anteà ibì sit instauratum emporium. Turcæ igitur vbì ad Indum amnem peruenerunt, Dium vrbem munitissimam, apud quam Lusitani insignem habebant arcem, sibi totis viribus oppugnandam sumpserunt. Verùm Lusitanorum ea fuit industria, ea indomitæ virtutis constantia, vt turpiter profligati Turcæ, incepto desistere, & relictis maioribus tormentis, ad Aden retrocedere compulsi sint, quod est felicis Arabiæ celeberrimum emporium. Vbi classis præfectus Solimannus Eunuchus acerbè ferens tam improsperos audacissimorum conatuum successus, fide data, ad classem euocat Adenium regem, qui tributarius erat regis Lusitani. Credidit ille miser fraudulentò homini, & cum quatuor regni proceribus venit in nauim, gratificaturus potentissimo Turcarum Imperatori Solimanno Ottomanno. Porrò Eunuchus perfidus iubet eum & reliquos proceres in antenna prætoriæ nauis laqueo suspendi. Indè vrbem capit, militibus prædæ datam. Interfecit etiàm Zibitinum regem, (licèt is præclaris muneribus impotentis hostis gratiam ambiret) vnà etiàm omnibus aulæ eius præsidijs trucidatis contra fidem datam. Indè abijt Mecham terrestri itinere, vbì impijssimi Mahometis sepulcrum inuisitur magno studio perditorum hominum, quos ille insanus sua superstitione dementauit. Vrbs Mecha totius Arabiæ clarissima est ob Mahometis cineres ibì conditos : quanquàm ex recentioribus non desint, qui scribant corpus eius apud Medinam vrbem asseruari. Piget referre, quantum operæ & olei perdant miseri mortales in Medinæ vrbis amplissimo delubro, dum illum sceleratum nebulonem longè supra Christum colunt, quem aiunt ad pedes Mahometis sedere. Hoc autem obseruandum venit, Turcas Mahometanos, cùm in templo Christianorum sacrificare volunt suo more, priùs templum expiare, dirutis aris omnibus, cunctisque imaginibus exturbatis:

Chersonesus direpta.

Dium oppugnant Turcæ.

Vrbs Mecha.

Turcæ expiant templa.

1537 quem morem sequuntur hodiè Zuingliani & Caluiniani & plerique alij hæretici, vt noueris eos non è Christi, sed Mahometis disciplina eum hausisse, sicut & pleraque alia. Porrò aras & imagines sacras è templis abolere, quid est (obsecro) aliud, quàm ex rudis & simplicis plebeculæ animis omnem Christi Domini ac ingentium beneficiorum maximeq́ue acerbissimæ passionis eius memoriam, omne quoquè veræ virtutis & pietatis studium euellere? an non hoc planè Turcicum & Tartaricum est? O quàm miserè deluditur plebs Christiana ab istis Mahometanis euangelicis, idq́; sub ingentis pietatis prætextu. Sed ad rem. Eo igitur successu pugnatum est à Turcis contra Lusitanos, quod quidem Christi Opt. Max. bonitati acceptum ferendum est, qui noluit impuros Mahometanos Lusitaniæ regis sanctissimos conatus retardare, quibus ad ipsius cognitionem iam tum vocabantur & traducebantur innumeræ ijs in locis gentes, quæ ad id tempus stultissimis & absurdissimis erroribus implicitæ, longè aberant ab omni vera salute. Nanque Calecutani & quidam alij ipsum cacodæmonem incredibili vecordia adorabant & colebant, multosq́ue illi mortales immolabant.

Dæmon adoratur.

Porrò huius anni autumno infelicitèr à Ferdinandi exercitu ad Exechium pugnatum est. Multùm aucta est Turcarum potentia, dum Germania nullis vnquàm Romanorum Cæsarum armis domita, & cunctis sempèr nationibus formidolosa, ab auita Maiorum pietate & religione discessit, & in portentosas, easq́ue valdè inter se diuersas & pugnantes, hæreses se abduci passa est. Nam anteà verissimè dici de ea potuit:

Turcarũ vires vnde auctæ.

Legibus antiquis stat res Germana virisque.

Et nisi pijssimos principes atque monarchas, Carolum & Ferdinandum Imperatores habuissemus, quorum pietate potiùs quàm viribus, licèt eæ quoquè minimè contemnendæ fuerint, sæpè fracti sunt immanes Turcarum impetus & conatus, profectò iampridèm actum esset de Germania: tametsi id nolunt agnoscere homines ingrati, qui grauissima pereuntis patriæ suæ pericula aut non vident, aut effusè etiàm irrident, scilicet nondùm experti graue iugum Turcicæ captiuitatis, sub quo iam tot amplissimæ Christianorum ditiones miserabilitèr suspirāt, nec minùs tamen, velint nolint, illud perferre cogũtur magno suo malo, quod vtinàm vel serò nos sapere doceret. Sed hoc quoquè est diuinæ animad-

maduerſionis genus quoddam vel maximè formidan- 1537
dum, cùm ſic excæcantur hominum pectora, vt in præ-
ſentiſſimo poſiti diſcrimine, illud tamen vel non vide-
ant, vel paruipendendum putent. Verùm ad Exechia-
num bellum veniamus.

Exechium occupârat Turcicus exercitus duce Ma-
homete Iahiagogle, idque egregiè communitum, toti-
us belli contra Ferdinandum regem arcem fecerat, vn-
dè multa & ingentia Chriſtianis damna dabat, plerun-
què ex inſidijs magno terrore noſtris arma inferens: li-
cèt interim certa maneret induciarum conditio, quæ
minuta prælia ijs in locis & extraordinarias incurſio-
nes, quæ vix vnquàm ſatis proſpici queant, admittere
videretur. Non enim pax intercepta cenſebatur, niſi iu-
ſto exercitu adhibitis tormentis muralibus vis inferre-
tur. Verùm eiuſmodi induciarum, quæ planè ſimula- *Exercitus*
toriæ eſſent, pertæſus Ferdinandus rex, ſtatuit bellum *Ferdinan-*
facere Turcis. Itaque equitum octo millia, peditum ſex- *di.*
decim millia coëgit, magna tormentorum omnis gene-
ris vi illis adiuncta. Erat is exercitus vſu belli & animis
haud vulgaris, ſi cuncta rectè adminiſtrata fuiſſent. Ma-
hometes Turca, vbì ſenſit in ſe arma parari, non defuit
ſibi, ſed ipſe quoquè magnas conſcripſit copias, noſtris
neque numero neque virtute contemnendas. Habent
enim Turcæ paratas ſempèr, equitum præſertim, ingen-
tes copias, nec deſunt Turcarum Imperatori expediti
ſumptus ex immenſis tributis ac vectigalibus, quibus
eos perpetìm liberalitèr alat in exitium Chriſtianorum.
Noſtri indè Exechium obſident, & facta non ſemèl Tur- *Exechium*
cis qui intùs erant, prælij ineundi copia, Turcæ Maho- *obſidetur.*
metis imperio nihil ſe commouere ſinuntur. Iam enim
fames cœpit totum debilitare Chriſtianorum exerci-
tum, quod Mahometem minimè latebat. Erant quo-
què ducum non eadem rei gerendæ conſilia, alijs aliud
ſuadentibus. Interìm tempus terebatur, nulla re præcla-
rè geſta, motis ſubindè caſtris, nec paruis acceptis in-
commodis, dum Turcæ in omnem nocendi occaſionem
diligentèr ſunt intenti. Porrò vbì Mahometes noſtros
ad iter capeſſendum inſtructos vidit, expeditos Ianiza-
ros & Martelloſios eos iuſſit anteuertere, nec tamen vſ-
quàm pugnandi copiam præbere, ſed falconum globulis
atque ſagittis continentèr noſtros appetere: quæ res plu-
rimùm noſtris nocuit, præſertìm mira velocitate Tur-
cis noſtros egregiè fallentibus, ità vt à noſtris facta im-

1537 pressione repentè dilaberentur: sed mox è fuga se recipientes, nostros paucos longiùs progressos, multi circunsisterent & trucidarent. Eo modo perijt Petrus Raschinius Boëmorum Mareschalchus cum Boëmis non paucis. Perijt etiàm paulò pòst Paulus Bachitius insignis dux Hungarus, cum plerisque alijs fortibus viris Hungaris: dumque nostri inter se consultant, quid potissimùm attentandum sit, nec tamen idem omnes sentiunt, Mahometes omnia illorum incommoda per exploratores facilè cognouit, nec iam de victoria dubitans, itinera omnia velut lunato flexu circũdedit, vt nusquàm ferè nostris effugiendi aditus pateret. Fugerunt autem Vsarones Hungari, & clari aliquot duces, itemque Stiriani omnes. Post hos fugit etiàm ipse supremus belli dux, & quidem inermis, deserto prætorio, quod erat argentea supellectile cæterisque ornamentis opulentum. Remansit Ludouicus Londronius dux peditum, vehementèr quidem dolens, se à magna equitum parte turpitèr destitutum, sed nihilo minùs pedites ad fortitèr conandum præclarè adhortans. Ad eum verò confluxêre equites Carinthij, Saxones, Misnenses, Thuringi, Francones, Austriaci & Boëmi, qui ignominiosæ fugæ comites esse noluerant, obsecrantes vt imperij munus susciperet, ipsos quæ iuberet, incunctantèr facere paratos, & pro religione atque pro optimo rege, donèc vires suppeterent, constantissimè cum impuris hostibus dimicaturos. Londronius quidem se Imperatoris nomine indignum professus, tamen quoàd licuit, strenui Imperatoris munus impleuit. Porrò cùm iam iter arriperent, aduolant sæuissimi Turcæ truci vlulatu edito, nostrosque vndiquè circundant, ità vt multa simul prælia ab equitatu fierent. Multi ibì egregij viri ex nostris ceciderunt, hostium multitudine superati. Deniquè, quod miserandum est, ad vnum ferè omnes tum equites tum pedites, qui ante prælium illud non aufugerant, ab immanissimis barbaris trucidati sunt. Londronius cum tribus cohortibus in paludem quandam vi equitum irruentium adactus, hortatu Turcarum, qui iam cædendo fessi erant, sese tandèm post fortissimè nauatam operam dedidit: verùm in itinere ex vulnere saucius, quòd minimè videretur Byzantium viuus adduci posse, à custodibus est interfectus, & caput eius Solimanno transmissum. Barbari cæsis nostris, auidissimè prædæ inhiabant, eosque qui se effugere ex prælio posse

Christiani fugiunt.

Cæduntur Christiani.

posse sperauerant, multa velocitate insectantes, non paucos ex ijs interceperunt, in duram redigendos seruitutem. Mahometes verò direptis castris nostris, se iocunditati dedit, in pratulo quodam priùs à cadaueribus repurgato epulatus hilaritèr. Eò autem ad se adduci iussis captiuis nobilibus, splendidis spolijs, maximè verò vexillis, suos præfectos, qui eo in prælio se strenuè gessissent, verbis egregiè commendauit, & militibus donatiui nomine aureos & argenteos nummos sua manu elargitus est: porrò captiuorum insignium nomina & dignitates annotari iussit. Solimanno posteà in argentea pelui oblata sunt tria præcipuorum ducum capita cum vexillis, inauratis thoracibus, galeis, &c. Hæc verò fuit Christianis longè turpissima strages, quam plerique conferunt in ducis culpam & temeritatem. Certè Christianos admonere potuit, vt tandèm positis animorum dissensionibus, religionis diffidijs compositis, vitijs quoquè & flagitijs, quibus supernum Numen offenditur, & barbarorum vires crescunt, egregiè castigatis, Deum sibi & orbi Christiano propicium efficere maturarent. Certum est enim, nulla re magis aduersùm nos augeri vires & potentiam immanium Turcarum, quàm vita flagitiosa, bellis intestinis, & deprauata religione. Certè insignis hæc victoria illis impuris & execrandis Mahometanis nullo ferè sanguine constitit, cùm ex nostris flos equitum & peditum ferè ad internecionem deletus sit. Qui autem viui in hostium potestatem venerunt, ijs plerisque in summam ignominiam nares à barbaris truncatæ sunt, & dura seruitus imposita. Fuit ea clades Ferdinando regi hauddubiè longè acerbissima: sed pius princeps, quod aliena temeritate contractum erat, infectum reddere non potuit. Ipsum tamen ducem primarium eius belli, aliquandiu honesta sub custodia detinuit. Porrò ille veritus, nè capite damnaretur, (nam multi eum proditi exercitûs nomine deferebant) è custodia elapsus, ad Turcas profugit. Porrò vt cum aliquo insigni munere ad Mahometem Turcarum præfectum veniret, alium quendam regulum, vt secum aufugeret, solicitauit. Ille se facturum promittens, aut se promittere simulans, eum hospitio receptum post epulas obtruncauit, caputque illius regi Ferdinando misit, qui illi castellum omnemque substantiam cæsi ducis dono dedit. Ea fuit perfidiæ pœna. Iam multa illi liberalitèr promiserat Mahometes,

1537

Victoria Turcarũ incruenta.

Transfuga vilis necatur.

1537 eius opera vsurus contra Ferdinandum regem: sed Deus perfidiæ consilia tam inexpectata cæde anteuertit.

Classis Turcica.

Hoc ipso anno Solimannus Turcarum Imperator Italiam inuadere constituerat. Habebat classem ornatissimam, & multo milite instructam. Ea in re tanta fuit vsus celeritate, vt ducenta armatorum millia priùs ad Macedoniæ oram adduxerit, quàm è Byzantio profectus crederetur. Nec deerant illi transfugæ Christiani, qui ei Christianorum consilia explicarent. Ante annos quinquaginta auus eius Mahometes, occupata Hydrunte, summum Italiæ terrorem attulerat, iamque de Italia actum fuisset, nisì illum sanguinarium tyrannum subita mors, Deo Christianis maturè opem ferente, è medio abstulisset. Cùm iam Solimannus in Italiæ conspectum venisset, misit è suis, qui Salentinorum animos explorarent. Illi Castrum oppidum deditione acceperunt, quod tamen contra fidem datam, ducibus quidem inuitis, à barbaro milite direptum est, & captiui florenti ætate in classem abducti sunt. Interìm noctù aliquot Turcæ equites hippagogis subuecti, ab Aulone in Salentinum agrum traiecerunt, & magnum omnis generis hominum & armentorum numerum interceperunt. Maior verò Christianis clades imminebat, nisì eam cuiusdam Veneti Trierarchi temeritas, Deo Christianis parcente, auertisset. Is enim paulò antè passus damnum à Turcis, in triremes quasdam Turcicas incidit, suoque indulgens dolori, aliquot ex eis demersit. Ea res Solimannum in Venetos non mediocritèr concitauit, licèt insciente senatu accidisset. Eodem quoquè tempore Andreas Auria Cæsareanæ classis præfectus, casu in classiculam quandam incidit, omnis generis commeatum & linum Alexandrinum Solimanno aduehentem, quam mox totam cepit, viris ad transtra triremium damnatis, & præda omni in suas triremes illata: porrò nauibus incensis, quòd sibi fortasse minimè vsui futuras iudicaret. Incendit etiàm duas Turcicas triremes, quibus Solimanni legatus Iunusbeius ad Venetæ classis præfectum, qui tum in Corcyra insula morabatur, aduectus fuerat. Sed is quoquè malè acceptus à Venetis, & in grande discrimen coniectus, ità vt à latronibus Acroceràuneis, qui èum in littus euadentem ceperant, præsenti pecunia se redimere cogeretur, vbi ad Solimannum rediit, acerbissimè de Venetis conquestus, Solimãnum in bellum Venetum inflammauit, licèt

Castrum direptum.

Capti Christiani.

Classicula Turcica capta.

Vene-

Venetus præfectus id factum multa ratione excusaret. 1537
Huc accedebat, quòd Auria noctù ac diù sulcando maria, atque omnes portus explorando, alias duodecim Turcarum triremes cruentissimo prælio captas deleuerat ijsdem ferè diebus, non paucis è suis propugnatoribus atque remigibus & magistris triremiũ desideratis. Nam duodecim Turcicæ triremes cum trigintaquinque instructissimis Aurianis triremibus audacissimè congredi non dubitârunt, & cùm iam milites Turcæ grauissimis saucij essent vulneribus, defessique, pugnando tamen occumbere, quàm se dedere, maluerunt. Porrò enses incuruos, quos magno parant precio, in mare iactârunt, nè Christiani illis potirentur. Ij erant Ianizari milites prętoriani, & delecti equites, quos Spaches appellãt: quorum vtorunque est summa & incredibilis in hostes audacia & pugnandi pertinacia: quod plerique Christiani ignorantes, putant Turcas imbelle esse hominum genus: sed falluntur, cùm sint reuerà apud illos inuictæ virtutis & summæ constantiæ pedites & equites. Nec mediocritèr ad perferenda & subeunda quæuis vitæ discrimina illos accendit, quòd sciunt certam sibi imminere perniciem, si per ignauiam minùs fortitèr & strenuè egisse depræhendantur. Misit tum contra Auriam Solimannus Barbarussam cum octoginta triremibus: sed Auria abductis Turcarum aliquot integris nauibus, fuga sibi consuluit: Porrò Solimannum ea ab Auria accepta clades, & à Venetis geminata contumelia, acerrimis iracundiæ stimulis pupugit, quos mirificè acuebant aliquot Turcici proceres, quorum hortatu commutato belli consilio, quòd Italia non tam facilis expugnatu videretur, Venetis bellum fecit.

Duodecim triremes captæ.

Per id tempus Acroceraunij latrocinijs assueti, feri & agrestes homines, nullos certos deos colentes, incredibili temeritate consilium ceperunt Solimanni noctù interficiendi: sed ea res à vigilibus prætorianis facilè depræhensa, magnam illis cladem attulit, Solimanni iussu immissis in illos militibus, qui eos ad satietatem vsque trucidârunt. Indè ad Corcyram itum est. Eam oppugnare constituit, tanquàm Venetæ ditionis. Itaque immissi Turcæ in insulam, Corcyram vrbem frustrà obsederunt, tandemque post multas clades passim Corcyræ insulæ illatas, innumeros homines Christiana religione initiatos, in teterrimam seruitutem abduxerunt, quorum numerus, quod est cumprimis triste & acerbum,

Facinus audacissimum.

Corcyra vexatur.

1537 sexdecim millium excessit, omnis sexûs & ætatis. Præerant tum Corcyrę duo Veneti patritij, qui (quòd sic salus publica poscere videretur) suburbia oppidi pulcherrimis & egregijs ædificijs ornata demoliti sunt, nè à Turcis occuparentur in vrbis exitium. Hoc erat quidem triste spectaculum: sed tolerabile tamen, quòd tecta diruta facilè instaurari possent: illud verò longè tristissimum, quòd cùm vererentur non suffecturam vrbi annonam, si à Turcis obsidione premeretur, imbellem omnem populi multitudinem ex oppido eiecerunt, quæ cùm in fossis pernoctare cogeretur, vi turbulentissimæ tempestatis & metu barbarorum multi ex ijs, præsertim pueri matrum ceruicibus inhærentes, miserandum in modum extincti sunt. Verùm Solimannus & Italici & Corcyręi belli parùm felici euentu potitus, non absque pudore Byzantium, nulla re præclarè gesta, redijt: sed interim tamen diuersis in locis iussit suos bellum inferre Venetis. Porrò priùs quàm obsidionem solueret, vbi didicit Castri oppidi incolas contra fidem datam abductos esse in captiuitatem, vsqueadeò eam rem molestè tulit, quippe qui nollet crudelitatis & sæuitiæ argui, vt eius maleficij authores iusserit supplicio affici, & Castrenses captiuos omnes magno studio conquisitos, in locum suum restitui. Tandèm sub æquinoctium autumnale Corcyra ab hac Turcarum infestatione liberata est.

Geldrenses deficiunt à suo duce. Sub huius anni finem pleraque omnia Geldrię oppida à suo principe Carolo Egmondano deficiunt ad Guilhelmum Cliuiæ & Iulię ducem. Defectionis occasio fuit, quòd Carolus dux videbatur eam munitissimam ditionem in ius regis Gallorum, cuius fuit studiosus admodùm, transferre constituisse, quod Geldrenses minimè sibi ferendum putârunt, nè Germani Gallis seruire compellerentur. Nouiomagenses in ea defectione primi fuêre, qui etiam principis arcem intra vrbem ipsorum sitam, munitionibus eius nouis solo æquatis, occupare non dubitârunt. Porrò Principi Iuliacensi eius ditionis fuit inauspicata vsurpatio, vtì posteà dicemus.

Tumultus Anglicus. Eodem anno tumultuatū est in Anglia, multis hominum millibus arma in regem suum corripientibus. Ij erant Lincolnienses & Eboracenses, qui molestè ferebant innouatum regni & religionis statum, tum quoquè frequentes exactiones regias. Fuerunt ad quinquaginta millia, sacram expeditionem militiam suam appellantes. Verùm callida ducum regis simulatione persuasi, cùm

si, cùm pacem à rege oblatam atque concordiam expecta- 1538
rent, arma deponunt. Sed non diù pòst pœnas luerunt, aliquot eius turbæ capitibus vltimo supplicio affectis.

Diuersis vicibus Paulus Pontifex aliquot insignes viros in Cardinalium collegium cooptauit. In ijs fuit Caspar Contarenus patritius & senator Venetus, Reginaldus Polus, Iohannes Bellaius, Fredericus Fregosus, quibus etiàm opportunè adiunxit Sadoletum, Aleandrum, Bembum &c. Hoc factum cùm Sleidanus improbare non possit, animum & consilium Pontificis pro sua modestia sibi carpendum sumit, cùm tamen bonorum virorum sit, etiàm dubia in meliorem partem interpretari. Scilicèt Sleidanus videre potuit arcana Pontificis consilia, quæ is suo in pectore versaret. O quàm longè abest ab omni animi candore eiusmodi sæuum hominum genus, tametsi valdè velint Euangelici videri. Ait Pontificem idoneos sibi propugnatores parare voluisse: videlicèt Romana sedes peritura est, nisi paucorum hominum scriptis & eloquentia à Lutero & eius infausta sobole vindicetur. Immò verò illa sedes, quæ trecentis & amplius annis à tot ethnicis, ijsdemque longè potentissimis, Romanorum Imperatoribus, Christiani nominis atrocissimis persecutoribus, qui ad Magnum vsque Constantinum totius ferè orbis imperio potiti, immanissimis in Christianos constitutis supplicijs, Christi fidem penitùs extirpare & abolere voluerunt, à tot prætereà tyrannis & hæreticis euerti hactenùs non potuit, Christo Domino suam Ecclesiam aduersùs omnes inferorum portas fortissimè propugnante, etiàm deincèps ad supremum vsque mũdi diem incolumis perdurabit, quantunlibèt in eam debacchentur horum temporum infausti dogmatistæ, à malo demone in multorum perniciem incitati, vt amplissimas futuro Antichristo vias muniant, & interim innumeras animas secum trahant in tartara, nulli omninò deteriùs nocituri, quàm sibiipsis & miseris illis, quos sub Euangelij & verbi Dei prætextu in varios inducunt errores.

Romanæ sedes inconcußa.

Matt.16.

ANNO 1538. Carolus Cæsar & Franciscus rex in mutuos venère complexus. Multùm pro suo munere egerat Paulus Pontifex, vt apud Niceam conuenirent, sed efficere non potuit, vt ipso præsente in colloquium veniret. Id tamen impetrauit, vt in nouem vel decem annos inducias inter se pacifceꝛentur. Per id tẽpus

Induciæ inter Cæsarem & Gallos.

1538 Cæsar Pontificis nepoti Octauio despondit filiam suam notham Margaritam, quam priùs habuit in matrimonio Florentiæ princeps Alexander. Quanuis autem Cæsar & Franciscus rex, licèt plurimùm annitente Pontifice, id temporis familiariter congressi non fuerint, Cæsar tamen per internuncios indicauit Francisco, se priùs quàm in Hispaniam nauigaret, in eius complexum venturum, & tum Cæsar ipse, tum Franciscus rex ambo more Christiano Pontificem venerati sunt, ità vt vnà cum rege multi quoquè eius proceres dextrum Pontificis pedem oscularentur, idem tamen facere recusantibus Christophoro duce Vuirtenbergico, Guilhelmo Furstenbergio, Marescallo Marchiano, & Daniæ regis legato Georgio Gluchio, qui erant cum rege, quos vtiquè, nè id facerent, Luteri & eius similium scripta vehementèr deterruerant. Verùm si ipse præpotentis Dei filius ad pauperum piscatorum pedes se amantissimè demisit, eosque beneuolentissima sedulitate & lauit & extersit: quid, obsecro, piaculi est, si homines Pontificis non quidem nudos, sed tectos pedes supremis labris Christianę cuiusdam declarandæ modestiæ causa deosculentur? O quantum interest inter spiritum Christi, & spiritum huius mundi. An non Christus ipse dicit omnibus, Discite à me, quia mitis sum & humilis corde? O quàm facilè perspiciunt cordati omnes, quo spiritu imbutus fuerit Luterus, qui tantoperè à Christi humilitate abhorret, suosque abhorrere facit. Et hæc certissimè vnica causa est, quòd inter sectatores eius tot existunt dissensiones & dissidia, quòd prorsùs alieni sunt ab humilitate & mansuetudine Christi: vndè fit vt alij aliis cedere nolint, sed sua pro se quisque dogmata, quantunuis absurda, mordicùs tueãtur, nihil interìm morati, quòd tot millia imperitæ plebis horrendum in modum pereunt ac ruunt in tartara.

Iohan. 13. *Matth. 11.* *Causa dissidiorum inter sectarios.*

Porrò dum de paciscendis inducijs apud Niceam tractaretur, Cæsarque ad Villafrancham subsisteret, accidit vt in quadam villa villicus quidam in area fabarũ aceruum cribraret & ventilaret, idque non vno, sed multis per interualla locis. Indè verò densæ nubes instàr fumi in altum eleuabantur. Quæ res vehemẽtèr perterruit Cęsareanos omnes, quòd putarent Barbarussæ classem superuenire ad perdẽdum Pontificem & Cæsarem. Verùm cunctis mirè trepidantibus, Cæsar stetit imperterritus, tametsi & Andreas Auria & Daualus Vastius ad arma se

para-

pararent, & omnes non mediocritèr animis perterriti 1538.
viderentur. At paulò pòst vbì cognitum est, eam trepidationem temerè susceptam fuisse, in risum & cachinnos versa est, non obscuro pudore perfusis principibus, qui tam inanitèr timuissent, maximè cùm viderent Cæsarem prorsùs impauidum. Indè solutus est ille apud Niceam conuentus, & Franciscus rex in suum regnum abijt. Pontifex primùm Genuam, deindè Romam peruenit, vbiquè ob studium inter illos summos principes pacis conciliandæ summo cum honore pompa triumphali acceptus. Cæsar verò, vt erat pollicitus, ad Aquas Mortuas profectus est. Eò quoquè accessit rex Frãciscus, & in duas scaphas se demittens cum Henrico Delphino & Carolo Aureliano Duce, multisque proceribus, à Cæsare ad latus quadriremis suæ obuiàm accurrente, cum omnibus suis & liberis & proceribus summo animi candore in arctissimos amplexus susceptus est. Andreas quoquè Auria, qui ante decem annos à rege Francisco defecerat, impetrante Cæsare, in gratiam à rege receptus est. Posteà Cæsar cum rege diù secreta miscuit colloquia, ità vt omnes in certam spem componendæ inter ipsos pacis venirent. Deindè regem à se humanissimè dimissum, ad scalas quadriremis suæ deduxit. Altera luce per omnes triremes denunciat, nè quis ipsius iniussu in terram exeat: ipse verò cum aliquot aurei velleris illustribus viris ingressus est vrbem Gallicam, cum rege pransurus. Apparet indè candidum pectus optimi Imperatoris, qui ne de hoste quidem malè suspicaretur. Vbi verò in continentem perlatus est, rex & regina cum duobus liberis illum humanissimè complectuntur, & in palatium regis abducunt. Iam appetente crepusculo Cæsar Andream Auriam, qui ad classem remanserat, certiorem reddit, se apud regem pernoctaturum. Id enim rex & regina ipsius soror ab illo impetrârant, licèt non sinè magno discrimine id fieri videretur. Sed præpotens Deus, cui Cæsar egregiè confidebat, non est passus quicquam illi sinistrum accidere. Voluit autem Cæsar eius rei Auriam certiorem facere, nè quid ille aduersi suspicaretur. Altera luce Cæsar redit ad mare, comitante illum rege & multa procerum frequentia. Indè postquàm in puppi Cæsareanæ quadriremis rursùs hilaritèr compotatum fuit, amicissimè discessum est. Franciscus rex per id tempus certam cum Cæsare contraxit amicitiam, ità vt sub Cæsaris vexillo, & in tentorio Cæsaris Caroli cum maximis terra marique

Cæsar & Frãciscus rex conueniunt.

Cæsar cũ rege prandet.

Apud regẽ pernoctiat

1538 rique coactis copijs se Turcis bellum illaturum pollicetur. Cuius quidem amicitiæ fidutia Carolus Cæsar multa in itinere, quo Hispanias repetebat, cum Andrea Auria de bello Asiatico, Græco & Africano suscipiendo locutus est, & de pace cum rege conciliata, reges & principes Christianos omnes certiores reddidit. Sed rex Franciscus Mediolanēsem ditionem sibi omninò adiudicandam sperauerat: ea spe frustratus, posteà in nouas belli cogitationes pertractus est, magno totius Reipublicæ Christianæ detrimento: quanquam etiàm aliæ rationes ad bella instauranda illum fortaßè mouerunt.

Erardus episcopus moritur.

Circa hæc ferè tempora mortuus est Erardus Cardinalis & Episcopus Leodiensis, qui multos Luteranæ sectæ addictos malè acceperat, quod Sleidanum malè habet: ideoque scribit, illum sibi sepulcrum & exequias anniuersarias longè ante obitum fieri curauisse, non tam pietatis quàm ostentationis causa, quòd esset gloriæ cupidissimus. Ità Sleidanus magna fidutia profert sententiam etiàm in arcana pectorum consilia, quæ solus Deus nouit. Sed hoc licet Euangelium Luteri complectentibus, verùm Christi sectatoribus non licet. Quid enim sibi non permittunt Luterani dogmatistæ? Qualisqualis certè fuerit vita illius Cardinalis, scire tamen non potuit Sleidanus, qua mente ille voluerit etiàm ante obitum exequias anniuersarias sibi fieri. Ait ibidèm, Pontificios sacrificorum operibus attribuere merita, quibus æternæ vitæ præmium debeatur. Ità quidem Sleidanus, vt vbiquè Catholicos suo more traducat. Certè Missę sacrificium & viuis & vita functis prodesse, tam est certum ex sanctissimorum Patrum irrefutabilibus testimonijs, vt meritò pudere debeat omnes, qui id negare audent.

Bona opera vndè meritoria.

Philip. 2.

Bona verò opera, quę faciunt Christiani, non est dubium fieri gratia Christi, non tamen absque liberi arbitrij quadam cooperatione. Deus enim operatur in nobis & velle & perficere, vt ait Apostolus. Indè ergò est meritum bonorum operum, quòd fiant ex gratia Dei. Tolle gratiam ab operibus humanis, & parùm aut nihil grata erunt Deo, sicut videmus in Turcis, Iudæis & Ethnicis, qui nullis suis operibus possunt placere Deo, cùm sinè fide impossibile sit placere illi. Porrò verò si Deus per nos, nō tamen sinè nobis, efficit bona operan ostra, num ille indignus censendus est, cuius operibus debeatur vita æterna, maximè cùm ipse innumeris scripturæ locis pollicitus sit vitam æternam rectè agentibus? Sed aiunt

Heb. 11.

Lute-

Luterani nos ità fidere operibus nostris, tanquàm illis 1538
solis absque Christi gratia debeatur vita æterna. Verùm Luterano-
hoc illi contra suam conscientiam mentiuntur. Nos rum ca-
enim etiàm cùm bonorum operum sumus studiosissimi, lumnia.
non tamen illis, quæ nos facimus, certò vitam æternam
deberi affirmare audemus, cùm scriptura dicat: Nescit Eccles 9.
homo vtrùm amore an odio dignus sit. Itaque cùm multa videamus etiàm ab improbis hominibus fieri, quæ speciem probitatis, pietatis & charitatis præ se ferant, pij omnes suis operibus non sunt ausi præfidere, maximè quòd non sint planè certi, an ex gratia & charitate, sinè qua nihil potest gratum esse Deo, profecta sint, vel potiùs ex quodam naturæ instinctu, aut alijs id genus incitamentis, quæ certum est vitam sempiternam mereri non posse, Hinc est illa Apostoli insignis & suspicienda prædicatio: Si linguis hominum loquar & angelo- 1. Cor. 13.
rum, si omnem fidem habeam, ità vt montes transferam, & pleraque alia, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest. Ergò nec fides prodest absque charitate. Et tamen Euangelici isti incredibili quadam confidentia Temeri-
& temeritate aiunt, si quis firmitèr apud se statuat per tas hære-
Christum sibi remitti peccata, illum, si sic moriatur, è ticorum.
vestigio euolare in cælum. Verùm hæc est omninò compendiaria via in mortem sempiternam. Scripturæ diuinæ omnes eiusmodi temeritatem & insanam confidentiam longè à nobis abesse volunt, propterea quòd longè alia sunt iudicia Dei, quàm hominum: nec tamen hac ratione impellimur ad desperationem, sed inuitamur ad cautelam & circunspectionem, nè inter tot vitæ huius pericula vsquàm nimiùm securi simus. Tanto autem certè securiores erimus, quanto bonorum operum syncera animi intentione studiosiores fuerimus: non quòd nostris operibus præfidere debeamus, sed quòd vita piè & religiosè transacta, magnam præstet homini fiduciam, vt multis scripturæ locis doceri potest, sed non est huius loci. Ità nanque & Apostolorum princeps horta- 2. Pet. 3.
tur nos, vt per bona opera certam faciamus vocationem nostram. Sed hæc tam sunt manifesta, vt mirum sit vsqueadeò perfricuisse frontem istos Euangelicos, quicquam vt contradicere ausint. Atque eorum impudentia facit, vt propter minùs peritos interdùm his & id genus alijs explicandis diutiùs immorandum sit, quàm alioquì huius scripti institutum admittat: præsertim verò, quandò Sleidanus in illis suis pestilentissimis Commen-

1538 mentarijs sparsìm sua diffundit venena, totusque ferè versatur in Luteri & sectatorum eius placitis fucandis, & lectori incauto exitiabilitèr instillandis. Atque hoc ferè loco ille bonus vir prolixè recitat formam reformationis cuiusdam, quam aliquot Cardinales Pontifici clàm obtulerint. Deindè addit, Nicolaum archiepiscopum Capuanum, omnis emendationis impatientem, à Pontifice submissum, (vt certò creditur, inquit) magna contentione reclamâsse, nè quid omninò reformaretur: itaque passos esse patres atque Pontificem sibi persuaderi, nè quid mutaretur. Rursùs addit eundem ipsum Nicolaum emisso clanculùm in Germaniam libello, voluisse Pontificem atque reformatores illos præbere deridendos: ità enim ait plerosque id accipere: alios putare dicit, non nescio Pontifice exijsse libellum, vt sic aliquod ipsius studium apparéret emendationis. Quis hìc non videat hominis istius malignum in Pontifice traducendo animum? Ait certò credi, ait plerosque ità accipere, ait alios putare. Qui tandèm illi sunt, nisì Sleidanus & eius similes, Pontificis & Ecclesiæ Catholicæ obtrectatores? qui si Pontificem vlla in re lædere possint, videntur sibi facinus designâsse euangelicum. Fuit autem reformatio quædam oblata Pontifici, sed illam ipsam tum Luterus Germanicè, tum Ioannes Sturmius sua illa præclara conuiciandi licentia atrocitèr oppugnârunt. Et tamen non pudet Sleidanum impudentèr affingere Pontifici, quòd ipso instigante Archiepiscopus Capuanus reclamârit, nè quid omninò reformaretur. Nam etsi fortassis commodè non poterant statìm reformari omnia, quæ emendatione digna viderentur: tamen nihil omninò voluisse reformari Pontificem, impudentissimam habet vanitatem. Itaque his & id genus alijs calumnijs hoc consecutus est ille Sleidanus, vt nulla in re tutò illi fides adhiberi possit, nisì aliundè constet vera eum scribere. Et Luterus certè hanc reformationem vertit Germanicè, & à margine sua adscripsit scholia, non alio magis quàm tali viro digna: ipsos autem reformationis authores, quorum, etiàm Sturmio fatente, erat multa eruditio & vitæ integritas, non est veritus appellare perditos ac deploratos nebulones. Sed quid ille talis vir aliud faceret, cuius os maledictione plenum erat, & amaritudine, & dolo? Nec Sturmius à conuicijs & contumelijs abstinuit, id quod in eo repræhendit doctissimus Cardinalis Iacobus Sadoletus.

Sleidani in Pontificem calumnia.

Per

Per hoc ferè tempus Luterus cum suo grege varijs 1538

Luterani oppugnãt Concilium.

machinationibus & scriptis, Concilij à Paulo Pontifice indicti authoritatem conuellere nitebantur, vt rudem plebeculam arctiùs suis fraudibus implicatam tenerent. Scribebantur tum ab illis noui Pasquilli, nouæ Beelzebul epistolæ, fabulosæ Legendæ de Iohanne Chrysostomo, quas Concilio impudenti vanitate affingebant: præterea quatuor Epistolæ Iohannis Hussi, & libellus de Donatione Constantini Magni. Ità illi apud suos facilè efficiebant, vt qua vna re grauissimis religionis dissidijs vel præsentissima semper remedia adferri consueuissent, ea in contemptum & risum adduceretur, & miserè euersis, & in diuersas easque fœdè dissectas factiones distractis nihil prorsùs opitularetur. Traxerunt etiàm in suas partes Saxoniæ Ducem Henricum, fratrem optimi & constantissimi in Catholica religione Principis Georgij, quem Luterus tam multis iniurijs & calumnijs mirabili quadam audacia sibi diuexandum sumpserat. Edebant igitur nouas cæremoniarum ordinationes, nouos passim Catechismos etiàm illi, qui nullis initiati sacris, parœcias administrandas suscipere non dubitârunt. Qua in re obseruandum est arcanum Dei iudicium, quòd il-

Horrendũ Dei iudicium.

li, qui contra Ecclesiæ sanctionem calicem sibi vsurpare voluerunt, Catholicosque sacrificos criminabantur, quòd ipsis alteram speciem malignè suffurati essent, tales accepêre pastores, qui cùm nullam haberent conficiendæ Eucharistiæ potestatem, ac nihilo minùs sacramenta illis porrigerent, non aliud sanè quàm merum panem & vinum pręberent, vtraque illis specie penitùs subtracta. Et sic quidem par fuit puniri obstreperos & refractarios, qui desertoribus ac seditiosis monachis potiùs, quàm totius Ecclesiæ iudicio obtemperare voluerunt. Porro Henricus Princeps per nouos Visitatores

Mutatio religionis.

nouos constituit articulos, quos & à Clericis & à Laicis suæ ditionis voluit obseruari. Verùm illi articuli nō solùm à sacris literis, sed etiàm ab ipsorū Augustana Confessione & eius Confessionis Apologia discrepabāt. Certè Luterus ipse in libello de seculari potestate damnat eos Principes tanquàm insanos & peruersos, qui eis in rebus, quæ ad fidem & Ecclesiam pertineant, subditis suis leges præscribant. Verùm hæc Luteri sententia nullius tum ponderis fuit: quanquàm eiusmodi articuli non tam à Principe, quàm prophanis illis Visitatoribus editi fuêre. Ità res passim in deterius mutabantur, & mi-

1538 rabilis atque incredibilis in religione confusio magis ac magis increscebat, cùm illi sacra obirent munia, qui nullis prorsus sacris initiati, nulla legitima authoritate vel promoti vel missi essent. Et hæc tamen omnia summè erant Euangelica, & purum putum verbum Dei, effusè hauddubiò miserorum mortalium cæcitatem & delirationem ridentibus malis dæmonibus, qui ijs rebus mirificè delectarentur.

Hoc tempore Argentoratenses, qui Zuinglij dogma sequebantur, illis, qui ex Gallijs & Belgio sectarum nomine profugere compellebantur, in ipsa vrbe sua templum occupandum tradiderunt, vt Ecclesiam constituerent. Huic aliquandiù præfectus fuit Iohannes Caluinus ex Gallia profugus, qui posteà Geneuensem in Allobrogibus Ecclesiam occupauit. Hunc Caluinum à patria sua ob vitæ improbitatem exulâsse quidam scribit, eundemque alius dicit inter dissolutos suæ vrbis viros dissolutissimum, inter inconstantes & fœdifragos inconstantissimum. Is nouam quãdam de Eucharistia opinionem è suo parùm sano cerebro commentus, negat cum Zuinglianis veritatem corporis & sanguinis Christi in Eucharistia, sed horum tantùm energiam illic vult haberi. Non putauit Caluinus sua maiestate dignum, vt ipse minus aliquid, quàm cæteri, posse videretur. Itaque hanc nouam mundo iam planè vecordi doctrinam inuexit. Nec hoc contentus, etiàm multa alia præclara & tali viro digna scripsit, quæ quidem eiusmodi sunt, vt citra horrorem legi vix possint: quanquàm ea quoquè infelicissimis mortalibus non alio quàm ipsius verbi Dei titulo obtruduntur. Sunt autem cum intolerabili in Deum blasphemia coniuncta, vt, quòd scelera & flagitia omnia Deus in homine operetur, quòd lex & voluntas Dei sæpè inter se contrariæ sint, quòd diabolus iubente & volente Deo mentiatur in cordibus hominum, & multa alia, non verbis, sed flammis Tartareis vindicanda, quæ tamen ausus est quidam eius sectator Theodorus Beza defendenda suscipere. Proh nefarios homines, si tamen homines dicendi sunt, qui certè in humana effigie Tartarei cacodæmones esse videntur. Vt autem suam egregiam doctrinam Caluinus ille, cùm iam Geneuæ multa præditus authoritate degeret, miraculo quodam confirmaret, rem fecit sempiterna memoria dignam, vt cognoscat posteritas, quibus dolis, fraudibus & imposturis vti non dubitârint, qui Catholicam Ecclesiam nostro

Caluinus nouum fingit dogma.

Caluini immanes blasphemiæ.

æuo

æuo sub Euangelij instaurandi prætextu sibi oppugnandam sumpserunt. Persuasit quandoquè misero cuidam, vt se pateretur tanquàm mortuum in templum deportari. Fecit ille, consentiente etiàm eius coniuge. Porrò Caluini consilium erat, vt hominem coram populo iuberet redire ad superos seu reuiuiscere, homineque mox sese erigente, tam inaudito miraculo certam omninò & sacrosanctam in orbem terrarum doctrinam inuexisse videretur. Sed ô Dei clementiam, quæ perfidiosi hominis astum incredibilem noluit latere mortales, vt sic maturè ab eius consortio se remouerent. Miser ille qui viuus in templum illatus fuit, mortuus indè elatus est. Cùm enim Caluinus propiùs accessisset, &, si sua doctrina vera esset, eum iuberet resumpto spiritu surgere, vt homo callidus laqueo, quem alijs tetenderat, ipsus strangularetur, & omnes intelligerent falsissima esse quę miseris pro verbo Dei venditaret, nihil prorsùs sese commouit homo, quippe omni huius lucis vsura repentè priuatus. Porrò coniunx illius, ea re comperta, eiulatu & clamore animi sui testatur necopinatum dolorem, sed Caluinus eam egregijs pollicitationibus deliniuit, nè rem latiùs propalaret. In hoc verò facinore depræhensus, fertur mox rediisse in suggestum, dixisseque populo, Eccè hinc apparet imbecillitas fidei vestræ, quòd homo iste non potuit excitari à mortuis. Et fortassis persuasit hoc miserrimæ illi concioni. Hæc quidem de illo Caluino, multaque alia sparsit fama, quæ iam feruntur Gallicè conscripta, & Latinè conuersa, olìm in lucem proditura. Aiunt etiàm Parisijs repertas aliquot Caluini, Theodori Bezæ, & aliorum eius farinæ hominum Epistolas, quę illorum nequitiam egregiè declarent, quas speramus quandoquè in publicum edendas. Sunt enim eiusmodi, vt vbì in hominum notitiā venerint, facilè omnes intellecturi sint, quàm sint illorū nihil minùs quàm Euangelica consilia, & admodùm perniciosi conatus. Hæc ità scripsi, quemadmodùm à fide dignis accepi. Infrà quoquè, Deo volente, Luteri quoddam miraculum referemus. Et nondùm intelligent plùs quàm lethargo correpti mortales, quàm infidis pastoribus animarum suarum salutem & curam committant? Scilicèt istis hominibus hoc studio est, vt animas Christo, & non potiùs Orco, lucrifaciant. Porrò animaduertendum est, Caluinum, dum sibi præclarum apud omnes tum Zuinglianos, tum Luteranos nomen parare cupit, mirabili vafricie ità in re sacramentaria

1538

Miraculū Caluini horrendū.

Astutia Caluini.

Caluini in scribendo mira vafricies.

1538 taria tractanda versari, vt quandò illi res est cum Zuinglianis, planè ab illis stare se simulet: quandò cum Luteranis, quibus ceu simplicioribus fucum se facere posse confidit, ad nauseam vsque realitatem & substantiam corporis & sanguinis Domini, atque id genus alia Luteranis plausibilia, inculcet & repetat. Interim nihilo minùs nouum ille dogma fingit & tuetur, & cùm vtrisque se fauere incredibili calliditate præ se ferat, vtrosque suspensos & ambiguos detinet: nec tamen homo versutus perfidiam suam adeò celare potuit, quin Bernæ quandoquè illam proderet. Nam ibi in publico colloquio contra Zachariam Flandrum quendam cùm vehemens esset in defendenda Zuinglij sententia, idem Zacharias Caluini ad D. Falesium epistolam protulit, percontatus ex homine num suam agnosceret manum: quam cùm ille suam esse non negaret, Zacharia postulante, publicè lecta est, multò maioribus scatens in Zuinglium conuicijs, quàm eo in colloquio eius essent ab illo celebrata encomia. Et ausus certè est Caluinus palàm edito libello, quem dici voluit, Summam confessionis de Sacramentis, id omnibus persuadere conari, eos qui Augustanæ sunt confessionis, in eadem esse cum Tigurinis, qui vel maximè Zuinglium sectantur, sententia. Sed hoc scriptum à Luteranis est confutatum. Porrò Caluino illis respondente, exortum est odiosissimum certamen inter Caluinum & Luteranos, scriptisque contrarijs egregiè sese inuicèm ornant, vt insignes scurras inter se commissos iurè dixeris. Longum esset, egregia illa emblemata omnia hîc referre: pauca ex Caluini annotabimus vltima admonitione ad Ioachimum Vuestphalum Luteranum, in qua simul aliquot Saxonicas ciuitates, quæ eius dogma damnauerant, fœdissimis lœdorijs & maledictis pro Euangelij sui modestia insectatur. Sic dicit esse suo errore fascinatos, vt quod pueris in Catechismo traditur, veterani Theologi non teneant: quid valeat Cœna, quorsùm spectet, nunquàm gustâsse brutos istos homines: nè guttam quidem ingenui pudoris in eis esse: nimis largam illis copiam cauillationum profluere, dum Luteri sui hyperbolas proijciunt, modò plebeculam suosque fraterculos fascinent, popularis theatri plausu contentos, nec Dei, nec angelorum iudicium magnoperè curare. Tribuit illis furiosum impetum, nugatoriam leuitatem, cæcam temulentiam, caninam improbitatem, diabolicam superbiam, quod eis superbia sit loco pieta-

Caluinus se prodit.

Caluini de Luteranis sententia.

Nota studia hæreticorũ, ab hæretico expressa.

pietatis, quòd eos ferocitas omni humanitate spolia- 1538
uerit, quòd obstinatio nil moderaminis reliquum fecerit. Vocat eos vertiginosos homines, Cyclopes, superbam factionem gigantum, latratores phreneticos, bestias, proteruos, fastuosos, pertinaces, &c. Tum verò etiam queritur de illis, quòd se suosque indignos esse clamitent, quos terra sustineat, ità quòd nisi repentè exterminentur è mundo, non posse cum eis meliùs agi, quàm vt ad Scythas vel Indos ablegentur: accusare eos principum segnitiem, quòd non exerto gladio protinùs deleant Sacramentariorum memoriam. Hæc ibi Caluinus, in quem pulchrè quadrat illud Ecclesiastici: Dum *Eccl. 21.* maledicit impius diabolum, maledicit ipse animam suam. Quæ enim hæretici alij in alios iactant maledicta, ea in illos ipsos recidunt, cùm plerunquè aut peiores, aut paulò admodùm meliores sint illis, quibus maledicunt. Et reuerà quales hîc Luteranos depingit Caluinus, tales sunt plerique omnes hæretici, qui dati in reprobum sensum, per præcipitia falsitatis ruunt in omne genus flagitiorum. In Caluino sanè vel maximè cernere licuit ea omnia, quæ Luteranis ille tribuit, & tamen à suis tantùm non pro Deo colitur. Et quia mendacium nunquàm diù constare sibi potest, mira quadam versutia ità suum de Eucharistia dogma vanissimum tractat, vt neque Luteranis penitùs accedat, neque Zuinglianis, sed vtrisque quibusdam præstigijs illudat, dum ait carnem Christi naturalem & esse & non esse in Eucharistia, quorum illud Luterani, istud verò Zuingliani docent: ad extremum tamen in Zuinglij partes propensior est, dum affirmat, in cœna Domini per fidem excipi efficaciam quandam & vim, de carne Christi in cælo sita defluentem: sed nihilo minùs de re tanta (quod necessè est à vero aberranti accidere) ferè semper pugnantia loquitur: quam ob causam Luterani eum præstigiatorem & Sophistam vocant: quibus sic *Caluinus præstigiator & sophista.* respondet, vt impostorem eum & esse & agere, verba illius facilè declarent. Habet ille miser multos hodiè sectatores, & ingens est turba Caluinistarum, qui noui à quibusdam vocitantur Sacramentarij, propterea, vt habet Confessio Mansfeldensis, quòd noua quadam stropha Sacramenti virtutem eludere conantur. Sed has imposturas heu nimis cæcum mortalium genus non ad- *In vita Caluini.* uertit, immò verò insanus Caluini discipulus Beza affirmare non veretur, vni Caluino post Christum & Apo-

1538 stolos deberi veram & germanam de Cœna Domini intelligentiam. Quod etsi est insolentissimè & stolidissimè dictum, tamen creditur à multis. Et quid mirum, cùm stultorum sempèr infinitus sit numerus? Caluini antilogias pugnantesque sententias viri doctissimi annotârunt, & possent vel ex hoc solo, quòd in doctrina varius est, homines satis superque intelligere miserum illum longè alienum esse ab incommutabili Dei veritate, sed videre non volunt.

Ecces 1.

Antinomi

Accidit hoc anno quiddam memorabile apud Vuittenbergenses. Extitcerent, dicerentque homines Euangelicos non obligari ad bona opera diuinæ legis. Et sic quidem Luterus ipse ab initio docuerat. Verùm homo contentionibus & rixis natus ac destinatus, vbì hæc vidit ab alijs doceri, acritèr in eos inuectus est, cùm tamen hæc doctrina ex ipsius schola prodijsset: nec vidit homo inconsideratus, quicquid in huius dogmatis assertores scriberet, id ipsius iugulum vel maximè petere. Ferunt Iohannem Islebium huius dogmatis præcipuum fuisse defensorem, sed à Lutero admonitum, ab eo resilijsse. Ità licuit Lutero vnam atque eandem rem modò asserere, modò confutare: nec quicquam tam absurdum ab illo fieri potuit, quod non putarent homines perperàm ab eo instituti, purum putum esse euangelion.

legem operum reijerunt quidam è Luteri schola, qui

Synodus Tigurina Zuinglianorum.

Mense Aprili Synodus Zuinglianorum doctorum Tiguri fuit, cui etiàm Bucerus & Capito rogatu Basileensium interfuêre. Ibì Bucerus mirificè se purgat, quòd hactenùs tantoperè paci conficiendæ studuerit, id se non sua voluntate, sed impulsu Lantgrauij & quorundam aliorum fecisse dictitans. Disceptatum est ibì triduo cum illo de responso ad Luterum dando. Nam hîc quoquè astutus ille, vt quidam Zuinglianus scribit, ambigua loquendi forma solidam concordiam sancire nitebatur, quam ambiguam loquendi rationem Tigurini non probabant, nec instàr Buceri obscurè & captiosè, vt idem Zuinglianus ait, loqui volebant, sed liberè & apertè, nè concordia fucata & insidiosa, qualem Bucerus efficere voluisse non immeritò illis visus est, posteà maiores turbas pareret. Alij tamen à Bucero persuasi, Luterum à Zuinglio in Eucharistiæ doctrina non tam re ipsa, quàm verbis discrepare, quod fuit falsissimum, sicut Luterus ipse testatur non vno loco, cum Lutero visi sunt in

Bucerus ambiguus.

in quandam redire concordiam, sed quæ re vera nulla esset, sicut ipse euentus paulò pòst docuit. Immò & Bucerus ipse, qui hanc simulatam concordiam tantoperè vrsit, cùm à Tigurinis impetrare non posset responsionem ad Luterum, qualem ipse vellet, ab illis non parùm abalienatus est, licèt anteà non mediocritèr illos coluisset. Sunt etiàm alij quidam ab illis facti alieni, licèt videri nollent, & non pauci Luteranis accesserunt. Vtebantur autem isti, à Bucero, vt appáret, edocti, hac in re verbis & sententijs ambiguis & perplexis, nè fraus cuiquam apparéret, qua tamen vel maxime creuit hoc prodigiosum Euangelion: adeoque Bucerus ipse in Euangelium Matthæi & Iohannis scribens, doctrinam de Eucharistia, quam antè propugnârat, vt Lutero gratificaretur, retractauit. Et tamen hunc Proteum quidam neutrales, id est, qui nec Catholicæ Ecclesiæ, neque Sectarijs addictos se videri volunt, licèt interim non obscurè nouas ipsi fabricent sectas, non dubitant pacis & pietatis inprimìs studiosum vocare: scilicèt pacis & pietatis studiosus est, qui vt sese offert occasio, modò hoc, modò illud de vna eademque re dogma propugnat, facilè etiàm Mahometis Alcoranum approbaturus, si non desit opportunitas. Zuingliani quidam Buceranæ conciliationi, qua ille tam crebrò nisus est Zuinglianos cum Lutero in concordiam qualemcunque redigere, hoc tribuerunt, quod illis tribuendum est, qui præ nimio vini desiderio etiàm fæces hauriant. Nemo neque potest neque debet ambigere, hanc inexpiabilem dissensionem propterea inter istos nouos Euangelicos extitisse, vt sibi Catholici meliùs prospicerent, & à tam superbis, turbulentis & inconstantibus ingenijs rectiùs cauerent.

1538 *Bucerus fit alienus à Tigurinis.* *Zuinglianorum de Bucero sententia.*

Apud Anglos hoc anno facinus insolens rex Henricus designauit in cineres & ossa beatissimi martyris Thomæ, Cantuariensis quondàm Archiepiscopi. Eius corpus in theca gemmis & auro mirificè exornata asseruabatur iam aliquot seculis, eratque eius martyris celeberrima memoria ob edita diuinitùs ad eius sacros cineres innumera miracula. Visebantur illic gemmæ incomparabiles: quædam vincebant oui anserini magnitudinem, pietatis causa eò missæ à monarchis & regibus, ad martyris memoriam ornãdam. Verùm Henricus rex nescio quorum instigatus consilio, non contentus gemmis & auro nudâsse eius monumentum, etiàm ipsas ve-

Cineres D. Thomæ cremãtur.

1538 nerandas reliquias exussit. Nihil quidẽ sanctissimo martyri nocitum est, qui vitam cum Deo viuit beatã & sempiternam: sed mirum profectò est, regem illum, qui paulò antè tanta cõstantia fidem Catholicam scriptis euulgatis defenderat, potuisse ad id infaustum consilium deuolui, vt in martyris ossa ante annos ferè quadringentos pro pietate cæsi, tam atrocitèr desæuiret. Sed id genus multa audent Luterani & reliqui sectarij, apud quos pleraque templa hodiè non multùm discrepant à ferarum cubilibus, & locis planè desertis, & in horrendam vastitatem redactis: quæ quidem, nisi Deus rebus nostris prospiciat, nihil videntur significare aliud, quàm propedièm in his Europæ locis cultum Dei omnem penitùs extinctum iri.

Luteri articuli, Cõcilio offerendi. Cùm indictum esset à Paulo Pontifice Concilium ob certas emergentes rationes non iam Mantuæ, qui locus visus erat opportunior, sed Vicentiæ celebrandum, Luterus certos euulgauit articulos, quos vellet suo nomine Concilio proponi. Verùm illi tam absurdi & impij erant, vt non defuerint, qui Germanos dehortarentur, nè proponerent eiusmodi articulos Concilio, nisi vellent Germanos reliquis nationibus irridendos & ignominia notandos propinare. Erant enim in ijs, qui ab ipsa quoquè Augustana Confessione dissiderent. Verùm etsi turpissimum est, in religionis negocijs diuersa sentire, & quod hodiè affirmâris, cràs negare, hodiè asserere, quod herì negaueris, tamen hoc apud Luterum & eius præclaram sobolem non valdè turpe putatur, immò verò frequens & solenne est, vt eorum scripta testantur, licèt id imperita concio non facilè animaduertat.

Monasteria euertuntur in Anglia. Hac tempestate in Anglia direpta atque euersa passim sunt monasteria: & vitæ monasticę cultores vestem mutare coguntur. Cæsi etiàm fuêre aliquot illustri dignitate proceres, quòd nollent regis improbandæ sententiæ subscribere. Multùm in eo regno sanguinis fusum est: & sectarij quidem egregium conscripsêre martyrologion, in quod retulêre etiàm nomina illorum, qui sub regina Maria, de qua pòst dicetur, hæresis nomine plexi sunt. Verùm illos nemo Christi, qui veritas est, martyres dixerit, qui nón pietatis, sed perniciosæ doctrinæ causa tolluntur è medio, nè multos sua peste corrumpant. Videmus hodiè summo omnium dolore, quò progressa sit quorundam, initiò non seuerè vindicata, au-

ta, audacia. Quæ non hodiè hæresum monstra existunt? 1538
In Lituania sunt multi Arriani & Nestoriani, nec parum multas occupârunt ecclesias homines valdè athei & execrabiles, qui summam & summè venerandam Trinitatem, proh nefas, vocant cerberū tricipitem, & Symbolum non Athanasianum, sed Sathanasianum, & multa alia nimis horrenda. Si principiò seuerà fuisset adhibita animaduersio, poterant omnia hæc mala facilè auerti. At nunc vsque eò increuerunt, vt nullum appareat remedium.

Non sunt nisi Machiauelli

O scelus.

Hoc anno Barbarussa insigne fecit naufragium, amissis viginti millibus hominum, cùm iam classe educta, in nostros cogitaret. Illisit eas triremes tempestas oborta Acroceraunеis cautibus, quarum fragmenta toto ferè Dalmatico littore eiecta visebantur. Paulò antè insignem contra illum classem eduxerant Paulus Pontifex, Carolus Cæsar, & Veneti duce Andrea Auria, & Vincentio Capellio Veneto. Erant simul naues supra ducentas & quinquaginta, adeò vt nunquàm ferè maior nostrorum in Ionio mari classis conspecta sit, plurimumque sibi metueret Barbarussa, homo alioqui audax & imperterritus. Verùm cùm Veneti nollent præsidium Hispanorum militum in suas triremes accipere, vt quidam asserebant Ligures, nec Auria Venetis triremibus planè confideret, licèt Veneti culpam aliò conferant, vt solent libentèr homines, si quid perperàm gestum sit, à se omnem culpæ suspicionem in alios amoliri: orta interim tempestas est, & nostri omnes insequente & insultante ac irridente Barbarussa, in fœdissimam fugam versi sunt, cùm potuissent facilè, vt quidam autumant, illo die totam Barbarussæ classem delere & perdere. Et iam quidem resumptis animis volebant Barbarussam inuadere quaterna acie: sed cùm cunctantiùs sua consilia expedirent, Barbarussa retrocessit in sinum Ambracium. Magnam eo die Christiani tulêre ignominiam, quòd tantæ occasioni non solùm deesse, sed etiàm in turpem fugam se conijcere non dubitâssent. At tamen paulò pòst, vt diximus, incomparabilem Barbari cladem accepêre, multis amissis triremibus, Deo Opt. Max. hauddubiè Christianorum rebus opem ferente. Verùm id damnum breui posteà Solimannus sarciuit, vt est immensis opibus prædiues, noua instructa classe. Magnam verò indè cepit voluptatem, quòd Barbarussa omnibus propè rebus inferior,

Naufragiū Barbarussæ.

Fuga turpis Christianorū.

1538 nostros toto mari effugere compulisset.

Visa horrenda. Hoc anno multis Germaniæ locis armati homines in aëre visi sunt, & versùs Orientem stella inusitatæ magnitudinis, quæ cruentos spargeret radios: & iuxta illam crux sanguinolenta, cum vexillo per aëra volitante.

Sub initium Octobris rex Franciæ Cameraci conuenit Mariam Belgij præfectam, Caroli Cæsaris sororem. Indè paritèr cum magna pompa egressi, venerunt ad S. Quintini oppidum. Vbiquè regina incredibili studio & apparatu excepta est. Exactis diebus sexdecim, alio itinere redijt in Hannoniam. Nihil non egit rex Franciscus, vt posset Mediolanum Cæsaris beneficio impetrare: sed Cæsar præalto consilio & exacta prudentia, potentissimis Gallorum regibus amplissimum illum Italiæ principatum vt adiungeret, nullis rationibus permoueri potuit, veritus hauddubiò, nè illo minimè contenti, maiora tentarent. *Calũnia in Cæsarem.* Sunt qui Cæsaris auaritia & toti Italiæ dominandi libidine factum scribant, vt tam pertinacitèr Gallis Mediolanum negaret: sed illi certè temerarij sunt & iniqui censores, cùm ante paucos annos eundem principatum, quem maximis impendijs & difficultatibus bellicis obtinuerat, rogatu Pontificis Clementis, Francisco Sforciæ liberalissimè restituerit. Florentiam quoquè ipsius armis domitam, Alexandro Medici tradiderit, qui certè est insignis principatus.

Eo tempore, quo apud Niceam Pontifex, Cæsar & Franciscus rex fuêre, Ioachimus Elector Brandeburgicus Saxoni Electori per legatum indicauit, se certis nuncijs didicisse de Turcæ in Germaniam aduentu. Iam enim Vaiuodæ ipse Turcarum Imperator hoc significârat. Orabat igitur Brandeburgicus, vt Saxo certam ipsi, quam cuperet, pacis ineundæ rationem perscriberet: se cum Ferdinando rege porrò acturum, vt apud Cæsarem intercedat. *Princeps Brandeburgicus.* Hic princeps Luteri quidem dogma sic complexus erat, vt tamen plerasque cæremonias Ecclesiasticas retineret, & cùm esset Cæsaris atque Ferdinandi studiosus, noluit in fœdus illud Smalcaldicum transire. Habebat autem in matrimonio optimi & Christianissimi Poloniæ regis Sigismundi filiam, quæ in hunc vsque diem, raro & eximio insignis pietatis exemplo, fertur in catholica religione constantissimè permanere. Saxoniæ elector rem omnem deindè cum

Lant-

Lantgrauio communicat, & illi simul respondent 1538
Brandeburgico, se quidem videre necessariò totis viribus obuiàm eundum esse Turcæ hosti crudelissimo, sed tamen id fieri non posse, nisi ipsis certa & non dubia pax concedatur. Ea erat eiusmodi, vt iudices Cameræ nihil contra ipsos possint in causa religionis, qua etiàm comprehendi volebant direptionem bonorum Ecclesiasticorum: atque vt ea pace frui liceat etiàm illis, qui post Noribergicam transactionem accesserint & accedere voluerint ad ipsos, atque ipsi etiàm Daniæ regi, qui non erat subditus Imperio: quæ quidem omnia vehementèr erant Catholicis onerosa, & tamen nisi permitterentur, illi contra Turcas parùm aut nihil se moturi videbantur. Indè socij omnes Smalcaldici fœderis ad 24. Iulij monentur Isenacum se conferre. Eò non principes ipsi, sed legati venerunt. Eadem petunt, quæ anteà principes petierant, & alios ibi quoquè in suum fœdus receperunt. Habebant tum litem cum Henrico Brunsuicensi principe Goslarienses fœderati. Itaque orabant legati fœderatorum, vt Ferdinandus ab Imperatore peteret mandatum, quo princeps Henricus actioni se sistere cogatur: & tamen illi nolebant Catholicis licere suum ius persequi in supremo Imperij iudicio. Addebant autem minas, nisì id contra Henricum principem impetretur, ipsos Goslarienses socios minimè neglecturos. Ea tum erat Imperij per Germaniam habitudo, vt lachrymis potiùs, quàm scripto, prosequendum sit. Imminebat Germaniæ cruentissimus Turcarum tyrannus, & tamen sic erant plerique animati, vt nisì Cæsar ipsorum voluntati obsecundaret, non magnoperè recusaturi viderentur iugum Turcicæ captiuitatis, cùm certum esset, eos suis viribus tanto hosti minimè posse resistere.

Conuetus Isenaci.

Penultima die Decembris Lantgrauius Hassiæ haud procùl ab oppido Cassello venationi intentus, incidit in scribam Henrici principis Brunsuicensis, qui nihil habebat commercij cùm fœdere Smalcaldico, quia Catholicus erat princeps. Vbì autem Lantgrauius didicit scribam illum esse huius Henrici principis, iussit compræhensum Cassellum abduci. Habebat ille apud se literas principis sui ad Archiepiscopum Moguntinum & Heldum Cęsaris legatum. Eas vtrasque & quædam alia secreta Lantgrauius resignauit & legit, ipsumque scribam captiuum detinuit. Hoc vtrùm decuerit

Scriba ducis Henrici compræhenditur.

1539 erit illum principem, alij viderint. Certè ea res primò quidem ipsi principi Henrico magnam calamitatem, sed non paulò maiorem Lantgrauio posteà attulisse videtur, cum ijs ex initijs, licèt aliæ quoquè causæ suppeterent, grauissima inter principes odia excreuerint: & Henricus quidem princeps primò à Lantgrauio captus sit, at ipse posteà Lantgrauius non solùm Henricum dimittere, sed in eius quoquè captiui locum succedere coactus sit. Verùm ad has diras animorum acerbitates, quæ sub hoc Luteri infausto Euangelio inter Germaniæ principes extitêre, magna fomenta & incitamenta suggesserunt importuni concionatores Luterani, qui principibus suis sub verbi Dei specioso titulo multo persuasêre, quæ à verbo Dei prorsùs abhorrerent.

Isabella Imperatrix moritur. Item Dux Geldriæ.

Mortua est hoc anno Isabella Caroli Cæsaris coniunx, idque in puerperio, edita quidem prole, sed quę non diù superuixerit. Mortuus est etiàm Carolus Geldriæ dux Catholicus, eique successit Guilhelmus princeps Cliuensis, sed parùm felicitèr, vt ipse rei euentus declarauit. Galli cum in suas partes pertrahere nitebantur, vt haberet Cæsar in Belgio vicinum hostem: sed Deo benè propicio, princeps Cliuensis saniora consilia secutus, breui in gratiam cum Cæsare, quem tum occupata Geldriæ ditione, tum Gallorum amicitia offenderat, rediit, vt infrà dicemus.

Conuêtus Francofurti.

ANNO 1539. fuit conuentus Protestantium Francofurti, vbì datæ sunt illis à Cæsare induciæ mensium 15. & decretum fuit, vt vtriusque partis viri docti & moderati deligerentur, qui inter se de rebus controuersis colloquerentur. Eius generis colloquia multa identidèm fuêre instituta, sed nullo felici exitu, quòd neque Sectarij vellent à sententia decedere, neque Catholicis fas esset quicquam illis contra Catholicæ Ecclesiæ sententiam concedere. Multa autem in Protestantibus & nunc & aliâs quoquè Cæsar pijssimus dissimulauit, quòd non facilè pateret via & ratio secùs cum illis agendi. Protestantes enim non solùm magnis iam erant ex Smalcaldico fœdere aucti viribus, sed etiàm Luteri & aliorum concionatorum suorum seditiosissimis tum scriptis, tum concionibus eò propemodùm impulsi videbantur, vt nisi Cæsar ipsis petita permitteret, nescio quid non molituri putarentur. Erant

quidem

quidem non contemnendæ Cæsaris vires, sed eas tum 1539 Turcica, tum Gallica arma sic perpetuò ferè exercebant, vt cum Protestantibus nihil posset duriùs agere, licèt plurimùm illi doleret, paucorum impotentium Apostatarum monachorum scriptis & concionibus seditiosis Germaniæ pacem penitùs perturbari. In hoc ipso conuentu Saxoniæ Elector id inter alia testificabatur, se Ferdinandum non agnoscere pro rege Romanorum. Adeò iam erant in Germania perturbata omnia, eas turbas cientibus infaustis concionatoribus, qui Protestantes ordines egregiè illudebant. Erant quoquè inter Principes acerbæ suspiciones & simultates, ex religionis dispari habitu emergentes: vndè fiebat, vt Germaniæ vires, quæ hactenùs omnibus semper nationibus fuissent formidabiles, iam ità miserè distractæ & dissipatæ, hauddubiè supremam cladem iampridèm subituræ fuisse viderentur, nisi præpotens Deus singulari quadam beneuolentiam rebus nostris prospexisset. Erant enim adhuc permulti, hodieque sunt in Germania, qui à sectis prorsus abhorreant, nec anili leuitate eam sibi religionem deferendam putent, quam tot seculis vniuersa Germania summa omnium consensione coluerit.

Intestina dißidia.

Hoc anno diem vitæ clausit extremum clarissimus & integerrimus Princeps Saxoniæ Georgius, quem Luterus egregiè conuicijs & contumelijs, & quidem impunè, sæpe prosciderat. Fuit is princeps generosa & planè Germana animi fortitudine, in auita Maiorum suorum religione constantissimus, & Carolo Cæsari longè optimo semper deditissimus, dignus profectò multis nominibus, quem omnis posteritas laudibus vehat. Eius obitu maxima accepit incommoda religio Christiana. Nullos enim reliquit liberos. Itaque testamento scripsit hæredem fratrem suum Henricum & eius filios Mauritium & Augustum, ea conditione, nè quicquam in religione mutarent. Missi fuerunt ad Henricum, qui hoc ei proponerent, sed interim mortuus est pius Princeps, & continuò Henricus ditionem omnem occupauit, atque in omnia Misniæ, Thuringiæ & Saxoniæ loca, quæ Georgio Principi paruerunt, Luteri dogmata inuexit. Iam enim Luterani, vt antè dixi, eum in suam nassam pertraxerant. Is posteà successorem habuit Mauritium, Mauritius Augustum, vt suo loco dicemus. In Misniæ oppido absque vlla intermissione no-

Obitus Georgij Principis.

Mutatio religionis in Misnia.

1539 cturnis atque diurnis horis perpetuæ Deo Optimo Maximo laudes promebantur, raro quodam eximiæ in Deum pietatis exemplo, diuersis cantandi & psallendi vicibus institutis in ipsa Ecclesia cathedrali: sed is cultus diuinus maxima ex parte tum abolitus est, antiqua religionis facie prorsùs mutata. Hęc faciebant Principes persuasi à Lutero, alioqui præ insita Germaniæ principibus spectata generositate, nunquàm talia facilè attentaturi: quanquàm in eiusmodi grauissimis rebus nihil priuata authoritate, sed totius Christiani orbis consensu omnia cum summa deliberatione & exacta maturitate transigi oportebat. Non enim satis erat Luterum dicere, hæc & pleraque alia rectè & ex verbi Dei præscripto fieri, cùm hæreticorum omnium ea perpetua fuerit consuetudo, vt quanuis absurda & impia in orbem commenta inueherent, ea tamen verbo Dei consentanea & ex verbo Dei profecta assererent: sed oportebat Christiani orbis sustinere sententiam. Id quidem generosos principes & reliquos Germaniæ magistratus magis decuisset. Porrò vbi Henricus princeps ditionem fratris in suam fidem adegit, Luterum è Vuittenberga Lipsiam accersiuit: eò quoque aduolauit ex eodem Luteri asylo ingens concionatorum examen, quot currus capere posset. Ij Luteri inauspicatum Euangelium strenuè in illum populum propagârunt, quem tot annis Catholicus Princeps in Catholica religione continuerat. Est Lipsia paruum quidem, sed elegans oppidum, insigni mercatu & vili rerum degendæ vitæ necessariarum precio, atque etiàm Vniuersitate vel Academia tum celebre, tum perquàm commodum studiosis, nisi quòd Luteri Euangelium illic regnat, non tamen prorsùs Lutericè, quòd in nõnullis à Lutero nonnihil deflexerint, vocenturque à quibusdam Catholicis molles confessionistæ, quemadmodùm alij rigidi confessionistæ, qui Luteri dicta factaque omnia, quantunuis putida & insulsa, sibi mordicùs tuenda statuerunt: qui etiam Lipsenses & alios quosdam acerbissimè proscindunt, quòd à Lutero defecerint.

Præcones Luterani Lipsiam aduolant.

Lipsia.

Sleidanus hoc tempore scribit à Lutero librum editum de Concilijs & Ecclesia, in quo inter cætera ille quoquè demonstret, Canones Apostolorum esse adulterinos. Scilicèt premere nos vult authoritate Luteri, qui non modò hos Canones, sed multos etiàm scripturæ diuinæ libros reiecit. Quòd si verò tanti fit apud Sleidanum Luteri authoritas, discat quid ille sentiat de Zuin-

Zuinglianis, nec ægrè ferat se in illis quoquè perstringi. Verùm hæc ille bonus vir libentèr dissimulat. Porrò verò ridiculum hîc nobis commemorat idem ipse, scribere Luterum in libro memorato de contrarijs doctorum sententijs de baptismo, Cypriani præsertim & Augustini. Quis verò negauit vnquàm, Cyprianum de baptismo hæreticorum alitèr sensisse, quàm sentiat Ecclesia catholica? Sed interìm Cyprianus sanctissimus martyr neminem à sua communione repellebat, qui diuersum ab illo sentiret, quod euidens signum est, non illum pertinacitèr suam voluisse sententiam tueri. Sed quid sibi vult Sleidanus, quòd Luterum ait hanc de Baptismo Cypriani diuersam ab Ecclesia sententiam proferre? Fortassis efficere vult, vt vni Lutero plus tribuamus quàm omnibus Patribus, propterea quòd Cyprianus non idem cum alijs sentit. Sed si ideò minus tribuendum est Patribus, quàm prorsùs nihil tribuendum est Lutero, immò verò quàm ille planè exibilandus & conspuendus est, qui in rebus grauissimis etiàm à seipso tam crebrò turpissimè dissidet? Bellissimus certè vir Sleidanus est, qui id genus portentis farcit nugacissimam historiam suam. Addit deindè, Luterum ibidem recitare quatuor illa Concilia, quorum præcipua est authoritas. Sed hæc ipsa Concilia quòd nihili fecerit tum Luterus ipse, tum eius satellites & noui dogmatistæ, ex illorum scriptis satìs superque doceri potest. In summa, nullum tam sanctum est Concilium, quod isti non prorsùs reijciant, si cum illorum prauis opinionibus non concordet. Tum quoquè visum est optimo Sleidano commemorare ex Luteri hoc præclaro commento, quàm densæ fuerint sub Pontificatu Romano tenebræ, quàm impura fœdaque religio, atque huc fuisse deuentum, vt etiàm vestis monachorum ad æternam salutem non parùm conferre putaretur. Sed quàm densas tenebras Luterus cum suis in orbem inuexerit, iam miseri mortales re ipsa experiuntur, dum ille miser totiès sua mutauit paradoxa, dictisque & scriptis suis id effecit, vt quod quisque nocte somniat, id non dubitet pro Dei verbo stultis hominibus obtrudere, adhibitis perperàm scripturæ diuinæ, quam Luterus solam vult valere, sententijs: atque eò iam res rediјt, vt penè tot sint sectæ, quot capita, & miserandum in modum rudis & indocta plebs in absurdissimas easque pugnantissimas hæreses in dies inducatur. Neque nos mouet, quòd recitat

1539

Ineptiæ Luteri & Sleidani.

Densæ tenebræ ex Luteri Euangelio

1539 recitat Sleidanus quosdam in habitu D. Francisci sepeliri voluisse. Fecit id Rodolphus Agricola, fecit Albertus Pius Carporum princeps, fecit Christophorus Longolius, viri summa eruditione: in quibus si repræhendendum est, quemadmodùm impius facit Sleidanus, quòd pio quodam animi affectu in eo habitu mori voluerunt, non quòd eum solum ad salutem sufficere putarent, sed vt suæ satisfacerent deuotioni: quantoperè non modò repræhendendus, sed etiàm execrandus & diris omnibus deuouendus est Luterus & eius similes apostatæ, qui habitum monasticum petulantissimè abiecerunt, & cum illo simul omnem pudorem & religionem exuêrunt, habentes certissimam damnationem, quòd primam fidem irritam fecerunt? Et certè non illibentèr credet posteritas, plerosque sub mortem voluisse S. Francisci habitum indui, & in eo sepeliri, licèt Sleidanus putet id eam fortè non credituram: sed ægrè admodùm fortaſsìs credet potuisse sceleratissimos apostatas tantam mereri fidem & authoritatem apud homines, vt illorum impijssima & iam olim damnata dogmata haud alitèr, atquè ipsum Christi Euangelium, amplecterentur. Hoc enim eiusmodi est, vt nemo id vnquàm neque admirari satìs, neque pro dignitate deplorare queat. Sed de his alibì latior fortaſsìs dabitur agendi opportunitas.

Hoc anno Angliæ rex scriptum quoddam edidit, quo Pontificem, qui Concilium tum Vicentiæ indixerat, acerbè perstringit. Ea res cumprimìs iucunda fuit Luteranis & reliquis nouis dogmatistis. Quicquid enim Pontifici accideret, quod in eius contumeliam & ignominiam vergeret, id singularem huic hominum generi adferebat voluptatem: vt nôrint posteri omnes, quo spiritu afflati fuerint, qui implacabili odio pastorem Ecclesiæ prosequi non dubitârint. Verùm ne nimio Luterani gaudio insolentiùs exultarent, non diù pòst idem Angliæ rex non ferens in suo regno turbas, offendicula, seditiones (quarum rerum valdè ferax est Luteri Euangelium, ità vt vix vspiàm absque seditione & tumultu receptum sit) ex Luteri irrepente dogmate grassari, comitia totius regni indixit, siue conuentum Ordinum regni, (ipsi Parlamentum vocant) vbi pro stabilienda religionis concordia propositæ sunt sex quæstiones, de quibus in Actis publicis ità relatum habetur: Tandèm post longam super his articulis deliberationem,

Comitiæ Angliæ cōtra Luterum.

nem, post consultationes plurimas, post deniquè argu- *1539*
menta infinita, vltrò citroque connexa, omnium tam
regiæ Maiestatis, quàm vtriusque Senatorij ordinis, ac
plebis in hunc Senatum coactæ summo consensu fuit *VI. Arti-*
& est resolutum, decisum ac statutum eo modo ac *culi.*
forma, qua sequitur: Inprimis, In beatissimo altaris 1.
Sacramento, per virtutem & efficaciam potentissimi
verbi Christi, simul atquè illud sacerdos ore locutus
fuerit, sub forma panis & vini, naturale corpus & san-
guinem Dominicum, conceptum ex Maria virgine, rea-
litèr adesse: & post consecrationem, nullam panis aut
vini, aut aliam quàm Christi Dei & hominis remanere
substantiam. Secundò, Communicare sub vtraque 2.
specie non est omnibus hominibus iure diuino necessè
ad salutem: credendumque est & non dubitandum,
quoniam in carne sub specie panis sit verus sanguis, &
cum sanguine sub specie vini sit vera caro, tam diuisìm
quàm coniunctìm. Tertiò, Sacerdotes postquàm sa- 3.
cris initiati sunt, iure diuino non possunt vxores du-
cere. Quartò, Vota castitatis siue viduitatis à viro fœ- 4.
mináve non temerè facta Deo, iure diuino sunt obser-
uanda, Christianique populi libertate quadam eos pri-
uant, qua, nisi vouissent, potuissent vti frui. Quintò, 5.
Missas priuatas in hac regis Anglicana Ecclesia ac con-
gregatione admitti ac celebrari, simul & bonum & ne-
cessarium est, per quas probi Christiani, quorum vita
respondet, paritèr & bona & diuina solatia & benefi-
cia indè recipiunt, Missasque celebrari iuri diuino qua-
drat. Sextò, Expedit necesseque est auricularem con- 6.
fessionem retineri in Ecclesia Dei. Quocircà regiæ Ma-
iestatis authoritate, ac summo vtriusque ordinis sena-
torij, plebisque in hunc senatum coactæ consensu in
hunc modum, qui sequitur, latum est senatusconsul- *Senatus-*
tum: Qui vel in hoc regno Angliæ, vel in alio quouis *consultū*
regiæ maiestatis dominio post 12. diem Iunij, qui pro- *Angliæ.*
ximè sequetur, verbo, scripto, prælo, fictitijs characte-
ribus, aut alio quouis modò publicè concionantur,
docent, dicunt, affirmant, declarant, disputant, aut ra-
tiocinantur secùs, quàm iam dictum est, in illos tan-
quàm hæreticos grauissima constituit rex supplicia, at-
que etiam in eos, qui consilio aut re tales iuuerint &c.
Hoc quidem præter omnem expectationē accidit Saxo-
nico Papæ Lutero & eius symmystis, nouorum dogma-
tum buccinatoribus, præpotente Deo non nimiùm eis

1539 laxante habenas, quemadmodùm etiàm satanæ diuum

Iob 1. Iob flagellanti certos quosdam sempèr præfixit cancellos, quos ille prætergredi neque posset, neque deberet. Certum est enim, Luterum & totum nouorum dogmatistarum & ecclesiastarum gregem, ad tempus accepisse diuinæ iustitiæ permissu potestatem vexandi Catholicam Ecclesiam: sed nec hactenùs potuerunt, nec deincèps poterunt tantum sæuire, quantum vellent. Vtinàm Catholici corrigerent vitam: breuì pessum iret omnis illis diuinitùs permissa sæuiendi facultas.

Tumultus Gandauensis. Hoc anno Gandaui, quod est amplissimum Flandriæ oppidum, Caroli Cæsaris ortu clarissimum, nonnihìl tumultuatum est. Ea res vbì ad Cæsaris tum in Hispania degentis notitiam peruenit, eò maturiùs eundum sibi censuit, nè res in peius dilatione procederet. *Cæsar it per Gallias.* Itaque cum perpaucis principibus ingressus est Gallias per Baionam. Id enim vt maiori fidutia faceret, multis Francisci regis legationibus & literis inuitatus fuerat, licèt omnes eius Consiliarij, nè id faceret, prorsùs eum deterrerent. Verùm optimus princeps accepta à rege Francisco fide publica, illud certè periculosum iter arripuit. Nam tametsi rex Franciscus putandus est non malo tum in Cæsarem animo fuisse, tamen quia in tanta illùm detinendi opportunitate potuisset facilè humanum aliquid pati, non absque ingenti periculo Cæsar illud iter ingressus est. Vtebatur autem tum veste pulla, & equis commodatitijs, ijsque Gallicis. Sed certè eo ipso tempore depræhensus est à legatis sororis eius Mariæ, quæ Belgio præerat, idque non semèl, per noctem duabus aut tribus horis vtroque flexo poplite in cubiculo, nigris *Cæsaris preces quotidianæ.* vndiquaquè pannis tecto, orare. Et hauddubiè Deus cui confidebat, non absque multorum summa admiratione, toto illo itinere seruauit eum. Porrò ea precandi ratione in omni vita, & loco, & ætate eum quotidiè vsum fuisse constat. Orabat manè duabus plùs minùs horis, totidem nocte vel vesperi. Indè postquàm se induisset, accedebat etiàm manè ad auscultandum Sacrum. Sed de his alibì plura dicentur. Cùm esset in hoc Gallico itinere, & ad regem properaret, contigit regis filium Carolum, lectissimum iuuenem Aureliorum ducem, inopinantèr insilire in tergum illius equo insidentis. Cumque eum Cæsar humanissimè salutâsset, ille clamauit, Cæsar redde te captiuum, Cæsar redde te captiuum. At verò Cæsar nihil illi respondit, sed tantùm ridentis in

morem gratiſſimis & iucundiſſimis oculis illum intuebatur: ſicque vno vecti equo, in chorum Gallicarum fœminarum & heroidum venerunt: Vbi Cæſat obitèr ſalutata Leonora ſorore ſua, Regis Franciſci coniuge, longum miſcuit ſermonem cum Eſtampia heroide, quæ tum in magna erat gratia apud regem, nec deſunt qui putent eam conſuluiſſe regi, vt Cæſarem in Gallijs detineret. Accidit quandoquè, vt inter loquendum Cæſari inopinanti (vt quidem rebantur homines) annulus excideret gemmam habens nobiliſſimam. Eum cùm leuâſſet illa è ſolo, vt Cæſari redderet, noluit eum recipere, ſed illi dono dedit. Toto autem hoc ſpatio, quo Cæſar fuit in Gallijs, ſummi illi honores & omne humanitatis ac beneuolentiæ genus oblatum eſt à rege Franciſco & omnibus regni proceribus, adeò vt etiam regia planè authoritate ad aliquot dies vteretur. Non tamen longè abſuit tum Ambaſiæ, tum Pariſijs à grauibus periculis. Ambaſiæ Græci ignis fumo in gradibus turris cuiuſdam immodicè excitato, propemodùm ſuffocatus fuit: Pariſijs tabulatum in caput eius eliſum, ſanguinem ſparſit. Rex Franciſcus vbì comperit earum rerum authores, mox in crucem eos tolli iuſſit, ſed pijſſimus Cæſar multis precibus vitam illis impetrauit. Nolebat enim aduentum ſuum in Gallias cuiquam funeſtum eſſe, maximè cùm nihil horum de induſtria factum didiciſſet. Simul autem ſororem ſuam Mariam tum de eximijs ipſi delatis honoribus, tum de ijs improuiſis euentibus mox certiorem reddidit, nè quid illa famæ, quæ tum varia ſpargebatur, temerè crederet. Ipſe Franciſcus rex id temporis ex vlcere cœperat meliuſculè habere, & apud Lochias Cæſari aduentanti ſumma hilaritate occurrit, paratus etiàm duos liberos ſuos Henricum & Carolum ipſi obſides dare, ſi parùm regi fideret. At Cæſar obſides recuſauit, & ità (vt dixi) toto regno mirificè honoratus & ſplendidiſſimè habitus eſt, regijs liberis ex regno abeuntem Valençenas vſque deducentibus, vbì tum à Maria Cæſaris ſorore nihil prætermiſſum eſt erga Cæſarem ipſum, & Franciſci regis regios filios, quod ad eximiam propenſiſſimi animi teſtandam beneuolentiam pertinere videretur. Poterat facilè inter duos illos longè potentiſſimos reges pax firma & conſtitui, & coaleſcere, ſi rex Franciſcus à Mediolani ampliſſima ditione repetenda animum reuocare voluiſſet. Porrò dum inter ſe certant

1539

Cæſar honorificentiſsimè habetur.

Mediolanum pacis remora.

1539 reges de Mediolani imperio, interim Turcis animus creuit, & hæreſes in dies ità auctæ ſunt, vt vix numerari queant. Sed nemo temerè culpam in reges conferat. Noſtris peccatis prouocata Diuina iuſtitia permittit interim eiuſmodi pernicioſas diſſenſiones oriri inter principes & pleraque alia mala, vt ijs caſtigati, reſipiſcamus & ad meliorem frugem nos recipiamus, niſi acerbiora quoquè experiri velimus. Extant exempla non pauca etiàm in ſcriptis diuinis.

Hoc anno tanta fuit vini vbertas, vt non ſuppetentibus vaſis, pleriq; grandes foueas egregiè tabulis vndiquè munitas, vino compleuiſſe ferantur.

Caſtronouum expugnatur. Eiuſdem anni menſe Auguſto aut circitèr, Turcæ duce Barbaruſſa Caſtronouum Dalmatiæ vrbem maritimam, in qua erat fortiſſimum Hiſpanorum præſidium, non ſinè maxima ſuorum cæde expugnârunt. Paulò antè Cæſareani id Turcis victis occupârant: ſed ea res Solimanno impensè doluit, nec quieuit, donèc id Chriſtianis ſentiret ereptum. Sunt qui ſcribant, quoſdam Dalmatas ex vrbe profugos, Turcis ſecreta vrbis prodidiſſe. Habent Turcæ enſes incuruos, quibus & galeas & loricas ferreas noſtrorum ſcindunt: ſed id inprimìs noſtris incommodè cecidit, quòd in ipſo acerrimo cum Turcis conflictu pluuia erumpente non potuêre ſclopettis vti. Porrò Turcæ in noſtros atrociſſimè ſagittas iaculabantur. Multa tum Chriſtianorum millia trucidata ſunt. Dolendum certè, tantum poſſe in populum Dei impuros illos Mahometanos, ſed noſtris vitijs illorum vires aluntur. Obitèr tamen aduertendum, ex Hiſpanis à Turca hoc loco cæſis pleroſque interfuiſſe Romanæ vrbis ſub Clemente 7. fœdiſſimæ direptioni, vt non immeritò hæc illis clades accidiſſe videatur.

Per hoc tempus, cùm iam non pauci putarent Sacramentarios cum Lutero rediiſſe in concordiam, quod tam multis colloquijs & conuenticulis totiès fruſtrà tentatum fuit, & Tigurini propterea à ſcriptis acerbis & contumelioſis in Luteranos abſtinerent: Eccè tibi

Luterus Zuingliũ Neſtorianum vocat. Luterus libellum de Patribus & Concilijs edit, quem nè videretur in ſolos Catholicos ſcripſiſſe, in eoipſo Zuinglium per ſummam contumeliam Neſtorianum fuiſſe dicit. Hoc malè habuit Tigurinos miniſtros, magiſtrum ſuum tam honorificè prædicari à Lutero, nec ſibi hoc ſilentio tranſeundum putârunt, ſed datis

ad

ad Luterum literis, admonent hominem, nè contra vltimam pactionem tam malè de Zuinglio sentiret & scriberet. Luterus nihil illis respondit. Ità nunquàm inter istos Sectarios nisì ficta & simulata pax fuit, quippe qui non id spectarent, vt veritas vinceret, sed vt ipsi pro se quisque præclaram orbi doctrinam & nouam lucem inuexisse viderentur, atque hoc nomine apud vulgus insigne sibi nomen compararent. Indè adeò est, quòd cùm Saxonici quidam Ecclesiastæ Luterum suum mirè prædicarent, & ipsi D. Paulo conferre non vererentur, atque omnes alios Euangelij istius noui socios nihil esse dicerent ad illum suum Apostolum & Eliam, adderentque tandèm, ad hanc laudandi Luteri necessitatem ipsos adegisse illum Thrasonicum Gallum, quem hauddubiè Caluinum accipi volunt: Caluinus non ferens Luterum sibi anteferri, egregiè illos Saxones Luteranos perstringit, inter alia sic dicens: Vitia pro virtutibus exosculari, stultitiæ & præposteræ affectationis est. Minùs etiàm excusabilis inconsiderati zeli feruor, quòd scripturam turpitèr & putendum in modum corrumpunt, vt D. Iohannis Baptistæ spolijs Luterum exornent. Quanuis enim non negent etiàm in Iohanne Baptista factum esse, quod de venturo Elia prædixerat Malachias, volunt tamen de Lutero intelligi hoc vaticinium, quia sit Elias ille, per quem restituenda fuerint omnia: & quod in Iohanne Baptista semèl factum est non obscurè tam Prophetæ quàm Christi testimonio, in Lutero fuisse iterandum. Qua falsitate non minùs fœdârunt Luteri nomen, quàm Aegyptij Ieremiæ, corpus sepulcrumque eius adorando. Atque vt Eliæ nomen Lutero concedatur, sacrilegæ tamen est temeritatis, asserere vltimum Eliam, àc si præcisa esset manus Deo, nè quem præstantiorem paremve posteà emittat. Ità Caluinus, haud obscurè indicans, quàm velit ipse Lutero præstantior haberi. Sed ista non videt mundus, nescio quo lethargo oppressus. Verùm Sleidanus, qui ex Luteri libro de Concilijs & Ecclesia, quem eundem esse apparet, quem alij vocant de Patribus & Concilijs, non pauca citauit, quæ possent flagellare Catholicam Ecclesiam, hanc Luteri de Zuinglio sententiam, qua eum dicit Nestorianum, pro suo insigni candore tacitus prætèrit: scilicèt optimæ fidei historicus fraudulentèr celans, quæ contra se suosque faciant.

1539

Caluinus non vult Lutero videri inferior.

1540

Legati Protestãtium ad Cæsarem.

ANNO 1540. rex Ferdinandus ab Austria venit Gandauum ad Carolum Cæsarem: venerunt eò quoquè legati Protestantium Ordinum, qui præter alia multa, quibus & sese mirificè purgare, & in Catholicos turbarum omnium culpam conferre nitebantur, coram illo Catholicæ religioni addictissimo Principe dicere non sunt veriti, hoc tempore Deum Euangelij sui cognitionem excitâsse, quasi antehàc Germania Euangelium nescierit, & ab apostatis demùm & votifragis monachis illud discere debuerit. Eodem tempore Protestantes Ordines ad Galliæ regem non parùm blandas scripsère literas, vt si quid à Cæsare durius expectandum esset, haberent potentissimum regem sibi coniunctum. Cæsar cùm legatos Protestantium audiuisset, se deliberaturum respondit. Multùm hìc iterùm vrgebant legati illi, vt Cameræ iudicibus non liceret pro illis ferre sententiam, qui se quererentur rebus & facultatibus suis sub Euangelij prætextu priuari, quales querimoniæ à Clero Catholico & Monasticæ vitæ cultoribus tum non raræ ad Cameræ iudicium deferebantur. Dicebant Catholici, se iniuria rebus suis spoliari: asserebant contrà Euangelici, iurè id fieri, quòd falsam colerent doctrinam &c. In hac autem controuersia non licebat Catholicis ad supremum Imperij iudicium prouocare, sed oportebat eam ferre sententiam, quam apostatæ & incestis nuptijs polluti monachi, suis magistratibus persuasissent veram esse & prorsùs Euangelicam. Hoc miserum erat & calamitosum, & tamen sic habebat pura doctrina noui Euangelij. Cæsar cogebatur ob temporum iniquitatem pleraque dissimulare, cùm tam multis ijsdemque potentissimis premeretur hostibus. Indixit nihilo minùs Conuentum Principum Spiræ, qui tamen ob pestis sæuitiem translatus est Hagenoam, cui Ferdinandus rex Cæsaris nomine præfuit, Cæsare alijs occupato. In hoc conuentu Luterani noluerunt pondus aliquod habere eam quorundam articulorum conciliationem, quam Augustæ septem ab vtraque parte collocutores effecerant. Petiêrunt etiàm colloquium Vuormatiæ habendum, & impetrârunt. Sed in eo colloquio parùm confectum est. Hoc ferè loco Sleidanus recitat prolixissimum scriptum Protestantium ad Granuellanum, quemadmodùm & aliâs passim multa superuacanea, immò & vana & perni-

Postulata Legatorum.

Cõuentus Imperij Hagenoæ.

perniciosa, ad nauseam vsque commemorat, vt docti quidam non immeritò affirmârint, plura apud illum esse πάρεργα, quàm ἔργα. Hoc verò scriptum satis apparet ex concionatorum & dogmatistarum officina profectum. Multùm illic bellissimi isti ecclesiastæ & apostatæ monachi suam causam fucis quibusdam oblinere conantur, sed itàtamen, vt non ipsi, sed Principes & magistratus loqui videantur. Nos verò ex vnguibus leonem facilè dignoscentes, istis apostatis & dogmatistis respondemus. Aiunt Catholicos magna crudelitate grassari in homines innocentes. Ijs verbis Imperatorem, Regem Franciæ, multosque alios Catholicos principes obliquè crudelitatis insimulant, propterea quòd de hæreticis supplicium sumerent, quos ipsi vocant homines innocentes. Et tamen etiàm Protestantes seuerè animaduertebant, hauddubiè instigati ab istis, in Sacramentarios & Anabaptistas, qui se non minùs atquè Luterani innocentes iactitabant. Quæ verò illa innocentia est, homines à Christi corpore, quod est Catholica Ecclesia, abstrahere, & in pestilentissimos errores inducere, quos necesse est non aliud quàm ipsam mortem sempiternam consequi? Latrones atroci plectuntur supplicio, quòd corpora iugulent, & isti animarum parricidæ tanquàm innoxij tantæ immanitatis nullas pœnas dabunt? Aiunt se in suspicionem vocari, quasi non emendationem Ecclesiæ, sed commoda solùm sua spectent, & has calumnias longè lateque disseminari, quô vera religio & ipsi in odium adducantur. Quis hîc non rideat istorum impudentiam? Si Ecclesiæ emendationem spectabant, cur non manserunt in suis cœnobijs? cur tot iam olìm damnatos errores ab inferis excitârunt? cur Germaniam fœdissimis religionis dissidijs horrendum in modum distraxerunt? Et has tantas errorum tenebras audent vocare puram doctrinam, audent dicere se filij Dei nomen & euangelium profiteri. Sed nè impietatis arguantur, quòd sua cœnobia deseruèrint, & post nuncupatum Deo perpetuæ continentiæ votum incestis se nuptijs polluerint, vitam monasticam vocant pharisaicam & impiam. Ità nimirùm dicere eos oportebat, si causæ suæ consultum vellent. Sed erit apud omnem posteritatem summę execrationi hæc ipsa vestra impudentia, quòd non modò non voluistis tantum scelus agnoscere, sed etiàm in illo gloriari. Sic olìm Iulianus apostata cùm à Christiana religione

1540

Hæreticorum qualis innocentia.

1540 ligione defecisset, sacras literas his verbis irrisit, scribens ad primarios sui temporis Episcopos: Legi, Cognoui, Damnaui. Cui ità à nostris responsum est: Legisti, sed non cognouisti: si enim cognouisses, non damnâsses. Vt ille impius irrisit scripta diuina, sic isti innocentes homines & belli euangelici, lacerant vitam monâsticam, quam ab ipsis Apostolis vsque in præsens constat in Ecclesia Dei magnæ venerationi sempèr fuisse. Sed cùm illi per summum scelus ab ea vita discesserint, si suæ velint existimationi consultum, nō debent nisi pessimè de illa & dicere & scribere. Et habent certè qui illos audiant, & eos rectè fecisse credant: sed quis interim explicare satis queat, quibus illi noctes atque dies conscientiæ sæuissimis aculeis pungantur, licèt id apud homines dissimulent? Sciunt enim omnes illos veteres sanctissimos Patres, adhibitis scripturæ diuinæ testimonijs, id constantèr affirmare, vota continentię & aliarum rerum bonarum Deo semèl præstita, prorsùs reddi oportere, illosque impios & perfidos censendos, qui postquàm Deo vouerunt continentiam, audent inire cōiugia. Hęc, inquam, illi non ignorant, sed obstinata animi desperatione contemnunt: cumque se videant ab omni spe salutis, nisi resipiscant, excidisse, summoperè in eam curam & cogitationem incumbūt, vt quàm plurimos secum in damnationem adducant. Itaque haud secùs ac pestes quędam fugiendi sunt, nè sua contagione alios inficiant. Verùm id illis persuaderi non potest, quorum oculos suis mendacijs ità perstrinxerunt, vt illorum scelus & turpitudinem videre non possint. Iam verò quātam habet vanitatem & impudentiam, quòd aiunt in his literis, se nihil contra veteris Ecclesiæ formulam docere, cùm certissimum sit, & à nostris abundè ostensum, eos pro Euangelio & Dei verbo hominibus nihil ferè obtrudere aliud, quàm crassissimos & iam olìm damnatos errores? Et nè parùm sit tam sceleratè esse mentitos, adijciunt mox aliud tam insolens & prodigiosum mendacium, vt non stylo, sed magistratûs sceptro & seuera animaduersione vindicandum sit. De pœnitentia, inquiunt, in Ecclesia docebatur frigidè & perplexè: de gratia per Christum accepta, de condonatione peccatorum ne verbum quidem. In re tam aperta, quam ipsa lux meridiana palàm coarguit, quid possumus aliud, quàm & istorum deploratam malitiam, & illis fidem commodantium miserandam dolere cæcitatem? Quis verò possit mederi homi-

Niceph. Eccl. Hist. lib. 10. cap. 25.

Impudens mendaciū apostatarum.

Aliud insigne mendacium.

hominibus, qui sibi tam luculentèr imponi sinunt? Legantur vel soli Doctorum Scholasticorum libri, & penè ad fastidium vsque comperientur de Christi gratia & peccatorum remissione scripsisse. Non ergò isti quadam animi imbecillitate aut ignoratione, sed destinata & deplorata malitia hæc & id genus alia multa in miserorum certissimam perniciem confingunt. Sed porrò adijciunt, Missam priuatam esse rem nouam & inuectam partìm ignoratione, partìm auaritia. Et hoc rursùs mendacium est intolerabile: & certè ipsi in sua Augustana Confessione profitentur Missam apud se retineri & summa reuerentia celebrari. Quid verò, si rem ipsam spectes, interest inter publicas & priuatas Missas? Sed quicquid de Missa illi blaterent, certum est, eos summos esse Missæmastiges: qua de re satis superque Catholici illis respõderunt. Pergunt viri optimi: Propter ablarum, inquiunt, sacerdotibus coniugium, redundabant omnia turpissimis exemplis. Sed omnis Oriens & Occidens iam antiquitùs non permisit sacerdotibus coniugium. Vnius tantùm D. Hieronymi testimonium proferemus, nè prolixi simus: Apostoli, inquit, vel virgines fuerunt, vel post nuptias continentes. Episcopi, presbyteri ac diaconi aut virgines eliguntur, aut vidui, aut in æternum certè pudici. Huic omnes Patres adstipulantur. At hodiè sub isto nouo Euangelio videmus omnia redundare incestis nuptijs sceleratissimorum & votifragorum monachorum & monialium. Aiunt boni viri, vt paulò antè audiuimus, se nihil contra veteris Ecclesiæ formulam docere. Sed quæ vnquàm vetus Christi Ecclesia permisit monachis & monialibus coniugium? Audiant perditi isti Canonem 15. celeberrimæ illius & toto orbe receptæ Synodi Chalcedonensis: Si qua virgo se dedicauerit Deo, similitèr monachus, non licèt eis nuptijs iungi: si verò inuenti fuerint hoc facientes, maneant excommunicati. Sed hunc tantæ Synodi Canonem isti omni lachrymarum fonte plangendi tenebriones prorsùs contemnunt. Nam est scriptum quoddam posteà editum, vbi palàm asserunt noui euangelistæ, Chalcedonense Concilium tetro errore monachis & monialibus coniugium interdixisse: quo in loco etiàm Nicenam illam primam & antiquissimam Synodum reprehendũt, quòd contra Iohannis Baptistæ sententiam de militibus decretum fecerit, multaque alia etiàm veteris Ecclesiæ Concilia ceu censores quidam incredibili temeritate

1540

In Apologia ad Pãmachium.

Scriptum cõtra Synodi Tridẽtinæ cõtinuationẽ à Pio 4. indictam.

1540 condemnant, inter cætera etiàm de Carthaginen 3. cui Augustinus episcopus interfuit, ista ore impuro euomentes: Tertia (sic enim legendum appáret, non quinta, in qua nihil hinc agitur) Synodus Carthaginensis inuexit impia sacrificia, oblationes & intercessiones pro defunctis. Impia vocant sacrificia, ipsi omnium impijssimi, simulque turpissimè mentiuntur, quòd tum primùm cœptum sit sacrificari pro defunctis, sicut copiosissimè ostendi posset, si locus pateretur. Addunt quoque de Concilio Mileuitano, cui similitèr Augustinus interfuit, statuisse illud, vt diuortio post adulterium alterius ex coniugibus facto, non liceat innocenti personæ denuò contrahere coniugium, idque aiunt nimìs durum & iniustum esse. Durus ergò & nimis iniustus est etiàm Christus ipse & Apostolus, qui idem sanxerunt. Et certè Canonis verba hæc sunt: Placuit, vt secundùm Euangelicam & Apostolicam disciplinam, neque dimissus ab vxore, neque dimissa à marito, alteri coniungantur, sed ità maneant, aut sibimet reconcilientur: quæ ab Apostolo Synodus mutuata est. En quò isti proruunt? Sed vt insignitèr animi sui fraudem prodant, adijciunt Fabiolæ nobilis Romanæ matronæ exemplum, quòd illa, teste Hieronymo, post diuortium alteri nupserit. Hac tandèm in re vnius fœminæ exemplum apud eos plus habet ponderis, quàm Christi ipsius, quàm Apostoli, quàm totius Ecclesiæ sententia. An non apertissimè dicit Apostolus: Mulier, viuente viro, vocabitur adultera, si fuerit cum alio viro? Atquì verò hoc ipsum Fabiolæ exemplum vsqueadeò nihil pro eis facit, vt eos etiàm planè pudefaciat. Nam vt in eius Epitaphio refert idem Hieronymus, ea post mortem secundi viri in semet reuersa, saccum induit, errorem publicè fassa est, tota vrbe spectante Romana ante diem Paschę in Basilica quondàm Laterani stetit in ordine pœnitentium, episcopo, presbyteris & omni populo collachrymantibus, sparsum crinem, ora lurida, squalidas manus, sordida colla submisit. Hæc cùm ipsius Hieronymi sint verba, qua vel mente, vel fronte audent isti Fabiolam pro se citare? Sed his nefarijs dolis & fraudibus tam multos decipiunt, vt nemo satìs deplorare queat. Si ergò aliquid apud eos valet exemplum Fabiolæ, imitentur eius pœnitentiam, induant saccum, errores suos, immò tèr execranda mendacia sua palàm fateantur, & clament ad Deum totis viribus, si fortè possint ab illo impetrare veniam

Matth.5. *Mar.10.* *Lucæ 16.* *1.Cor.7.* *Rom.7.*

niam tot immanium parricidiorum, quibus tot animas 1540
Christi sanguine redemptas, horrendum in modum iugularunt. Sed sat scio, hanc Fabiolæ pœnitentiam more suo pharisaicam & impiam clamabunt. Et est certè admiratione dignum, hoc exemplum etiàm à Melāchthone citari, idque cum repræhensione sanctorum patrum, *In lib. de* tanquàm fœdè prolapsorum. Sed ex his & id genus alijs *Ecclesia.* istorum hominum fraudulentis citationibus, & impijs calumnijs tanquàm ex vnguibus leonem, eorum malignos animos perspicuè cognoscimus, atque vtinàm cognoscerent etiàm illi, qui candidè & religiosè in religionis tractandis negocijs eos versari nimis malè sibi persuasum habent. Et reuerà istorum improbitas cogit nos interdùm his in rebus diutiùs, quàm aut velimus, aut institutum poscat, immorari, & speramus lectorem nostræ necessitati veniam facilè daturum, quippè qui his commemorandis id spectamus, vt simplex lector intelligere possit, quibus dolis & fraudibus tum Sleidanus, tum dogmatistæ euangelici imponant orbi Christiano. Nam alioquì mallemus simplicitèr historiam texere, & ab alijs interim abstinere : sed cùm isti suas historias & scripta alia tot mendacijs & fraudulentis machinationibus oppleant, cogimur nonnunquàm illa prodere & vel paucis repræhendere, vt sibi ab illis cauere nôrint, qui per se talia non facilè animaduertunt. Nec tamen studio nobis est omnia Sleidani vitia, quibus scatent eius Commentarij, aperire : nam id proprium omninò & quidem prolixum opus flagitat : sed sat habemus obitèr quædam indicâsse, vt ex ijs discat Lector, quis vir ille fuerit, & quid de eius commentarijs, tum etiàm de symmystarum eius & cæterorum noui euāgelij præconum scriptis, quæ tot fraudibus & mendacijs scatent, sentiendum sit. Atque hæc quidem vt hoc loco paulò fusiùs scriberemus, occasionem nobis obtulit Sleidanus tam prolixè recitandis literis Protestantium ad Granuellanum, in quibus etiàm hoc additur, Protestantes non defuturos colloquio & actioni conciliationis, sed ità, vt scriptura duce verum exquiratur, & Christus solus pro iudice agnoscatur. Quam canti- *Cātilena* lenam illi bellissimi Theologi perpetuò cantillant, qua- *Hæreticorum.* si non eadem voce & multi alij superiorum temporum hæretici vsi sint. Sed aduertat dolum lector. Volunt scripturam solam valere, sed ità, vt penès ipsos sit facultas eam interpretandi. Quæ verò tam impia

possit

1540 possit extare hæresis, quæ non libentèr hac ratione scripturam solam iudicem patiatur? O nimiùm simplices Christianorum animos, qui hanc versutorum hominum vafriciem non aduerterunt. Non est nobis controuersia cum illis de scripturis, sed de sensu scripturarum. Hunc illi volunt petere ex suis parùm sanis cerebris, nos illum petendum esse dicimus ex perpetuo Catholicæ Ecclesiæ consensu. Verùm hoc illi prorsùs refugiunt, quia sciunt dogmata & priuatas falsasque opiniones suas ab hoc publico totius orbis Christiani consensu prorsùs discrepare. Interim scripturas crepant apud imperitos, sed docti facilè intelligunt tam nihil pro illis facere germanum scripturæ sensum, quàm nihil suffragatur mendacio veritas. Et quî tandèm fieri possit, vt bona fide ad scripturas prouocēt, cùm ipsam suam Confessionem Augustanam & pleraque dogmata sua non semèl mutârint? Potéstne verum esse quod varium est, aut potest cum tanta incōstantia vllum habere commercium incommutabilis scripturæ diuinæ veritas? Sed tempus est, vt receptui canamus, ne nimiùm istis respondendo, lectori tædio simus. Habebunt hæc alibì fortaßis locum opportuniorem.

Cōuentus Protestantium. Sub hoc tempus Legati Protestantium ex Anglia rediêrunt, & in conuentu Smalcaldiensi, quem Protestantes tum agebant, cui intererant Luteranorum Doctores antesignani, Ionas, Pomeranus, Melanchthon, Cruciger, Bucerus, narrauerunt statum religionis in Anglia, & quemadmodùm rex ipse Henricus in familiari colloquio dixisset, Protestantium theologos de præcipuis quibusdam controuersis rebus nō rectè sentire. Nam etsi rex ille propter diuortium, cuius antè non semèl meminimus, à Pontifice, qui illud probare noluit, abalienatus erat, tamen Luteri dogmata pleraque prorsùs è suo regno profligauit. Hoc verò non placuit Euangelicis dogmatistis, qui suos principes vel maximè eò incitabant, vt potentissimorum regum coniunctis viribus & amicitia, sese contra Pontificem & Cæsarem munirent, quos timebant ipsis bellum molituros propter mutatam religionem. *Versutia Theologorum Protestantiū.* Post dies paucos Theologi Protestantium scriptum exhibuerunt, cuius hæc erat summa, non esse discedendum ab Augustana confessione & eius Apologiâ. Hoc quidem illi Theologi præ se ferebant, sed mentita est iniquitas sibi, cùm ab illa confessione etiàm author & architectus eius Melanchthon discesserit, eamq;

non

non semel mutârit: adeoque Luterani plerique hodiè summa acerbitate id Melanchthoni & plerisque aliis Augustanæ confessionis professoribus obijciant, quòd ab ea confessione turpitèr defecerint. Nec est contentionum inter istos vllus finis, vt mirum sit non aduertere Principes, non posse illos homines Dei spiritu regi, qui in doctrina Euangelij, vt ipsi vocant, tam impudentèr vani sunt & instabiles ac varij, tamque fœdis inter se dissidijs distrahuntur. Approbat confessio liberum arbitrium, quod tamen Luterus & Caluinus, multique alij Sectarij pertinacissimè negant, Deum ipsum, quod sinè horrore dici non potest, scelerum omnium authorem facientes. Non reijcit Missam Confessio, licèt ea Missa Luterana sit potiùs quàm Catholica. Sacramentarij verò, qui & ipsi sub hac confessione delitescunt, aut se delitescere fingunt, ipsam quoquè Luteranorum Missam si non superstitionis, certè ludi cuiusdam loco habēt. Non negat Confessio veritatem corporis & sanguinis Christi in Eucharistia, Sacramentarij irrident. Luterani alij bonorum operum merita asserunt, alij refellunt. Melanchthon ipse huius Confessionis author, in Confessione affirmat, in cœna Domini (sic enim vocant Eucharistiam) corpus & sanguinem Christi verè adesse: sed idem ipse in Caluini errorem, aut certè nouum Sacramentariorum dogma posteà deflexit. Quanti igitur, obsecro, ea facienda est Confessio, quam nec ipsi sequuntur, qui eam conscripsêre, eam iactitant, eam perpetuò nobis obtrudunt, & ab ea se discedere nolle turpitèr mentiuntur? Nihil certè isti faciunt aliud, quàm quòd grauissimum æternæ salutis negocium in ludum vertunt, & quod de medicis alia significatione dici solet, animas negociantur.

1540

Ab Augustana Cōfeßione vt Euangelici defecerint.

Circa hoc ferè tempus missa est à Cæsare & rege Galliarum Francisco splendidissima legatio ad Venetam Rempublicam, ità vt Veneti ipsi faterentur nihil ipsis vnquàm specie legationis ad dignitatem honorificentius accidisse. Cæsaris nomine missus fuit Alphonsus Daualus Vastius, procera corporis statura & multa oris dignitate conspicuus, rerumque gestarum fama clarissimus, & Cæsaris in Italia dux summus: Porrò regis Francisci nomine Hanibaldus Gallicarum copiarum ad Taurinum præfectus. Erat tum temporis Veneta Respublica vehementèr afflicta à Turcarum tyranno, qui non solùm Corcyram, Cretam & insulas Cyclades mirum-

Legatio ad Venetos.

Veneti à Turca afflicti.

1540 mirum in modum diuexârat, ſed etiàm mercatores Venetos Byzantij atque tota Syria & Aegypto in catenas conijci, eorumque res & merces magni precij in fiſcum referri iuſſerat, adeò vt tum nequaquàm tuta eſſet Venetis more ſolito nauigatio, atque prætereà ſumma rei frumentariæ, quæ ex Macedonia & Græcia facilè peti poſſet, inopia premerentur. Atque hoc quidem tempore, cùm regum legati adeſſent, inducijs cum Solimanno pactis fruebantur, quorum tempus iam propè effluxerat. Itaque hoc rerum ſtatu licet Vaſtius præſertim Cæſaris legatus diligentèr in id incumberet, vt cum Cæſare & Gallo coniunctis armis Turcam paritèr oppugnarent, tamen Venetus Senatus nihil adhùc certi & comperti habens de Cæſaris & Franciſci regis ſolida amicitia, ingenti quidem ſtudio & omni honoris officio eos legatos proſecutus eſt, at nihilo minùs paulò pòſt Aloiſium Badoerium ad Solimannum pacis conficiendæ cauſa miſit, certis illi, quibus apud Solimannum ageret, conditionibus præſcriptis. Eas conditiones Solimannus quorundam proditione, quæ multas perdit Reſpublicas, iam perceperat, & legatum Aloiſium, ità vt iuſſus erat, quædam diſſimulantem, ſeuerè corripuit, dicens ſe iam ſcire quid à Decemuiris definitum eſſet. Ea obiurgatione territus legatus, ſuprà etiàm, quàm Senatus permiſerat, Solimanno conceſſit, vt pax conciliaretur. Ità tum Solimannus cum Venetis pacem fecit, traditis illi Nauplio & Epidauro Peloponneſi vrbibus, & Nadino atque Labrana Dalmatiæ caſtellis, non ſinè magno Venetæ Reip. detrimento. Poſteà verò diligenti habita inquiſitione depræhenſi proditores, graui ſupplicio affecti ſunt.

Veneti pacem à Turca petũt.

Eam impetrant.

Cùm Cæſar Carolus eſſet Gandaui, venit ad eum Dux Iuliacenſis, qui iam Geldrenſem quoquè principatum vltrò ipſi oblatum poſſidebat. Voluit ille Princeps cum Cæſare de pace tranſigere, ſed nihil tum effectum eſt. Interim Galliæ quoquè rex, vbi ſe videt ſpe obtinendi Mediolanenſis imperij fruſtratum, à Cæſare fit alienior, iungitque amicitiam cum Iuliacenſi principe, deſponſa illi, vt quidam ſcribunt, Iohanna è ſorore Margarita Nauarræ regina nepte, puella longè omnium totius Galliæ opulentiſſima. Ea amicitia non benè ceſſit Iuliacenſi principi, vti poſteà referemus, neque eæ nuptię ſuum habuère proceſſum.

Cromuel Hoc anno Thomas Cromuel, ex humili loco ad ſupremam

premam

premam à rege Angliæ Henrico VIII. dignitatem eue- *1540*
ctus, ab eodem capite damnatus eſt. Fuerat is, qui in Epi- *capite ple-*
ſcopũ Roffenſem Iohannem Fiſcherium, Thomam Mo- *ctitur.*
rum, & pleroſque alios religioſos viros ſeueriſſimè iuſſit
animaduerti, quòd nollent regis cum Catharina diuorti-
um & quædam alia approbare. Non deſunt, qui ſe valdè
beatos putent, ſi magnorum principum gratia fruantur,
eiusque tum obtinendæ, tum conſeruandæ cauſa multa
plerunquè faciunt præter ius fasque: at præpotentis Dei
iuſto iudicio tales non rarò ſuæ ſtultitiæ meritas dant
pœnas, gratia Principum in odium verſa: quemadmo-
dùm legimus olìm Perillum Athenienſem inſignem fa-
brum, cùm Phalaridi crudeliſſimo tyranno, vt illi place-
ret, æneum fabricâſſet taurum, in quem coniecti homi-
nes, & igne ſuppoſito dirè excruciati, non humanam vo- *Perilli ſup-*
cem, ſed bouis mugitum edere viderentur, ab ipſo Phala- *plicium.*
ride, cuius gratiam venabatur, primùm in illam ſæuiſſi-
mam carnificinam coniectum eſſe, malumque conſili-
um ipſi conſultori peſſimè ceſſiſſe.

Hoc anno Carolus Cæſar graui edicto propoſito, *Cæſaris*
per omnes ditiones ſuas hæreditarias Germaniæ infe- *edictum*
rioris omnibus interdixit lectione librorum Luteri & *contra li-*
quorumcunque aliorum hæreticorum. in immorigeros *bros hære-*
capitis pœna decreta eſt. Hoc verò etſi plerique permo- *ticorum.*
leſtè ferunt, putantque omnibus eiuſmodi librorum le-
ctionem permitti debere, tamen conſultiſſimè fit, nec
eſt in Eccleſia nouum, ſed etiàm longè ante mille an-
nos tempore Nicenæ illius ſanctiſſimæ Synodi non *Nicephor.*
modò ipſa Synodus Arrij & ſectatorum eius libros *Eccle. Hi-*
comburi iuſſit, verùm etiàm Conſtantinus Imperator *ſtor. lib. 8.*
Chriſtianiſſimus capitis ſententiam tulit in eos omnes, *cap. 18.*
qui eos occultâſſent libros, & non ſtatìm combuſſiſſent.
An non Apoſtolus ipſe hæreticum hominem poſt v- *Tit. 3.*
nam & alteram correptionem vitandum dicit, & ſermo- *2. Tim. 2.*
nes hæreticorum inſtar cancri ſerpere? Pauci ſunt eo iu-
dicio præditi, vt poſſint verum à falſo ſecernere, & de
dogmatibus iudicare: & multi quidem hoc iudicium
ſibi tribuunt, & legunt indiſcriminatìm ſcripta quo-
rumcunque, ſed capti & illaqueati inſidioſiſſima verſu-
tiſſimorum hominum blandiloquentia, dant pœnas
confidentiæ & temeritatis ſuæ. Rectè igitur etiàm an- *Diſt. 15.*
te mille annos Gelaſius Pontifex eruditiſſimus libros *c. Sancta*
hæreticos damnauit & cauendos iudicauit, itemque *Romana.*
noſtro ſeculo Pontifices ſeueriſſimè prohibent hæ-
retico-

1540 reticorum librorum lectionem, nè scilicet incautus lector exitiale virus imis visceribus hauriat: dumque se non potest ex callidissimorum hominum argumentationibus extricare, falsum pro vero amplectatur, atque sibijpsi mortem consciscat sempiternam. Certè de Apostolis & eorum discipulis Irenæus sanctissimus & Apostolorum ætati proximus scriptor, libro 3. contra hæreses testatur, eos ne verba quidem commutâsse cum quopiam eorum, qui veritatem adulterant atque deprauant: nec dubium quin illi magistratus non rectè consulant subditis suis, qui in suis ditionibus & vrbibus permittunt palàm prostare damnatos codices & scripta hæretica. Nam nulla ferè alia re tam multi capiuntur & pereunt apud Catholicos, quàm quòd eiusmodi perniciosos libros facilè sibi comparare possunt, dissimulante interim Magistratu, in quem illorum perditio, vt verendum est, redundabit. Multi hæc modò paruipendunt, sed vbi ventum erit ad tribunal Christi æquissimi iudicis, iam paruipendere non licebit. Multis locis horum temporum Sectarij quidam non modò Catholicorum, sed etiam aliorum Sectariorum ab ipsis discrepantium libros, seuerissimè omnibus suis interdicunt, Catholici verò plerique id negligunt admodùm perniciosè. Hoc obitèr admonere visum fuit, vt pius lector nouerit, non solùm non repræhendendos, sed etiàm precipuo studio & amore complectendos Pontifices, Imperatores, Reges, Principes & Magistratus omnes, qui è totis suis ditionibus damnatos libros proscribunt, eorumque lectione subditis omnibus interdicunt: perindè vt suis liberis parentes illi, qui modis omnibus cauent, nè quid ab illis toxici aut exitialis cibi potúsve sumatur.

Apostoli quàm vitàrint hæreticos.

Rectè prohibetur lectio librorum hæreticorum.

Quintæ nuptiæ regis Angliæ.

Hac Tempestate Angliæ rex Henricus, clarissimi Principis Guilielmi Cliuiæ Ducis sororem Annam, quæ illi quarta fuit coniunx, repudiat, & Catharinam Hauardam Ducis Nordfolciæ ex fratre neptim, quinto matrimonio sibi coniungit. Porrò Londini tres nouo Euangelio addictos, atque in ijs Robertum Barnum, cremari iussit. His alios tres pari pœna plectendos adiunxit, qui Romani Pontificis primatum, & Catharinæ Hispanæ coniugium approbabant.

Obitus Budæi.

Huius anni mense Augusto obijt Parisijs Guilielmus Budæus, vir citra controuersiam summa eruditione, & apud Gallorum regem magna authoritate. Multùm illi viro debent studiosi omnes, quibus plerisque doctis-

doctissimis lucubrationibus suis non parùm contulit. 1540
Illo authore & instigatore Franciscus rex Galliarum doctissimos viros liberalibus stipendijs Lutetiæ auxit, vt bonas literas & linguas profiterentur: quæ res magnos attulit rei literariæ progressus. Voluit absque vllo fastu corpus suum sepulturæ tradi, modestiæ causa, vt opinor, vnico tantùm lumine præeunte. Reliquit vndecim liberos, & non paucos libros ab ipso elucubratos.

Mors regis Hungariæ.

Moritur etiàm hoc anno Iohannes Hungariæ rex, relicto infante sub tutela Georgij monachi, qui Hungariam omnem quæ illi paruerat, in pueri etiamnùm in cunis vagientis verba iurare compulit. Ea res noua bella peperit, quæ Hungariam Turcis occupandam obiecêre.

Fuit huius anni æstas memorabili siccitate grauis, & vini quidem preciosissimi ferax, & siliginis prouentu mediocris: sed fœni, olerum, & id genus aliarum rerum, quæ ad victum hominibus præsertim tenuioribus necessaria sunt, magna penuria.

Approbatur Societas Iesu.

Hoc anno à Pontifice Maximo Paulo III. approbatum est institutum Societatis Iesu, cuius professores licèt hodiè maximos toto orbe in vera propaganda pietate apud Christianos & ethnicos, Mahometanos & Iudæos fructus proferant, nihilo minùs non desunt pio huic instituto multi neutiquàm probandi calumniatores & obtrectatores, ex ijs præsertim, qui se Euangelicos dici quàm verè Euangelicos præstare mâlunt: eapropter nonnihil hoc loco de eoipso instituto dicendum est, nè quis rei ignorantia deceptus erret, aut maledicorum linguis vel scriptis fidem commodet. Instituti huius primus author & inchoator fuit Ignatius Loyola Cantaber, nobili Baronum familia ortus. Is ob singularem prudentiam & animi fortitudinem cùm Galli arcem Pompeiopolitanam acerrimè oppugnarent, præfecti munus adeptus, strenuè se suosque defendit: sed tandèm in vtroque crure grauissimè læsus, & à Gallis captus est. Ea crurum vulnera posteà ei vitæ in melius commutandæ non minima causa fuere. Nam dimissus à Gallis, cùm ex ijs vulneribus incredibiles noctù diuque ferret dolores, ad sese rediit, mundi vanitatem, cui iam plùs satis addictus fuisset, & vitæ breuitatem altiùs perpendit, diuinisque & æternis, quas hactenùs non magnoperè curâsset, rebus animum adijcere cœpit. Contigit interìm, vt annum inte-

Societatis Iesu institutor.

1540 grum & eo ampliùs ex morbo decumbenti in manus venirent Vitæ Sanctorum, quas cupidè legentem mira incessit religio, dolor quoquè ob admissa superioribus vitæ spatijs peccata, deniquè cupido vitæ deincèps asperè & seueritèr transigendæ, agendæque pœnitentiæ. Curatis igitur vulneribus ità se comparat, tanquàm ad ducem Nagera profecturus, re autem vera spretis omnibus mundi huius voluptatibus & vanitatibus, relictis rebus & facultatibus suis, Christo deincèps militaturus, in ipso ætatis flore (agebat quippe tum annum ætatis XXVI.) ad celeberrimum Montis serrati templum se contulit, vbì vestibus lautioribus & Sericis exutus, quas pauperi cuidam dedit, eius laceras rursùs induit: tamque rigidam & omnis virtutis studiosam aliquandiù vitam egit, vt permultos ad Dei amorem suo exemplo inflammârit. Degebat ad tempus solitarius in specu quodam ad littus fluuij per campum Manresanum decurrentis, faciens dignos fructus pœnitentiæ, quemadmodùm Domini Baptista Iohannes in Euangelio hortatur. Id temporis literarum rudis fuit, sed Spiritussanctus & mirabili eum collustrauit lumine, & singulari erga proximos amore succendit. Indè in pauperis peregrini habitu se contulit Hierosolymam, loca sacra supplex veneraturus, in quibus Christi Dei etiamnùm expressa extant vestigia. Ijs verò locis vsqueadeò delectatus est, vt nihil optârit magis, quàm ætatem omnem illic degere: verùm diuinitùs est admonitus, vt in Occidentem reuerteretur. Itaque in Hispaniam redit, & primò Complutum, pòst Salamanticam se confert, ibique literis dat operam: cumque in vili habitu, sacco coopertus, palàm homines ad pœnitentiam hortaretur, nulla accepta ab Episcopis concionandi potestate, nec eruditione sufficienti præditus, bis in carcerem coniectus, & ab Inquisitoribus tanquàm de doctrina suspectus, examinatus est, sed tandèm extra omnem noxam integer vitæ scelerisque purus repertus, è custodia dimissus, Lutetiam Parisiorum se contulit: atque vt alijs docendis & ad Christum conuertendis magis esset idoneus, decem annos literarum illic studijs, corpore debilis, & rerum propè omniũ inops, nisì quantùm aliorum liberalitate & propria mendicitate sustentabatur, impendit: tantumque labore & diligentia assecutus est, vt breuì artium magister creatus sit. Nec interìm cessabat verbo & exemplo homines prouocare ad pœnitentiam, idque adeò, vt mirabili vitæ ac morum eius integritate

Ignatius meditatur vitæ emẽdationem.

Matth 3.

Abit Hierosolymã.

Cõijcitur in carcerem.

Lutetiæ studet decennio.

gritate & flagranti in Deum amore permoti aliquot insigniter docti viri, illi se socios & imitatores adiungere non dubitârint. 1540.

Posteà in Hispaniam redit anno salutis 1536. atque indè Romam proficiscitur, quò etiàm socij eius viri cumprimis venerabiles se contulerũt, vt vnà Hierosolymam religionis ergô proficiscerentur. Anteà verò quàm Romam venissent, Venetijs illi egregij viri in domibus hospitalibus pauperum summa cum humilitate versati; incredibile studium ægrotorum morbis curandis, vulneribus obligandis, putidæ saniei detergendæ impenderant, atque ea raræ cuiusdam virtutis de se documenta præbuerant, vt iam omnibus admirationi essent. Roma deindè iterùm Venetias reuersi, audiunt ob pacem inter Turcas & Venetos per id temptus ruptam, non patére aditum ad loca sacra Hierosolymorum. Mutata igitur necessariò sententia, septem ex illis, Sacris initiantur, atque ad sacerdotium promouentur : sed ità, vt contemptis facultatibus omnibus, ad pedes Veralli Archiepiscopi Rosonensis, legati Apostolici, voluntariam paupertatem vltrò professi sint, vt liberioribus animis totos se lucris animarum impendere possent. Et ipse quidem Paulus III. Pontifex, eius legis Ecclesiasticæ, qua cauetur, nè quis Sacris initietur, qui non habeat vndè possit honestè viuere, eis gratiam fecit. Data tunc illis septem facultas est, vt confessiones peccatorum vbiquè recipere possent. Cœperunt tunc per vrbes Venetæ ditionis in Italia cum ingenti feruore & fructu incredibili prædicare verbum Dei. Posteà simul omnes iterùm Romam petunt, vbì post multa raræ pietatis, modestiæ, innocentiæ, eruditionis edita exempla, malo dæmone illorum pios conatus retardare conante, multis sunt & varijs molestijs exagitati, quæ tamen illorum institutum & nomen mirificè illustrârunt & amplificârunt. Intereà temporis, cùm non pauci ad illorum sodalitatem accessissent, per Contarenum longè doctissimum Cardinalem petunt à Paulo III. Pontifice instituti sui confirmationem. Ea in re nihil se Pontifex difficilem præbet, non obscuris indicijs iam præsentiens, quàm illorum viuendi ratio Christianæ Reipub. iuuandæ esset accommoda & opportuna : nè quid tamen in re noua inconsideratiùs egisse videretur, principiò cauit, nè vltra sexaginta in eam societatem reciperentur. Fuit hoc anno 1540. Cernens

Exempla veræ pietatis.

1540 autem idem Pontifex, quantos illi in dies fructus facerent, rursùs anno 1543. eorum Institutum, quod Spiritum sanctum habere authorem & procuratorem minimè ambigeret, confirmat. nec iam certum sociorum præscribit numerũ, quippe quos vel maximè auctos & multiplicatos optaret. Hæc sunt huius Instituti initia. Quis verò eius progressus fuerit, quantùm breui tempore creuerit, & in omnem terrarum orbem, ad extremos vsque Indos & Aethiopes atque Antipodes, se diffuderit cum incredibili animarum fructu, & barbararum quoquè nationum ad Christianismum traductione, hæreticorum ad Catholicam fidem reductione, innumerabilium iam planè deploratorum & desperatorum ad bonam frugem reuocatione, si dicere velimus, opus crescet in immensum. Quanuis autem in hac Societate Iesu multi sint viri excellenti doctrina & rara virtute, non tamen faciunt, quemadmodùm hodiè fratres Euangelici, qui à nemine missi, currunt, falcemque suam impudentèr mittunt in messem alienam: sed Romano Pontifici atq; totius Instituti primario Præposito se totos permittũt, atque ab illorum voluntate penitùs pendent: quicquid illi iusserint, id citra vllam tergiuersationem imperterriti exequuntur, etiamsi præsentissimum, quod sæpè fit, vitæ discrimen adeundum sit. Indè adeò accidit, vt cùm non sua voluntate, sed iussu superiorum multa sæpè difficilia & ardua munia obeant, ea tamen singulari quadam dexteritate, præsenti Numinis fauore freti, exequantur: sicut euidentissimè videre licet in illis, qui apud feras & barbaras nationes Christi Euangelium hodieque prædicant, & hactenus prædicârunt, qui licèt plerunquè supra vires humanas noctù diuque grauissimis baptizandi, concionandi, confessiones recipiendi, Sacramenta administrandi, & id genus alijs pietatis laboribus occupentur, non tamen delassantur animo: quin & corporis ea fruuntur valetudine & robore, vt ægrè plerique crediture sint. Nec paucis ab ijs in Christi gloriam illis in locis sunt edita miracula, Domino illis cooperante, & sermonem confirmante sequentibus signis. Vt verò ad Germaniæ amplissimam & Romanæ Sedis quondàm obseruantissimam nationem copiosissimus ab hac Societate fructus manaret, præstantissimus vir Romanæ Ecclesiæ Cardinalis Iohannes Moronus, qui in Synodo Tridentina Pontificis legatus fuit, cum Ignatio huius Instituti Præposito egit de construendo Romæ Collegio,

Cõfirmatur institutum Societatis Iesu.

Obedientia Societatis Iesu.

Edita miracula.

Mar. 16.

gio, in quo maxima Germanorum adolescentium multitudo optimis disciplinis & vera pietate liberalitèr & gratis institueretur, nec tamen eo nomine, vt in Iesu Societatem adolescentes illi pellicerentur, quod quidam falsò calumniantur, sed vt ab eius Societatis cumprimis eruditis & religiosis Patribus præclarè instituti in Germaniam remitterentur, vbi sacris concionibus & alijs pietatis exercitijs Germanos suos, versutia insolentium dogmatistarum in varios pugnantesque errores seductos, ad Catholicæ fidei synceritatem & vnitatem reducerent. Quantis verò sumptibus & laboribus ea res constiterit, nemo facilè dixerit: & possent indè, modò vellent, haud obscurè colligere Germani nostri, quo animo Pontifex & Cardinales sint in Germaniam, qui immensis impendijs collegium illud ædificandum, & studiosos Germaniæ adolescentes gratis illic rebus omnibus necessarijs afficiendos, optimisque artibus egregiè instruendos curârunt. Et ipse quidem immortali propterea nomine dignus Cardinalis Moronus ad idem Collegium sustentandum & amplificandum, non minùs opis & adiumenti, quàm ad instituendum adfert. Ea verò res, tamque felices in Germania & alijs locis huius præclaræ Societatis processus, satanam inprimis, deindè nouos nouorum dogmatum satores atque buccinatores, mirum in modum discruciant. Vident enim suis conatibus in dies magis ac magis ab huius instituti viris obuiàm iri: vident multos de suo grege detractos, ad ouile Christi reduci: vident non paucos Catholicos, superioris vitæ impuritate & fœditate damnata, redire ad studium puritatis & innocentiæ: vident denique, non solùm vitæ integritate, sed etiàm multiplici & rara eruditione plerosque huius Societatis adeò instructos, vt, quod alioquì impotentèr & petulantèr nimìs in Clero nostro facere solent, nec mores illorum, nisì planè impudentes esse velint, carpere, neque vllum doctrinæ genus in plerisque desiderare queant. Hinc illud plùs quàm Vatinianum illorum in hanc Societatem odium, hinc illa conuicia probraque iactandi sæua libido, quòd cùm re vera mores repræhendere non possint, nisì per calumniam, in Societatis nomen petulantèr incurrunt, modò Iebuzitas, modò prima detracta syllaba Suitas, inprimis autē **Jesuwider** Germanicè, tanquàm Iesu aduersarios vocant: sæpiùs etiàm atros equites, quòd plerique omnes pulla veste

1540
Collegiū Germanorū Romæ.
Cardinalis Moronus.
Petulātia hæreticorum.

 vtan-

1540 vtantur: quasi verò eiusmodi cauilla quicquam noceant laudatissimæ Societatis patribus, & non potius Sectariorum petulantiam declarent. Scilicèt nocuit ipsi Christo, quòd dæmoniacus, quòd turbæ seductor, quòd vorax & potator vini à calumniatoribus dicebatur. Quanquàm non ignoro, etiàm quosdam bonos viros interdùm aliquid erga hanc societatem humanum esse passos: sed id indè accidit, quòd nondùm certam haberent ipsius Societatis notionem. Mouentur enim sinistris suspicionibus nonnunquàm etiàm homines non mali, quia homines sumus, & vt homines, non rarò fallimur. Certò autem mihi persuadeo, quisquis eius Societatis res benè compertas habet, eum non nisi benè de illa sentire posse. Multi sanè hoc calamitoso seculo, quo tot emergunt iampridèm damnatæ hæreses, nouis istis & mirè varijs dogmatistis, qui vtplurimùm literarum politiorum & linguarum peritia sese venditant, huius Societatis professores esse diuinitùs oppositos sentiunt, vt illorum perniciosos conatus solida & vera eruditione atque minimè simulata vitæ integritate pessùm premant. id quod multis locis Dei benignitate fieri videmus: atque vtinàm plerique illis viris tam se gratos præberent pro magnis & multis laboribus, quos pro iuuanda Christiana Repub. bona fide continentèr exantlant, quàm id illi benè merentur. Certè Christianissimus Imperator Ferdinandus quàm propenso in illos sit animo, aliquot eius instituti constitutis Collegijs, ijsdemque non contemnendis prouentibus, quibus studiosi alantur, attributis, regia planè liberalitate declarauit. Longum esset enarrare, quot prætereà tota ferè Europa eius Societatis à maximis Principibus collegia pasśim sint condita, è quibus ad mortales omnes fructus vberrimi dimanant, ad Satanam verò & infaustæ doctrinæ, quam miseri Euangelicam vocare non dubitant, buccinatores dolor incredibilis. In Barbaris regionibus, longissimè à nostro orbe dissitis, ex ea Societate aliquot pro fide sanguinem libentissimis animis fuderunt, atque in ijs dominus Franciscus Xauier, qui multis illustribus claruit miraculis, & Prophetico spiritu eximiaque virtute præditus, immensos pro CHRISTO labores tulit, non absque fructu vberrimo in India atque vltimis Orientis regionibus. Alius quidam non ità pridèm anno CHRISTI 1561. multa nobilitate clarus apud Lusitanos, Goncallus

Iohan. 7. & 10. Matth. 11.

Bonorum suspiciões ex ignorantia.

Cæsaris fauor erga Societatẽ Iesu.

Frãciscus Xauier.

de

de Sylueira, flagrantiſſimo accenſus amore, ex ciuita- *1540*
te Mocambiguæ, mercatorum frequentia florentiſſi- **Goncallus**
ma aliquot Luſitanis ſibi adiunctis, in ampliſſimum **de Sylueira.**
Manamotapiæ regnum profectus eſt, vt regem iuue-
nem cum toto regno ad fidem conuerteret. Poſt mul-
tas & inexplicabiles itineris difficultates, ità vt maxi-
ma natando flumina non ſemèl traiecerit, veſtibus in-
terìm ſacris, quibus ſacra facere deberet, capiti impo-
ſitis, tandèm ad Manamotapam ciuitatem maximam **Manamotapa vrbs.**
peruenit, & à rege comitèr exceptus, tanta dexteritate
illis CHRISTVM annunciauit, vt breuì rex cum
matre ſua & regni proceribus quadringentis ſe ba-
ptizari voluërint. Eorum exemplo tota plebs ampliſ-
ſimæ prouinciæ iam accenſa fuit, cùm ecce ſatan per
Mauros quoſdam, iuratiſſimos religionis noſtræ ho-
ſtes, regi perſuadet, virum illum ſanctiſſimum, magum
eſſe, atque eò conniti, vt eius latiſſimum imperium Lu-
ſitano regi prodat. Credidit imperitus iuuenis impu-
ris nebulonibus, repudiataque CHRISTI religione,
miſit ſatellites quatuor, qui *Goncallum* iam diuinitùs **Goncallus occiditur.**
de morte impendente admonitum interficerent, & in
flumen demergerent. Eius verò mors adeò non de-
terruit huius Societatis fratres ab illa adeunda Prouin-
cia, vt nihil magìs optent, quàm vel ſummo vitæ cum
diſcrimine illis miſeris hominibus præreptam Euange-
lij lucem reſtituere.

Verùm in his commemorandis fortè prolixior ſum, quàm ferat præſens argumentum. Vt igitur paucis abſoluam, nouerit candidus Lector, huius præclaræ Societatis Patres conatus omnes eò intendere, vt tum propriæ inprimìs ſaluti inuigilent, tum totos ſe proximis Deo lucrifaciendis impendant, fidem Catholicam propugnent & propagent, publicis concionibus, prælectionibus, ſpiritalibus exercitijs, puerorum ac rudium in Chriſtianiſmo inſtitutionibus, recipiendis confeſſionibus, adminiſtrandis Sacramentis, ſopiendis diffidijs, captiuis & morbo affectis viſitandis & conſolandis, & id genus alijs exercendis pietatis ſtudijs, Dei gloriam & proximorum ſalutem, quoàd eius fieri poſſit, promoueant, idque ſanè gratìs: vt meritò pudefieri debeant noui præcones, qui ſe Euangelicos vocant, qui hos ſibi viros vel maximè lacerandos, & apud populum traducendos ſumunt, nulla quidem veritate fulti, ſed more ſuo calumniando, conuician-

1541 iudicando, mentiendo. Vt autem iam antè diximus, confirmauit eorum institutum Paulus III. Pontifex, neque is solus, sed post eum quoquè Iulius III. Paulus IIII. & Pius IIII. Quin etiàm amplissima Synodus Tridentina Sessione 25. Can. 16. vbi multa agit de Religiosis, inter cætera sic habet: Per hæc autem sancta Synodus non intendit aliquid innouare aut prohibere, quin religio Clericorum Societatis Iesu, iuxta pium eorum institutum, à sancta Sede Apostolica approbatum, Domino & eius Ecclesiæ inseruire possit. sed de his hactenùs.

Synodus Tridentina.

Comitia Ratisponæ.

ANNO 1541. mense Aprili Comitia Imperij sunt habita Ratisponæ, tum Turcis resistendi, tum religionis componendæ causa. Fuit in illis Comitijs Carolus Cæsar maturè admodùm, diuque aliorum aduentum sustinuit. Venit eò etiàm rara tum doctrina, tum pietate insignis Cardinalis Caspar Contarenus, missus à Pontifice: nec principes Luterani abesse voluerunt cum suis concionatoribus, qui in priuatis hospitijs concionabantur, & Catholicæ Ecclesiæ ritus, cæremonias, & solenne Quadragesimæ ieiunium, quod constat ex Apostolica Traditione ad nos vsque perductum, facilè contemnebant. permittebantque nonnullis suæ factionis Principibus in sancta hebdomada, atque in ipsa adeò sacrosancta Parasceue, qua die Christus Dominus tanta propter nos perpessus est, quanta nemo vnquàm nedùm verbis, sed nec cogitatione quidem consequi poterit, venationibus oblectare animum. Nouum enim hoc Euangelium in plerisque ipsam quoquè Epicuri scholam, voluptatum prodigiosa indulgentia, longo post se relinquit interuallo. Conscriptus autem fuit liber quidam à nonnullis, quibus etiàm Bucerus mirabili vafricie se admiscuit, isque liber oblatus est Cæsari, tanquàm rebus componendis accommodatissimus. Institutum est nouum colloquium, ab vtraque parte terni collocutores designati, itemque auditores aliquot, & duo Præsides, Palatinus Princeps Fridericus, & illustris dominus Granuellanus. Diù multumque laboratum est, sepositis interim alijs Imperij negocijs, vt concordia fieret: & in quibusdam quidem articulis concordiæ ineundæ ratio, vt videbatur, non defuit: sed ad extremum tamen nulla certa constitui concordia potuit, cùm neque Catholici, neque Protestantes vsquequaque ea recipe-

Nulla certa concordia.

ciperent, quæ in libro Cæsari oblato conciliata viderentur. Protestantium sanè theologi tam perplexas & intricatas more suo articulorum conciliatorum interpretationes mox ediderunt, vt Oedipo quodam opùs fuerit, qui quid sibi vellent, perspicuè declararet. Principes & Ordines Protestantes neque librum, neque articulos conciliatos per omnia approbabant, sed in Confessione Augustana se acquiescere testabantur. Porrò concionatores Euangelici etiàm in Contarenum Cardinalem longè doctissimum, & multa generis nobilitate illustrem, scripto acerbo inuecti sunt, quorum calumnijs Eccius doctissimus Theologus respondit. Tandèm perdito oleo & opera, non sinè maximo Cæsaris Caroli detrimento, qui Turcas in Africa inuadere decreuerat, solutus est ille conuentus, & Cæsar in Italiam, atque indè in Africam, iam hyeme appetente, contendit. 1541

Sleidanus agens de Vuormatieñ colloquio, quod deindè Ratisponæ continuatum fuit, multa impudentissimè mentitur more suo, & ita suæ factionis theologos purgat, vt culpam omnem in Catholicis hærere velit, quos ait diem ex die duxisse, nouasque & alienas conditiones proposuisse, cùm ab alia parte potiùs alienæ conditiones proponerentur, quibus id volebant, vt non solùm nudæ sententiæ collocutorum, sed etiàm argumenta & rationes & harum explicationes literis mandarentur, scilicet vt nullus vnquàm esset colloquendi vel modus vel finis. Itaque non dubium est, qui tam absurdam omnia conscribendi formam flagitabant, eos potiùs quæsiuisse effugia & diuerticula, non Catholicos, vtì ijs falsò affingit Sleidanus. Appáret in istis hominibus intoleranda quædam quidlibet in Catholicos fingendi libido, vt suæ causæ, cum miserrimæ plebis horrenda perditione, vtcunquè patrocinentur. Et nè me lector temerè putet totiès Sleidanum mendacij insimulare, extant scripta grauium virorum, quibus possint coargui mendacia illius. Immò ipse sua mendacia tam luculentèr prodit, vt non sit opùs teste alio. Et tamen eius vanissimi & perniciosissimi Commentarij leguntur ab omnibus, quia scilicet iuuat esse miseros, & in fraudem impelli. Sanè hoc ipso loco, vbì de conuentu Ratisponensi agit, dicit Pontificis administros ducendo tempus & nectendo moram diuerticula sibi quærere & effugia: & tamen paulò pòst dicit Eccium, quem

Sleidani vanitas.

1541 crebrò perſtringit, paratum ſe & inſtructum dixiſſe, cùm Cæſar deſignâſſet eos, qui colloquium Ratiſponenſe continuare deberent. Quæ verò cauſa eſt, vt catholici diuerticula quærant, cùm res nobis ſit non ferè niſi cum apoſtatis monachis & eorum ſymmyſtis iam olim damnatarum hæreſum buccinatoribus, quos ad ſuam originem reuocâſſe, viciſſe & condemnâſſe eſt? Scilicèt ingentis cuiuſdam molis eſt, cum ijs in diſceptationem venire, qui etiàm ante mille annos damnatos errores in orbem reuocant, & hoc ſolo triumphant, quòd deterrimis mendacijs faſcinatam ſimplicem plebeculam in ſuas partes traxerunt, quæ ſi dolos & fraudes illorum poſſet intelligere, næ illi haudquaquam orbi diutiùs illuderent. Verùm hîc quoquè fortaſsìs diutiùs quàm par ſit, immoror mendacijs Sleidani confutandis: itaque ad alia tranſeamus.

Locuſtarũ copia. Fuit hoc anno incredibilis multitudo ingentium locuſtarum in regionibus Poloniæ regno finitimis. Hæ primò nullas habebant alas, ſed magnos dabant ſaltus: paulò pòſt quatuor adeptæ ſunt, tantaque multitudine prouolârunt, vt duo milliaria in longum & latum cubito tenùs ità occuparent, vt ſolis quoquè ſplendorem à toto illo terræ ſpatio ſua denſitate excluderent. Dici non poteſt, quantum damni dederint rebus humi naſcentibus, vaſtantes & depaſcentes omnia ad radices vſque. Tranſuolabant aquas, arbores, ædes & obuia quæque. *Magnitudo locuſtarum.* Cùm alæ ſuccreuiſſent, erant magnitudine humani digiti, & tunc atrociùs graſſabantur in fruges, & ea quæ in vſus hominum neceſſarios gignit humus. Tota æſtate nulla neque vi, neque arte earum ſæuitia retardari potuit, ſed in autumno deniquè, cælo frigeſcente, extinctæ ſunt, atro poſt ſe relicto ſemine, vndè proximo anno alij vermes orti ſunt. Fuit ea proculdubiò plaga & animaduerſio Dei in hominum peccata: nè tamen tanta damna nullo beneficio compenſâſſe videantur, ipſas mortuas pecus edebat auidiſſimè, *Eſca porcorum locuſtæ.* porci inprimìs, qui ſe illis mirè farciebant: quodque illis veſceretur pecus, carnes craſſiores habere viſum eſt. *Exod. 10.* Vulgus Zarantias eas vocabat, putanturque non abſimiles fuiſſe Aegyptijs illis, quarum in Exodo fit mentio. Extiterunt hoc anno primùm in Valachia, cunctaque in circuitu Leopolim vſque, milliaribus circitèr ſexaginta, ad ſolum vſque deuorârunt. Huiuſmodi diris cladibus ſolet Deus homines admonere, vt maturè re-

tè resipiscant, nî deteriora pati velint. 1541

Sub hoc tempus, scilicet anno superiori, Ferdinandus Romanorum rex, cognita morte Iohannis Hungariæ regis, ad occupandum Pannoniæ regnum animum adiicit, multis ad id eum instigantibus regni eius proceribus & nobilibus viris, qui eam occasionem minimè negligendam dictitabant. Idem & Germani aliquot duces afferebant. Porrò Hieronymus Laschus natione Polonus, generis nobilitate & insigni rerum peritia illustris, regem hortatur, vt omissis Martis consilijs, Solimannum Turcarum principem muneribus & precibus eò adducere nitatur, vt beneficiarij iuris nomine, quemadmodùm Iohanni Vaiuodæ, regnum sibi permittat. Non displicuit id consilium Ferdinando, & ipsum Laschum, qui iam in Solimanni aula esset inprimìs gratiosus, id Legationis munus obire voluit. Atque is quidem à Vienna Byzantium est profectus: at interim nihilo minùs Ferdinandus à belli cogitatione minimè sibi discedendum putat. Mittit itaque legatum ad reginam Hungariæ, qui eam admoneat recentis cum Iohanne defuncto pactionis, cuius ea summa erat, vt Iohanne defuncto, regnum ad Ferdinandum deuolueretur: hortareturque vt spontè regno decedat: id si faceret, Ferdinandum filio eius Sepusianam prouinciam concessurum, & reginæ peramplos reditus. Legatus vbì Budam venit, ægrè tandèm ad reginam peruenire potuit, quibusdam proceribus id impedire conantibus. Postquàm autem datus est accessus, id demùm ab regina, multo etiamnùm dolore ex mariti obitu affecta, responsum tulit, ipsam cum Sigismundo patre rege Poloniæ rem omnem communicaturam, neque ab eius sententia discessuram, cuius virtus & iustitia Ferdinandum minimè lateret. Legatus ad Ferdinandum reuersus, postquàm regni statum & qui illic rerum potirentur, explicuit, sua oratione id effecit, vt rex sinè mora conscripto milite armis ius suum in Pannoniæ regno repetendo persequi statuerit. Mittitur igitur iustus exercitus Strigonium, vrbem Ferdinandi studiosam. Indè itur ad Vicegradum, cuius arx in montis supercilio posita, amœnissimum habet prospectum. Id verò summa vi Germani expugnant, atque à Vicegrado progressi, primò Pestum, mox Vacciam sinè vulnere occupant. Indè promotis castris Budam petunt. Germani ducem habebant

Ferdinandus molitur bellū Hūgariæ.

Legatio ad Solimannum. Item in Hungariam.

Bellum in Pānonia.

1541 bebant Leonardum Velsium. Is Budam non tam oppugnaturus quàm obsessurus, ad aquas calidas castra locauit. Illic nonnihil moratus, rursùs Vicegradum se confert, arcem expugnaturus: quæ licèt prealto esset loco sita, tamen cessit ingentium pilarum perpetuis ictibus. Arce in potestatem redacta, ad Albam regalem contendit. Ea vrbs quanuis vi & armis esset inexpugnabilis, tamen Pereni, qui Ferdinando cuperet ac studeret, consilijs facilè ad Ferdinandi fidem redijt, præsidiumque accepit.

Alba regalis recuperatur.

His gestis, ob certas causas Velsius Strigonium exercitu repetit, & exercitum in hyberna dimittit. Interea vicini Turcæ à regina solicitati, arma expediunt, vt Budensibus maturè opem ferant: nec tamen quicquam se mouent, donèc Solimannus ex Reginæ legatis de omnibus certior factus, præfectis illarum regionum seuerissimè perscripsit, vt citra vllam cunctationem quamprimùm Reginæ suppetias ferant. Ea res mirificè exhilarauit Legatos Reginæ, quibus insupèr non parui precij munera puero regi deferenda Solimannus dederat. Illis verò domum properantibus, Laschus Constantinopolim ingreditur: cumque ad Solimannum admissus, multa de Caroli Cæsaris potentia immodica orationis libertate iactaret, iussus est custodiæ tradi, quibusdam dicentibus dignum capitali supplicio, qui pacem peteret, cùm interim Ferdinandi exercitus iam Hungariam vastaret.

Turcæ arma expediunt.

Dum hæc geruntur Byzantij, Turcæ magnis coactis copijs, vt erant iussi, Reginæ opitulaturi, Drauum Sauumque fluuios transmittunt. Vbi ad Danubium ventum est, vel inuiti coacti sunt tantispèr hærere, donèc glacies, quæ margines latè constrinxerat, cælo mitescente solueretur. Fuit hoc anni 1541. primo vere, quo tempore Hungari cum Turcis coniuncti, Vacciam recuperant, trucidatisque nonnullis incendunt. Mox Pestum oppugnant, sed frustrà, egregiè se defendentibus Germanis & Hungaris, qui illic in præsidio erant. Turcæ demùm re infecta, relicta Pannonia, in suos se fines recipiunt. Id vbi Ferdinandus in Comitijs Ratisponensibus didicit, Carolo Cæsari facilè persuadet, vt Rochandulfus regiæ aulæ magister, cum nouis copijs in Pannoniam mittatur. Is vbi ad veterem exercitum peruenit, Budam oppugnare instituit. In ea oppugnatione legatos ad reginam mittit, qui eam ad deditionem horten-

Turcæ mouet in Pannoniam.

Turcæ abeunt.

Buda oppugnatur.

ten-

tentur,sed nihil impetrârunt. Igitur duobus in locis fit 1541
vehementissima murorum verberatio, iamque ingens patebat in vrbem ingressus, cùm ecce nocte aduentante, ea capiendæ vrbis occasio cum summa Germanorum ignominia & Ferdinandi regis damno incomparabili, è manibus dimittitur. Differtur enim irruptio vsque in alteram lucem, sed interim Budenses omnes summa contentione nouum erigunt aggerem, irrumpentesque postridiè Germanos fortitèr repellunt, non parua militum cæde edita. Aguntur deindè cuniculi, sed frustra. Erat tum temporis Budæ quidam Hungarus nomine Bornemissa, qui ob priuatas quasdam simultates vrbem se Ferdinando proditurum certa conditione polliceretur,sic tamen, vt Hungari, qui in eius essent exercitu, noctù per exoletam quandam portam intromitterentur. Hoc eo consilio fecit Bornemissa, quòd ea proditione vellet parcere tot insontium ciuium sanguini, quibus Germanos multis modis lacessitos verebatur minimè parsuros. Eam quoquè tantam opportunitatem Rochandulfus dux sua præpostera prudentia perdidit, introductis in vrbem Germanis contrà quàm erat pollicitus. Bornemissa enim vbi sensit non adesse quos voluit, Germanis se ducem itineris præbere noluit, atque interim Budensium excubiæ re (vt erat) animaduersa, conclamant ad arma, trepideque fugientes Germanos partim trucidant, partim capiunt, reliquis fuga dilapsis. Fuit hoc auctarium quoddam infamiæ Rochandulfi, quem iam etiam gregarij milites corruptæ tantæ occasionis & victoriæ condemnarent. Indè verò obsidendæ vrbis consilia expediuntur. Porrò Solimannus opportunè de omnibus admonitus, ingentem exercitum mittit in Pannoniam, qui reginæ obsessæ opem ferat. Ipse interim Adrianopoli subsistit, non immeritò Cæsaris Caroli & Germanorum potentiam veritus, licèt hoc quidem tempore vana ratione adductus, cùm Cæsar minimè adesset. Vbi Germani de Turcarum aduentu cognoscunt, inter se, quid agendum sit, consultant, atque alijs alia dicentibus, vicit sententia Rochandulfi, qui inauspicatissimo consilio hostibus Turcis obuiam eundum censuit. Mota igitur sunt castra & Turcis opposita, pugnatumque est quotidiè minutis prælijs, sed ità, vt hostibus animi crescerent, Germanis paulatim frangerentur multis de causis. Nec tamen parum damni interim Turcis allatum est, non paucis

Amittitur occasio vrbis capiendæ.

Infaustum ducis consilium.

1540 paucis eorum trucidatis. Tandèm eò res rediit, maximè cùm Solimannus ipse cum nouis copiis aduentaret, vt Ferdinandi exercitus relicta Buda Pestum se receperit. Sed vbì id Turcæ senserunt, in ea fuga magna nostrorum cædes ab illis & Budensibus edita est. Quin & Pestum, nostris indè quoquè turpitèr fugientibus, à Turcis cum multa & horrenda Christianorum cæde facilè occupatum est. Feruntur eo bello supra viginti Christianorum millia variis casibus interempta. Capta sunt ab hostibus eximiæ elegantiæ muralia tormenta trigintasex, minora autem, quæ cantheriis & curribus imponerentur, centum & quinquaginta, præter aliam pulueris tormentarii, ferrearum pilarum, armorum, telorum, commeatûs mirabilem copiam. Rochandulfus, qui non sanis consiliis hoc bello vsus esset, vulneris ex tormenti ictu accepti, & animi dolore confectus interiit. Paulò pòst Solimannus maximis vsus itineribus in Pannoniam peruenit, adductosque ad se Christianos captiuos circitèr octingentos, paucis demptis, crudelitèr trucidari iubet. Erat in iis proceræ staturæ Noricus miles. hunc in Germanorum contemptum iussit pomilioni, vix militis eius genua capite attingenti, necandum tradi. Erat hoc fœdissimum spectaculum, virum fortissimum imbecilla nani manu per risum & iocum crebris ictibus humi prosterni, & ægrè tandèm præ virium imbecillitate iugulari. Huiusmodi spectaculo immanissimi Turcarum principes sese suauitèr oblectabant. Hisità gestis, Solimannus tum puero regi, tum Hungaris proceribus non contemnenda mittit dona, persuadetque reginæ, vt puerum in castra ipsius mittat. Fuit ea res plena periculi. Allatus est verò puer ad Solimannum regalibus crepundiis exornatus, carpentoque aurato impositus, comitantibus plerisque proceribus, quos à Solimanno diximus muneribus affectos. Vbì in tabernaculum Solimanni ventum est, ille quidem puerum humanitèr inspicit, blandè cum eius nutrice loquitur, liberos suos Selymum & Baiazetem, qui aderant, puerum complecti & amantèr exosculari iubet: sed interìm mira vafricie, dum Hungari proceres cum Bassis prandent, immissis in vrbem cohortibus, Budam occupat, moxque sinè tumultu ciues omnes, iubente Tyranni præfecto, arma tradunt, Turcasque iam in fidem recepti hospitio recipiunt. Nihil quidem illi ciuibus molestiæ attulerunt, disciplinæ militaris seueri-

Pestum Turcæ recipiunt.

Præda Turcarũ ingens.

Fœdum spectaculum.

Puer regius venit in castra Turcæ.

Buda occupatur.

seueritate coërciti: sed dubium non est, quin Budensium animos ea insperata rerum commutatio valdè perplexos habuerit. Iam nox suberat, & eccè Solimannus puerum remittit in vrbem, sed proceres apud se retinet. In ijs erat Georgius Varadinensis antistes, in quem totius huius Hungaricæ calamitatis culpa præcipuè confertur. Hos proceres non minimùm perturbatos Bassæ, pauloantè blandi & affabiles, seuerè & impudentèr de rebus grauissimis examinare cœperunt. Porrò regina his omnibus valdè consternata, supplices literas scribit Solimanno, quibus eum datæ fidei admonet, oratque vt proceres remittat. Deliberatur intereà quatriduo de regno Hungariæ, sed cùm non idem Bassæ sentirent, Solimannus tertio Calend. Septembris Budam ingreditur, & in templo celebri diuæ Virginis, priùs à sacerdotibus Turcis Mahometano ritu expiato, sublatis scilicet aris & imaginibus diuinorum deletis, (quod hodiè quoquè apud nos faciunt plerique isti noui Euangelici, vt non dubitemus Mahometis potiùs quàm Christi eos cultum & religionem inuehere) sacrificat: indè reginam iubet ex vrbe & arce excedere, atque cum puero vltra Tibiscum in Lippam concedere, eiusque regionis dominio frui. páret regina non sinè lachrymis & gemitu, tyranni perfidiam detestata, tormentis & armis omnibus omnique commeatu relicto. sic enim tyrannus voluit. Proceres quoquè cum ea profecti sunt. Non omninò præter meritum hæc Reginæ & proceribus illis acciderunt, qui sæuissimos Christiani nominis hostes non in Hungariæ modò, sed totius Reip. Christianæ exitium acciuissent. Debebant stetisse pactis conuentis, quibus regi Christianissimo Ferdinando regnum Pannoniæ optimo iure deberi non ignorabant. Sed ô cæca dominandi libido, quò non plerunque præcipites agis miseros mortales? Fortasśis autem regina non se difficilem prębuisset ad ineunda pacis cum Ferdinando consilia, si non quorundam Procerum ad dignitates & imperia adspirantium sententiæ & monita eam retardâssent. Sic pium videtur sentire de pijssimi Sigismundi regis Poloniæ filia, præsertìm cùm illa non tam suis, quàm Procerum quorundam consilijs duceretur. Vbi porrò Ferdinandus rex suorum stragem & Turcarum victoriam certis nuncijs cognouit, noua eaque insignia Solimanno munera mittit, quibus animum eius sibi conciliaret. Legati eius à Turcis hono-

1541

Solimannus Budã ingreditur.

Legatio Ferdinandi ad Turcam.

1541 honorificè excepti ſunt, & poſtera die cum Baſſis pranſi, orizam & carnes veruecinas, nihilq́ue prætereà ſibi eſculentum apponi cernunt. Ea barbarorum temperantia noſtræ gentis luxuriam proculdubiò ſeuerè caſtigat, cùm illi non tam gulæ deſiderio quàm naturæ neceſſitati ſatisfaciant: noſtrates verò tum ſe præclarè ſua putent inſtituiſſe conuiuia, ſi nullus ſit iritandæ gulæ ventriſq́ue farciendi modus, ità vt veriſſimè dici de noſtris poſſit, plures crapula quàm gladio perire. Atque ſanè deteſtabilis ille apud pleroſque mos eſt conuiuia in multas horas protrahendi, cùm non animæ duntaxàt, ſed etiàm corpori admodùm ſit pernicioſus: ſed ſcilicet faciendum eſt, quod dici ſolet, Ede, bibe, lude, poſt mortem nulla voluptas. Legati regis Ferdinandi ad Solimannum indè introducti, eius animum oblatis muneribus mirificè exhilarârunt. Ea erant, poculum excelſum aureum, quali ſolent vti Germani locupletes, inſignibus ornatum gemmis, atque inſupèr admirabilis quædam machina argentea, quæ tum ſpatia horarum, tum errantium ſiderum motus, menſtruasq́ue ſolis ac lunæ coitiones exactiſſima ratione indicaret, intùs ſcilicet dentatis rotis certiſq́ue ponderibus, admirabili momento, vel in multum æuum minutiſſimas temporum menſuras diſpenſantibus. Illata eſt ea machina coram Solimanno duodecim ſeruorum humeris, quæ tum illius tum principum oculos & animos admiratione compleuit. Porrò cùm Legati peterent Hungariæ regnum Ferdinando beneficij nomine concedi, hoc biduo pòſt reſponſum tulerunt, vt ſi pacem vellet Ferdinandus, totius regni Hungarici finibus excederet, & prætereà quotannis ex Auſtria Turcis tributum penderet. Fuit hoc arrogantiſſimi tyranni ſuperbum & inſolens reſponſum, ſed aliud impetrari non potuit, ne induciæ quidem tantilli temporis, quo Carolus Cæſar & Ferdinandus conſulerentur. Obitèr admonendus eſt Lector, cùm Legati ad Solimannum introducerentur, ſingulos à binis purpuratis Baſſis in medio arreptis brachijs, tanquàm honoris cauſa, ad manûs dextræ oſculum perductos. Neque enim ad Turcarum principem alitèr patet acceſſus, niſi priùs explorent, num ſub veſte arma lateant, atque ità conſtrictis brachijs, etiamſi quiſpiam quicquam attentare auſus ſit, diſſimulantèr impediatur. Atque interim nihilo minùs aſſidenti in toro adſunt ad manum Principi

Sæuum Turcæ reſponſum.

enſis

ensis incuruus, clypeus, claua ferrea, arcus & sagittæ. 1541
Ità qui vult omnibus esse terrori, sempèr in metu se esse significat. Dimissi sunt deindè legati, quibus pro regia liberalitate multiplices vestes & pecuniam dari iussit. Porrò mox misit è suis, qui Austriam & Morauiam rapinis, incendijs & cædibus vastarent, quibus tamen magno impedimento fuêre plenis imbribus inflati amnes. Denique præficitur Budæ cum imperio Hungarus quidam, qui ab ineunte ætate bello captus, Mahometanam superstitionem sequebatur. Laschus quoquè Legatus Ferdinandi è custodia dimittitur, sed paulò pòst in Polonia decedit, & Solimannus redit in Thraciam. Obitèr redeunti narratur, Transyluaniam quoquè magna ex parte in fidem concessisse. Fuit is illi nuncius gratissimus, licèt demùm permiserit, vt Transyluani in pueri regis, cui suprà diximus Lippam regionem fuisse attributam, verba iurarent. Hodiè totum ferè Hungariæ regnum immanes illi barbari occupant, quod sanè viri graues & cordati vel maximè deplorant. Fuit illud regnum sub Matthia Huniade longè florentissimum atque potentissimum, & multis rebus fortitèr gestis, rex ille non modò Turcis, sed & vicinis omnibus terrori fuit. Illo defuncto, sub Vladislao, Casimiri Poloniæ regis filio, Hungari regis eius benignitate & clementia abusi, ac deindè sub Ludouico iuuene, & rerum adhuc imperito rege, luxui, inertiæ, ocio & fastui sese corrumpendos dedidêre. De procerum quorundam regni luxu & pompa quidam grauissimè in suis scriptis conqueruntur, cùm interim regni limites necessarijs præsidijs destituti, ab hostibus Turcis vastarentur ac diriperentur. Hoc quidem mirum est, immò & cumprimìs miserum, adeò incuriosum esse rerum suarum, & tam propinquo hoste vsqueadeò supinum agere, & summa pericula habere neglectui. In ea sanè tam crudelium hostium propinquitate non luxui & fastui, sed placando inprimìs Numini, moribus corrigendis, vitijs & flagitijs exterminandis, regno opportunis præsidijs muniendo studendum fuit. Sed ô cæcas hominum mentes. Ecquid hodiè faciunt nostri Germani? An verò illi ex Hungarorum periculo didicêre, ipsis quod ex vsu fiet? Bonis viris id minimè videtur. Immò vt nihil ad inflammandam in nos præpotentis Dei iram desit, non sat habemus omnibus sceleribus diffluere, sed etiàm in dies nouos fingimus errores, quos ceu idola quædam sub verbi Dei

Turcæ vastãt Germaniam.

Matthias Huniades

Germaniæ calamitas

1541 prætextu adoramus. Exiſtunt alij poſt alios, immò multi ſimul paſsìm prodeunt fanatici homines, qui prodigioſis damnatorum dogmatum commentis in mille ſectas Germaniam diſtrahunt, & tamen habent ſinguli ſuos ſectatores, qui illos haud ſecùs àc Chriſti Apoſtolos ſuſpiciant & ſequantur. Quis ergò dubitet, nō aliud expectandum eſſe Germanis, quàm quod Hungari iam experiuntur? Et vt nullus ſit externus metuendus hoſtis, hac religionis & rerum omnium fœdiſſima confuſione, niſi Deus propicius nos reſpiciat, Germania pereat neceſſè eſt. De Hungariæ quidem regno, cùm illic, vt diximus, pompa, faſtu, inſolentia, luxu, plerique diffluerent, fertur quidam ex aulicis dixiſſe, nunquàm ſe vel vidiſſe vel audiuiſſe regnum vllum, quod maiore, atquè Hungaria, gaudio & tripudio perierit.

Hungarorū luxus.

Porrò verò cùm illud opulentiſſimum regnum ademptum eſt Chriſtianis, non mediocrem feciſſe iacturam putandi ſunt. Hoc autem ſtultiſſimum fuit, quòd cùm ea eſſet in Hungaria vitiorum confuſio, rerumque deſperatio, tamen à Solimanno Turca, cùm is patri ſuo ſucceſſiſſet, non ſolùm pacem noluerunt petere, ſed etiàm Oratores eius captiuos detinuerunt. Ea enim iniuria laceſſitus Turca, Hungariam hoſtilitèr inuaſit, ac paulatìm eò progreſſus eſt, vt Germaniæ vicinior eſſe vix queat. Fuit anteà illud regnum Chriſtiani orbis vel maximum præſidium & propugnaculum, vt iam quotidianæ clades facilè teſtantur. Tum verò tantæ ſunt illius regni opes, vt non Hungari duntaxàt, quanquàm illi vel maximè, vtpotè pro patria, ſed reliqui etiàm Chriſtiani omnes pro illo conſeruando laborare debuerint, aut pro recuperando nullum non mouere lapidem. Nihil enim ferè ex ijs rebus, quarum vſus ad hominum ſolatia & commoditates pertinet, illic deſideratur, & quæ eiuſdem generis apud alios habentur, illic præſtantiora proueniunt. Magna ibì auri, argenti, cupri, chalybis, ferri copia eſt, non aliundè importata, ſed ex ipſis terræ viſceribus eruta. Plumbi parum habet, ſtanni nihil. Salem metallicum gignit humus optimum & puriſſimum: nec deſunt aquæ, quæ ferrum in cuprum mutent. Vina profert non eiuſdem precij omnia, ſed nonnullis tamen locis eiuſmodi, quæ cum Cretico de dignitate certare poſſint. Frugum & fructuum copia eſt mirabilis. Feris & auibus ſic abundat, vt ruſticis venatione vel aucupio interdicere, valdè inſolens

Hungarorum inſolens temeritas.

Hungariæ opes.

Vis aquarum.

solens habeatur, nec ferè plebeij homines minùs quàm 1541
nobiles leporibus, damis, ceruis, apris, turdis, perdicibus, phasianis, & id genus delicijs vescantur. Pecus habet copiosissimum, vt Italiæ, Boemiæ, Germaniæ affatìm communicare queat, adeò vt obseruatum sit, vno anno in Germaniam, idque per solam viam Viennensem, (cùm sint plures aliæ viæ, per quas pecora inuehantur) supra octoginta millia boum acta esse. Denique vsqueadeò piscium fertile est, vt ferè quàm minimo væneant, & propemodùm gratìs dentur: quanquàm fieri potest, vt dira horum temporum calamitate illic quoque rerum precia nonnihil creuerint, vel etiàm irato Deo, eorum, quæ diximus, minor hodiè prouentus sit, vt intra paucos annos alibì quoquè passim videmus omnium rerum maximam extitisse caritatem: sed id non tam regionis, quàm hominum, vitio tribuendum est. Apud Budam, quæ Hungariæ regia est, multæ sunt aquæ calidæ, quas thermas vocamus, quarum aliæ regiæ, aliæ communes sunt, lauandis hominum corporibus valdè opportunæ: aliæ verò, nisi refrigerentur, balneis non sunt idoneæ. adeò enim feruent ex his quædam, vt in eas missum ouum, celerrimè elixetur. Sed iuxta has fons est aquæ frigidæ, ità propinquus calidæ, vt in eodem vestigio calida & frigida simul hauriri possit. Hæ, quas diximus, thermæ apud Budam aliæ superiores, aliæ inferiores dictæ sunt, quòd aliæ supra, aliæ infra vrbem sint. Turcæ hodiè (quippe qui mirificè lauacris & balneis student, & aquas præsertìm fluentes, summo honore dignantur, quibus etiàm crebriùs per diem non modò ob corporum, sed etiàm animarum sordes abluendas vtuntur) has thermas egregiè ornârunt, apud vtrasque ceu cœnobijs quibusdam extructis, in quibus Deruisæ degunt, qui ferè apud illos sunt tales, quales apud nos Monachi è mendicitate viuentes. Habent enim etiàm illi turpissimi Mahometis cultores suos Monachos, quemadmodùm & Ethnici suos philosophos, & Indi Gymnosophistas, quorum isti Deruisæ quædam videntur esse reliquiæ. Sæuiunt enim in corpus suum vel inustione stigmatum, vel nouaculæ incisione, vel vtroque modo. Ità habet satan etiàm suos Monachos. Ecquis verò hoc illi inuideat, cùm habeat & suos martyres, sicut hodieque videmus multos hæreseos nomine damnatos, alacres & iucundos mortem excipere? Ex his Monachis cuidam sacellum apud Budam extructum est,

Copia pecoris.

Vbertas piscium.

Thermæ Budenses.

Turcæ crebrò lauant.

Deruisæ, Monachi Turcici.

1541 qui dum viueret, Numinis cuiusdam loco à Turcis habitus, nunc defunctus & illo in loco conditus, religiosè ab illis miseris colitur, cùm alioquì diuorum imagines ex templis omnibus eradant. Porrò Buda ipsa vix vlli totius Europæ vrbi cesserit, vel amœnitate sitûs, vel cæli salubritate, vel fœcunditate soli, vel aliarum quarumlibet rerum vitæ degendæ conducibilium, aut etiàm ad splendorem & luxum pertinentium vbertate. Atque hoc tam omnibus rebus florentissimum regnum nulli magìs atquè Christiani Christianis eripuerunt, dum contra Christianos Christianorum iuratissimi hostes accersuntur.

Budæ encomion.

Per hoc tempus, quo Turcæ Pannoniam occupant, duo Galliarum regis Francisci legati, missi ad Turcarum principem, à Cæsareanis intercepti, in Pado flumine interficiuntur. Alter ex his Antonius Rinco nomine, ab Hispania exul, capitis pœna damnatus, putatur iure potuisse cædi, quòd ad hostes transfugisset, & omnibus Cæsaris imperij finibus prohibitus, nihilominùs ausus fuerit in hostilis terræ flumine nauigare. Sed vtcunquè sit, ea cædes, licèt præfectus Cæsaris Alphonsus Vastius se planè insciente factam crebrò testaretur, cruentissimo bello ansam dedit. Contigit tum ex Hispania venire Georgium Austriacum, Maximiliani Cæsaris filium nothum, Archiepiscopum Valentinum. Is Lugduni in carcerem conijcitur, necis, quam diximus, vlciscendæ causa.

Legati Gallorum cæsi.

Georgius Austriacus capitur.

Hoc fermè tempore Franciscus Antonij Lotharingiæ Ducis filius, Christianam Christierni Daniæ regis filiam ducit in matrimonium. Id non valdè gratum fuit Gallorum regi, quòd Christianam ex Cæsaris sorore Isabella, Christierni regis coniuge, natam non esset nescius. Venerunt per id ferè tempus in fœdus Gallicum Christianus & Gustauus Daniæ & Suediæ reges, ambo Luteranæ doctrinæ addicti, poterantque Caroli Cæsaris res iam planè desperatæ videri, tot regibus in illum conspirantibus, nisì pium principem sibi defendendum sumpsisset præpotens Deus, maximè cùm hoc ipso anno non minimam cladem in Africa accepisset, vtì iam dicemus.

Cæsare Carolo in Comitijs Ratisponensibus multùm temporis componendæ religionis causa frustrà consumente, Turca (vt diximus) Pannoniam sibi vendicat. Ea re comperta, Cæsar vt diuersis bellis tyran-

num distineret, in Africam expeditionem parat: quò tamen etiàm non mediocriter eum pertrahebant Hispanorum querimoniæ, qui à Turcicis prædonibus, quos apud Algerium, siue Argieram Asanaga Barbarussæ præfectus in Sardinia natus, sed abiurato Christianismo, Mahometanam superstitionem complexus, fouebat, grauissima in Hispaniæ littoribus damna patiebantur. Multa tum in Cæsarem etiàm à quibusdam proceribus scommata iactabantur, sed quæ ille magno animo contemneret. Interim tamen & ipse Pontifex Maximus, & Andreas Auria, atque Alphonsus ob impendentem hyemem magnoperè ab Africana hac profectione eum deterrebant: verùm ille mansit in proposito, easque Pontifici sui consilij rationes exposuit, vt eum Pontifex prolixè demùm laudaret. Vbi ex Germania venit in Italiam, vbiquè incredibili studio excipitur, præsertim Mediolani, cùm ille interim tantus princeps, omnibus eius visendi desiderio ardentibus, non nisi in atra penula & vili pileolo se spectandum præbuerit, atque etiàm in oculo eius parùm hilari animus mœrore affectus appareret, tanquàm præsagire videretur cladem, quæ pridiè ad Budam accepta fuerat. Cum Pontifice apud Lucam in colloquium venit: qua in re laudanda est eius propè decrepiti Pontificis pietas, qui multis ab hoc itinere, tanquàm certam illi mortem allaturo, eum deterrentibus, nullo pacto adduci potuit, vt communi Reipublicæ saluti deesset. Crebrò ille dicebat: Quorsùm vitam hanc extraxisse attinet, nisi vt hæc suprema officia iam in ruinam propendenti Reipub. qua possumus fide præstemus? & certè optatius erit communi omnium expectationi, etiamsi ea re mors oppetenda sit, satisfecisse, quàm turpi ignauia vitæ spatia extendisse. Quòd si verò conatus nostros non par sequetur effectus, habebit tamen ad omnem posteritatem optima certè voluntas præclari studij honestam famam. Hoc spatio, quo Lucæ sunt, tèr Cæsar ad mutua colloquia Pontificem adijt, Pontifex Cæsarem semèl. Admissus est quoquè Francisci regis legatus, qui Fregosium & Rinconem captos repeteret: nondùm enim constabat mortuos: palamque Cæsar testatus est, quicquid illis accidisset, dissimulato habitu nomen suum celantibus, id suo iniussu & se ignaro penitùs accidisse. Petebat Franciscus rex pro filio suo Carolo Mediolanensem principatum: sed Cæsar suum

1541 Cæsaris expeditio Africana.

Modestia Caroli Cæsaris.

Colloquia Pontificis & Cæsaris.

1541 ius grauissima oratione explicabat, aitque Gallum cæco liuore corruptum, suæ inuidere fortunæ, multaque alia, quæ hic referre nihil attinet. Denique in eo colloquio decretum est, vt quod Cæsar vehementer optabat, Concilium in annum proximum indiceretur. Cæsaris copiæ omnes, quas ad hoc bellum conscripserat, ad vigintiduo millia erant peditum, & paulò supra mille equites. Vbi ad Africam ventum est, Cæsar biduo expectauit Hispanos, magno quidem exploratæ propemodùm victoriæ & exercitûs sui detrimento. Interim mittit ad Asanagam præfectum Algerij, vt vrbem dedat. Ille contemptim respondet, licet Cæsar multa liberalitèr polliceretur. Erat Asanaga in Sardinia natus, & Christiana religione initiatus, sed eam, vt diximus, abiurârat. Hortabatur eum Cæsar, vt veri numinis cultum reciperet. Omnibus igitur ad vrbem oppugnandam egregiè comparatis, dum tormenta expectantur, ecce tibi repentè imber à prima statim vigilia maximè gelidus & procellosus tota nocte in exercitum continentèr effusus, multùm illi molestiæ & detrimenti adfert, sæuissimaque tempestas naues mirè iactat. Non desunt illi opportunitati Turcæ equites & Mauri pedites, magnoque impetu in nostros irruentes, non paucos trucidant, sed mox à nostris in fugam compelluntur. At rursùs Barbari in nostros sæuiunt, eosque vehementèr affligunt, quibus tum Cæsar ipse, in tanta rerum difficultate prorsùs imperterritus, cum Germanis opportunè opem tulit. Verùm cùm nihil remitteret immanissima tempestas, multæque naues sub militum adspectu collisæ & confractæ mergerentur, adeò vt de necessario commeatu non immeritò timor omnes inuaderet, Cæsar incredibili constantia & serena vultûs alacritate omnium animos recreabat: nullum militaris prouidentiæ, nullum humanitatis officium prætermittens, castris constitutis & firmatis contra barbarorum vndiquè volitantium incursus, iubet vt defessi duces se dent quieti: consolatur saucios milites, & in ea tabernacula, quæ contra vim ventorum pertinacitèr substiterant, referri ac foueri curat, sibijpsi interim loricato & madefacto minimè parcens. Desiderauit eo die ab hostibus cæsos milites circiter trecentos. Aliquot etiàm nautæ cum multis æneis tormentis mersi periêrunt. Iam alimenta deficiebant, coactusque est Cæsar mactatis equis exercitum sustentare. Hoc autem in illo prin-

Copiæ Cæsaris.

Tempestas sæua.

Naues elisæ.

Cæsaris constantia & pietas.

principe obseruatu dignum est, quòd cùm tantis rerum difficultatibus vrgeretur, non est impatientiæ agitatus stimulis, nec stultum aliquid contra Dominum locutus est, sed eum potiùs placare studuit pura peccatorum confessione, & sacrosanctæ Eucharistiæ perceptione, ad hæc pietatis opera totum etiàm exercitum prouocans: cumque & ducibus & militibus Algerium facilè expugnari posse videretur, non conquiescentibus ventorum iris, militem in naues se recipere iussit, dicens, se mâlle vnum Christianum seruare, quàm mille Mauros, Turcas, Pœnosque occidere. Hoc idem satìs tum quoquè declarauit, cùm iussit equos ad vnum omnes in mare proijci, vt in nauibus locus superesset militi reducendo. Multæ enim naues perierant, nec poterant vel angustè capere militem eæ quæ supererant. Mâluit autem pius princeps equos perire, quàm milites, licèt illa nobilium equorum iactura vehementissimè perstringeret dominorum animos. Post omnia demùm maris superata discrimina, licèt rursùs oborta tempestate, multi in ipso reditu perierint, & publica sparserit fama, Cæsarem vndis absorptum interijsse, milites passim incolumitati restituti, canebant: Alibi Carolus agmina, Algerij sese, & aëra, & maria vicit. Nihil enim tantæ clades infractum illius principis animum è suo statu dimouerunt: quanquàm non omninò temeritate quadam caruisse videtur, quòd vsqueadeò alieno tempore importuosum Africæ littus tentare voluit, præsertìm multis id dissuadentibus. Verùm nonnunquàm bonus dormitat Homerus, & certè optimus pij principis animus laudandus est, licèt parùm ex sententia successerit.

1541

Iob 1.

Exemplũ memorabile.

Fortitudo animi in Cæsare.

In Anglia hoc tempore iussu regis Henrici capitali supplicio affecta est Margarita Sarisbiriensis, Georgio Edouardi quarti fratre germano nata. Nihil ei ad euadendum supplicium contulit neque generis antiqua claritudo, neque totius vitæ spectata integritas, neque ætas exacta, quippe quæ iam annum ætatis septuagesimum excessisset.

Margarita Sarisbiriensis trucidatur.

Circa hoc ferè tempus excessit è viuis Numburgensis episcopus. In eius locum Canonici delegerunt Iulium Pflugium, virum & generis nobilitate & spectata eruditione conspicuum. Sed huic electioni se opposuit Saxoniæ Elector, aitque eam absque suo consensu fieri non potuisse: repellebatur autem propterea Pflugius, quòd Lu-

1542 teri Euangelio aduersaretur. Porrò ab Electore in locum eius intrusus est Nicolaus Ambsdorffius, insignis Luteranus, quem tamen aliquot annis pòst expulit Carolus Cæsar, restituto Pflugio. Et vt magis etiàm miretur Lector, Ambsdorffium Luterus inaugurauit. Bella profectò rerum mutatio. Apostata vilis, hostis Pontificis, ipse sibi Saxonicum vendicat Papatum, & nulla authoritate præditus, creat episcopos.

ANNO 1542. recruduit bellum calamitosissimum inter Carolum Cæsarem & Franciscum Galliæ regem. Cæsar ferebatur fluctibus maris obrutus. Itaque multa offerebatur Gallo occasio belli gerendi. Erant tum res Christianorum valdè afflictæ, Turcis in Hungaria grassantibus, & Germaniæ dira quæque minitantibus, hæresibus quoquè mirum in modum serpentibus, & in varias formas abeuntibus: at nihilo minùs Galli Mediolanum sibi modis omnibus repetendum censebant. Itaque multis locis exercitu quintuplici Cæsaris ditiones sibi inuadendas sumunt. Actum videbatur de Cæsare: sed si Deus pro nobis, quis contra nos? Magnum præsidium contra aduersa omnia est pietas in Deum, qua Carolus Imperator egregiè præditus fuit. Galliæ verò rex Mediolanum iure sibi deberi putabat, iusque suum minimè sibi negligendum ratus, arma corripuit. Huc accessit cędes Fregosij & Rinconis, quam vlcisci voluit. Annam Momarantium magistrum equitũ, quem Conestablium Galli vocant, fertur eo nomine à sua gratia & functionis suæ administratione amouisse, quòd illi induciarum cum Cæsare paciscendarum parùm commodus author fuisset. Igitur rebus omnibus ad bellum comparatis, duos filios suos cum instructis copijs mittit in Cæsaris fines, Henricum in citeriorem Hispaniam, Carolum in Lucemburgensem regionem. Henricus quidem ad Pyrenæos montes perrexit, vt Perpennianum occuparet: Verùm eius conatus Hispanorum ducum vigilantia facilè elusit. Sunt qui putent id oppidum non difficultèr expugnari potuisse, si Henricus maiori celeritate fuisset vsus. Tandèm re infecta retrò abijt ad patrem suum. Carolus verò, maximæ spei adolescens, in expugnandis aliquot Lucemburgensis principatûs oppidis prosperos inprimìs successus habuit, sed ità tamen, vt paulò post eius discessum Cæsaris exercitus omnia è Gallorum manibus breui extor-

Galli inuadunt ditiones Cæsaris.

Rom. 8.

Henricus regis Gallorum filius.

Carolus Francisci filius.

extorserit, vno dempto Iuodio, quod mirificè communitum, Gallis per id tempus adimi non potuit. Hoc bello Galli Danuillerum cum arce mirandæ vetustatis & structuræ eximiæ incendunt & euertunt: itemque alias aliquot vrbeculas & castra. Arlunum quoquè, cùm ædificiorum magnificentia, tum ciuium frequentia & opibus percelebre oppidum, cùm se ciues saluis corporibus dedidissent, funditùs dirùunt. Lucemburgo sex millium Germanorum præsidium imponunt. Alius Gallorum exercitus, duce Vindocinensi principe, in Atrebates atq; Morinos impetum facit, & aliquot castella occupat. Nec Pedemontio ab hoste licet esse securo. Nam ibi quoquè Gallicæ copiæ, ductore Guilhelmo Langæo, hostiles declarant animos. Verùm hac in re consilium regis minimè probatur, qui suum militem in tot partes distraxerit parum feliciter, vti rei probauit euentus. 1542

Nec tamen contentus rex Franciscus tot locis inuasisse Cæsarem, etiàm Longeuallum mittit in Germaniam, qui ex Sicambris & Menapijs, adiuncto sibi bellicæ rei peritissimo Martino Rossemio, aliquot millibus peditum & equitum coactis, cùm iam in Germania inferiori bellum nemo suspicaretur, propterea quòd valida Germanorum manus in Pannoniam abijsset, Belgium inuadit, horrendisque pafsim incendijs & flagitijs designatis, parùm abfuit, quin proditione Antuerpiam, longè opulentissimum Europæ emporium, caperet, Louanium quoquè celeberrima Academia insigne oppidum, dolo in potestatem redigeret. Verùm ille quoquè exercitus, præterquàm quòd miseros & innoxios agricolas incensis pagis innumeris ad summam inopiam redegit, nihil laude dignum gessit, & tandèm Aureliano principi Carolo se in Lucemburgensi ditione coniunxit. Hæc sæua Belgicæ vastationis procella eò fuit calamitosior, quòd nullum esset bellum indictum, & planè imparati obruerentur. O si scirēt Principes, quàm immanitèr peccent in Deum, dum ità crudelitèr sæuiunt in turbam innoxiam, & rapinis atque incendijs omnia longè & latè populantur, profectò cunctantiùs bella susciperent. Dum enim miseri sic opprimuntur, clamant haud dubiò in cælum, nec Deus despicit miserorum gemitus.

Gallo militāt Germani.

Belgij deuastatio.

Hoc anno bini sunt Principum conuentus habiti, alter Spiræ, alter Noribergæ. Vtrobiquè præcipuè deliberatum est de expeditione contra Turcas in Pannonia.

Cōuentus bini Principum.

1542 Decreta sunt subsidia ex tota Germania, quibus præesset Ioachimus Elector Princeps Brandeburgicus: sed oleum & opera perijt, mansitque Pestum & Buda, vt priùs, in Turcæ potestate: quin & de exercitu, qui fuit amplissimus, multa millia morbi contagione periêre. Miserat eò Paulus Pontifex ad tria millia peditum, qui hoc bello strenuam nauârunt operã. Hoc tempore Luterus libellum edidit de precibus contra Turcas, siue Concionem castrensem vel militarem, planè contrariam alijs quibusdam scriptis suis. Ex hoc libello multa recitat Sleidanus, sed homo versutus de industria id omittit, quòd Zuinglium Luterus medium inter Anabaptistas & Thomam Monetarium, rusticæ seditionis in Germania authorem, collocat, causamque ferè omnem Turcicæ seuitiæ in Zuinglianos confert. Habet etiàm in eodem libello Luterus precationem contra Turcas, in qua Romanum Pontificem cum diabolo & Turca coniungit, vt in eum rectè quadret illud Dauidis, Fiat oratio eius in peccatum. Multi tum hortabantur Tigurinos, vt eam Luteri calumniam à se & Zuinglianis depellerent: verùm illi priuatis sese ad amicos eos literis excusâsse contenti, à publico bello abstinendum censebant. Quòd Sleidanus Luteri exitiosa scripta tam prolixè non vno loco recitat, omissis tamen quæ ipsorum causam lædant, hominis arguit malum animum & nocendi libidinem. Multum certè ocij illi fuerit oportet, vt tantum & temporis & operæ in perlegendis & transferendis eius blasphemijs ponere non dubitaret. Vult scilicèt vir bonus, vt quamplurimi Luterico fermento corrumpantur. Hæc illi causa est tot chartas Luteri paradoxis ad nauseã vsque commemorandis opplendi. Sed cur omittit honorificã Zuinglij scilicèt mentionem? Quia vidit impostor eam destruere aut certè prægrauare partes Sacramentariorum. Hoc nimirùm est historiam bona fide texere, & rem Euangelicam sinè fraude prodere.

Luteri insolentia.

Psal. 108.

Tempestas infesta militi.

Exercitus Cæsaris, recuperatis oppidis agri Lucemburgensis, cùm in Galliam irrueret, grauissima aëris intemperies tanta rabiei pertinacia illis sese obiecit, vt non pauci equites & pedites partim pluuia, partìm frigore enecti sint. Itaque Galliæ vastandæ consilium in aliud tempus reijcitur, moxque in Brabantiam reuersi, Iuliacensem regionem populabundi inuadunt, bellumque latissimè circunferentes, Duram, Iuliacum, Zittardiam, Hinsbergum, pluraque alia oppida & arces subigunt, imposito

Iuliacensis regio vastatur.

posito præsidio locis opportunis. Multa ibi quoquè da- 1542
mna data sunt miseris hominibus, & penè incredibilis præda abacta, vt par pari relatum videretur. Superuenit autem Principis Iuliacensis exercitus, & eos retrocedere compulit. Manserunt tamen Hinsbergi non pauci, itemque Sufteriæ & Duræ. Qui Zittardiæ erant, destructis muris, ad tutiora se loca contulerunt. Circa Nouembris initia magnam commeatûs copiam in Hinsbergum Brabanti important, idem facturi apud Duram, nisi eos principis Iuliacensis copiæ deterruissent: Vbi se in tutiora recipiunt, hostilis exercitus abeuntes insequitur: atrox pugna præter expectationem in tenebris committitur, eademque aliquot hincindè cæsis dirimitur.

Per id tempus Princeps Guilelmus Zittardiam vallo egregiè munit, aliquot præsidij causa relictis illic cohortibus. Idem facit Iuliaci. Demùm extremo Decembri Duram Cæsareanis extorquet, rebus tamen & corporibus saluis. Deditione enim recepit. *Dura occupatur.*

Henricus Angliæ rex Catharinam Hauardam, quam, Principis Cliuensis sorore repudiata, sibi coniugem adsciuerat, adulterij nomine, quod cum Durantio & Culperio nobilibus perpetrâsset, capite plectit, & Catharinam Pariam viduam, sexto matrimonio sibi copulat. *Sextũ Angli matrimonium.*

Hac æstate innumera ingentium locustarum turba Italiam citeriorem, & in Germania Silesiam, Misniamque multa clade affecit. Habebant digiti longitudinem, turgida capita, ventres obesos & sanie refertos. Itaque extinctæ, intolerabili fœtore aërem corruperunt, vt etiam corui, cornices, accipitres, aliæque aues, cadaueribus alioqui inhiantes, ferre nequiuerint. *Locustæ immanes.*

Bellum atrox inter Scotos & Anglos terra marique feruet, & Iacobus V. Scotiæ rex, anno ætatis 33. vnica filia, vixdùm in lucem edita, regni hærede relicta, moritur.

Fuit hic annus ferax monstrosorum infantum, & pecuinorum fœtuum diuersis in locis.

Indictum est hoc anno à Paulo III. Cõcilium Tridenti.

Saxoniæ elector & Lantgrauius Hassiæ cum fœderis Smalcaldici socijs Henricum Brunsuicensem principem, Catholicæ religionis acerrimũ vindicem, omnibus ditionis eius finibus eijciunt, compelluntque ad *Dux Brũsuicen. debellatur.*

Cæsa-

1543 Cęſarem fugere in Hiſpaniam. Dehortatus eos fuit Ferdinandus rex, nè bellum facerent Henrico: ſed illi cauſas belli explicant, ſeque rectè feciſſe confirmant. Metus erat, nè inteſtinum hac occaſione in Germania bellum exiſteret, quo nihil potuiſſet accidere calamitoſius, noſtris præſertìm in Hungaria cum Turcis parùm feliciter dimicantibus, in ſummam Germanici nominis ignominiam. Nam cùm eſſet copioſiſſimus & potentiſſimus equitum & peditum exercitus, nihil tamen effectum eſt, hoſtibus Turcis effuse ridentibus Germanorum militum ſocordiam, nec dubiam ſpem de tota quandoquè Germania felicibus auibus occupanda concipientibus. Nunquam autem tot clades, totque probra ex illis ſpurciſſimis mancipijs Germania accepiſſet, ſi non religionis diſſenſio animorum quoquè concordiam & mutuam beneuolentiam abrupiſſet.

Tigurini vertunt Biblia.

ANNO 1543. Tigurinæ Eccleſiæ miniſtri, non contenti verſione Luteri, nouam Bibliorum tranſlationem edunt. Exemplum eius typographus Chriſtophorus Froſchouerus mittit Lutero, maximam ſcilicèt à Papa Saxonico initurus gratiam. Ecquid verò Luterus? concoquerène potuit tantam contumeliam, vt noua verſione eius interpretatio haud obſcurè taxaretur? Scribit Froſchouero, nè quicquam deinceps ei mittat, quod à Tigurinis miniſtris profectum ſit: Se nihil cum illis commercij habere, libros eorum nec recipere nec legere velle: Nam Eccleſias Dei cum eis communicare non poſſe: Multos quidem illos ferre labores, ſed fruſtrà: quandò & ipſi iam damnati ſint, & alios quoquè homines miſeros ſecum trahant in Tartara. Se itaque damnationis & blaſphemiæ illorum nolle eſſe participem: ſed quoàd vixerit, eos & precibus & libris oppugnare conſtituiſſe, &c. Si non ſat habent Zuingliani, à Romano Pontifice eſſe damnatos, ſaltèm nè contemnant damnationem Papæ Saxonici, qui Euangelium ſe primum iactat inuexiſſe in Germaniam. Verùm quatenus quidem Luterus ſæuit in Romanum Pontificem & veterem religionem, hactenùs eſt Euangeliſta Chriſti, tertius Elias, & neſcio quid non: Vbì autem Zuinglianos quoquè perſtringit, iam non Chriſti ſpiritus, ſed diabolus loquitur per eum. Sic enim Tigurini de illo ſcribunt: quaſi verò contumelia ſit, iam olìm in Berengario damnatæ hæreſis excitatores proſcindere: porrò faci-

Luterus proſcribit Tigurinos.

facinus apostolicum, inuehi in summum Pontificem, & *1543* Ecclesiæ Catholicæ, velint nolint hæretici, Pastorem, cui in Petro dictum est, Pasce oues meas. *Ioh.21.* Et quarè tandem non vident homines, quàm absurdos habeant magistros, qui cùm in Papistis, vt ipsi vocant, hoc vel maximè damnent, quòd non verbo Dei, sed humanis constitutionibus nitantur, quod tamen ipsi turpitèr mentiuntur, tamen se inuicèm ferre non volunt, licèt vtrinquè nihil nisi purum Euangelion crepent? Hìc quoque altum est apud Sleidanum silentium de Luteri ista responsione ad Froschouerum, qua tam atrocitèr damnat Tigurinos. Sic nimirùm expediebat causæ, quam defendendam susceperat Sleidanus. Sed vbì interim fides historici, quam ipse de se pollicetur? O quàm multa essent in illo homine annotanda, si tempus & institutum pateretur. Legant sanè Sleidanum, qui bonas horas pessimè collocatas volunt: viri cordati, sat scio, hominis impudentiam & vafriciem detestabuntur.

Zuinglij opera eduntur magno dolore Luteranorum.

Nè verò Tigurini nimiùm diù Lutero tacuisse viderentur, opera Zuinglij colligunt: Germanicè ab illo scripta, ab eius genero Rudulpho Gualtero Latinè transferri curant, tantumque thesaurum in lucem edunt, vt aliæ quoquè nationes scire possint, quàm egregius vir Zuinglius fuerit. Illis operibus præfixa est pro Zuinglio eiusdem Gualteri Apologia ad Catholicam Ecclesiam, (sic enim vocant suam synagogam) in qua inter cætera aduersariorũ obiectionibus & criminationibus respondet. Væ tibi Lutere. Eam quidem operum Zuinglij editionem Luterani permolestè ferebant, vt scribit Zuinglianus quidam.

Comitia Noribergæ.

Huius anni mense Ianuario, dum Carolus Cæsar est in Hispanijs, Comitia Noribergæ habentur. Mortuus est illic Christophorus Episcopus Augustanus, Cæsaris in eo conuentu legatus, habuitque successorem Ottonem Truccesium, posteà Romanæ Ecclesiæ amplissimum Cardinalem, multis corporis & animi dotibus valdè insignem. In his Comitijs Protestantes se purgant apud Ferdinandum & Cæsaris legatos de profligato Brunsuicensi principe, aiunt rectè atque ordinè se fecisse: petunt amoueri Iudices Camerę, & alios constitui, & quædam alia: adduntque, nisi sic fiat, quemadmodùm ipsi petunt, non posse se de bello Turcico quicquam statuere. Henricus Princeps ad Cameram accusârat Protestantes, sed illi Cameræ iudices prorsùs respuebant. Respondit

Protestãtes suam causam tuentur.

1543 dit illis Ferdinandus & Cæsaris legati, iam indictum esse concilium, Cæsarem aduentare, indicta causa non posse amoueri iudices Cameræ, Henrico principi sua repetenti non posse ius denegari, & pleraque alia. Verùm Protestantes aiunt se Concilium non approbare, &c. Interim nihilo minùs decretum facit Ferdinandus cum reliquis ordinibus de certis quibusdam rebus, cui decreto Protestantes se minimè cōsentire profitentur. Quis non videat, quàm hæc ad certam Germaniæ perniciem pertinuerint, nisi Deus nobis pepercisset? Has animorum offensiones & dissensiones peperit nobis Luteri Euangelion, cuius protasin longè tristissimam iampridem vidimus, catastrophen verò longè turbulentiorem expectamus. Turca demùm vel Moscouita docebit nos recta sapere.

Cōcilium suspenditur. Misit hoc anno tres Cardinales legatos Paulus Pontifex ad Concilium Tridentinum, sed feruente bello inter Cæsarem & Gallum, in aliud tempus prorogatum est. Quæ enim poterat spes esse Synodi peragendæ, dum inter se infestis signis concurrerent præcipui orbis Christiani reges?

Obitus Eccij & Pighij. Mortui sunt eodem anno intra vnius mensis spatium duo clarissimi viri Iohannes Eccius & Albertus Pighius, inuictissimi Catholicæ doctrinæ propugnatores. Eccium acerbè perstringunt Euangelici: sed si omnes suos grammaticos theologos in vnum conflent, vix Eccio parem efficient. Dictio eius non admodùm elegans est, sed solidè doctum fuisse res ipsa loquitur: nec Græcæ & Hebraicæ linguę rudis fuit. Memoria tenacissima plurimùm illi contulit, & præterquàm quòd veteres Patres studiosè legit, etiàm in scholasticis diligentèr versatus est. Horum temporum scioli plerique scholasticos scriptores ob sermonis barbariem planè contemnunt, ipsi vel hoc solo nomine meritò contemnendi: quasi eruditio à verborum phaleris, & non ab ipsa potiùs rerum cognitione petenda sit. Multi hodiè versantur in veterum Patrum lectione, contemptis scholasticis: sed quantùm illi in solida Theologia proficiant, res ipsa declarat. Nec immeritò nostri Euangelici Scholasticos oderunt, cùm non ignorent ab illis affatìm tela suppeditari, quibus ipsi conficiantur. Quòd enim quæstionibus sua ferè tractant, ingeniorum exercitandorum causa id faciunt, vt possint in promptu habere argumenta, quibus hæreticorum commenta elidantur.

Scholastici Doctores minimè contemnendi.

Fran-

1543

Gallus perſtringit Cæſarem.

Franciſcus Gallorum rex ſcribit literas ad ſummum Pontificem, quibus vehementiſſimè perſtringit Carolum Cæſarem, iamque animo totus in bellum inclinatus, ſuis extraordinarium imperat ſtipendium quinquaginta millium peditum. Copijs omnibus equitum & peditum coactis, in Hannoniam proficiſcitur, Landreſium capit, mirificè communit, & Landæ viro egregiè militari ſeruandum committit.

Elector Colonieñſ. res nouas molitur.

Per hoc ferè tempus Hermannus Princeps Elector & Archiepiſcopus Colonienſis, à quibuſdam deceptus, Martinum Bucerum Argentorato Bonnam accerſit, religionis quandam reformationem, vel potiùs deformationem eius opera inchoaturus. Fuit ille princeps natura vir bonus, & in miſeros ac egenos benignus & liberalis, ſed parùm doctus. Itaque non mirum eſt, potuiſſe eum Buceranis fallacijs facilè circunſcribi. Bucerus, vbi Bonnam venit, iubente Epiſcopo, concionatur ad populum. Ea res non parùm offendit reuerendum & illuſtre maioris ædis Capitulum, Clerum omnem, & totam Vniuerſitatem Colonienſem. Hortantur igitur Epiſcopum, vt deſertorem monachum reijciat: ſi non habeat idoneos concionatores, ſe curaturos vt habeat. Ille contrà manet in propoſito, velle ſe reformare ait diœceſin ſuam. Cùm illi è diuerſo obijcerent, ſi quid tale vellet, non debere id ipſis inconſultis ex canonum præſcripto facere, nec ea in re vti opera votifragorum monachorum. Bucerus in ſuî defenſionem ſcriptum edit librum, multis tetris erroribus, fœdis mendacijs & atrocibus in catholicos calumnijs ſcatentem, qui eſt mox ab Vniuerſitate & Clero Colonienſi contrario ſcripto egregiè confutatus. Verùm Epiſcopus, quibuſdam eum inſtigantibus, etiàm Melanchthonem à Saxone petit: nec ille ſolus venit, ſed præter eum etiàm Piſtorius, Sarcerius, & eius farinæ plures. Ab his liber quidam de Reformatione inſtituenda conficitur, præcipuo architecto Bucero. Hunc librum Epiſcopus mittit Clero ſummæ ædis Colonieñ, vt ſi poſſint, vera ratione confutent: ſin minùs, nouerint eum proximo Ordinum Diœceſis ſuæ conuentu, qui tum iminmebat, librum publicaturum, & eam Reformationem executioni daturum. Scriptum eſt igitur intra tres hebdomadas Antididagma contra hanc peſtilentem reformationem, & primarij Cleri nomine miſſum eſt Epiſcopo cum demiſſis admodùm precibus, quandoquidem Buceri librum

Bucerus concionatur Bonnæ.

Melanchthõ cum alijs venit ad Epiſcopum.

Antididagma.

1543 librum nulla ratione admittendum perlegiſſet, etiàm Antididagma ſuum vti nè legere grauaretur. Porrò legitimam Reformationem non modò non recuſare, ſed cumprimìs etiàm cupere ſe ſcripſerunt. Ad extremum orant, vt concionatores illos minimè probatos à ſe dimittat. Hiſtoriam hanc Sleidanus longè alitèr narrat, quàm deceat bonum virum. Inter cætera ait, etiàm à Pontificis legato & Cæſare in Comitijs Ratiſponenſibus iniunctum epiſcopis, vt in ſuis quiſque finibus piam emendationem inſtituerent: Scilicèt ignorabat Sleidanus nihil voluiſſe minùs Legatum & Cæſarem, quàm vt Bucerus ad eam rem accerſeretur. Tum addit non fuiſſe apud Colonienſes, quos Epiſcopus populo rectè præficeret. O ſycophantam: non erat tam inops bonorum virorum Colonienſis diœceſis, vt Bucero apoſtata haberet opùs. Non ſemèl etiàm clariſſimum virum Iohannem Gropperum in ſuſpicionem hæreſeos vocat, tanquàm is Bucerum plurimi fecerit, & ſempèr magnoperè commendârit. Sed hanc calumniam ille inſignis vir, edito ad Imperatorem Carolum V. libro, à ſe depulit, atque alibì etiàm teſtatur Sleidanum, quem vocat infidum rerum Imperij exploratorem, in ſua mendacijs referta hiſtoria falsò hæc ipſi affingere, & Bucerum ipſo & bonis omnibus non modò inſcientibus, ſed etiàm inuitis, in Colonienſem diœceſim irrepſiſſe, diſertiſque verbis eodem loco Bucerum vocat hominem deploratæ memoriæ. Nec ſanè impunè tuliſſet Sleidanus eam iniuriam, niſì priùs è medio fuiſſet ſublatus, quàm Gropperus ità vt inſtituerat, ſcripto eum refellere poſſet. Sunt & alia Sleidani commenta, ſed longum eſt omnia referre. Hoc tamen addendum eſt, D. Gropperum, cùm reuerſus eſſet ex colloquio Ratiſponenſi, cuius paulò ſuperius meminimus, percurriſſe ſcripta Buceri, & vt hominis exploraret conſtantiam, contuliſſe ea cum ijs articulis, qui in eo colloquio erant conciliati: tum verò innumera offendiſſe non mediocritèr diſcrepantia ab illis, quæ in illo colloquio Bucerus reçeperat & approbârat: deniquè annotâſſe fœdiſſimas quaſdam illius Buceri antilogias, errores, mendacia, blaſphemias, quibus & Manichæum ſuperâſſet. Si quis hæc exactiùs nôſſe volet, legat ea quæ ſcripſit doctiſſimus vir Euerhardus Billicus in defenſionem Iudicij vniuerſitatis & Cleri Colonieñ aduersùs calumnias Melanchthonis, Buceri &c. vbì hæc inſeruit. Indè iam videre licet, quid de Bucero

Sleidani vanitas.

In opere de Eucharistia, Articulo 4. cap. 14.

cero ſenſerit Gropperus, & quàm candidè de Groppero *1543*
ſcripſerit Sleidanus. Ità non poſſunt iſti ſuum Euange-
lium propagare in orbem, niſì impudentèr identidem
mentiantur? Debebat meminiſſe infidus ille hiſtoricus,
ſi in alijs nonnullis rebus, quarum notitiam pauciſſimi
haberent, falsò narrandis impunè mentiri poſſet, tamen
ea in re, quæ & libris palàm editis, & multorum etiam-
nùm ſuperſtitum teſtimonijs eſſet compertiſſima, mala
fide narranda, non niſì turpiſſimè & impudentiſſimè
eum mentiri potuiſſe. Ecquis verò illi in arcanis refe-
rendis fidem commodet, quem in manifeſtis non pu-
det eſſe vanum? Hæc dicta ſint propter eos, qui tantum
tribuunt Sleidano. Quòd verò Epiſcopus Hermannus
tanti fecit Bucerum, non minima ex parte eius inſcitiæ
tribuendum eſt, qui non ſatìs calleret, quantoperè ſacri
Canones, vetuſtiſſima Concilia, & ſanctiſſimi Patres, *Num.30.*
ſanctarum vtiquè ſcripturarum authoritate ſubnixi, quæ *Deut.12.*
iubent vota reddi, damnant Apoſtatas monachos, præ- *& 23.*
ſertìm ſi illi etiàm inceſtis nuptijs ſe contaminent. Bu- *Pſal.75.*
cerus verò non vnis contentus nuptijs, etiàm tertijs ſe *Eccĺes 5.*
polluit, licèt monachus & presbyter eſſet, contra datam
Deo fidem, contra Canones & Concilia omnia, contra
morem gentium omnium è religione Chriſtianarum.
Et tamen hunc virum non dubitant quidam vocare pa-
cis & pietatis ſtudioſum. Væ qui dicitis bonum, malum: *Eſai.5.*
& malum, bonum:

Intereà Carolus Cæſar ex Hiſpanijs nauigaturus *Philippus*
in Italiam, Philippum filium, ſextumdecimum ætatis *declara-*
agentem annum, Hiſpaniæ regem pronunciat, eique *tur Hiſpa-*
totius regni ciuitates per legatos ſacramentum dicunt. *niæ rex.*
Conferuntur Cæſari in bellum ituro ſupra quadragin-
ta myriades aureorum nummûm: rex quoquè Luſita-
niæ Iohannes grandi pecunia pium principem iuuat.
Iam non immeritò ſummus Orientis belli metus Euro-
pam inuaſerat, nè eius occaſione Solimannus Turca to-
tum Occidentem ſibi ſubiugaret: quod quidem facile il-
li fuiſſet, niſi Deus clemens & pius eum à noſtris cerui-
cibus auertiſſet. Et certè locuſtæ illæ, quæ ab Oriente per
Illyricum ſtupendis agminibus in Italiam conuolârant,
maximaque paſsìm in agris, ſegetibus, pratis, arbori-
bus, folijs omnibus ocyſſimè deuoratis, damna dede-
rant, Turcarum aduentum portendere viſa ſunt: neque
id prorsùs temerè, vt ex ijs quæ paulò pòſt dicemus, ap-
parebit.

1543 Cæſare in Italiam aduentāte, Paulus Pontifex multa iam ætate grauis, ſe dat itineri, ſpe componendæ pacis cum Cæſare collocuturus. Cæſar Genuæ in Aurianis ædibus ſplendidiſſimo ornatu excipitur, & viſus eſt paulò aſperior, propterea quòd Pontifex nulla ei in Gallum ſubſidia dediſſet, vixque impetrari potuit, vt in colloquium veniret. Sed Pontifex, qui ſe parentis ſuſtinere perſonam non ignoraret, ità ſe geſſit medium, vt neutrius partes fouere videretur. Porrò Cæſar nimiùm laceſſitus tot ditionum ſuarum rapinis, incendijs, euaſtationibus ac direptionibus, de pace nihil audire ſuſtinuit, nec voluit colloquijs nihil tamen effecturis tempus terere, vt maturè bellum ſuſceptum contra Cliuenſem principem conficere poſſet. Paſſus eſt tamen ſe in colloquium nedùm Pontificis, ſed etiàm ampliſſimi Cardinalium Senatûs trahi apud Buxetum vrbem, vbi ſanè Pontifex id vel maximè conatus eſt à Cæſare impetrare, vt pace cum Gallo compoſita, in Turcam arma converteret. Idem conati ſunt Cardinales, ſed Cæſar multis de cauſis inexorabilis, ab ea belli cogitatione deduci non potuit. Nihil enim eorum latebat prudentiſſimum principem, quæ non vno loco hoſtes in eum machinati eſſent, idque eo tempore, quo contra acerrimos Chriſtianæ religionis hoſtes pugnaturus, maximam bellici apparatûs in mari iacturam feciſſet apud Argieram.

Paulus 3. it ad Cæſarem.

Colloquium Pontificis cũ Cæſare.

Dum hæc geruntur, Hariadenus Barbaruſſa iuſſu Solimanni Turcarum Principis, cum centum & decem triremibus, biremibus quadraginta, ad Meſſanæ fretum peruenit, Rhegium occupat, abductis indè in miſeram ſeruitutem ſeptuaginta circitèr Hiſpanis militibus, & multò pluribus Rheginis ciuibus. Poſteà Oſtiam venit, vſqueadeò Romanis trepidantibus, vt vrbem planè deſerturi viderentur. Triduo illic hæſit Barbaruſſa propter aquationem longè optimam, poſteà Maſſiliam rectà contendit. Indè claſſem ad Niceam Prouinciæ admouet, vrbem grauitèr oppugnat & capit, eamque milites Turcæ diripiunt, & incendijs deformant, multamque indè atque ex Italia Chriſtianorum hominum vtriuſque ſexûs prædam abducunt in tetram captiuitatem. Feruntur fuiſſe circitèr 5200. & in ijs eleganti forma virgines Deo ſacratæ 200. Reliqua præda penè ſexcentis ducatorum millibus æſtimata dicitur. Barbaruſſa Turcæ gratificaturus, & homines & reliqua omnia quatuor magnis nauibus impoſita,

Claßis Turcica.

Nicea oppugnatur.

Præda ingens.

posita, adiuncta alia naui præsidiaria, Solimanno transmittit. Intereà Garsias viceregis Neapolitani filius, classe sua Iohanniticæ sociata, Turcicas oras depopulatur, non mediocri relata præda. Dum autem Siciliam versùs nauigat, obuias habet Barbarussæ, quas diximus, naues cum præda hominum & aliarum rerum. Sentiens verò hostiles esse, irruit in eas, & omnes Messanam perducit, non sinè maximo Dei beneficio, quo è sæuissimorum barbarorum manibus miseros illos extorsit, quos non dubium est incredibilem animi mœrorem ab insperato in summum gaudium commutâsse. 1543

Præda Turcis eripitur.

Nè quid verò ad summam calamitatem Christianis deesset, dum Barbarussa mare infestum habet, Solimannus cum ingentibus copijs Pannoniam vastat. Valponium primò, mox Soclos capit. Apud Soclenses in præsidio erant ducenti, & eo ampliùs nobiles Hungari, qui cùm diù fortissimè restitissent, tandèm compulsi sunt se victoris arbitrio permittere. Itaque deditione facta, porta vrbis excedentes, ad vnum omnes interficiuntur. Indè Strigonium, trina licèt irruptione infelicitèr tentata, nostris fortitèr resistentibus, tandèm deditione occupat, opera præsertìm transfugæ cuiusdam senis Calabri, qui quo loco vrbs oppugnanda esset, sceleratissimè detexit. Captam eam vrbem Solimannus mox admirabili structura & opere ità communiuit, vt Christianis eius recuperandæ spes omnes prorsùs præcidisse videatur. Mox Tattam oppidum, præsidiarijs sese dedentibus, in potestatem redactum funditùs euertit. Ottomanni enim, veteri instituto, raris, sed validis, præsidijs partas bello prouincias tueri solent. Pòst cum toto exercitu Albam petit, quæ propterea Regalis dicitur, quòd illic perantiquo gentis ritu reges coronentur, ac eodem in templo priscorum regum sepulcra visantur. Totius autem Pannoniæ facilè nobilissimæ vrbes sunt Buda, Strigonium, & Alba, quæ paribus ferè interuallis inter se distantes, trianguli figuram efficiunt. Est Alba cumprimis munita, nec deerant vrbi tuēdæ strenui milites: consilium rebus administrandis idoneum defuisse videtur. Solimannus vrbem latè complexus, spectantes nostros admirabili atque stupenda castrorum specie conterruit, adeò vt quingenti Vsarones equites ex vrbe discesserint, magno nostrorum incommodo. Vbì ad oppugnationem ventum est, breuì eò Albani ciues adducti sunt, vt maturè dedendam vrbem deliberârint. Itaquè eo quoquè in-

Hungariam populantur Turcæ.

Strigonium occupant.

Alba regalis vndè dicta.

1543 ſigni oppido immanis Barbarus potítus eſt, totiúque demum Pannoniæ Mahometem Iahaoglem cum imperio præeſſe voluit, qui locis illis, quæ etiamnùm à Ferdinando rege tenebantur, crebris excurſionibus magnas ſæpè clades attulit.

Porrò dum hæc in Pannonia geruntur, Cæſar Carolus ex Italia in Germaniam abit. Ante eius aduentum Hinsbergo impoſiti à Brabantis milites, ſumma annonæ penuria laborare cœperunt. Rem igitur per literas Brabantis indicant. Illi cum ingenti exercitu & omni ferè nobilitate Moſam tranſmittunt, & 12. Calend. Aprilis maximam commeatûs copiam & reliqua bello gerendo neceſſaria in oppidum important. Vbi id Principis Cliuenſis copiæ reſciſcunt, ad eos contendunt, oblataque mirabili opportunitate, quòd Brabantis venti, pluuiæ & grandines ex improuiso ſe obijcerent, non dubitant pauci cum multis confligere. Fit atrox pugna diu ancipiti Marte, donec cæſo & in fugam verſo Brabantorum peditatu, victoria ad Cliuenſis Principis militem inclinaret. Lauta illic & ſuprà quàm dici queat, magni precij præda capta eſt, multa tormenta egregia, & pleraque alia.

Hinsbergo alimenta inueniuntur.

Præda multa.

Cœmeterium munitiſs.

Hac victoria elati Cliuenſes, ditionem Limburgenſem populabundi inuadunt, prædas ſtrenuè agunt, pagum Herl adeunt, eius cœmeterium egregiè munitum, quò incolæ confugerant, obſident: ſed incolis impigrè dimicantibus, re infecta, non ſinè damno abſcedere coguntur, vti etiam aliâs non ſemèl ab eodem loco.

Hinsbergum obſidetur.

Appetente meſſe, quòd milites ex Hinsbergo crebra eruptione vicinis pagis eſſent infeſtiſſimi, à Cliuenſibus obſidetur oppidum, & admotis tormentis muri validis ictibus ſternuntur. At qui intùs erant, nihil exterriti, aggeres inſtituunt, & ſe hoſtibus fortitèr opponunt. Octaua obſidionis hebdomade Brabanti inſtaurato exercitu ruisùs Moſam traijciunt, ſenſimque hoſtibus propinquantes, nunc accedendo, nunc cedendo ab oppido hoſtem in campum eliciunt: dumque vtrique ex aduerſo conſiſtunt, & leuibus prælijs crebrò ſe laceſſunt, diuerſo itinere currus Brabantici, annona & alijs rebus neceſſarijs onuſti, Hinsbergum ingrediuntur. Iam iuſta omninò pugna inſtare videbatur, dum eccè Cliuenſes præfectorum iuſſu ſensìm retrocedunt, moxque in fœdam dilapſi fugam, Brabantis inſequendi & fugientium terga cædendi occaſionem offerunt. Ex ea fuga non dubio

bio pudore perfusi milites, cum in duces culpam reijcerent, Martinum Rossemium ducem primarium sibi dari petunt. Annuente Guilelmo Principe, Rossemius aliquot Traiectensis diœcesis oppidula infestat, Amsfordiam insigne & munitum oppidum, exclusis miro astu præsidiarijs, qui prædatum ex vrbe processerant, deditione occupat, ciues graui ære mulctat, quo militi aliquot mensium stipendium persoluit. Princeps Aurantius subsidio venit Amsfordianis, sed serò. Rossemius porrò pergit in Buscoducensium fines, Helmundam & Endouiam capit & diripit. Sub idem quoquè tempus Limburgensis ager, nupèr intactus, cum tota Daleuia & ditione Falckenburgensi, opimis abactis spolijs, vastatur. 1543 *Amsfordia capitur.*

Intereà Cæsar Spiram venit. Ibì Protestantes per legatos quædam ei proponunt, quibus responsum est, satìs ipsis de pace cautum esse, Cameræ iudices indicta causa remoueri nefas esse, & quędam alia. Moguntię deniquè, quò cum Legati illi sequebantur, dictum est illis, nisì Henricus Brunsuicensis restituatur, Cæsari non defuturam viam qua illum restituat. Appáret hinc mirabilis animi fortitudo in illo principe, qui id temporis tot potentissimorum hostium armis petebatur, nec tamen vspiàm sese per ignauiam abijcit. Sunt tamen, qui scribere videantur Granuellanum & Nauium dixisse Protestantium legatis, Brunsuicensem ipsum, nisì restitueretur, rationes initurum, quomodò sua recuperaret. Sed id quoquè ferè eodem pertinet, cùm satis constet Brunsuicensem Cæsaris amicitia & ope fretũ suis rebus neutiquàm defuturum fuisse, eoque spectâsse Granuellanum appáret, cùm hoc responsum reddidit legatis Protestantium. Nam proprijs viribus, quæ tum angustę erant, non facilè cõtra fœderatos illos Protestantium ordines quicquam Brunsuicensis efficere potuisset. *Cæsar Spiræ respondet Protestantibus.*

Apud Spiram Archiepiscopus Coloniensis Cęsarem pro Cliuensi Principe deprecatur, sed Cæsar nullam pacis mentionem audire voluit, nisì ille priùs Geldrensi principatu decederet. Rogauit quoque pro eo Saxonicus legatus iussu sui principis, sed nihil potuit obtineri.

Moguntia Cæsar dat literas ad Senatum Coloniensem, quibus eorum laudat in fide Catholica constantiam, quòd non cesserint quibusdam concionatoribus, qui eos à Catholica religione auertere modis omnibus *Cæsar laudat Colonienses.*

1543 attentârint: hortatur, vt perseuerent, & populum in officio contineant. Idem ferè scribit ad illos etiàm Pontifex Paulus III. Senatus itaque conuocato populo mandat, vt his edictis pareant. Dici vix queat, quot dolis, quot cuniculis, quot modò occultis, modò apertis machinationibus malus dæmon per suos administros hanc vrbem multis nominibus longè celeberrimam, conatus sit ab vna, vera, Catholica fide in istos deterrimos & pugnantissimos noui Euangelij errores abducere, quibus iam tota ferè Germania miserè perijt: sed quæ Dei est singularis benignitas, nihil hactenùs efficere potuit, Senatu prudentissimo & grauissimo diligentèr inuigilante, nè homines pestilentes voto suo potiri queant. Multæ sunt artes cacodæmonis, & habet ille suos satellites, qui vbì vident nihil aperto Marte se posse consequi, vertuntur ad insidias, transferunt se in angelos lucis, nihil nisì pacem & pietatem præ se ferunt, donèc hac perniciosissima simulatione apud incautos præclaræ cuiusdam existimationis, magnæ pietatis, non dubiæ integritatis famam sibi concilient: Tum verò sensìm virus effundunt suum, & sub pietatis prætextu, etiàm illos non rarò à Catholicæ Ecclesiæ pace & vnitate auellunt, quos neque Luterus, neque alij omnes ex professo Ecclesiæ hostes, euertere potuerunt. Vigilandum est igitur omnibus, quibus sempiterna animarum suarum salus cordi est, nè circunueniatur à satana. Habet, semperque quandiù hic stabit Orbis, habebit suas laudes eximias inclyta & præclara Colonia Agrippina, quòd tam multis in Germania ab auita eademque sanctissima religione deficientibus, ipsa constantissima permansit, nec eam fidem & religionem puerili leuitate sibi deserendam putauit, quam longè ante mille annos accepisset, & in hunc vsque diem, à sanctis Maioribus suis integra fide velut per manus sibi traditam, religiosè conseruâsset, licèt sæpè incredibilibus astutissimorum satanæ satellitum fraudibus & technis, armis & machinis oppugnata. Orandus autem est Deus, vt eandem etiàm deinceps, vtì benè speramus, constantiam seruet, præsertim cùm nunquàm cesset satanas nouos texere dolos, & nouas meditari artes, quibus vel tandèm etiàm constantissimos expugnet: nec desint qui hanc eximiam laudem inclytæ vrbi inuideant, quam illi tribuit scriptor quidã vetustus his verbis vsus: *Postquàm fidem suscepisti Ciuitas prænobilis, recidiua non fuisti, sed in fide stabilis.*

Coloniæ multùm insidiati hæretici.

Coloniæ encomiũ.

Hoc

Hoc tempore Caluinus librum edidit contra reliquias, dignum planè tali patella operculum. Esto, fuerit quorundam tanta inscitia, vt nonnunquàm non satis rectè vsi fuerint sacris reliquijs, num propterea tam impiè in reliquias ludendum est? Valdè acuti sunt isti scioli, vt vel minima quæque in Catholicis videant: ipsi suas absurdissimas impietates, horrendos errores, infanda scelera non vident. Si vixisset hac ætate D. Hieronymus, os blasphemum Caluini multò etiàm maiori dicendi libertate & inuicta incomparabilis doctrinæ authoritate oppressisset, atquè olim impij Vigilantij, quem Eunomij blasphemias sectantem contra martyrum reliquias, caluus iste Caluinus socium habet impietatis suæ. Vtinàm Christus tandèm liberet Ecclesiam suam ab id genus deploratis hominibus. *1543 Caluinus contra reliquias.*

Cæsar vbì Bonnam venit, ab Episcopo aliquot diebus lautissimè accipitur: Episcopum verò Cæsar orat, vt Bucerum à se dimittat. Nam Melanchthon iam discesserat. Aderat Bucero socius Caspar Hedio, vterque non multò pòst abijt Argentinam. Si in Hispanos milites incidissent, haud dubiè martyres euasissent. Verùm illis tum longè tutius erat latitare. Habet enim & diabolus martyres suos. *Cæsar venit Bonnã*

Bonnæ Cæsar lustrato exercitu suo, 21. Augusti Duram iter intendit: quò cùm peruenit, Heraldum mittit, qui vrbis deditionem petat. Ea non impetrata, paulò pòst summo manè horribili tormentorum tonitru quassantur mœnia, donèc tandèm quinto incursu vrbs capta est. Magna tum oppidanorum & aliorum intra vrbem cædes facta est, vt solet ijs in locis, quæ hostis vi occupat: vastatæ ædes, bona direpta, non pauci capti, qui vitam magno ære redimere coacti sunt. Altero die, incerto authore, vrbs incenditur, & quod miles rapax tollere non potuit, flamma vorax absumpsit. Misit verò pius Imperator milites, qui incendium restinguerent, sed non nisì paucæ ædes cum Franciscanorum cœnobio seruari potuerunt. Ità intra vnius anni spatium vrbs calamitosa tèr obsessa, nunc demùm miserè perijt. Grassante incendio, qui superstites manserant, in castra educti sunt: vbì fœminæ & pueri sub Cæsaris papilione, viri Ecclesiastici in Episcoporum tentorijs seruati sunt incolumes, atque luce proxima reducti in vrbem. Porrò caput Diuæ Annæ matris beatissimæ Mariæ virginis, quod illic seruatur auro inclusum, & *Dura oppugnatur & capitur. Inflammatur.*

1543 quotannis multo confluentium hominum studio & deuotione visitabatur, religiosus Imperator cum magna celebritate ab Hispanis curauit inferri in templum Franciscanorum, nè incendio vastaretur. Eiusmodi sanctarum reliquiarum piam venerationem, quæ tamen tota in eius fit honorem, à quo sancti habent sanctitatem suam omnem, noui Vigilantiani nostri ferre non possunt. Dicamus ergò illis, quod olìm Diuus Hieronymus incomparabili tum eruditione, tum vitæ sanctimonia præditus, dixit Vigilantio: Rides, inquit ille ad Vigilantium, de reliquijs Martyrum, & cum authore huius heresеos Eunomio Ecclesijs Christi calumniam struis: nec tali societate terreris, vt eadem contra nos loquaris, quæ ille contra Ecclesiam loquitur. Et infrà: Sentio, sentio infelicissime mortalium, quid doleas, quid timeas. Spiritus iste immundus, qui te hæc cogit scribere, sæpè hoc vilissimo tortus est puluere, (sic enim Vigilantius appellabat cineres & reliquias Sanctorum) immò hodieque torquetur &c. Multa ibì alia scribit Diuus Hieronymus, quæ meritò deberent istorum insaniam comprimere, qui hodiè cum illis ante tot secula damnatis hæreticis Diuorum reliquias atque etiàm inuocationem oppugnant, & misero persuadent vulgo, dum illas honoramus, idololatriæ scelus nos admittere.

Reliquiarum venerationem non ferũt Vigilantiani.

De Constantino Copronymo Imperatore Græco, Leonis imaginum oppugnatoris filio, homine valdè impio, Suidas Græcus author sic habet: Eò dementiæ & vecordiæ, inquit, peruenit, vt publicitùs populo sanctionem vniuersalem proposuerit, nè quis omninò ministrorum Dei sanctus diceretur, sed vt reliquiæ eorum inuentæ despuerentur: néve intercessio illorum, quòd nihil possent, peteretur. Quin mortalium omnium impurissimus, præcipere est ausus, nè quis Mariæ intercessionem imploraret. Non enim, inquit, opitulari cuiquam potest. Atquì Venerem ille coluit, (quemadmodùm certè præclarè etiàm nostri Euangelici) & victimas humanas obtulit &c. Hæc Suidas. Pudeat tandèm tam sceleratæ societatis.

Constantini Copronymi impietas.

Dura expugnata, Cæsar abit Iuliacum, quod vacuum ferè inuenit, demptis paucis fœminis & exacta ætate viris. Pòst Ruræmundam proficiscitur, Geldriæ munitam vrbem. In eo itinere ex omnibus fermè Iuliacensis regionis oppidis veniunt legati, deditione pacem expetentes. Ruræmundenses nihil expectata obsidione, Cæsari

Ruræmũda deditur Cæsari.

Cæsari

Cæsari sub certis conditionibus se dedunt. Cæsar vrbem ingressus est altera Septembris die, & ab oppidanis honorificè acceptus, his salutatur vocibus: Salue Imperator, salue Carole V. dux Geldriæ. agnoscit dominum Ruræmundensis cliens, fidelitatemque iureiurando confirmat. Indè Venlonem oppidum valdè munitum se confert. Ciues primò inducias petunt paucorum dierum, quibus consulant principem Guilelmum. Illo respondente, vt consulant rebus suis, se illos sacramento, quo ipsi teneantur, soluere, in Cæsaris ditionem concedunt. Idem faciunt etiàm aliquot alia Geldriæ oppida, itemque Zutphanienses per legatos suos. 1543 *Item Venlonenses & Zutphanienses.*

Cæsare apud Venlonem agente, Princeps Cliuensis sanis vsus consilijs, comitatus Henrico Brunsuicensi principe & legatis Archiepiscopi Coloniensis, ad Cæsarem supplex venit, ab eoque sub quibusdam conditionibus in gratiam recipitur, Videlicet, vt religionem Catholicam in omnibus suis ditionibus inuiolatam retineat: si quid mutatum est, restituat: Cæsari, Romanorum regi & Imperio se morigerum præbeat: fœderi Gallico, Danico & Suedico renunciet: Ducatu Geldriensi & comitatu Zutphaniensi sese prorsùs abdicet, & iusiurandum populo remittat: & quædam alia, quæ non est necessè huc adscribere. Cæsar quoquè principi condonauit, quicquid hoc bello damni datum esset regionibus ipsius, & offensiones omnes. Seruauit autem sibi ad breue tempus Zittardiam & Hinsbergum, munita Iuliacensis agri oppida. *Princeps Cliuensis conciliatur Cæsari.*

Per hoc tempus in diœcesi Monasteriensi ad castrum Saſſenburg, haud procùl à Warendorp, sanguine pluit. *Pluit sanguine.*

Hoc anno nouus quidam propheta extitit in Frisia, nomine Georgius Dauid. Ille insanus non se dubitauit Dei nepotem appellare. Cum feris & auibus quocunque esset collibitum idiomate colloquia miscuit, & ab illis alimenta accepit, hauddubiò præstigijs & dæmonum opera vsus. Aiebat cælum prorsùs esse vacuum, se diuinitùs missum, vt regni hæredes accerseret: multaque id genus alia ridicula & absurda, quibus tamen non defuerunt qui fidem commodarent, vt est hoc seculum pudenda leuitate, & plusquàm anili stoliditate auidum in res nouas, quantumcunquè alioqui absurdas & impias. Quis huius Prophetæ demùm exitus *Georgius Dauid.*

 fuerit,

1544 fuerit, infrà suo loco dicemus. Carolus Cæsar huius farinæ homines ferro & igni seuerissimè in suis ditionibus inferioris Germaniæ persecutus est, adeò vt Georgius iste timens pelli suæ, cum suis Basileam se contulerit, vt infrà dicetur.

Lucēburgum occupatum. Sub finem Decembris Franciscus Gallorum rex Lucemburgum rursùs occupat. Ferebatur opem laturus Cliuensi principi, atque eo nomine etiàm adduxisse sororis filiam Iohannam, Cliuensi anteà desponsam: Verùm vbi de Principis cum Cæsare conciliatione certum accepit nuncium, non mediocritèr fuit perturbatus: at nihilo minùs Lucemburgum egregiè muniendum curauit.

Lādresiū obsidetur. Eodem tempore Angliæ rex Henricus exercitum mittit in Belgium, qui cum Cæsaris copijs coniunctus, Landresium obsidet. Cęsar eò venit mense Octobri cum ingenti exercitu: venit etiàm Galliæ rex cum manu valida. Res non longè à prælio abesse videbatur: sed Galli, cùm in oppidum annonam intulissent, & militem recentem, clàm indè recedunt. Cæsareani luce demùm appetente id sentiunt, abeuntes insequuntur, ex postremo agmine non paucos interficiunt, multamque vasorum aureorum & argenteotum, atque aliarum rerum prędam referunt. Cæsaris consilia arcana de prælio ineundo ad Gallos quorundam opera delata ferebātur: qua re offensus Cæsar, post Galli discessum, soluta obsidione Landresij, Cameracum occupat, eique arcem imponit: cætera, vt quidam annotauit, liberam ciuitatem, de pristino statu eius nihildùm immutans, Antistiti permisit:

Cameracum obtinet Cæsar. quædam etiàm alia vicina loca sibi vendicat: porrò exercitûs partem dimittit: reliquos ad Lucemburgi obsidionem mittit: ipse domum redit.

ANNO 1544. mēse Ianuario natus est Franciscus, primogenitus Henrici Valesij, posteà Gallorum regis, cui idem ipse Franciscus non diù pòst successit. Sunt qui scribant, non defuisse iuris ciuilis doctores, qui Henrico regi permitterent, à Catharina Medice ipsius coniuge, quæ iam multis annis fuisset sterilis, diuortio separari, eiusque rei exempla aliquot recentia adferrent: sed tum Henrici patrem Franciscum, tum Henricum ipsum sanctis rationibus eiusmodi perniciosas insusurrationes constantèr refutasse, & quadam Christiani iudicij æquitate asseuerâsse fidem seruandam præpoten-

potenti Deo, qualitercunquè illi visum sit facere. Ea verò tum Francisci patris, tum Henrici filij, vtriusque Galliarum regis pietas non potest non magnoperè commendari. 1544

Cæsar huius anni initio è Belgio Spiram proficiscitur ad Imperij ab ipso indictum conuentum, qui quidem cumprimis celebris fuit, præsentibus illic Electoribus omnibus, quod rarò fieri solet, & ipso quoquè Ferdinando rege, & principibus plerisque omnibus. In hoc conuentu Cæsar contra Galliæ regem ab omnibus Imperij ordinibus grandem pecuniæ summam in sex menses impetrat: cum Daniæ rege, qui cum Gallo fœdus percusserat contra ipsum, omninò transigit: Saxoniæ quoquè Elector Ferdinando regi obseruantiam promittit. Erat tum fama sparsa de Francisco Gallorum rege, quòd cum Turca fœdus fecisset, eo nomine permultos à se abalienauit, licèt ipse rex scripto propalàm edito sese purgare conatus sit. Miserat legatos suos ad comitia Spirensia, sed non sunt permissi eousquè progredi.

Cōuentus celebris Spiræ.

Hoc anno Luterus suas in Genesim annotationes edidit, in quibus pasSim temperare sibi non potest, quin in Sacramentarios inuehatur: & nè omninò Prophetiæ spiritu caruisse videatur, prophetizat fore, vt ipso extincto, Sacramentarij, quos sua authoritate compresserit, ipsius doctrinam certatim oppugnent. Nec hoc contentus, mox licèt Melanchthone resistente, postremam suam de Cœna Domini Confessionem euulgat, in qua Zuinglium, Oecolampadium, eorumque discipulos apertè hæreticos, Sacramentorum hostes, æternumque damnatos esse dicit. Hæc Luteri in Zuinglianos sententia non paulò plùs ponderis habet apud Luteranos, quàm vel mille Romanorum Pontificum & totius Concilij Tridentini, in quo multi fuère viri longè doctissimi: & tamen Zuingliani æquè contemnunt Luteri iudicium, atquè Romani Pontificis. Erant tum multi, qui Lutero respondendum putarent. Bucerus vtriusque partis gratiam captare visus, Lutero tanquàm de Ecclesia Christi optimè merito parcendum suasit. Philippus Melanchthon in quadam ad Bullingerum per id tempus data Epistola, hanc Luteri confessionem scriptum vocat atrocissimum. Tigurini interim omninò respondendum censent, eduntque Apologiam, de qua posteà dicemus. Sleidanus qui ex alijs plerisque Luteri scriptis tam multa recenset in

Luterus carpit Zuinglianos.

Luteri de Zuinglianis iudicium.

suis

1544 suis Commentarijs, vt Catholicos infestet, huius quidem de Cœna Domini libelli Luterici meminit, sed duobus aut tribus tantùm verbis, quia videbat vir bonus se non absque sua ignominia posse Luteri de Zuinglianis sententiam referre, quippe quem tantoperè aliàs non vno loco celebrâsse videretur. Sed velit nolit Sleidanus, aut valere debebunt quæ de Sacramentarijs Luterus scripsit, aut Sleidanus vel inuitus fatebitur, Luterum non esse virum bonum, & se illum falsò ac fraudulentèr laudâsse.

Arca marmorea inuenta Romæ.

Huius anni mense Februario Romæ in Vaticano haud procùl à Tiberi, cùm in sacello S. Petri fundamenta foderentur, inuenta est marmorea arca longitudine pedum 8. & semis, latitudine 5. & 6. altitudine, in qua condita fuit Maria, Honorij Imperatoris coniunx, quæ virgo obijt, morte abrepta ante nuptias. In ea arca, corpore absumpto, aliquot tantùm dentes supererant, capillique ac tibiarum ossa duo : prætereà vestis & pallium, quibus tantum auri fuit intextum, vt ex his combustis auri pondo 36. collecta sint. Erat insupèr capsula argentea, longa pedem vnum & semissem, latitudine digitorum 12. in qua vascula multa ex crystallo nonnullaque ex achate perpulchrè elaborata. Item annuli aurei 40. varijs gemmis ornati. Erat & smaragdus auro inclusus, in eoque sculptum caput, quod creditum est ipsum Honorium referre. Is 500. aureis, nempè ducatis, æstimatus est. Prætereà inaures, monilia, aliaque muliebria ornamenta, in quibus vna earum, quas hodiè Agnus Dei vocant, per cuius ambitum inscriptum erat, Maria nostra florentissima : laminaque ex auro, & in ea hæc nomina, Michael, Gabriel, Raphael, Vriel, Græcis literis. Item velutì racemus, ex smaragdis, alijsque gemmis consertus : & discriminale longitudine 12. digitorum, inscriptum hinc, Domino nostro Honorio : hinc, Domina nostra Maria. Adhęc inerat sorex ex chelidonio lapillo, cochleaque & patera ex crystallo : item pila ex auro lusoriæ similis, sed quæ in duas partes diuidi potuit. Innumeræ penè aliæ inerant gemmæ, quarum etsi plurimæ vetustate corruptæ, nonnullæ tamen recentem admirandamque pulchritudinem retinebant. Et hæc omnia Stilico filiæ dedit pro dote.

Capsula quoquè argentea.

Smaragdus insignis.

Dos Mariæ Imperatricis.

Intereà dum Spiræ comitia aguntur, Ludouicus Palatinus Princeps & Elector vitam cum morte commutat. Successorem habuit fratrem suum Fridericum, cuius

cuius coniunx fuit Dorothea, Christierni Danorum regis filia. Iisdem in comitijs grauissimis pœnis interdictum est, nè quis exteris militaret, Gallis præsertim. Erant tamen, qui ea seueritate contempta, nihilo minùs Galliæ regi operam nauare non dubitarent. Ex ijs, in Lotharingia captus est Hubertus comes Bichlingus, Germanus, adductusque Metim ad Cæsarem, vltimo iubetur supplicio affici. Vxor eius multùm precata Cæsarem, flectere non potuit, iamque ad necem parata erant omnia, cùm eccè Maximilianus Ferdinandi regis filius, Cæsaris animum mollit, seruatque comiti vitam. 1544 *Edictum nè quis Gallo militet.*

Antequàm de Cæsaris ad bellum Gallicum è Spirensi conuentu profectione dicamus, obitèr hîc quædam inserere libet de Muleassis Tunetani regis casibus inopinatis. Circa hæc ferè tempora, cum Turcicam Barbarussa duce classem apparari, atque deindè Italiæ oram legere didicisset, in Siciliam traiecit. Metuebat enim sibi haud temerè à Barbarussa, quem è Tunetani regni possessione à Carolo Cæsare non longè antè expulsum meminisset. In regni tutela reliquit sibi maximè fidos, Mahometem, qui præesset vrbi, & arci Corsum quendam, cui nomen erat Fares, præposuit. Porrò filium suum Amidam præfecit copijs, qui Tunetum à Turcis & Numidis tueretur. E Sicilia Genuam petiturus soluit, vt ibì cum Cæsare colloqueretur: sed reflantibus ventis, Neapolim est reiectus. Vbì à Prorege lautissimè habitus, Neapolitanis nouo cultu, vescendi more, & exquisitissimis odoramentis admirationi fuit. Dapibus eius ex regiæ culinæ disciplina prodigiosi sumptûs vnguenta infarciebantur, adeò vt pauonem, cum duobus phasianis conditum, obseruatum sit centum aureorum impensam excessisse. Fuit ille rex superstitioni Mahometanæ addictus, & astrorum obseruator, quæ res ei certissimum exitium attulit. Visum enim ipsi fuit ex fatali, vt putabat, astrorum influxu, amittendi regni & diræ mortis cladem sibi impendere. Eo partim nomine discessit ex Africa, sed eo ipso discessu cladem, quam euitare voluit, in suas ceruices acciuit. Atque vtinam vel Christiani tandèm discerent vanissimam eam esse, quæ ex astris petitur, rerum futurarum, immò & superstitiosam, atque ideò illicitam diuinationem. Scilicèt liberum hominis arbitrium Deus astris subiacere voluit, quæ in hominum ministeria condita sunt. An non sci-

Muleasses se confert in Siciliam.

Dapes immanium sumptuũ.

Contra astrologos

1544 scriptura euidentissimè dicit, Iuxta vias gentium noli-
Iere.10. te discere, & à signis cæli nolite metuere, quæ timent
gentes, quia leges populorum vanæ sunt? Multis locis
Lib.2.de D.Augustinus, vt alios prætermittam, in hoc genus su-
doct. Chri perstitiosæ diuinationis acritèr inuehitur, & Mathe-
stiana ca- maticos egregiè perstringit, quos, dum ex stellarum
pite 21. positione actiones nostras vel actionum euenta prædi-
cere conantur, nimiùm errare dicit, & vendere imperi-
tis hominibus miserabilem seruitutem: immò eius-
Cap.22. modi prædictionem, magnam dementiam vocat. Quòd
autem non raro eueniunt, quæ ab istis astrologis præ-
Cap.23. dicuntur, eius causam idem vir sanctissimus exprimit
his verbis: Illusionibus & deceptionibus præuarica-
torum angelorum euenit, vt istis superstitiosis & per-
niciosis diuinationum generibus multa præterita &
futura dicantur, nec alitèr accidant quàm dicuntur,
multaque obseruantibus secundùm obseruationes su-
as eueniant, quibus implicati curiosiores fiant, & se-
se magis magisque inserant multiplicibus laqueis per-
niciosissimi erroris &c. Verùm ad Muleassem reuer-
tamur.

Amida filius Muleassis, regno patrē excludit. Dum Neapoli moraretur, vbì eum Cæsar iussit subsistere, post Niceæ arcem frustrà à Barbarussa oppugnatam, certis ex Africa nuncijs didicit, Amidam filium, ipsius amicis & præfectis trucidatis, Tunetum & arcem occupâsse. Ea re vehementèr perturbatus, militem conscribit magna celeritate, confluuntque breuì ad eum mille & octingenti homines, ijsque nauibus impositis, Guletam proficiscitur. Sperabat enim se filium nondùm confirmatis viribus facilè oppressurum, nec prorex Petrus Toletanus eius consilia improbabat. Amidam filium quidam proceres corruperant, excitatis vanissimis rumoribus, Muleassem Neapoli discessisse è vita, & per summum scelus ante obitum Christiana religione initiatum esse. Amida his rumoribus & procerum consilijs permotus, Tunetum se confert, sed indè tunc excedere compulsus est, quòd Tunetani de Muleassis morte nihil comperti haberent. Hæret interìm in hortis Martijs, & rursùs oblata ab insperato occasione, à Tunetanis quibusdam euocatus, qui Mule-
Amida Tunetum occupat. assem odirent, Tunetum reuertitur, aliquot ipsi aduersos perimit, & in arcem se recipit, paruo momento vrbe, arce & regno potitus. His de causis, vt diximus, Muleasses conscriptis tumultuarijs copijs in Africam traiecit.

iecit. Vbì Guletam venit, à Francisco Touarre Cæsaris 1544
præfecto admonetur, nè cum tam parua manu Tunetum adeat, nisi Tunetanorum ciuium animos priùs habeat exploratos. At illum facilè fefellerunt proceres quidam Afri ex vrbe progressi, qui gladijs iugulo admotis, more gentis, fidei militaris sacramentum ei dicunt, Amidamque ipso conspecto celeritèr vrbe excessurum confirmant. Mox ille, plurimùm deterrente Touarre, Tunetum pergit, & in itinere rursùs ab Hispanis equitibus à Touarre missis admonitus, vt sibi ab insidijs, quæ iuxta vrbem essent, caueret, in proposito perseuerat. Vbi autem ad vrbem propiùs accessit, erumpentibus tum ex vrbe, tum ex oliuetis Afris, ex eius exercitu periêre supra mille & trecenti, & ipse Muleasses fugiens, nulla re alia magis quàm vnguentorum odore ab hostibus agnitus & captus est. Eum ad se adductum, Amida filius vtroque orbatum lumine crudelitèr excæcat, candenti scalpello proscissa vtriusque oculi pupilla. Idem pertulêre duo Amidæ fratres, cum Muleasse capti, Nahaser & Abdalas. Indè cum Touarre ferit inducias, & aliquid annumerat pecuniæ, quod Hispano militi stipendij nomine solueretur. Filium quoquè suum Sehitem, nouem annorum puerum, ei dat obsidem, quem tamen continuò sibi vult restitui, si pax confici certa non possit. Touarres, licèt eæ induciæ multis de causis necessariæ viderentur, tamen quòd non dubitaret Cæsarem Amidæ crudelitate offensum, dedit operam, vt Abdamelech Muleassis germanus frater, qui apud Anemseham Numidarum regulum diù exul permanserat, Tunetani regni sedem obtineret. Et id quidem mira celeritate efficitur, remisso interìm Sehite puero obside Tunetum, nè fidem Amidæ datam fallere videretur. Festinus Abdamelech Guletam properat, indè Tunetum, facieque linteis sudarijs inuoluta, non est agnitus à portæ arcis custodibus, sed pro Amida admissus, arcem occupat, cæsis custodibus, qui illo agnito arma corripere cœperunt. Ità ille repentè à ciuibus Tunetanis in arcem admissis rex salutatur: sed, vt nihil est in rebus humanis diururnum, paulò pòst morbo lœtali correptus, trigesimosexto die vita excedit. In eius locum substituitur Mahometes eius filius annorum ferè duodecim: sed cùm à proceribus quibusdam, eius pueri moderatoribus, regnum longè alitèr administraretur, quàm Tunetani vellent, & alia quoquè,
quæ

Fraus Punica.

Muleaßes capitur, et oculis orbatur.

Abdamelech Tuneto potitur.

Excedit viuis.

1544 quæ ipsi nollent, acciderent, Amidam rursùs accersunt. Sed interim Muleasses è carcere educitur in templi cuiusdam asylum inuiolabile, atque indè, Touarre expetente, Guletam perducitur. Idem ipse Muleasses iam anteà, Tunetanis ipsi necem intentantibus, ab anu quadam inope in scrobe multis allijs cooperta seruatus fuerat. Amida igitur Tunetum rursùs occupat, & Muleasses tandèm Cæsaris iussu in Siciliam deductus est, publico Siculorum sumptu alendus. Rectè igitur Claudianus Poeta:

Muleasses mittitur ad Siculos.

Desinat elatis quisquam confidere rebus.

Genus Muleassis.

Fuit autem Muleasses rex non indoctus, inprimis autem Auerrois studiosus: porrò Choreæ familiæ, ex qua ipse præalto stemmate natus esset, reges Tunetanos, quorum stirpem ad Homarem Mahometis pseudoprophetæ consanguineum & discipulum referebat, supra nongentos annos nulla admixta alieni sanguinis successione, regnâsse aiebat, Tunetanumque regem augustiore cognomento appellari *Emir Muneimim*, hoc est, in religione optimè credentium principem.

Cæsar facit Gallo bellum.

Cæsar soluto Conuentu Spirensi, cùm iam exercitus eius ad Lotharingiæ fines peruenisset, primò Lucemburgum Gallis extorquet, indè Linæum oppidum & arcem: mox Sandesirium obsidione premit, Henrico Angliæ rege interim Boloniam fortissimè oppugnante. Sandesirium Landræ viri strenui opera diù egregiè defensum est, sed eo bombardæ ictu sublato, tandèm ad deditionem ventum est. In ea obsidione periit Renatus Auraicæ Princeps, iuuenis omnibus naturæ & fortunæ donis cumulatissimus, & Cæsari inprimìs addictus & charus, adeò vt Cæsar expirantem cum lachrymis complexus sit. Capto Sandesirio, Cæsar vltrà progreditur, & ad Matronam vsque castra promouet, non mediocritèr trepidantibus Lutetianis, qui iam propinqui hostis potentissimi arma non immeritò vererentur. Sed Deo benè propitio, tum demùm inter Cæsarem & Regem certis conditionibus pax confecta est, Gallis inprimìs exoptata, quòd iam regiones eorum non ab hostibus modò, sed etiàm à Regis exercitu miserandum in modum vastatæ cernerentur. Sub hoc tempus Angliæ rex Boloniam deditione capit, quod superiores eius regni reges frustrà tentârant. Sed & ille

Princeps Auraicæ perit.

Bolonia deditur Anglo.

ille quoquè posteà cum Francisco Rege pacem fecit. 1544

Dum Gallicum feruet bellum, Hermannus Coloniensis Archiepiscopus pergit vrgere suæ diœcesis infaustam planéque Buceranam reformationem. Clerus sese opponit, hortatur & obsecrat principem, vt rem differat ad Oecumenici Concilij cognitionem & definitionem. nam si secùs faciat, ad supremum Magistratum sibi confugiendum, easque vias excogitandas, quibus possint conscientijs suis satisfacere. Princeps malè persuasus, mansit in sententia. Itaque Clerus & qui ad eum pertinent, Octobris 8. die, cùm in vnum conuenissent, inter alia commemorant, quæ ante annos 23. Vuormatiæ, vbì Luterus à Cæsare, cunctis ferè illi Principibus suffragantibus, damnatus fuit, quæ item posteà Augustæ & Ratisbonæ, atque recèns Spiræ decreta fuerint: quibus omnibus posthabitis, Hermannus Archiepiscopus res nouas attentârit: Bucerum apostatam & Sacramentarium, qui iam alteris sese incestis nuptijs contaminârit, Argentina euocauerit, concionandi munus & illi & passim alijs leuibus hominibus demandârit: horum verò suggestione quandam Reformationis formam conceptam, & Principis mandato euulgatam: Se quidèm modis omnibus Principem dehortatos, sed nihil promouisse: iam verò Diœcesin pessimè habere, omniaque ad summam perturbationem spectare: quamobrèm necessariò ipsos prouocare ad summum Pontificem & Cæsaream Maiestatem. Id vbì resciuit Episcopus, scripto publico testatur nullam eos prouocandi causam iustam habuisse: se nihil præter officium fecisse: proindè eam se appellationem reijcere, sperareque ipsos à proposito discessuros. Quod si non faciant, se tamen in cœptis progressurum: simul etiàm non mediocritèr Luteri & Buceri scripta commendat, sed hauddubiò ab alijs malè institutus.

Coloniēs. Episcopus vrget suā Reformationem.

Clerus Coloniēs. prouocat ad Pontificem & Cæsarem.

Tum verò summæ ædis Canonici totius diœcesis Coloniensis Ordines omnes ad se euocant, Principis conatus explicant, Cæsaris quoquè mandatum, nè quam mutationem admittant grauissimè iubentis, exponunt: hortantur omnes, vt in Catholica & quam ab Apostolis acceperint atque hactenùs conseruârint, religione cum ipsis permaneant. Principi verò, vt ab Appellatione cessarent, & quædam alia hortanti, prolixè scribunt, & vt Summi Pontificis atque Cæsaris, quibus ipse quoquè

 subdi-

1544 subditus sit, sententiam expectet, monent: multaque alia, quæ nimis longum esset hùc adscribere. Hisce literis Canonici Primariæ ædis, itemque D.Gereonis, & Vniuersitas sua sigilla appendunt. Verùm Episcopus, credens se rem Deo gratam facere, doctrinæ Luteranæ buccinatores non solùm non remouit, sed etiàm in quibusdam oppidis religionem mutare permisit: quæ res & fidei Catholicę perniciosa, & veris atque legitimis pastoribus iniuria, & rudi plebeculę admodùm exitiosa fuit.

Mutatio religionis.

Per hoc tempus Gallus quidam concionator, factione Sacramentarius, nomine Petrus Brulius, Argentorato proficiscitur Tornacum Neruiorum insigne oppidum: & primùm apud Tornacenses, indè apud Insulanos Flandriæ vrbem priuatim spargit virus Sacramentarium. Vbi Tornacum redijt, cœpit de eo inquiri, (non enim diù latére potuit) cumque non posset præsens euadere periculum, ab amicis per murum fune demittitur: sed cælesti eum vltione persequente, dum humi sedet, quidam submissa voce ex muro ei salutem precatur, at simul saxo è muro resoluto sedentis crus perfringit. Tum miser ille dolorem cruris & frigus hyemis (erat enim Nouemb. secunda dies) non ferens, voces dat lamentabiles: sicque seipsum prodit vigilibus, qui mox accurrunt, & hominem in carcerem includunt. Non diù pòst flammis exuritur. Feliciùs è muro Paulus Apostolus olìm elapsus, totum mundum Christi Euangelio compleuit: Idem conatus non defuit Brulio, sed longè dispar causa non eosdem habuit successus. Vtinàm verò tam plerique Catholici feruerent in tuenda fide Catholica, quàm isti buccinatores Euangelici in sua propaganda impietate. Sleidanus multis verbis commemorat huius Brulij extremam fidei confessionem, quæ certè valdè impia est, & in quibusdam à Luteri quoquè placitis aliena, quippè sacramentaria potiùs quàm Luterica. Ait quoquè eum suam doctrinam ad finem vsque constantèr, veriùs pertinacitèr diceret, professum. Sed idem ipse paulò antè ferre non potuit cruris lapide quassati dolorem, vt hîc quoquè probabile sit Sleidanum more suo plus tribuisse hæretico, quàm habuerit rei verrtas: quanquàm etiamsi vera sint quæ scribit Sleidanus, non solùm nihil faciunt pro Brulio, sed etiàm longè deteriorem eius causam reddunt, quòd in tetris erroribus obstinatione satanica perire maluc-

Petrus Brulius Tornacũ inficere nititur.

Flammis exuritur.

maluerit, quàm redire ad sanitatẽ. Nec est quòd isti suos nobis obtrudant martyres, cùm certum sit extra Ecclesiæ Catholicę vnitatem nullum esse verum martyrium, sed quantumcunquè atrocia perferantur supplicia, ea non modò nullam mereri martyrij laudem, sed maiorum etiàm apud inferos in omnem æternitatem luendarum pœnarum & causam esse & initium. Nam ipsa pertinacia immane crimen est, & prorsùs inexpiabile. 1545

ANNO 1545. Tigurini Apologiam edunt contra Luteri confessionem, Latina & Germanica lingua, qua inter cætera etiàm ad crimen hæresis, quod illis Luterus intulerat, & ad alia conuicia acritèr respondent, frustrà dehortante Bucero, qui arte Bucerana sequestrum se non semèl obtulit: sed Tigurini intricatum & proptereà fallax loquendi hominis genus sibi ferendum mininè putârunt. Vtinàm Coloniẽsis Archiep. Hermannus tam sibi cauisset ab illa vulpecula. *Tigurini contra Luterum.*

Luterus, nè planè obmutesceret, Theses suas edit contra Theologos Louaniẽses, valdè quidem superbè & arrogantèr scriptas: Sed in illis ipsis egregiè mordet Sacramentarios. Nam Thesis 15. sic habet: In Eucharistiæ Sacramento venerabili & adorabili, est & exhibetur & sumitur verè & re ipsa corpus & sanguis Christi, tam à dignis, quàm indignis. Et Thesi 27. Hæreticos, inquit, seriò censemus, & alienos ab Ecclesia Dei esse Zuinglianos & omnes Sacramentarios, qui negant corpus & sanguinem Christi, ore carnali sumi in venerabili Eucharistia &c. Sic Luterus, vt se vlcisceretur de Tigurinis: qui in scripto, cuius antè meminimus, inter alia hoc præclarum de illo tulerant testimonium: *Prophetæ & Apostoli,* inquiunt, *Dei gloriæ, non priuato honori, non suæ pertinaciæ & superbiæ studebant, sed peccatorum salutem quærebant vnicè Luterus autem sua quærit, pertinax est, insolentia nimia effertur, & confestim satanæ tradit,* (tali scilicet Pontifice digni estis, qui Romani Pontificis iugum excussistis) *quotquot illius sententiæ non ilicò subscribere velint: & in omnibus correptionibus suis plurimùm maligni spiritûs, quàm minimùm verò amici & paterni ingenij depræhenditur &c.* Obitèr hìc obseruandum venit, Sleidanum non solùm mẽtionem facere Thesium Luteri contra Louanienses, sed quædam etiàm indè assuère suæ historiæ, sed interìm astutè reijcere, quæ in ijsdem Thesibus habentur contra *Luterus contra Sacramẽtarios.* *Tigurinorum de Lutero sententia.*

1545 Zuinglianos. O candorem verè Euangelicum. Sed hæc imprudens lector non aduertit, & Sleidanus per fraudem voto potítur suo, quod non est aliud, nisi vt lectori imponat. Addit verò, & Parisienses & Louanienses Theologos nuda axiomata proponere, scilicèt hæreticis, locum nullum è sacris literis adducere, & magistratum ad animaduersionem inflammare. Sic nimirùm visum est Sleidano scribere, cùm tot extent libri illorum Theologorum, scripturæ diuinæ sententijs muniti, contra istos nouatores, vt meritò Sleidanum suî pudere debeat. Et certè mâllent Theologi resipiscere hæreticos, quàm puniri.

Luteranorum de Tigurinis sententia. Luterani contrà accusant Tigurinos, quòd Luterum acerbè & contumeliosè sint insectati, cui tum ob multos pro Ecclesia susceptos labores, tum ob senium parcendum fuerit. Tigurini illis respondent, maiorem *Tigurini respõdent.* veritatis, quàm Luteri habendam fuisse rationem &c. Ità isti Euangelici fratres mutuis sese encomijs celebrant. Sunt autem inter illos qui scribant, Papistas illorum acerbis dissidijs magnoperè lætatos fuisse. Scilicèt delectat Catholicos, quos illi Papistas per contemptum vocant, tot animarum myriades istorum seditiosis & contentiosis dogmatîs in dies rapi in Tartara, & Christianum orbem odiorum inexpiabilium flammis, quas isti suis concionibus & scriptis excitant, Turcis plaudentibus & rei benè gerendæ occasionem expectantibus, dæmonibus quoquè nouas sempèr faces admouentibus, conflagrare. Quis verò tam saxeo sit pectore, vt vel vnius animæ mortem sempiternam, in illa æstuantissima gehennæ fornace sinè vllo fine perferendam, hilari ferat animo? Si tamen hæc sectariorum dissidia delectant Catholicos, idcircò delectant, quòd facilè possent homines, modò vellent, istorum nouorum dogmatistarum aduertere falsitatem, dum adeò inter se pugnant & dissident, cùm de primis nostræ religionis *Act.4.* hominibus scriptum sit, Erat credentium cor vnum & anima vna.

Comitia Vuormatia. Hoc anno Comitia habita sunt Vuormatiæ. Nullus ferè Principum ibì adfuit, nisì per legatos. At Cæsar ipse, licèt tardiùs ob affectam valetudinem, & Ferdinandus rex interfuêre: nihil tamen admodùm constitui potuit propter principum absentiam. Alius igitur Ratisbonæ indictus est Conuentus, in Epiphania Domini anno proximo inchoandus, ad quem principes omnes

omnes confluerent, nisi quem aduersa valetudo retineret domi. Porrò in hoc Vuormatiensi conuentu inter alia Protestantium legati palàm testati sunt, se Concilium Tridentinum, quod Pontifex rursùs indixerat, pro legitimo non agnoscere. Et ea fuit facilima ratio omnia eius Concilij decreta eleuandi & negligendi. Si sic liceat subditis quibuslibet Principum suorum decreta pro legitimis non agnoscere, nimirùm breuì pulcherrimum habebimus in Repub. rerum ordinem & tranquillitatem. Sed hæc ab Ecclesiastis suis Protestantium ordines hauserant. Verùm hoc illius amplissimæ Synodi authoritati nihil penitùs ponderis detraxit. Atque ità videre licuit, quàm ex animo tot superioribus comitijs suis magistratibus illi ecclesiastæ suasissent, vt Oecumenicam Synodum peterent. Erant res exulceratæ valdè in Germania, & sensìm via patefieri cœpit ad bellum Protestantium contra Cæsarem, de quo posteà dicemus. Quanuis autem iam sæpè tentatum esset, si qua posset conciliandæ religionis ratio doctorum virorum vtriusque partis colloquijs inueniri, nec quicquam tamen successisset, at nihilo minùs Cæsar, qui pacis constituendæ & religionis componendæ esset cupidissimus, hoc conuentu in id rursùs consensit, licèt Catholicis ordinibus non assentientibus, vt in proximo Ratisbonensi conuentu vtriusque partis docti viri ad colloquium euocarentur.

1545

Protestantes respuunt Conciliũ Tridentinum.

Luterus hoc anno scriptum edidit contra Pontificatum Romanum, à satana constitutum, ea est enim præclari operis inscriptio. Et vt omnes cordati videant totum hominis pectus, libro picturam præfixit eiusmodi: Sedet in sublimi cathedra Pontifex, iunctis & protensis manibus, ornatu solenni, sed auribus asininis: circa eum plurimi sunt dæmones varijs figuris, quorum alij capiti eius imponunt diadema triplex, oleto fastigiatum: alij funibus eum demittunt in medium infernum, horribili specie subiectum: alij titiones & ligna comportant: alij tanquàm officiosi, pedes ei subleuant, vt rectè molliterque descendat. Hæc nulla indigent confutatione, quia per se produnt pectus omni spurcitie & turpitudine inquinatissimum: quod qui non vident, illis nemo possit peiùs precari, quàm vt in hac cæcitate permaneant. Nec hoc præclaro facinore contentus, alteram quoquè non tam in Pontificis, quàm suum & suorum dedecus emisit picturam:

Luterus contra Pontificatum Romanum.

Pictura Lutero digna.

1545 Pontifex sui insidet ornatus amplæ & mammosæ, quam calcaribus fodit: dextrę digitis duobus, pollici proximis, de more protensis benedicit ijs, qui fortè veniunt obuiàm: sinistra tenet oletum recens atque fumans, &c. Id quidem notatu dignum est, in Luteri & totius gregis eius apostatarũ Monachorum scriptis nihil ferè crebriùs malo dæmone & stercore nominari: vt intelligat prudens lector, eos se totos cacodæmoni & spurcissimæ Veneri deuouisse. Et tales, tam impuri homines, non alio quàm vel ipsius Christi Apostolorum loco habentur. O horrendam nimìs Dei iram. Sleidanus harum picturarum in suis Commentarijs libentèr meminit, & non modò non repræhendit, licèt id plerosque fecisse scribat, sed etiàm nititur nobis ex Lutero prophetam efficere. Sic olim Manichæi impurissimum nebulonem illum Manetem, authorem sectæ ipsorum, non alium volebant esse, quàm ipsum Spiritumsanctum. Sed veniet ille dies, quandò æquissimus iudex Christus veram feret sententiam, & tunc apparebit, quàm nihil profuerit Lutero Sleidanus, vanissimus ipsius encomiastes.

Citatur Episcopus Coloniẽs. Huius anni mense Iunio Cæsar Clerum & Academiam Coloniensem in suum patrocinium recipit, & Episcopum intra tricesimum diem ad se venire & accusationibus respondere iubet. Facit idem Paulus Pontifex mense Iulio, intra sexagesimum diem illum citans.

Carolus Philippo nascitur. Per hoc ferè tempus Cæsari ex Hispanijs lætus affertur nuncius de Carolo Philippi regis Hispaniarum filio, tum recèns nato: sed paulò pòst eam lætitiam nonnihil perturbauit obitus nurûs Cæsaris, vt nihil est in rebus hominum omni ex parte beatum.

Hoc quoquè tempore Henricus Brunsuicensis Princeps, à Protestantibus è sua ditione iampridèm eiectus, conscripto milite sua recuperare instituit. At *Dux Hẽricus cum filio capitur.* Protestantes viribus illo longè superiores, breuì multo maiores copias conscribunt, & eum vnà cum Carolo filio in suam potestatem redigunt. Cæsar vbì id comperit, scribit Lantgrauio, vt ea victoria moderatè vtatur, & captiuos Principes more principum liberalitèr habeat.

Cæsar hoc anno in Comitijs Vuormatiensibus, cùm Protestantes in bellum Turcicum nihil collaturi viderentur, nisì impetrâssent de Concilio & Cameræ iudicio quæ vellent, Gerardum Veltuuichum, multa

multa eruditione & linguarum insigni peritia præditum, ad Turcam misit paciscendarum induciarum nomine. 1546

Obijt huius anni mense Septemb. vel circitèr Carolus, Francisci Galliarum regis filius, quem Cæsar vel generum, vel affinem habiturus videbatur. Fuit is iuuenis ætate florenti, & maximæ spei, plerisque etiàm non mediocritèr charus: sed vt suo exemplo albæ gallinæ filios ad contemnenda fortunæ ludibria excitaret, in ipso iuuentutis flore repentè sublatus est. *Carolus Francisci filius moritur.*

Luterus postquàm cognouit Henricum Brunsuicensem principem captum teneri à Lantgrauio, scriptum euulgat ad Electorem Saxoniæ & Lantgrauium, quo illos dehortatur, nè captiuum dimittant. Ait eum à Deo castigatum, nec posse absolui, nisi veram agat pœnitentiam, & ritè satisfaciat. Hoc loco aliquid valet pœnitentia & satisfactio, quam adeò irrident isti Euangelici. Multa alia in eo libello habet, quibus se egregie ridendum propinat omnibus cordatis: sed superfluò hîc commemorantur, quòd mundus iste videtur velle in errores induci, & sua perditione lætari. Sleidanus, vt antè dixi, etiàm prophetiæ spiritum tribuit Lutero, licèt homo Sacramentarius, à Lutero in re sacramentaria non parùm dissenserit. Et quídni propheta vocetur Luterus, qui etiàm tertius Elias à suis dictus est? Habent etiàm Turcæ magnum prophetam suum Mahometh. *Luterus non vult dimitti Brunsuicensem.*

ANNO 1546. Protestantes conuentus egêre Francofurti mense Ianuario. Deliberatum ibì est de concilio Tridentino, de prorogando fœdere, de sumptibus belli Brunsuicensis, de non deserendo Coloniensi Archiepiscopo, qui contra Pontificis & Cęsaris mandatum religionem mutârat. Eius legati in hoc conuentu questi sunt de iniurijs Cleri, vt ipsi dicebant, & de citationibus atque mandatis Pontificis & Cæsaris. Eò iam res in Germania reciderat, vt de summis Magistratibus liceret querelas deferre ad paucos Imperij principes, qui etiàm dicerent se non defuturos Coloniensi Archiepiscopo, si qua vis ei fieret. *Cõuentus Protestantium Frãcofurti.*

Hoc tempore in Palatinatu Rheni Luterismus introducitur, & Protestantes missa legatione, tam egregij facinoris nomine Principi Palatino gratulantur. Putabant enim Euangelij lucem in eas regiones *Luterismus in Palatinatu.*

1546 nes inuehi, in quas Luteri Euangelium plusquàm Cimmerias tenebras inuexisset. Hodiè in Palatinatu illo regnat Caluinismus, omnes etiàm crucifixi imagines deijciuntur, vt nulla sit tanti beneficij apud homines, præsertim rudes, memoria. Si Romanus Pontifex hoc faceret, omnes eum vocarent Antichristum: nunc quandò Caluinus iubet, Euangelium Christi est. Et certè Antichristus ex locis omnibus Christi Dei memoriam abolere conabitur: Caluinus & eius symmystæ magna eum tanti laboris parte leuant. Sed benè habet, quòd multò plures interim apud barbaras noui orbis & aliarum regionum nationes eriguntur imagines, quàm in Germania & vicinis locis, nouis dogmatibus infectis, destruantur.

Posteà Caluinismus.

Colloquium Ratisbonense.

Huius anni mense Ianuario demùm inchoatum est Colloquium Ratisbonense. Melanchthon diù frustrà expectatus est. Tandèm in eius locum submittitur Georgius Maior. Ad 27. diem Ianuarij factum est sacrificium de Spiritusancto, & mox agi cœptum in curia Ratisbonensi. Iam antè dixi, Ordines Catholicos ob inchoatum Tridenti Concilium noluisse hoc Colloquium approbare: sed Cæsar videns Protestantes Concilium Tridentinum prorsùs reijcere, nè qua in parte paci conciliandæ defuisse videretur, permisit haberi colloquium, non tamen in aliquod Tridentinæ Synodi præiudicium, ad quam sciebat religionis negocium necessariò reijci oportere, sed vt paci publicæ consuleret. Præsides colloquij fuêre Mauritius Eystetensis Episcopus, & Fridericus comes Furstenbergicus. Collocutores & auditores Catholici, octo: totidem Protestantium. Catholici primi adfuêre. In ipsius actionis initiò diù laboratum est de colloquendi ratione. Volebant enim Protestantes collocutores dicta vtriusque partis omnia in scripta referri: quod cùm esset longè molestissimum, & negocio suscepto cumprimis importunum, tamen coacti sunt Catholici morosis hominibus morem gerere, & multi temporis iacturam facere, nè aduersariorum calumniæ paterent, tanquàm qui causæ diffiderent. Hoc enim in vulgus sparserunt de Catholicis, cùm ipsi potiùs, vt cordatus quisque facilè animaduertit, hac scribendi importunitate diuerticula quærerent, tempusque omne nullo fructu extraherent. Quinto demùm Februarij die colloquium à Maluenda Catholico Theologo inchoatum est,

Præsides Colloquij. Collocutores.

Inchoatur Colloquium.

est, qui inter cætera, suo & sociorum Catholicorum nomine testatus est, si quid ab ipsis in hoc congressu fortaßis dictum fuerit, quod sacris scripturis, aut Apostolicis traditionibus, aut Ecclesiæ Catholicæ decretis aduersetur, id se pro irrito & non dicto velle haberi: deindè, vt quæ inter partes conuenta fortaßè vel constituta fuerint, ea non alitèr valeant, quàm in congressu familiari, nec vllam vim habeant definitionis, aut placiti, aut determinationis. Hoc quidem sapientèr Catholici, nè Synodo Tridentinæ præiudicâsse viderentur. Protulit deindè Maluenda Confessionem Augustanam, Cæsari anno 1530. Augustæ exhibitam, cum eius Apologia, cuius vtriusque architectus fuerat Melanchthon: percontatusque est ex Protestantibus, num in eius sententia permanerent, scripta verò alia quæcunque, etiàm sua ipsorum, illi contraria damnarent. Bucerus, qui primas apud Protestantes obtinebat, primò quidem hìc hærere cœpit, sed demùm respondet, se damnare scripta contraria, proprio se ense iugulans, & suos paritèr symmystas damnans, qui ab ea Confessione in plerisque vsqueadeò defecerunt, vt hoc nomine inter se Luteri discipuli hodiè mirum in modum tumultuentur. Longum esset omnia huius Colloquij acta referre. Apparebat facilè in Bucero & eius socijs quædam animorum acerbitas & amaritudo, quæ identidèm verbis exprimebatur & moribus: cùm Catholici se vbiquè placidos & commodos exhiberent, ac propemodùm vltrà quàm oporteret, morosis hominibus in agendi ratione concederent. Multis enim modis hoc captabat Bucerus cum suis, vt occasionem haberent à Colloquio discedendi: sed ità, vt eius intermißi culpa omnis in Catholicis hærere videretur. Vicesimoprimo die Februarij Maluenda extemporali disputatione ad eas absurditates adegit Bucerum, vt in illo tot doctorum virorum consessu non puduerit eum affirmare, Eum qui mortali peccato tenetur, fidem Catholicam amittere, non credere Deum trinum & vnum esse, neque Christum esse filium Dei, neque redemptorem humani generis, neque natum, neque crucifixum, nec rediuiuum &c. Omnia peccata esse incredulitatis, nullum imbecillitatis vel ignorantiæ, sed omnia ex malitia & contra conscientiam committi. Eò enim impudentiæ adigit id genus homines obstinata animi elatio, vt mâlint quantunuis impias & absurdas opiniones pertinaciter tueri, quàm se victos videri. Et

1546

Bucerus se & suos damnat.

Buceri absurdißimæ assertiones.

1546 interim spargebatur longè latèque rumor, idque contra fidem secreti, Catholicos victos à Protestantibus, & Maluendam à Bucero in summas adactum angustias. Quid facias hoc hominum genere? Nimirùm ab ijs nobis expectandum est studium Ecclesiæ reformandæ, & hominum saluti consulendi, quos adeò nullius pudet mendacij & calumniæ.

Rumor cōmētitius.

Vicesimaquinta Februarij venerunt literæ à Cæsare, quibus Colloquij habendi forma prescribebatur:(volebant enim præsides certiùs cognoscere eius hac in re voluntatem) Bucerus cum suis eam formam non probauit. Deniquè, nè sim longior, ex multis verborum ambagibus aliud nihil intelligi potuit, quàm eos Cæsareæ Maiestati ità obtemperaturos esse, si omnia quæ vellent, ipsi statuerent de Colloquio, & Cæsari etiàm atque Catholicis leges ferrent. Nec adduci potuerunt, vt Cæsaris voluntati morem gererēt, ea, quam diximus, forma amplectenda: sed non diù pòst ità se clanculò subduxerunt, ac propemodùm ex oppido eiecerunt, vt non tam profectionem quàm fugam adornâsse viderentur, magno quidem Præsidum dolore, quibus iam Iulius Pflūg Numburgensis antistes, ex voluntate Cæsaris adiunctus erat, qui indignitate moti, illos quidem retinere conati sunt, sed frustrà: Porrò scripto edito Præsides ijdem satìs declarârunt, per ipsos minimè stetisse, quô minùs & Cæsaris & ordinum Imperij expectationi satisfieret, cùm præsertìm ipsorum Protestantium Collocutorum consensu ad Imperatorem scripsissent, & eius responsum in dies expectarent. Ità demùm etiàm hac vice res ipsa probauit, non esse in eiusmodi Colloquijs expeditam & certam pacis componendæ rationem, maximè cùm religionis negocium omninò maturiori & augustiori deliberatione tractandum sit, nec in paucorum hominum priuato tractatu ponendum: tum quoquè ea sit sectariorum peruicacia, vt vinci quidem facilè possint, sed nec victi vnquàm cedere velint, nec victi videri.

Euangelici è Colloquio se subducūt.

Intereà Tridenti patres Concilium inchoant. Legatos eò miserat Pontifex Iohannem Mariam Montanum, Marcellum Ceruinum, & Reginaldum Polum Cardinales: sed cùm rari aduenirent, aliquandiù parùm admodùm constitui potuit.

Cōcilium Tridenti inchoatur

Tristissimum autem sub ipso Ratisbonensi Colloquio ad Protestantes nuncium allatum est de obitu sanctissimi patris sui Luteri. Is litis cuiusdam componendæ

Obitus Luteri.

dæ causa ab illustribus Mansfeldensibus comitibus If-lebium, quæ fuit illi patria, honorificè euocatus, eò venit cum pompa, tribus stipatus filijs, ex præclaro monachi & monachæ concubitu procreatis. Obuiàm illi missi sunt 113. equites honoris causa. Itaque die 17. Februarij, cùm lautè & splendidè cœnatus esset, & facetijs suo more hilaritèr lusisset, eadem nocte sublatus est è medio. Eius obitus non eodem modo à Catholicis & Euangelicis id temporis referebatur. Ionas Cocus, qui se Iustum Ionam vocat, eius morti interfuit: sed ità eam describit, vt apud cordatos maiori eum contumelia quàm laude affecisse videatur. Inter alia scribit eum ipsi Ionæ & Cælio & alijs circunstantibus dixisse, Orate pro Domino nostro Deo, & eius Euangelio, vt ei benè succedat, quia Concilium Tridenti & abominabilis Papa grauitèr ei aduersantur. Hæc fuit egregia morituri hominis pœnitentia. Sed cur tantoperè metuebat Domino Deo, & suo potiùs quàm Dei Euangelio, cùm prophetare non dubitârit, 1546

Ridicula Luteri oratio.

Pestis eram viuus, moriens tua mors ero Papa?

Quid verò dictura est posteritas, cùm hæc legerit? Hoccine est, ad illud tremendum Christi tribunal sese præparare? Scilicèt moriente Lutero Pontifex mortuus est. Eius quoquè precationem supremam recitant in hęc verba: *Pater mi cælestis, Deus & Pater Domini nostri Iesu Christi, Deus totius consolationis, gratias tibi ago, quòd mihi dilectum filium tuum Christum reuelâsti: in quem credo, quem prædicaui & confessus sum, quem amaui & laudaui: quem abominabilis Papa & omnes impij vituperant, persequuntur & blasphemant.* Et sic ille mortuus est. O verè mortem expauescendam & horrendam, ità obstinato in Pontificem & Catholicos odio exhalare spiritum, atque sic proficisci ad illum æquissimum iudicem. Quàm verò immanis illa calumnia est, quòd ait Pontificem, quem vocat abominabilem, & impios omnes, quo nomine vult Catholicos intelligi, vituperare, persequi & blasphemare Christum? O si miser ille seipsum cognouisset, certè illa extrema hora palàm fassus esset se longè omnium atrocissimè & immanissimè vituperâsse, persecutum esse, & blasphemâsse Christum, cui vnus ipse suis impijs dogmatis tot abstulit animas, vt sinè horrore & stupore nec dici queat. Et tamen

Precatio suprema Luteri.

dicit

1546 dicit se amâsse & laudâsse Christum. Hoc ergò erat de tanta impietate non solùm nihil angi animo, sed gloriari etiàm. Cadauer eius stanneo inclusum loculo, cum multa equitum & peditum turba & pompa ingẽti Vuittenbergam non sinè multorum lachrymis perductum est. Ille quidem sic mortuus est, sed post se in multis Europæ amplissimis regnis & prouincijs supremam ferè reliquit vastitatem, religione miserabilitèr confusa & perturbata, innumeris euersis Ecclesijs, destructis monasterijs, omnibus pijs abrogatis cæremonijs & ritibus Ecclesiasticis, sacramentis horrendum in modum profligatis, vt ad Mahometanam constituendam impietatem parùm aut nihil superesse videatur: & certè quibusdam in locis, vbi eius regnat Euangelium, homines in atheismum atque etiàm ethnicismum ferè prolabuntur. Eos nobis fructus affatìm produxit miser ille, & mortalium omnium longè infelicissimus, qui vtinàm nunquàm natus fuisset, aut certè solus perijsset. Nullum quidem vnquàm miraculum edidit, quanquàm miracula omnia facilè vincit, quòd monachus apostata, incesto monachæ concubitu totiès pollutus, tot iam olìm ante mille annos damnatarum hæresum instaurator, tot flagitijs coopertus, homo importunissimus, audacissimus, maledicentissimus, qui nulli omninò parceret, omnia sursùm deorsùm misceret, tantam sibi apud cæcos & miseros mortales existimationem conciliare potuit, vt non alio quàm apostoli & tertij Eliæ loco haberetur. Conatus est quidem aliquandò dæmonem expellere, sed frustrà. Id in Lectoris gratiam huc breuitèr adscribam. Anno 1545. puella quædam dæmoniaca è Misnia adducta est Vuittenbergam ad Luterum, ceu tertium Eliam, ea spe, quòd Luterus dæmonem esset eiecturus. Ille quidem, vtpotè malè sibi conscius, principiò valdè se difficilem præbuit, tamen tandèm iussit puellam in sacrarium parochianæ Ecclesiæ introduci. Ibì suis quibusdam Lutericis exorcismis adiurat dæmonem, sed dæmon eius exorcismos irridet. Tum verò Luterus mirè angi, discruciari, & è sacrarij ostio se velle proripere. At malus dæmon adeò obstruxit ostium, vt neque foris, neque intùs reserari potuerit. Ea res etiam in maiores illum miserum angustias adduxit, iamque per fenestras erumpere conabatur, sed conatus eius cancelli ferrei retardabant. Deniquè securi ferrea per cancellos immissa ostium perfringi oportuit, vt Lutero patèret exitus.

Miraculũ Luteri insigne.

Luterus dæmonem vult expellere, sed frustrà.

1546

exitus. Faxit Dominus Deus noster, vt ad sanitatem redeant, qui eius hominis, nulla vitæ sanctimonia, nulla miraculorum efficacia suffulti, infaustum Euangelium magno totius Europæ malo complexi sunt.

Nôrunt omnes, quàm ille infelix atrocitèr oppugnârit peregrinationes religionis causa susceptas, & inuocationem Sanctorum, adeò vt etiàm virginem matrem non plùs sibi præstare posse precibus suis, quàm quempiam vicinum suum, dicere nō dubitârit. At multò rectiùs fecissent, qui puellam hanc ad eum adduxerunt, si pro ea beatissimæ Virginis Mariæ suffragia apud Deum implorâssent, quam certum est hodieque multa præstare beneficia ipsam piè inuocantibus. Et vt pietas confirmetur, atq; impietas pudefiat, adscribam hîc nonnulla ex Thoma Moro, qui aliquandò fuit Angliæ Cancellarius, Vir incomparabili ingenio, magna doctrina, & tandèm celebri martyrio illustris: sed adscribam verbis meis. Nam ille quidem hæc Anglicè scripsit, quæ alius Vir doctus posteà reddidit Latinè. Ait se nonnulla posse suæ ætatis commemorare miracula, quæ ad imagines, quas solent homines pij etiàm peregrè inuisere, edita sint, tam ab omni suspicione aliena, tamque amplis fulta testimonijs, vt qui ea velit reuocare in dubium, is non multùm ab insania abesse videri queat. Interim vnum recitat admodùm illustre, quod ante paucos annos in cuiusdam viri nobilis Rogeri Vuetunorthi aliquot proles declaratum sit diuinitùs, præcipuè autem in vnam ex filiabus eius, annorum non ampliùs duodecim, quam malus dæmon inuâserat, & multis modis diuexârat. Erat illa iam mentis inops, deliransque procacitèr & petulantèr in Deum ipsum incurrebat, execrabaturque res quasque precibus sacratas, & quod mirum est, facilè etiàm nullo indicante à non consecratis illas internoscebat. Fiebant hæc proculdubiò illo efficiente, qui puellam occupabat. Interìm verò tum sua voluntate, tum diuina admonitione permota est, vt ad S. Mariæ Ippisuuitchij (est hoc Angliæ oppidum) accederet. In illo autem itinere quæ id temporis alibì dicerentur & fierent, citra mendacium edicere potuit, multaque rapta in ecstasin rara & sublimia promebat, licèt ipsa eorum rudis esset & imperita, vt etiàm viri doctissimi non mediocritèr admirarentur talia ab illa dici posse. Vbi porrò ad locum ventum est, erat ibì imago beatissimæ virginis Mariæ. Coram ea dum illa puella sistitur, aderant per-

Prolog. lib.1.cap. 16.

1546 perplures splendidi ac nobiles viri, & ecce ab illo tetro spiritu horrendum in modum dilaniatur, facies & oculi terribilem in speciem transformantur, os contorquetur & distenditur, oculi in maxillas prominent, vt sine horrore nemo eam posset intueri. Aderant & aliæ personæ, in quas, permittente Deo, improbus satan mirabiliter sæuiebat. Atqui mox omnes illæ vnà cum puella perfectæ sunt redditæ sanitati. Huic tanto spectaculo aderant parentes puellæ, homines & ordinis amplissimi, nempe equestris, & rebus locupletes: aderant & alij permulti magnæ dignitatis, prudentiæ & experientiæ. Aberat verò omnis fingẽdi vel ratio vel suspicio, tum quòd puella tenera esset ætate, tum quòd rei ipsius immanitas & horrenda species omnem excluderet simulationem. Cernens autem puella se liberatam, licèt pater obluctaretur, mundo huic ilicò nuncium remisit, & in cœnobio benè instituto sanctarum virginum religionem professa monasticam, & piè & sanctè vixit. Hęc ferè Morus, cuius tanta est authoritas & integritas, vt bona fide rem totam ab eo relatam esse nemo nisi improbus dubitare queat. Luterus proculdubiò cum suo grege hîc exclamaret rem esse commẽtitiam, quemadmodum Brentius non veretur scribere, quòd Iulianus apostata in magno positus metu, nè à dæmonibus discerperetur, licet iam Christi religionem abiurâsset, tamen crucis expresso signo illos à se fugârit, id non factum crucis signo, sed dæmonis simulatione ad confirmandam superstitionem & magiam: nec enim magìs ad pietatem facere digitis crucem formare, quàm si manibus in aëre circulum descripseris: quæ sunt verba digna tali viro, qualis est Brentius, hoc est, impuro hæretico. Sed nos istorum hominum verbis prorsùs nihil moueri debemus, præsertìm cùm huius rei tot illustres fuerint spectatores, & testes omni exceptione maiores. Mihi hoc miraculum commodè hoc loco inseri videtur, vt Catholicus lector videat non deesse hodieque miraculorum etiàm insignium editionem in Ecclesia Catholica: porrò de istis prodigiosis noui Euangelij buccinatoribus rectè dici posse, eos nec claudicantem canem, nec cæcutientem equum vnquàm curare potuisse: quanquàm vt miseri homines intelligerent, quale portentum in infaustis Luteri dogmatis complectendis sequerentur, memorabili id portento præpotens Deus testatum voluit efficere, quandò biennio post illud Vuormatiæ à Carolo V. & Impe-

Miraculũ insigne.

Brentius contra Petrũ Sotũ.

Imperij ordinibus contra Luterum promulgatum edictum, ad fines Vuittenbergæ vitulum caluo capite & cucullatum, stupendo illo quidem, sed cumprimis accommodato ostento vacca peperit. Fertur autem Luterus etiàm mortuum quandoquè quibusdam immurmurationibus excitare voluisse, Vilhelmum illum Nesenum in Albi submersum, sed accidit illi quod Persius ait: Parturiunt montes, nascetur ridiculus mus. 1546

Hoc anno Carolus Cæsar Traiecti habuit Conuentus aurei velleris, & Italiæ, Hispaniæ, Germaniæ, Flandriæ principum aliquot noua electione illud auxit sodalitium. Indè Ratisbonam ad Comitia iturus cùm Traiectum superius venisset, Legati aliquot Principum & ciuitatum Germaniȩ occurrunt, vt certiùs cognoscerent de fama, qua iam vulgatum erat, Cæsarem militem conscribere. Sed eodem quoquè tempore rumor erat, Protestantes nescio quid moliri in Cæsarem, sua habere conuenticula, & id genus alia, quæ non immeritò Cæsarem ad arma paranda mouere potuissent. Vbì autem viderunt legati, Cȩsarem nullum circa se inusitatum habere militum præsidium, meliùs sperare cœperunt, itaquè discedunt. Erant cum Cæsare custodiæ causa equites cataphracti quingenti. Vbì Spiram venit, Palatinus cum vxore Cæsaris nepte eum adijt, venit etiàm eò Lantgrauius Hessiæ: atque vterque non diù pòst discessit, quòd Cæsar non vsquequaquè votis illorum respondere videretur.

Cōuentus aurei velleris.

Dum Ratisbonæ Comitia aguntur, quò iam Cæsar peruenerat, Ferdinandus rex duas filias suas elocat, Annam Alberto Bauariæ, Mariam Guilelmo Cliuensium Principi. Interìm Cæsar ad se tribunos & centuriones aliquot clàm euocat Ratisbonam, neque id latuit Protestantes, qui omnia accuratissimè explorarent. Itaque Cæsarem adeunt, scire cupiunt, cui bellum facturus sit, se quidem paratos imperata facere. Cæsar non negat aliquot se cohortes conscribere in quosdam refractarios & rebelles, quos edomare constituerit: qui ipsi auxilio sint, illis se benignum & clementem dominum fore, cæteros non alio quàm hostium loco habiturum. His auditis, Legati domum proficiscũtur. Hoc belli Germanici inter alia quoddam fuit initium: Cȩsar diù multa dissimulârat, sed pactis cum Turca inducijs, pace quoquè cum Gallo & Anglo confecta, non putauit sibi vlteriùs dissimulandum, præsertim cùm vir prudentissimus

Ferdinandus elocat duas filias

1546 ſimus non ignorâſſe videatur, quid plerique molirentur. Erant per id tempus Luteranorum ſiue Proteſtantium magnæ vires, porrò Cæſaris exiguæ copiæ, & magna gerendi belli in ipſo initio impedimenta ac difficultates, præſertim quòd Cæſaris conſilia etiàm ab amicis ad hoſtes perferri dicerentur. Auguſtani omnium primi ad arma concurrunt, ea tamen moderatione, vt Cæſareanos vrbe non arceant, quô minùs ad bellum neceſſaria comparare queant. Venerunt autem ad Cæſarem Germanorum peditum cohortes quinquaginta: ex Pannonia Hiſpanorum duo millia expectabantur & octingenti, è Gallia Ciſalpina eiuſdem gentis tria millia. Equitum ad nouem millia conſcribi iuſſa ſunt, ſed locis valdè diuerſis, quod Cæſari magno incommodo fuit. Proteſtantes interim ex Auguſta & Vlma & ditione Vuirtenbergica Cluſam properant, vt Italos à Pontifice miſſos excludant. His Proteſtantium copijs præerat Sebaſtianus Schertelus vir militaris. Itaque Cluſa arx muniτiſſima deditione capta eſt. ſunt qui proditione factum putent. Indè Oenipontem petunt, ſed nihil efficiunt. Abeunt igitur, præſidio impoſito Cluſæ & Fieſſæ, quæ duæ omninò viæ erant, quibus ex Italia in Germaniam veniretur. Si Schertelus cum ſuis copijs rectà petijſſet Ratisbonam, vbì Cæſar tum erat, rebus omnibus imparatiſſimis, meliùs ſuorum rebus conſuluiſſet. Sed eo conſilio Deus illos tum priuauit. Fuit hic primus illorum error.

Copiæ Cæſaris.

Proteſtantes obtinẽt Cluſam.

Item Fieſſam.

Primus error Proteſtantiũ.

Dum hæc geruntur, Saxo & Heſſus ſcribunt Cæſari literas, quibus ſe teſtantur in officio permanſuros, aut ſi quas iniurias intulerint, de illis velle ſatisfacere, ſi lege agere ſinantur. Cæſar illis nihil reſpondit, quippe qui ſciret eorum exercitum omnem in vnum locum conduci. Nec diù pòſt omnes eorum copiæ Danouertum cum Saxone & Lantgrauio peruenêre. Erant peditum ad octoginta, equitum ad decem millia: porrò tormenta bellica 130. Cæſar tum admodùm immunitus fuit. Atque hic quoquè ſummam rei benè gerendæ occaſionem Proteſtantes amisêre, dum non vident, quàm facilè Cæſarem vel è tota Germania excludere potuiſſent, ſi cum omnibus copijs rectà Ratisbonam contendiſſent. Non eſt igitur dubium, quin à Cæſare ſteterit Deus. Et hic eorum ſecundus eſt error.

Copiæ ingẽtes Proteſtantiũ.

Secundus error.

Interim Ferdinandus rex Pragã peruenit, cum Mauritio Saxone acturus de bello in Electorem Saxoniæ concitan-

citando. Fuerant Mauritio cum Electore continentes inimicitiæ, sed eæ pauloantè sopitæ erant. At postquàm Cæsar proscripsit Electorem Saxoniæ & Lantgrauium, Mauritius inimicitias repetit, & cum Ferdinando rege coniunctus, Saxonis ditiones vastare instituit. Porrò verò Saxo & Lantgrauius puerum cum æneatore ad Cæsarem in castra mittunt, qui epistolam perferunt ad teli amentum deligatam. Hic vetus Germanorum mos est belli denunciandi. Videbantur illi digni esse supplicio, sed incolumes dimissi sunt cum tabulis proscriptionis, nullis præterea literis alijs additis. Cæsar quidem eorum epistolam nec inspicere voluit. Sub idem tempus veniunt ad Cæsarem à Pontifice peditum circitèr decem millia, equites leuioris armaturæ septingenti. His alij ducenti equites à Cosmo Medice Florentino Principe, & centum à Ferrariensi duce missi accesserunt. Venerunt & Hispani, præstanti virtute & veterani omnes. Erant iam cum Cæsare 16. millia Germanorum peditum, Italorum decem, Hispanorum circitèr octo, equites hastati mille sexcenti: & præter hos alij, ità vt in summa essent bis mille cataphracti, & mille leuioris armaturæ, omnes verò copiæ præsertim peditum, longè selectissimæ: nec tamen aderant, quæ in Belgio à Burano conscribebantur. Cum hoc exercitu & trigintasex tormentis æneis Cæsar ad hostem contendit, qui tum circa Ingolstadium statiua habebat. At Saxo cum Lantgrauio Ratisbonam iter intendit prudentèr quidem, sed serò. Cæsar enim mox Ratisbonam subsidia equitum & peditum mittit. Itaque Ingolstadium Protestantes reuertuntur, quò se etiam Cæsar contulit. Non defuisset tum Protestantibus occasio rei benè gerendæ, si totis viribus Cæsarem oppugnâssent, aut illius ad Ingolstadium iter anteuertissent: atquì certè non in multitudine exercitûs, sed in Numinis fauore certa est belli victoria. Igitur Cæsar Ingolstadium præoccupat, & opportuno loco castra metatur. Loci natura hæc erat: Sinistrum latus ripa fluminis & loca palustria tuebantur: à tergo quæ erant, oppidum ipsum tuta ab hostibus reddebat: à dextra & à fronte, aperta planities, sed leuitèr fastigiata. Ab hac vtraque parte Princeps Albanus, quem Cæsar eius belli summum Imperatorem esse voluit, incredibili celeritate transuersam fossam & vallum perduxit. Non diù pòst vtraque & Cæsaris & hostium castra ea propinquitate inter se coniuncta sunt, vt tormentorum pilis contingi pos-

1546

Protestantes bellum denunciāt Cæsari.

Copiæ auxiliares Pontificis.

Cæsaris castra ad Ingolstadium.

1546

Cæsar hortatur suos.

gi possent. Ibì Cæsar equō vectus suos obequitabat, nè quicquam pilarum densos imbres reformidarent adhortans, & vt præsenti animo, pristinæ virtutis & secundissimorum præliorum memores, hostis impetum ferant, locum quisque suum strenuè tueatur. Quæ Cæsaris oratio & præsentia dici vix queat, quantum alacritatis & bonæ spei militi attulerit. Atquì hostes ex alia parte horrendum in modum tormenta displodunt, & pilarum imbribus vallum & acies Cęsareanas complent: sed paucos admodùm, Deo suum Cæsarem euidentissimè protegente, lædunt. Cæsaris agmen sæpissimè traiectum est, atque circa eumipsum tam densæ volitabant pilæ, vt in

Cæsaris discrimen.

maximo discrimine versaretur. Accidit quandoquè, vt globus directò in illum eiaculatus, ità propè ad pedes eius decideret, vt præsentissimum illi immineret periculum, si vel leuitèr resultâsset, & non præpotentis Dei iussu eodem loco defossus & immersus hæsisset. Sæuissima illa tormentorum tempestate, quæ octo ampliùs horis cælum commouit & vndas, in ea Cæsaris acie vnus ex stipatoribus peremptus est, equi duo, & signum militare vnum discerptum: nullum aliud grauius damnum datum, singulari proculdubiò beneficio Dei, qui seruat spe-

Constantia Cæsareanorū.

rantes in se. Fuit autem in Cæsareanis hoc eximiæ constantiæ & inuicti animi haud obscurum argumentum, quòd nullus suum visus est locum deserere, licèt nongentis hostium globis terribilitèr eo vno die peterētur. Alio die rursùs ad tormentorum crebriora, quàm priùs, tonitrua hostes redeunt. Cæsár ad suos alacritèr accurrit, eorum animos mirificè confirmat, contemptis periculis, à

1900. pila in castra Cæsaris coniecta.

quibus plerunquè non longè aberat. Quàm fuerint hostes in displodendis tormentis pertinaces & crebri, vel indè constare potest, quòd præter alios qui vel in castra non inciderint, vel reperiri nō potuerint, mille nongenti & ampliùs globi reperti sunt.

Cùm autem Cæsar illorum castris in dies propiùs suas munitiones cōiungeret, multisq́ue illi quotidie incommodis afficerentur, non sinè magno dedecore eo loco decedunt, cùm anteà comminati essent, se Cæsarem breuì è tota Germania exacturos.

Per hoc tempus Comes Buranus suas copias, quas Cæsari in Belgio coëgerat, Rhenum mirabili industria ac solertia inuitis hostibus traducit. Ad Francofurtum posteà cum illis leuiori commisso prælio, non paucos occidit, reliquis vsqueadeò perterritis & properè in fu-

gam

gam ruentibus, vt non priùs fuga desisterent, quàm in oppidum peruenissent. Cæsar Buranum admonet, vt iter cautè instituat: hostes à se discessisse, atque ad ipsum properare. Progressi verò hostes, ad Danouertum castra locant, & Lantgrauius rei frumentariæ consulturus, Laugingam Bauariæ oppidum, deditione facta, in fidem accipit, atque indè Danouertum redit. Buranus breuì posteà cum suis copijs, quæ erant longè ornatissimæ, ad Cæsarem Ingolstadium incolumis peruenit. Ea re fracti sunt nonnihil Protestantium animi. Biduò pòst Cæsar Neoburgum petit, inter densissimam missilium multitudinem, quæ ab hostibus è muro iaculabantur, loci naturam & situm oppidi summo cum periculo, Albano comitatus, explorat: indè Ingolstadium redit, postridiè castra mouet, atque recta ad Neoburgum regione considet. Neoburgenses ad eum legatos mittunt, seque eius voluntati permittunt: idem faciunt tribuni & ordinum duces, qui illic præsidio relicti erant. Id quidem Cæsari ob eius loci opportunitatem, commodissimè euenit. Cæsar hostium præsidiarios milites omnes pro sua clementia incolumes dimisit, cùm iure in eos, tanquàm qui in Principem suum arma tulissent, animaduertere posset. Eo triduo Cæsar more militari exercitum suum recenset: repertus est equitum numerus millium circitèr nouem, peditum circitèr quadragintaquinque.

1546

Burani copia ad Cæsarem veniunt.

Neoburgi deditio.

Totus Cæsaris exercitus.

Neoburgo Cæsar Vuendingum cum exercitu proficiscitur, atque aduentanti Senatus vrbem dediturus occurrit. Per hoc tempus nunciatur Cæsari, hostes cum omnibus copijs ad ipsius castra contendere, neque iam procul abesse. Tum ille, licèt dextrum pedem podagra affligeret, equum conscendit, pedem linteo ab ephippio pensili sustentat, atque hunc in modum tota die inter suos obequitat, contemptis acerrimis podagræ doloribus: verùm hostes nebulæ beneficio vsi, quæ ea die densa admodùm fuit, iter Norlingam versùs conferebant. Cùm autem ei ab Albano nunciaretur, videri ipsi hostes ad dimicandum paratos, ille respondit: Per me non stabit, quò minùs, fauente Deo, fiat pugnandi potestas: Et mox vt erat in equo, (non enim podagra sinebat eum descendere) arma induit, & acies procedere iubet. Verùm hostes cœptum iter Norlingam versùs nihil intermittentes, Cæsareanos pugnæ auidos sua spe frustrantur. Videns autem Cæsar ad pugnam eos elici non posse, ad alia consilia conuertitur. Mittit clàm Octa-

1546 uium Farnesium cum Italicis copijs & Schamburgianis cohortibus, qui Danouertum vrbem ad Danubium sitam repentè occupent. Ea res prosperos habet successus, & oppidani subita Cæsareanorum irruptione perterriti, sese dedunt, non minori hostium damno, quàm Cæsaris commodo. Cæsar postera luce eò contendit, hostibus interim nihil se mouentibus. Altero indè die Dilingam Augustani Episcopi oppidum, sed quod tum hostium præsidio teneretur, venit. Hostes mox fugiunt ex oppido, & ciues libentissimis animis tum Cęsarem, tum Episcopum recipiunt. Indè quoquè Lauginga se dedit, licèt initio superbè respondissent incolæ. Idem facit Gudelinga. Ità paulatìm Cæsaris res crescebant, Deo illum adiuuante.

Danouertum occupant Cæsareani.

Intereà nunciatur Cæsari, à Ferdinando & Mauritio in Saxonia rem prosperè geri, Saxones pulsos & profligatos, & magnam eius ditionis partem in vtriusque potestatem esse redactam. Hoc nuncio Cæsar exhilaratus, multa tormenta in lætitiæ signum, & vt hostes intelligerent hæc iam ad ipsum perlata, displodi iubet. Iam hyems appetebat, nec deerant, qui Cæsarem hortarentur, vt militem in hyberna reduceret, maximè quòd castra loco admodùm incommodo sita essent. Sed Cæsar commodissimo castris locandis loco reperto, eò traducit exercitum, cunctis vsqueadeò gratulantibus, vt eum locum castra Cæsaris appellàrint. Ex eo loco vehementèr afflixit hostes, emissis lōgè lateque equitibus hipposclopistis & leuioris armaturæ, qui eos à frumentatione prohiberent. Indè accidit, vt in eas rei frumentariæ angustias venerint, vt quinque continuos dies milites frumento & pane caruerint.

Saxonia à Ferdinādo & Mauritio vexatur.

Inopia frumēti apud Protestantes.

Sub his angustijs Saxo & Hessus nacti idoneum hominem, per Iohannem Brandeburgicum Electoris Brandeburgici fratrem, de pacis conditionibus cum Cæsare agere cœperunt: sed cùm Cæsar alias proponeret, quàm ipsi vellent, nihil effectum est. Dolendum quidem est, Principes illos suorum concionatorum malis consilijs eò adductos esse, vt tam se Cæsari refractarios præberent, & demùm etiàm arma contra illum capesserent, cùm raro soleat benè cedere, si quid contra magistratum temerè attentetur. Et hôcquidem bello, cùm essent illorum longè auctiores quàm Cæsaris copiæ, tamen quatèr castris excedere compulsi sunt. Vbi porrò Cæsar intellexit hostium equitatum cum parte peditum in Franconiam

coniam iter habere, omnibus modis anteuertendum pu- *1546*
tauit, nè tam opulenta illi potiti prouincia, vires iam
non mediocritèr elisas redintegrarent. Itaque licèt dif-
ficili anni tempore, tamen nihil sibi cessandum putauit,
donèc Rotenburgo ciuitate imperiali potiretur. In eo
itinere dedunt se illi Boffingenses, Norlingenses, Dinc-
kelspulenses. Vbi Rotenburgenses eius sensêre aduen- *Rotēbur-*
tum, pridiè obuiàm progressi, magno studio se suaque *gum Cæ-*
omnia illi permittunt: neque enim illi reliquis fœde- *sari se per-*
ratis consenserant, neque auxilia illis vlla suppeditâ- *mittit.*
rant. Vbi hostes sensêre Rotenburgum à Cæsare tene-
ri, non mediocritèr perturbantur, atque paulò pòst sin-
guli domum reuertuntur. Lantgrauius vbi Francofur- *Protestā-*
tum venit, obsecrantibus decurionibus & ciuibus, vt *tes domū*
quid faciendum sit edoceat, respondit optimam sibi ra- *abeunt.*
tionem videri, vt vnaquæque vulpecula suam caudam
tueatur.

Saxo quoquè, aliquot contractis dispersarum copia-
rum reliquijs, domum redit, & in itinere ab Ecclesiasti-
cis magnam vim pecuniæ extorquet. Cæsar verò Bura-
num in Belgium remissurus hortatur, vt ex itinere vel ad
defectionem inducat, vel ad deditionem vi adigat Fran-
cofurdienses. Ipse Cæsar cum reliquo exercitu ad fœde-
ratas ciuitates, in quibus hostium præsidium omne &
robur positum esse non ignorabat, iter statuit conuertere.
Sed tantus iam omnes terror inuaserat, vt pleræque ciui-
tates à fœderatis desciscerent, & ad eius amicitiam adspi-
rarent. Rotenburgo discedens, Halam Sueuię insigne op-
pidum peruenit. Eam enim tum recèns Cæsar in fidem
receperat.

Cùm illic podagræ morbo impeditus, aliquandiù *Palatinus*
hærere cogeretur, Fridericus Palatinus ad eum venit, & *veniā pe-*
supplex cum multis lachrymis veniàm petijt & impetra- *tit & im-*
uit, licèt Cæsar principiò nonnihil asperum se non sinè *petrat.*
causa exhiberet. Miserat enim non paucos equites subsi-
dio Protestantibus. Sed in Cæsare hoc fuit admiratione
dignum, quòd non tam illatæ iniuriæ, quàm beneficij
quandoquè collati esset memor.

Eodem tempore venerunt etiàm eò Vlmenses, & *Item Vl-*
tandèm admissi coram Palatino, qui ægrotanti Cæsari *menses.*
aderat, capite demisso & vultu mœstissimo ad Cæsaris
sese pedes abijciunt, & eius clementiam implorant. Cæ-
sar quoquè illis ignouit certis conditionibus.

Deindè Cęsar Hala egressus, Hispanos & aliquot co-

1546 hortes alias mittit in agrum Vuirtembergensem, atque mox ipse cum reliqua exercitûs parte subsequitur. Ea re cognita, Vuirtembergensis Princeps non ferens ditionis suæ vastationem, atque animaduertens omnes vicos, omnia ædificia & oppida omnia, in Cæsaris potestatem venire, à Cæsare pacem petit, & impetrat non recusatis conditionibus, quas Cæsar præscripserat. Interim veniunt literæ à Burano ad Cæsarem de occupata Francophordia. Postridie ad eum veniunt à septem ciuitatibus fœderatis legati de deditione. Vt enim ad Cæsaris gratiam propensius adspirarent, eius faciebat incredibilis moderatio, qua in tanto belli maximi successu vtebatur. Iam Sueuiæ vrbes omnes in eius potestate erant: Augustani soli cunctantius sese dedidere. Cęsar indè Vlmam venit, susceptus honorificentissimè & amantissimè. Fuit enim Germanorum in Cæsarem amor singularis, ità vt eum patrem blandissima voce appellarent: quin & exteræ nationes & hostes etiàm ipsi non mediocritèr ipsi afficiebantur. Est enim ea virtutis vis, vt in suî admirationem & amorem etiàm improbos inuitet. Augustani Cęsaris exercitu aduentante, ad Cęsarem legatos mittunt, sed ijs conditionibus propositis, quas Cæsar nollet, vacui recedunt. Indè re deliberata, & quòd Schertelus, vir militaris & audax, ex vrbe spontè excessisset, ad Cęsarem redeunt, veniam suppliciter petunt, & à clementissimo Principe impetrant, adeò vt mitissima consuetudine sua dextram singulorum appræhenderet, quo honore etiàm alias ciuitates affecerat. Postremò etiàm Argentoratenses fide publica ad eum veniunt, & se in pristinam clientelam restituunt. Hic nimirùm fuit prioris belli Germanici, contra Imperatorem temerè suscepti, euentus, ad quod Imperij Ordines impulerunt impuri apostatæ & seditiosi ecclesiastæ, qui salua Cæsaris amplissima authoritate, res suas saluas esse non posse facilè peruidebant. Ex ipsis autem atrocissimis religionis & dogmatum dissidijs, quæ inter illos vigent, haud obscurè potest animaduerti, non magnoperè illis curæ esse Reipublicæ & Christianorum salutem, sed vt suis priuatis rebus consulant, quantunuìs interim sursùm deorsùm moueantur omnia. Ipse quidem Luterus in libello, quem non diù ante obitum suum ad Saxoniæ principem & Lantgrauium scripsit, ad hoc Germaniæ bellum classicum canit, dum inter cætera ait, Quisquis arma non corripit dum potest, is non vtitur rebus à Deo collatis.

Princeps Vuirtenbergicus Cæsari cõciliatur.

Francofurtum occupatum.

Germanorum amor in Cæsarẽ.

Augustani redeunt in gratiam.

Item Argentoratenses.

Quid

Quid verò hoc est aliud, quàm subditos in suos magistratus concitare? 1547

Hoc anno pax inter Gallos & Anglos conciliata est ea cōditione, vt certa pecuniæ summa Anglis intra octauum annum numeretur: ea persoluta, Bolonia ad Gallos pertineat, sed interim ab Anglis retineatur. Eam pacem, ob diuturna bella & alias calamitates, ingens annonæ caritas apud Gallos secuta est. *Pax inter Gallos & Anglos.*

Mechliniæ in Brabantia accidit clades memorabilis 8. Idus Augusti. Fulmen incidit in portam Arenariam, in qua asseruabatur pulueris tormentarij immensa vis, quæ illo cælitùs lapso igne inflammata, tam horrendum edidit fragorem & tonitruum, vt plerique mortales putarent supremum adesse mundi diem. Fuit id reuerà spectaculum horroris & terroris plenissimum. Momento temporis porta illa mirabilitèr dissipatur, & non modò turris, sed etiàm vicinorum murorum fundamenta reuelluntur, & longè lateque per aëra iactantur: fossarum aquæ vi tanti ardoris exiccantur. Multi homines partim extincti, partim grauitèr saucij reperti sunt. Ludebant quidam chartis in caupona, sed subitò oppressi pereunt: materfamiliâs domûs sola euasit incolumis, quòd magno suo commodo in cellarium descenderat, ceruisiam allatura. Quidam post triduum è specu progressus, sciscitabatur num mundus adhuc subsisteret. *Incēdium Mechliniæ.*

Saxoniæ princeps Elector, vbi percepit Ferdinandum & Mauritium ipsius vastare ditiones, nec à Cæsare ea, qua vellet, conditione pax obtineri posset, copias dispersas partim colligit, atque in itinere, vt suprà attigimus, magnam pecuniæ vim, præcipuè ab Ecclesiasticis extorquet: Gemundam Sueuiæ oppidum oppugnat, ciues se dedentes pecunia mulctat, à Francophordiensibus nouem aureorum millia accipit, à Moguntino millia quadraginta exigit, Fuldensem abbatem & alios quosdam Catholicos eodem modo tractat, licèt esset à Cæsare proscriptus. *Saxo extorquet pecuniā.*

ANNO 1547. die 18. Ianuarij Saxo Lipsiam Mauritij principis oppidum grauissimè oppugnat, sed re infecta discedere compellitur, quòd vrbs fortissimè defenderetur. Crebris tormentorum ictibus fœdissimè vrbs dilacerata fuit atque deformata. Indè profectus, amissa per Thuringiam & Misniam, licèt diffici- *Oppugnat Lipsiam.*

1547 li anni tempore, recuperat, quinetiàm Mauritij oppida capit, præter Lipsiam & Dresdam, multa quoquè alia ad se traducit, sed non diù occupaturus.

Hermannus Episc. loco mouetur. Per hoc tempus Hermannus Coloniensis Archiepiscopus, cùm nulla posset ratione à sententia inuehendi in suas ditiones Luterismi deduci, iussu Romani Pontificis & Caroli Imperatoris, loco mouetur, & ei Adolphus ex illustri & antiqua Scauuenburgensium Comitum familia subrogatur. Fuerat is aliquot annis Hermanni coadiutor, multis præclaris dotibus ornatus, & Catholicæ religioni addictissimus. Vbi autem ad eam peruenit dignitatem, mox religionem veterem tota *Vetus religio restituitur.* diœcesi restituit, Bucerana commenta prorsùs aboleuit, & verum pastorem reipsa declarauit. Id quidem maturè accidit præclarissimæ diœcesi, quæ iam multis locis ita erat nouis dogmatis infecta, vt difficilis omninò curatio videretur, nisi Deus manum apposuisset suam. eiusdem autem Hermanni frater Fridericus Bonnensi præ- *Iohannes Gropperus.* positura exuitur, eaque clarissimo viro Iohanni Groppero, præter omnem eius expectationem, confertur. Eius viri pro tuenda apud Coloniam Agrippinam & totam Coloniensem diœcesin Catholica religione suscepti labores, vsqueadeò eum celebrem reddiderunt, vt Pontifex Paulus IIII. eum in Cardinalium amplißs. senatum cooptârit. Fuit admirabili eloquentia, rara eruditione, animo imperterritus, nocte & die scripturæ sacræ & *Exemplū continentiæ.* sanctißimorum patrum lectioni incubans, atque à fœdissimo concubinatu, quo se plerique ex Clero turpiter dehonestant, vsqueadeò abhorrens, vt cùm quodam die domum reuersus, famulam inuenisset lectum ipsius sternentem, vehementissimè commotus, famulam repentè è cubiculo exigeret, & lectum è fenestra cubiculi proijceret, hocipso sanè egregium animi sui erga continentiam zelum & ardorem præclarè declarans. Quod idcircò commemorare volui, vt tanti viri exemplo permoueantur Ecclesiastici, & carnis petulantiam victûs parsimonia, sacræ lectionis & feruentium precum assiduitate, vigilijs opportunis, mulierum vitanda consuetudine, & id genus alijs pietatis studijs edoment, desinantque aduersùm se prouocare iram præpotentis Dei, atque procacibus hæreticis veterem eandemque Catholicam religionem lacerandi ac proscindendi præbere occasionem.

Angliæ Sub Ianuarij finem Henricus Angliæ rex, anno. 38. regni

regni sui, vita excedit. Is Pontificem quidem Romanum ferre non potuit, quòd repulsam apud illum passus esset in approbando Annæ Boleniæ coniugio, sed tamen religionem veterem in plerisque retinuit. Successit ei Edouardus filius, nouem annorum puer, sub quo paulò pòst Zuinglianismus in eo regno satus est. Protestantes ad regem Henricum legatos miserant, qui ab eo contra Cæsarem auxilia peterent, sed id frustrà fuit.

1547

regis obitus.

Non longo interuallo, nempè pridiè Calendas Aprilis, Franciscus Galliarum rex in arce Rambuletana moritur, quem itidèm Protestantes de suppetijs ferendis solicitârant. Obijt anno ætatis 54. Rex per omnia Catholicus & acerrimus nouorum dogmatum persecutor, fautor quoquè præcipuus hominum literatorum, ipse non mediocri rerum multarum cognitione præditus, quam sibi indè contraxerat, quòd inter edendum de varijs disciplinis cupidissimè loqueretur, haberetque in eum vsum apud se viros doctissimos, qui ex Poëtarum, Historicorum, Cosmographorum atque aliorum authorum libris sempèr aliquid in medium adferrent. Habuit quoquè in Italia & Græcia, qui veterum monumenta conquirerent, confecitque Bibliothecam optimis libris refertissimam, vndè nonnulli posteà in lucem prodiêrunt. Poterat Ecclesia vel florentissima nostris temporibus euadere, si non incidisset inter Carolum Cæsarem & hunc Franciscum regem illa perpetua ferè simultas, quæ rebus Christianis, hauddubiè propter peccata nostra, magnam attulit calamitatem, præsertìm quòd interim Turcarum auctæ sunt vires, Christianorum imminutæ, & portentosæ hæreses mirum in modum increuerunt, certatim aliæ super alias ab inferis in orbem nostrum reuocatæ ab importunis ingenijs. Regi Francisco in regno successit Henricus filius, anno ætatis suæ vicesimooctauo, qui mox Annam Momorantium Conestablium, quem Latinè Magistrum equitum dicimus, in pristinam dignitatem, qua iam totos ferè annos sex caruerat, restituit: porrò quosdam alios magnos viros loco mouit. Horum duorum potentissimorum Galliæ & Angliæ regum obitus nō mediocritèr afflixit Protestantes, qui se sperârant ab illis contra Cæsarem subsidia habituros.

Francisci regis mors

Bibliotheca Francisci regis.

Cæsar cùm adhùc esset Vlmæ, & ex Ferdinandi fratris literis certior fieret de ijs, quæ ab Saxone principe gererentur, & vt is Boemos solicitaret, vulgus ad se alliceret,

Cæsar bellum Saxo-

1547 ceret, Ioachimicam vallem, ærarijs secturis & auri argentique fodinis abundantissimam Ferdinando eripuisset, toto in bellum Saxonicum animo incumbebat, licèt afflicta esset valetudine. Putabat enim rebus maturè opem ferendam, antequàm viribus confirmatis hostes noui aliquid molirentur. Erant cum Saxone peditum circitèr decem, equitum quatuor millia. iamque vsqueadeò Boëmos in suas partes traxerat, vt ij non dubitârint filias regis Ferdinandi in arce Pragensi inclusas tenere. Itaque Cæsar nullum neque laborem, neque periculum, neque valetudinis detrimentum subterfugiens, præter copias, quas iam præmiserat, Germanos & Hispanos ex hybernis educit, & aliquot tormentis ab Vlmensibus acceptis, iter ingressus est.

nicum meditatur.

Vuirtenbergicus fit supplex Cæsari.

Eo die, quo Vlma discessurus erat, venit eò princeps Vuirtembergicus in sella gestatoria, quòd podagra præpeditus, pedibus consistere non posset. Tandèm admissus ad Cæsarem, per Cancellarium demisissimè eius iram deprecatur, errorem suum palàm confitetur, & in posterum summam fidem & obseruantiam pollicetur. Hoc spectaculum Vlmensibus & alijs qui eò confluxerant, non mediocrem stuporem attulit, quòd illum quoquè supplicem Cæsari viderent, quo nullus è vicinis principibus esset potentior. Cæsar vbiquè vsus clementia, sub certis conditionibus noxam omnem afflicto Principi condonat: & confestìm Vlma discedens, prima die Giengam, altera Norlingam venit. Ibì morbus podagræ recrudescens, magnam videbatur moram allaturus: sed præter omnium expectationem celeritèr conualuit. Saxo interìm Albertum Marchionem, quem Cæsar præmiserat, cuiusdam illustris fœminæ proditione apud Rochliziam capit, & de eius exercitu mille trecentos homines occídit, reliquos ferè in potestatem redigit: ipsum Albertum Gotham perduci iubet, locum valdè munitum.

Albertus Marchio capitur.

Dum Cæsar est Norlingæ, Argentinensium legati ad eum veniunt, veniam deprecantes. Eos quoquè Cæsar in fidem & clientelam accepit, quibus visum est conditionibus, inter quas hæc vna fuit, vt Cæsaris sacramento rogarentur, quod anteà nulli cuiquam vnquàm Imperatori contigerat. Indè Cæsar Noribergam venit, magna ciuium gratulatione exceptus. Ibì dies quinque confirmandæ valetudinis causa permansit. Constituerat ad Egram, quod est Boëmiæ oppidum, cum

Cæsar venit Noribergam.

cum Ferdinando & Mauritio coràm conferre. Ibì Boë- 1547
morum apparuit à suo rege defectio, qui crebris arboribus succisis, Ferdinandum & Mauritium transitu prohibere conati sunt: attamen longiori circuitu tandèm ad Cæsarem cum copijs suis, tribus ab Egra milliaribus, in castra venerunt. Erant illis grauis armaturæ bìs mille ducenti, leuis armaturæ Hungari noningenti equites, omnes egregiè instructi. Paschalibus ferijs Egræ peractis, (ea enim ciuitas cum summa laude hactenùs in Catholica religione constantèr permansit) Albanum cum omnibus copijs & parte equitatûs præmittit, ipse mox sequitur, in id vel maximè intentus, vt cum Saxone daretur priùs confligendi opportunitas, quàm ille se vel Vuittembergam, vel Gotham, & in id genus alia munitissima loca reciperet. Erat per id tempus Saxo apud Misniam oppidum, quod Mauritio paulò antè eripuerat. Eò se confert Cęsar, nonnullis ex itinere occupatis arcibus & oppidis. Cùm iam non ampliùs tribus milliaribus esset à Misnia, comperit Saxonem Vuittenbergam iter conuertisse. Intererat inter eum & Saxonem Albis latissimus fluuius, quem omninò transmittere constituit, nè Saxo ex ipsius manibus elaberetur. Erat res summæ difficultatis & periculi, Saxone ad Milburgum oppidum in vlteriori fluminis ripa cum valida manu consedente. Interìm nunciatur Cæsari, vadum in amplissimo flumine repertum eo loco, vbì & hostes eregionè sederent, & fluuius trecentos in latitudinem passus pateret, vndarumq́ue impetu & mole vel spectantibus horrorem incuteret.

Egra vrbs Catholica.

Vadum in Albi repertum.

Iam hostes secundo flumine nauibus deferebantur: sed id Cæsareani conspicati, maximo impetu in ipsum flumen irruunt, & brachijs atque humeris solis ex aqua extantibus, densissimam pilarũ grandinẽ in hostes mittunt, ità vt & è nauibus in terram se eijcere, & præcipiti fugę mandare cogerentur. Vt autem commodiùs pedites & tormenta traduci possent, Cęsar pontem curauit ex nauibus fieri: sed quòd latior esset fluuius, quàm vt naues ab ipso allatæ sufficerent, milites hortatur, vt hostium concisum pontem capiant. Atque eccè confestim decem Hispani pedites vestes deponunt, gladios transuersos ore mordicùs compræhendunt, flumen tranant, inter tela hostium innumera scaphas arripiunt cæsis aliquot hostibus, & ad citeriorem ripam pertrahunt incolumes. Saxo tum concioni intererat. sed Cæsaris audito

Cæsareani in Saxones.

Audax facinus 10. Hispanorum.

1547 audito aduentu, concio silet, conclamatur ad arma, & miles ripæ defendendæ adesse iubetur. At Cæsar incredibili celeritate equites vadum tentare, pontemque ex scaphis coniungere monet. Erat tum illic rusticus quidam iuuenis robusto corpore, cuius equos bijuges hostes pridiè eius diei abstulerant. Is Cæsari vadum ostendit. Primi traijciunt Hungari equites, humeris tantummodò & pectore eminentes, & cum eis leuis armaturæ equites, quibus singulis singuli milites sclopetarij, à tergo equis insidentes, adiuncti sunt. Indè cataphracti equites subsequuntur. Cæsarem vehebat equus Hispanus, coccino serico villoso, cui ex auro fimbria erat, instratus. Ipse armis inauratis conspicuus, & conchiliata fascia bombycina, auro distincta, superindutus, casside Germanica capiti aptata, breuem hastam venabulo similem manu tenebat. Et sic ille princeps, rustico præeunte, Albim ingreditur, & incolumis in vlteriorem pertendit ripam, atque cum eo equitatus omnis saluus in terram euadit. Rusticum autem centum donat coronatis & equis duobus.

Albim traijciunt equites.

Cæsar Albim equo transmittit.

Peditatus ponte nondùm perfecto tardiùs traducebatur. Itaque Cæsar omnia in celeritate posita cernens, solo equitatu hostem adoriri constituit. In ipso autem itinere, dum hostes insequitur, incidit in statuam Christi è cruce pendentis, cuius pectus tormenti globulo traiectum erat. Id ille pius Princeps conspicatus, magno animi dolore correptus, suspicit in cælum, &, O Deus, inquit, modò velis, facilè potes tantum scelus vlcisci: sicque cœptum prosequitur iter. Interìm Albanus oblata rei benè gerendæ occasione, Cæsari indicat se iam in hostes irruere: tum acris à Cæsareanis in hostem fit impressio, ità vt mox in fugam incitati equites, peditatum prædæ & cædi obijcerent. Iam ad Locheranam syluam ventum erat, quæ passim tanta armorum multitudine constrata visebatur, vt insequentibus Cæsareanis moram adferrent. Sed & occisorum & sauciorum multus erat numerus: maior verò captiuorum, ità vt plerosque Cæsaris milites viceni & ampliùs captiui circunsisterent. Cæsareanis verò Saxonicos summa contentione insequentibus, breui ad Cæsarem, qui in media circiter sylua constiterat, nuncius de capto Saxone adfertur. Erat is in equo Phrisio armatus: cumque ad Cæsarem peruenisset, velletque ex equo descendere, & dextræ chirothecam detrahere, Cæsar mitissimum

Facinus Euangelicum, scilicet.

Capti multi.

mum secutus ingenium suum, neutrum permisit. Tum 1547
ille capite nudato, Ego, inquit, potentissime & clemen- *Saxo ca-*
tissime Cæsar, me tibi captiuum reddo. Ad ea Cæsar, *ptus fit*
Nunc ità quidem me compellas, ait, cùm anteà secùs fe- *supplex*
ceris. (Saxo enim & Lantgrauius hoc rerum tumultu, *Cæsari.*
non Cæsarem eum, sed Carolum à Gandauo, qui se falsò
Cæsarem diceret, in literis publicis scribebant.) Addidit
quoquè Cæsar, optimo merito suo ad eiusmodi fortunam
ipsum esse redactum. Quo audito, ille subticuit: humerisque
pressis & capite demisso terram intuens ingemuit,
vultu sanè miserabili. Indè iterùm petit à Cæsare,
vt ipsum sic tractare velit, vt solent capti Principes. Ego
verò, inquit Cæsar, te vt meritus es, tractabo. Mox in castra
abducitur.

Eo die Mauritius princeps in summo periculo fuit. *Mauritij*
Cùm enim hostes persequeretur, quidam ex illis à ter- *periculū.*
go cum adortus, bombardam dorso admouit, sed inani
conatu, quòd ignis non emicaret. Verùm ille temerarius
mox à Mauritianis discerptus est. Capta sunt in eo
conflictu tormenta quindecim, & magnus bellicarum
rerum apparatus: postridiè quoquè sex alia tormenta in
itinere intercipiuntur. Multa quoquè præda, impedimenta,
signa legionaria & equestria. Captus etiàm est
Ernestus Brunsuicensis. Cæsar non ampliùs quinquaginta
equites amisit. Victoria hac potitus est 8. Calendas
Maij. Iulius Cæsar olìm Pontico triumpho trium verborum
titulum prætulisse fertur, *Véni, vidi, vici.* Ijs verbis
nonnihil immutatis sic noster Cæsar, lōgè illi ob veram
pietatem præferendus vsus est: *Véni, Vidi, Deus vicit:* *Nota Cæ-*
vt ostenderet, se non suis viribus, sed diuinò auxilio eam *saris mo-*
victoriam acceptam ferre. Saxonis & Ernesti deindè cu- *destiam*
stodia Alphonso Viui mandata est. Porrò in deditio- *& pieta-*
nem Torga vrbe accepta, Cæsar ad Vuittenbergam oc- *tem.*
cupandam cum omnibus copijs procedit. Eam vrbem
Saxo continuos vigintiquinque annos adeò communierat,
vt facilè etiam diuturnam obsidionem passura
videretur.

Obitèr prætermittendum non est, qua in parte Albim
Cæsar vado traiecit, postera die non nisi natando,
& ægrè quidem, id fieri potuisse. Graues quidam scriptores
sic sentiunt, non sinè miraculo & præsenti Numinis
ope Cæsarem illud latissimum flumen cum tantis
copijs vado transijsse. Quo autem die Saxo captus
est,

1547 est, æstus fuit longè grauissimus, & sol velut sanguinolentus apparuit, non in Germania duntaxàt, sed etiàm in Gallijs.

Cæsar Saxonem vita donat. Iam Cæsar oppugnare decreuerat Vuittenbergam, cùm eccè interuentu Ioachimi Electoris Brandeburgici, & Cliuensis principis, cuius soror in Saxonis matrimonio visebatur, precibus flexus, capitali sententia Saxonem absoluit, vitamque ei his conditionibus donauit: Electoria dignitate & agris oppidisque omnibus ad Electoris ditionem pertinentibus exuitur. In Thuringia tantùm arces aliquot & agros retinet: Arma & ænea tormenta omnia cum vniuerso rerum bellicarum apparatu tradit. Eorum ingens erat numerus, ità vt ex sola Vuittenberga, præter minores machinas complures, 120. bombardæ exportatæ sint: *Gotha munitissima.* Gotha nullis viribus expugnabilis solo æquatur. In ea fuêre centum tormenta maiora, minora quamplurima: ænearum pilarum centum millia, & multa alia. Sunt & aliæ conditiones, quas præterimus studio breuitatis. Accepta in deditionem Vuittemberga, biduo pòst Saxonis coniunx cum multis nobilibus in Cæsaris tabernaculum venit ex vrbe, atque ad Cæsaris aduoluta pedes, ab illo manu alleuatur, & humanissimè in amplexum recipitur. Ea res omnium animos ad summam commiserationem flexit. Cæsar vbì multis eius precibus mitissimè respondit, mariti adeundi copiam ei facit, & honorificentissimè à se dimittit, atque altera die intra vrbem in arce ipsam inuisit.

Scytha & Afer parati militare Cæsari. Per id tempus partìm à Scythica quadam gente ad Borysthenis ripam, partìm à Tunetano rege ex Africa, Cæsari oblata sunt ad octo millia equitum: verùm legatos Cæsar liberalitèr dimittit, quòd iam bello propemodùm confecto, ijs copijs non esset habiturus opùs.

Lantgrauius vbì de Saxonis captiuitate & Cæsaris victoria cognouit, non immeritò consternatus, per Mauritium de pacis conditionibus tractare cœpit. Mauritio deprecatori Ioachimus Elector Brandeburgicus se coniungit: qui tum plurimùm apud Cæsarem gratia & authoritate valebant. Cæsar quidem illorum preces audit, & quid à Lantgrauio fieri velit, ostendit: sed cùm Lantgrauius ad postulata sempèr aliquid vel adderet vel demeret, Cæsar tandèm respondit, nihil se cum Lantgrauio velle agere, rebus ille suis vt vellet con-

consuleret. Id responsum non mediocritèr eius perterruit animum, & ab vna iam Cæsaris peruulgata clementia salutis sibi præsidium petendum sentiens, datis ad Mauritium literis, compositionis conditiones à Cæsare præscriptas, manu sua descripsit & tradidit, iisdemque paulò pòst apud Halam Saxonicam in deditionem acceptus est. 1547 *Lantgrauius se permittit Cæsari.*

Verùm antequàm isthæc transfigerentur, Ferdinandus rex cum tribus ferè millibus equitum & sex peditum Vuittenberga celeritèr Pragam proficiscitur, & Cæsar cum omnibus copiis suis ad Lantgrauium edomandum contendit. Pridiè verò, quàm Ferdinandus discederet, Hungarici equitatûs præfecti Cæsari valedicunt, orantque supplices, vt Pannoniæ à Turcis oppressæ afflictis rebus opem ferre velit. Cæsar eis liberalitèr respondet, & singulis præfectis ac decurionibus trecentorum coronatorum totquem donat: reliquis turmis vltra emerita stipendia in singulos equites alterum gratuitum largitur. Eam liberalitatem omnes mirificè prædicârunt. Hispanos etiàm illos, qui gladiis mordicùs ore correptis hostium scaphas nando appræhenderant, singulos veste holoserica ornat, triginta donat coronatis, & inter duplares armaturas adscribit. *Liberalitas Cæsaris in Hungaros. Itē in 10. Hispanos.*

Cæsar indè Halam abit, expectaturus illic Lantgrauii aduentum. Ibì tum repentè oritur seditio inter Germanos & Hispanos, hauddubiò tristem habitura euentum, nì Cæsar non sinè periculo inter duas acies, furore & amentia cæcas, medium se opposuisset. Erant adhuc apud Cæsarem Boëmorum legati: eos ad se vocat, hortatur vt ad officium & sanitatem redeant, se alioquì fratri Ferdinando minimè defuturum. Eadem ad Boëmos perscribit. *Seditio militaris.*

Dum hæc geruntur, Lantgrauius cum 100. equitibus Halam venit, postridiè à Mauritio & Ioachimo in regiam deducitur. Aderant frequentissimi nobiles, qui se id nunquàm visuros putârant. Lantgrauius coram Cæsare in genua prouoluitur, & eius nomine Cancellarius supplex Cæsarem honorificentissimè appellat, veniam petit, & obseruantiam ac fidem in posterum pollicetur, ac iureiurando confirmat. Cæsar per oratorem respondet, se licèt grauissimè læsum, tamen supplici noxam condonare, capitis pœna, proscriptione & carceribus perpetuis absoluere. His aliisque nōnullis dictis, *Lantgrauius supplex veniam precatur.*

Lant-

1547 Lantgrauius surgit, sed Cæsar ei neque dextram dedit, neque vllum beneuolentiæ genus exhibuit. Intererat huic spectaculo Henricus Brunsuicensis, quem hactenus captiuum Lantgrauius detinuerat. Posteà Albanus Lantgrauium secum in arcem ducit, Electores ad cœnam inuitat, & Lantgrauium cœna facta apud se detinet. Id verò præter spem accidit Lantgrauio, qui se longè maiori libertate vsurum putârat. Conditiones quibus se dedidit, ex multis hæ ferè sunt: Lantgrauius & eius clientes omnes Cæsari iurent, & vltrò eius voluntati se permittant. Ipse ex omni ditione quatuor delectas vrbes continuò dedat. Loca aliquot munita diruat. Centum quinquaginta aureorum millia pendat. Tormenta omnia rhedis imposita (ea erant ampliùs ducenta) Cæsari tradat. Henricum Brunsuicensem restituat. Vitam Cæsaris beneficio habeat. Perpetua custodia non asseruetur, &c. Hanc vltimam conditionem neque Lantgrauius ipse, neque Principes intercessores satis considerasse videntur, qua vtiquè in Cæsaris arbitrio custodiæ vel breuiandæ vel prorogandæ facultas constituta est. Tulit principiò grauitèr captiuitatem suam Lantgrauius: sed cùm suis ipsius scriptis reuinceretur, eam fortunam cœpit ferre moderatiùs. ad hanc verò calamitatem vtrunque Principem, & Saxonem & Lantgrauium, importuna Luteri & seditiosorum concionatorum consilia adduxêre.

Lantgrauius captiuus tenetur.

Is igitur vtriusque Germanici, quorum alterum potest Saxonicum dici, belli euentus fuit, & Cæsar tota Germania, quod nulli vnquàm Romanorum Cæsari obtigerat, felicitèr edomita, à Paulo Pontifice Maximo in Diplomate, quod Halæ accepit, MAXIMI & FORTISSIMI cognomine ornatur. Olìm Carolus Magnus, multis bellicis rebus clarissimus, triginta annis Saxones ægrè domare potuit: noster Carolus Maximus intra tres ferè menses Saxoniam omnem sibi parére coëgit. Post demolitas Lantgrauicæ ditionis arces, Cæsar tormenta omnia, quæ vtroque hoc bello ceperat, Francophordiam conferri iussit, eaque hunc in modum distribuit: Mediolanum 50. totidem Neapolim, trecenta in Belgium, reliqua in Hispaniam mittit. Posteà Noribergam contendit, vt è loci propinquitate Ferdinandi rebus apud Boëmos neruos maiores sua authoritate adderet. Breuì pòst certior fit, Boëmos iussa facere paratos, ad officium redijsse. Dum Noribergæ mora-

Cæsar totam domat Germaniam.

Cæsar tormenta capta vt distribuerit.

moratur, à Lubeco amplâ ciuitate & nobili, legati ad cum veniunt, qui doceant se nunquàm cum fœderatis consensisse, neque, vt pro certo etiàm constat, omninò contra eum conspirâsse. Bremenses quoquè per Danorum regem in fidem Cæsaris recipi vehementèr orant. Idem contendunt Pomeranus & Luneburgicus. Hamburgenses primi omnium in deditionem venerant, missis Noribergam ad Cæsarem legatis, qui magna pecuniæ summa mulctæ nomine persoluta, vrbem, quod nunquàm anteà contigerat, in Cæsaris clientelam conferrent. Ità iam Cæsar latè rerum in Germania potiebatur, sed pro mitissimo ingenio suo ea vbiquè in dedititios hostes vsus clementia & lenitate, vt non defuerint posteà, qui dicerent illum non ea vsum fuisse seueritate, quam res postularet. Verùm prudentissimus princeps, qui suæ felicitatis æmulos non defuturos minimè ignoraret, & longè latèque omnia circunspiceret, non est putandus in ea amplissimæ victoriæ prosperrimis successibus quicquam temerè statuisse. Cùm autem tantæ fuerint tamque instructæ hostium copiæ, & Cæsar contrà in primis Germanici belli initijs adeò imparatus, vt nihil minùs quàm de bello cogitare videretur, ac nihilo seciùs tamen omnem hostium impetum & inuictas vires mirabili ac propè incredibili felicitate perfregerit, & de tota Germania mirabilitèr triumphârit: facilè, qui volunt, animaduertere possunt, à pio Principe stetisse Deum: hostes verò, tum quòd ab auita Patrum suorum religione sanctissima ad noua seditiosorum dogmatistorum commenta desciuissent, tum quòd in Principem ac dominum suum arma temerè sumpsissent, diuina ope destitutos fuisse, atque ideò nihil vsquàm ferè felicitèr gessisse.

1547

Lubecenses alieni à conspiratione.

Cæsar victor fauore Numinis.

Eo tempore, quo Cæsar è Vuittemberga excessit, & Mauritius, septemuirali dignitate auctus, suos milites in vrbem immisit, clarissimus vir Iulius Pflugius in Episcopatum Numburgensem missus est, quem tum occupabat Nicolaus Ambsdorffius egregiè Luteranus. Is Ambsdorffius post colloquium Vuormatiense vltimum, quod anno Christi 1557. habitum est, vbì sectarij inter se conuenire non potuerunt, scriptum edidit, quo acerrimè inuehitur in Melanchthonem, Brentium, & quosdam alios, qui in illo Colloquio Zuinglium & Osiandrum damnare noluerunt: atque hoc ipso nomine, quòd hos & eorum sectatores damnare noluerint, eos ab Augusta-

Iulius Pflugius.

1547 na Confessione discessisse ait. Eodem scripto apertè damnat Zuinglianos atq́ue etiàm Adiaphoristas, quorum parens fuit Melanchthon. Quod ideò commemorare obitèr volui, sicut etiàm id genus alia non raró iam suprà memoraui, vt lector intelligat, quàm præclarè inter se in hoc nouo Euangelio conueniant doctores Euangelici: caueatq́ue sibi à talibus, modò suæ velit saluti consultum.

Boëmi cū rege suo in gratiam redeunt.

Cùm Ferdinandus rex in Boëmia esset Lætmeritiæ, Cæsar ei auxilio misit signa octo peditum Germanorum. Allata autem fama de capto Lantgrauio, literas dat Ferdinandus ad Pragenses, quibus eos sibi præstò esse iubet in arce Pragensi ad 6. Iulij diem. Veniunt illi, & supplices ab rege offenso veniam petunt, & eius se voluntati permittunt. Intercedebant pro illis Ferdinandus, regis Ferdinandi filius, & Augustus Mauritij frater, & nonnulli alij proceres. Itaque sub conditionibus quibusdam à Rege pacem impetrârunt: porrò in nobiles quosdam, qui ad diem citati non venerant, seuerior sententia pronunciata est. Aliæ quoquè nonnullæ ciuitates & nobiles instàr Pragensium absque conditione sese dedunt. Caspar Pflugius, quem fœderati sibi caput constituerant, læsæ maiestatis damnatur, & promittuntur aureorum millia quinque in caput eius. Ità illudquoquè regnum breuì tranquillatum est, punitis seditionis authoribus.

Cōuentus Augustanus.

Induciæ cum Turcis quinquennales.

Ad Iulij tertium diem Cæsar Bambergæ, vbì tum erat, Imperij conuentum indixit: iubetq́ue ad Calendas Septembres conuenire omnes Augustam. Ipse sub finem Iulij eò venit cum Saxone captiuo. nam Lantgrauium Danouerti reliquerat. Ad Cæsarem Augustæ morantem venit à Solimanno Gerardus Veltuuichus, quem Cæsar legatum miserat Byzantium, pactis cum Turca quinquennalibus inducijs. Fuit hic Conuentus frequentissimus, tametsi non sinè morsu eum Sleidanus armatum vocat ob Cæsaris copias, quæ tum intra & extra vrbem tenebantur. Aderant Electores omnes, & prætèr alios Imperij principes etiàm Cæsaris soror Maria Belgij prudentissima gubernatrix, & neptis, Lotharingiæ vidua. Maximilianus Austriacus Cæsaris nomine paucis præfatus est, ac deindè Cæsar per scribam, vt moris est, proposuit, quæ vellet ijs Comitijs tractari.

Petrus

Mensis Septembris die decimo quorundam coniuratione Petrus Aloysius, Pauli Pontificis filius, Placentiæ

centiæ domi suæ confoditur, & Ferdinandus Gonzaga, qui per id tempus Mediolanensi ditioni Cæsaris nomine præerat, vrbem Placentiam occupat. In hac cęde commemoranda Sleidanus more suo acerbè perstringit non Aloysium modò, sed ipsum quoque Pontificem, quem non solùm Astrologiæ, sed & Necromantiæ admodum studiosum fuisse scribit. Ità isti miseri nusquàm sibi temperare possunt à summo sacerdote carpendo, in quo si nollent personam, saltem officium venerari deberent. Certè de Paulo Pontifice multi honorificè scribunt, & eius virtutes prædicant. Qualisqualis autem fuerit, Sleidanus sacramentarius hæreticus dignus non fuit, qui illum reprehenderet. In veteri lege capitale fuit, si quis principi gentis eius maledixisset. Hodiè nihil æquè familiare & solenne est, præsertim apud Euangelicos, quàm atrocissimè in Pontificem Ecclesiæ pastorem inuehi, & omnibus maledicentiæ generibus debacchari. Qui autem in Catholica religione benè instituti sunt, in Pontifice Christum suspiciunt & venerantur, nec tam vitam & mores, quàm muneris authoritatem & amplitudinem attendunt, nè in Pontifice carpendo Christum ipsum laceràsse videantur. Olìm longè ante mille annos Constantinus pijssimus Imperator, cùm in Nicena Synodo oblatæ illi essent querelæ aliquot Episcoporum, quibus se inuicèm accusabant: Mihi, inquit, homini errori obnoxio nefas esse videtur, Ecclesiasticorum virorum accusationes recipere & audire. Atque his & paucis alijs dictis, querelas omnes, quas nec legere quidem voluit, coram Episcopis combussit: addiditque & illud: Si in Episcopum incideret alienum coniugium violantem, se purpura sua piaculum illud obtecturum esse, nè tam fœdum facinus spectatoribus occasionem mali crearet. Sed hæc propter insolentes dixisse sufficiat.

1547

Aloysius perimitur.

2.Reg.19.

Constantini Magni memorabile exemplũ.

Hac tempestate Angli Scotos prælio superant ductore Somerseto regis auunculo. Pugnatum est ad Musselburgum. Scotis præerat Iacobus Hamiltonus, Arranæ comes & regni Scotiæ gubernator. Dubio aliquandiu marte acritèr certatum est, sed paulò pòst multis nobilibus viris cadentibus, victoria penès Anglos fuit. Causa belli fertur, quòd Edouardo regi sponsa non daretur, quemadmodùm ex pacto oporteret, & Scoti se facturos receperant. Post eam pugnam Angli longiùs progrediuntur, & suæ ditionis fines in Scotiam proferunt.

Anglorũ de Scotis victoria.

1548 ferunt. Porrò domum reuersi, cum statuis & imaginibus sacris bellum gerunt, è templis eas profligant, & sacerdotibus ineundi matrimonij faciunt potestatem. Praeclarum sanè Euangelium, quod à contumelia Christi & sanctorum eius, atque à sacris Veneris amplexibus sua fundamenta orditur. Sed hæc quandoquè vindicabit Christus, & suas sanctorumque suorum iniurias egregiè vlciscetur, Venerisque putidos sacerdotes mittet in stagnum pice & sulphure in omnem æternitatem arsurum.

Principes omnes cõcedunt in sententiã Synodi Tridentinæ.

In Augustano, quem diximus, Conuentu Principes omnes Concilij Tridentini decretis se submittunt, Cæsare plurimùm eam in curam incumbente, vt religio collapsa in Germania posset instaurari, & hæreses profligari. Porrò verò, quòd Lantgrauij captiuitas præter quorundam spem accidisset, multùm his comitijs laboratum est pro eius impetranda liberatione. Vxor eius Augustam venit, & cum ea Ordines omnes ad Cæsarem intercedunt, sed nihil tum impetrari potuit. Priusquàm intercederetur, Cæsar rem omnem, vt cum Lantgrauio actum esset, paucis ordine ad status omnes exposuit, nec erat quisquam, qui eius factum improbaret, licèt Mauritius & Brandeburgicus nonnulla allegarent. Error omnis indè accidisse videtur, vt antè dictum est, quòd neque hi duo principes, neque Lantgrauius ipse satis perpenderint conditionem illam, de non perpetuo carcere Lantgrauij.

Poloni legati in Comitijs.

ANNO 1548. in comitijs Augustanis rex Polonus suos habuit Legatos, qui illius ius in Prussiam Ordinibus Imperij declararent, & Proscriptionem Cameræ Spirensis in Albertum Prussiæ quondàm Magistrum, abolerent. Is Albertus mutata Prussicæ Reip. forma, in Poloniæ regis fidem & clientelam se dederat, nomenque Magistri in Ducem mutârat. Cæsar vbì Poloni regis postulata cognouit, Vuolfgango Prussiæ Magistro dat orationis exemplum, qui die 23. Ianuarij respondet. Tandem & Poloniæ legatorum & Vuolfgangi rationibus auditis, cùm negocium cognoscendi quibusdam datum esset, communi omnium consilio deliberatum est, sententiam à Cameræ iudicibus in Albertum latam, esse prosequendam. At cùm difficilis esset executio, in Cæsarem omnia reijciũt. Non diù pòst obijt Sigismundus Poloniæ rex valdè Catholicus, & iam

Mors Sigismundi regis.

iam ætate grauis. Natus ex patre Casimiro anno Domini 1467. prima Ianuarij, electus in regem 1506. Nam ante eum ordine regnârunt fratres eius natu maiores, Iohannes, Albertus, & Alexãder. Coronatus est 1507. Mortuus 1548. prima Aprilis. Fuit eius obitus perniciosus amplissimo Poloniæ regno. Nam eo extincto, hæreses abominabiles, etiàm Arrianorum & Nestorianorum, illic paulatìm cristas erexerunt. Successorem habuit filium Sigismundum Augustum, excelso animo principem, & paternis vestigijs in Catholica religione insistentem. Testatur enim de illo amplissimus Cardinalis Vuarmiensis Stanislaus Hosius, cuius apud omnes peruulgata est pietas & doctrina, eum, cùm peterent nonnulli in comitijs Vuarshauiensibus, vt de causa religionis cognosceret, constantèr admodùm recusâsse, dixisseque non sui id esse muneris: regem se, non Pontificem, agere velle: satis sibi negocij esse cum prophanis causis. Eadem fuerat & Sigismundi patris eius vox. Erant enim quandoquè, qui Syrenarum mortiferis cantionibus dementati, peterent ab illo, vt puram Luterici euangelij doctrinam in suo regno prædicari pateretur. Tum ille animo verè heroico pureque ac germanè Christiano, Non est meum, inquit, de puritate verbi cognoscere: munus hoc Episcoporum est, quorum iudicio etiàm ego ipse libens me submitto, quorumque iurisdictionem in omnibus saluam esse volo. Vtinàm hanc tanti regis constantiam plerique alij secuti essent politici magistratus, quibus ab impostoribus istis noui euangelij buccinatoribus pestifera adulatione persuasum est, ad ipsos pertinere, vt de fide & religione sibi iudicium vsurpent: quæ res magnas non vno loco calamitates attulit. Sed vt sibi faciliùs deuincirent principum & potentum animos, homines nequissimi hoc illis muneris detulerunt, immò illorum esse sceleratè asseuerârunt, vt de religione ipsi cognoscant: quanquàm hac in re non idem sentiunt fratres euangelici, sed alij hanc, alij diuersam sententiam propugnant.

1548

Vox digna rege Catholico

Erat hoc tempore Concilium nonnihìl distractum, Patribus alijs ob aëris incommoditatem Bononiam profectis, alijs Tridenti remanentibus. Interìm Cæsar veritus, nè tardiùs, quàm expediret, Concilium religionis negocium absolueret, quibusdam negocium dat formulæ cuiusdam conscribendæ, qua per Germaniam vterentur vsque ad Concilij definitionem. Hi fuère Iulius Pflugi-

Concilij patres partim Bononiæ, partim Tridenti.

1548 Pflugius Episcopus Numburgensis, Michaël Sidonius Moguntini Electoris Suffraganeus, & Iohannes Islebius. Princeps Ioachimus Elector Brandeburgicus, conciliationis cupidus, curauit Bucerum Argentorato acciri. Is vbi clàm venit, à principe librum de religione à tribus illis, quos diximus, conscriptum accepit & legit. Rogatus à principe, vt subscriberet, recusauit, quòd magis esset Catholicus, quàm Buceri Euangelium ferre posset. Ea re grauitèr principem offendit. Porrò ipse domùm rediit.

Conscribitur INTERIM.

Eo tempore Coloniensis Archiepiscopus Adolphus primitias, vt vocāt, seu primum sacrificium fecit Augustæ, præsentibus Cæsare, Ferdinando rege, & reliquis principibus maximo numero, quibus posteà epulum dedit magnificentissimum.

Primitiæ Coloniensis Archiepiscopi.

Per hos dies Augustam venit Muleasses Tunetanus rex, proprij filij, vt suprà dictum est, in se expertus crudelitatem, vtroque adempto lumine. Secutus est eum paulò pòst etiàm alter filius. Is rex in tanta calamitate pristinam visus est retinere animi excelsitatem, erecta ceruice inambulans, & insigni plerunquè cultûs & gestus grauitate veteris fortunæ maiestatem repræsentans.

Muleasses Augustam venit.

In libello, quem diximus iussu Cæsaris conscriptum, inter cætera pacis tuendæ causa permittebatur, vt qui apud Protestantes ex sacerdotum ordine vxores duxissent, vsque ad Concilij determinationem non cogerentur eas relinquere : itemque qui vtranque speciem Eucharistiæ hactenùs sumpsissent, non compellerentur calice carere. Hæc duo multos Catholicos offenderunt, quòd non posset Cæsar tale aliquid statuere. Verùm optimus princeps nihil sibi sumebat in eiusmodi rebus authoritatis, sed quàm posset commodissimè cupiebat res in Germania nimiùm exulceratas, sensim in pristinum gradum reuocari, salua semper Pontificis & Tridentinæ Synodi authoritate, quam ille prorsùs inuiolatam voluit : facileque videbat, si vi adhibita inuitos ad omnia subitò mutanda cogere voluisset, nihil nisi grauissimos Reipub. motus expectandos esse : quanquàm ego hac in re nihil velim statuere, sed libentèr sequi rectiùs sentientium iudicium. Hoc quidem eo rerum statu nimis fuit insolens & intolerabile, quòd cùm libellus hic pasim vocaretur INTERIM, quidam scriptores Euangelici miris modis in eam vocem luderent, & sannis atque conuicijs petulantèr proscinderent.

derent. Verisimile est, iam tum agitari cœpisse consilia, quibus se sperarent breui in pristinum gradum restitutum iri. Vuittembergæ quidem Mauritius Philippum Melanchthonem, Pomeranum, Crucigerum restituit. Antequam autem Cæsar libellum memoratum Imperij Ordinibus proponeret, priùs eum Romam Pontifici misit, hoc ipso sanè animi sui religionem testatus, quòd in religionis negocio nihil ipse per se vellet constituere. Pontifex verò quid eo in libro displiceret, non tacuit: quemadmodùm autem Pontifex rescripsit, sic est à Catholicis liber receptus. 1548

Cæsaris erga Pontificem obseruantia.

Per hoc tempus Maximilianus Ferdinandi regis filius, Augusta in Hispanias proficiscitur, habens apud se Cardinalem Tridentinum. In multa trepidatione tum fuêre præclari Euangelici concionatores, qui sibi vix vsquàm tutum superesse locum viderent: & mirabili metamorphosi, qui priùs acerbissimè inter se contendissent, in hac publica, vt ipsi scribunt, Ecclesiæ calamitate, priuatarum offensionum obliuiscebantur. Et ridiculum sanè fuit spectaculum, quosdam egregiè Luteranos tum videri apud Zuinglianos sibi latibula quærere, quosdam etiàm Helueticis ministris amantissimè scribere, cùm tamen animis alij ab alijs dissiderent acerrimè, & Luterus iampridèm Zuinglianos hæreticos appellâsset. Brentius quoquè insignis Luteranus Hala Sueuica pulsus, Basileæ aliquandiù moratus est. Petrus Martyr, anteà ex Italia profugus, nunc Argentina relicta, migrat ad Anglos. Vuolfgangus Musculus ex Augusta ad Heluetios se recipit. Andreas Osiander, relicta Noriberga, fit Prutenorum infaustus apostolus. Erasmus Sarcerius à Guilhelmo comite Nassouio discedit. Erardus Sneppius cum multis alijs Ecclesiastis ex Vuirtenbergensis Principis ditionibus exulare iubetur. Iam periculum erat, nè Euangelium in tota Germania occumberet, nisì quòd horum Euangelium eiusmodi est, vt votis omnibus optandum sit, vt ex toto orbe terrarum, tanquàm certa quædam Reipub. pernicies, penitùs proscribatur. Saxo captiuus induci non potuit, vt Concilij decretis & editi libelli doctrinæ subscriberet, dicens, si hoc faceret, se contra conscientiam facturum, & admissurum peccatum in spiritumsanctum, quod sit prorsùs irremissibile. Sic iam persuasi erant aliquot Germaniæ principes à versutissimis apostatis. Sed si illi tam perniciosum putârunt discedere ab

Maximilianus Austriacus it in Hispaniam.

Euangelici præcones quærunt latibula.

Saxo non potest deduci à sententia.

1548 hominum fanaticorum, & inter se tam pertinacitèr & odiosè diſſidentium commentis, quàm nos constantes eſſe debemus in ea retinenda religione, quam omnibus seculis, quibus Christum agnouit, Germania coluit, & totus vbiquè terrarum Christianus orbis sempèr retinuit? Scilicèt grande piaculum est deserere, quod ab apostatis monachis didiceris: & pietas est, puerilitèr ab eo deficere, quod indè ab Apostolis Catholica Christi Ecclesia tenuerit.

In Anglia hoc tempore sub puero rege Miſſa abrogata est, & non diù pòst Stephanus Episcopus Vuintoniensis, vir longè doctiſſimus, custodiæ mandatur. Porrò Concilium Tridenti continuatur. Eo tempore Veneti edicto cauent, vt libri à Catholica religione discrepantes, ad certos homines adducantur, idque intra dies octo, quibus elapsis, inquisitum iri aiunt, & qui deprǽhensi fuerint, non impunè abituros: ijs, qui deferant huius edicti contemptores, munera promittunt. Hæc molestiſſimè ferunt homines, sed si saperent, gauderent magistratus ipsorum saluti maturè consulere: atque vtinàm vbiquè terrarum proscripti essent libri omnes, ex hæreticorum hominum officinis profecti. Nam sermo eorum, quod veriſſimè dixit Apostolus, vt cancer serpit.

Edictum Venetorũ de libris hæreticis.

2. Tim. 2.

Constantienses, quòd nollent Cæsari obtemperare in quibusdam, ab illo proscribuntur. Id illi non ferentes, quòd res plena esset periculi, habita deliberatione, Cæsaris de religione libellum recipiunt, & Clerum in vrbem admittunt. Porrò ministri Euangelici, & in ijs facilè primus Ambrosius Blaurerus apostata monachus, aliò se conferunt. Lindauienses paulò antè pertinaciores, Constantiensium exemplo territi, libellum & ipsi recipiunt.

Constantienses Cæsari obtemperant.

Augusti mensis die tertio Cæsar senatum Augustæ exauthorat, in quo multi etiàm ex plebe essent, nouumque constituit: Tribus quoquè similitèr abrogat, & ciuium conuenticula, nè deinceps fiant, interdicit. Religionem quoquè ad libelli præscriptum vt mutent, senatui nouo grauitèr imperat: sicque relicto præsidio, Vlmam petit, atque illic itidèm Senatum loco mouet, alium subrogat, & Martinum Frechtum ministrum euangelicum cum socijs concionatoribus, quòd nollent libellum recipere, in custodiam duci iubet. Senatus libellum recipit. Ex concionatoribus istis quatuor pertinacitèr

Senatus Augustæ mutatur.

Itémque Vlmæ.

citèr in ſuo permansêre errore, duo ſaniora ſunt conſilia ſecuti. *1548*

Argentinenſes legatos ad Cęſarem Spiram mittunt. Ibì non inuento Cæſare, Moguntiam vſque ſequuntur: ſed propter conſiliarios quoſdam abſentes, iubentur Coloniam Agrippinam vſque cum ipſo proficiſci. Hîc Cæſari literas offerunt. petunt ſibi decreti, quod libello ſæpè dicto contineretur, gratiam fieri, aut illùd mitigari: ſe enim de ſua ſalute valdè eſſe ſolicitos, nec audere contra conſcientiam agere. Ità mirum in modum trepidabatur vbiquè in Germania, cùm ad viam reuocarentur, vndè malorum concionatorum fraude exciderant, cùm nihil quicquam trepidâſſent, quandò ab auita & catholica religione auocabantur. Contrà oportebat cunctantiſſimè ad res nouandas accedere, immò nouitatem omnem prorsùs ſuſpectam habere: porrò ad religionem omnibus ſeculis & toto orbe excultam, etiàm vltrò & incunctantèr reuerti. Itaque illic trepidauerunt timore, vbì non erat timor. Tandèm Argentinenſes hoc à Cæſare reſponſum accipiunt, vt cum Epiſcopo ſuo tranſigant. Iam enim obtulerant ſe ad permittenda aliquot templa Catholicis, dies feſtos & ieiunia obſeruanda, & alia quædam.

Trepidatio præpoſtera.

Pſal. 13.

Paulò ſuprà de Conſtantienſium proſcriptione dictum eſt. Erant hoc nomine in ſummis anguſtijs, nec humanum apparebat auxilium, Cæſare tunc longè lateque in Germania triumphante. Tandèm igitur multis diuexati modis, quod proſcriptis euenire ſolet, Auſtriacæ domui ſeſe dedunt in perpetuum. Ferdinandus rex in fidem eos recipit certis conditionibus, quas illi per iuſiurandum accipiunt. Eſt Conſtantia vel ſola Conſtantienſi Synodo vbiquè notiſſimá, vrbs non admodùm magna, ſed elegans & amœna. Habet Epiſcopum, cuius diœcęſis amplitudine reliquos ferè Germaniæ Epiſcopatus excedit. Habet enim ſupra mille & octingentas parœcias vel parochias, & quadringēta monaſteria. Obitèr huc adſcribere libet, quod de Rhenanis Epiſcopatibus quidam dicunt: Curienſis eſt ſummus, quia iuxta Rheni fontes, Conſtantienſis ampliſſimus, Baſileenſis amœniſſimus, Argentinenſis nobiliſſimus, Spirenſis religioſiſſimus, Moguntinus authoritate venerabiliſſimus, Colonienſis opulentiſſimus, Treuirenſis vetuſtiſſimus.

Diœceſis Cōſtantienſis ampliſſima.

Apud Burdegalenſes in Aquitania fit tumultus ob ſalinarium vectigal & tributa extraordinaria. Res non

Seditio Burdegalenſis.

1548 multùm à defectione abesse visa est: sed rex Henricus tempestiuè occurrens, misso cum exercitu Anna Mommorantio, seditionis authores tollit è medio, & Burdegalenses egregiè castigatos, cogit in ordinem. Ademptæ sunt illis campanæ omnes, nè ijs ad turbas ciendas abuterentur, priuilegiorum literæ exustæ omnes, & quia regis præfectum occiderant, coguntur humum, vbi conditum eius cadauer erat, digitis & vnguibus fodere, donèc ad corpus ventum esset, &c.

Grauis castigatio seditiosorũ.

Cæsar tandèm in Belgium redit, seruato apud se Saxone, Lantgrauio verò Andernandam, quod est Flandriç oppidum, misso. Paulò antè ad Calendas Octobris Cameræ iudicium constituit, aduocatos tres de Luterismo suspectos remouet, cæteris omnibus inter alia præscribit, vt Catholicæ Ecclesiæ dogmata sequantur, aut loco moueantur. Ad Cæsarem in Belgium, relicta Gallia, venit eius soror Eleonora Franciæ regina, idque Henrico rege annuente.

Cæsar Camerã constituit.

Hoc ferè tempore Philippus Hispaniarum rex ad patrem Cæsarem, relicto in Hispanijs Maximiliano fratruele, annorum 21. iuuenis ex Hispania Genuam proficiscitur cum quinquaginta triremibus & totidem ferè nauibus onerarijs. Apud Genuam primò, & indè alijs Italiæ locis magnificentissimè excipitur. Mediolanum ingredienti præstò fuere Sabaudiæ princeps, Veneti, Florentini, Ferrarienses, Senenses legati. Intereà Bruxellis moritur comes Buranus Maximilianus anginæ morbo.

Philippus rex in Italia accipitur honorificentissimè.

Theologi Protestantium Vuittembergenses & Lipsenses per hoc tempus inter se de voluntate Principis Mauritij conueniunt aliquot locis, & nonnihil ad Cæsaris scriptum sese accommodant, edita religionis formula in Mauritij ditione ab omnibus seruanda. Indè grandis posteà inter Luteranos orta tempestas est & altercatio. Ij posteà dicti sunt molles Confessionistæ, quorum facilè princeps fuit Melanchthon. De his scribunt in præfatione septimæ Centuriæ authores historiæ Magdeburgicę, rigidi Confessionistæ: An non ex ipsis scholis (Vuittembergensem & Lipsensem intelligi volunt) vbi hæresiarchæ in altis pulpitis, cincti clypeis politicorum sedent, prodeunt complures iam annos libelli famosi, tetros errores continentes? quibus quales pulli excludantur, & qualem posteritatem habiturus sit filius Dei, luculentèr demonstratur: nempè vt reuersus ad iudicium,

Molles Cõfeßionistæ.

iudicium, ficut prædixit, fidem vix fit reperturus. Ità illi Stoici Luterani ornant Melanchthonem & focios eius molles Confeffioniftas, quos etiàm alijs locis egregiè lacerant, & rursùs mirificè lacerantur & profcinduntur ab illis. Quæ res profectò mouere debet homines Chriftianos, vt à talium communione & doctrina quamprimùm recedant. 1549

ANNO 1549. Cæfaris filius Philippus ad Patrem venit in Belgium, & cum eo, præter alios, Cardinalis Tridentinus. Cęfar aduenitanti infignem equitatum in Germaniam vfque honoris caufa obuiàm mifit. Mauritius Princeps Tridentum vfque proceffit ei obuiàm, & pro Lantgrauio captiuo plurimùm orat, vt apud patrem velit intercedere. Philippus fuam ea in re operam liberalitèr pollicetur.

Magdeburgenfes iam anteà profcripferat Cæfar, cumque nollent decretum religionis Auguftæ euulgatum recipere, maiorem in eos concipit indignationem. Hæc vrbs ferè prima amplexa fuit Luteri infauftum Euangelium, erantque hoc tempore illic aliquot ftrenui Luterani concionatores, Nicolaus Amfdorffius, quem Cæfar ex Numburgenfi Epifcopatu eiecerat, & Matthias Flaccus Illyricus. Ifti videntur commouiffe ciues, vt pertinacitèr Cæfaris decretum repudiarent. Illyricus diù fuerat Melanchthonis difcipulus. Sed cùm videretur Melanchthon cum Vuittenbergenfibus & Lipfenfibus non prorsùs à Cæfaris decreto abhorrere, multa quoquè concedere, fcripfit vnà cum focijs Magdeburgicis, qui nec latum vnguem vlla in re à Luteri placitis difcedendum putabant, contra Melanchthonem & eius affeclas. Scripfit in eos etiàm Nicolaus Gallus, qui, nifi fallor, id temporis Magdeburgi erat, poftea vero factus eft fuperintendens Ratisbonenfis. Hæc verò rigidorum & mollium Confeffioniftarum (Sic enim Catholici quidam eos vocant) contentio tandèm eoufquè progreffa eft, vt mifer Illyricus tota ferè Saxonia profcriptus, Ratisbonam vfque ad Nicolaum Gallum profugerit. Vehemens eft enim Illyricus, & in quibufdam libellis fupplicatorijs mirabilitèr vrget & inftat, vt in Germania vel potiùs Saxonia Synodus congregetur, cui tamen nō interfint nisì Synergiftæ, Maioriftę, & Adiaphoriftæ, cum quibus folis fibi rem effe vult, ac mirum in modum quiritatur de Confeffione Auguftana, quæ multis

Magdeburgenfiū pertinacia.

1549 tis sit locis deprauata: crimenque falsi alicubì Melanchthoni præceptori impingit, quòd & confessionem Augustanam, & libros Luteri plurimis in locis adulterauerit. Nec planè mentitur Illyricus, cùm in confesso sit, Augustanam confessionem non semèl à Melanchthone mutatam. Tales ergò cùm essent Magdeburgi buccinatores, pertinacitèr diù sese Cæsari opposuerũt, pessimo quidem obstinatæ rebellionis exemplo.

Illyricus falsarium vocat Melanchthonem.

Hoc anno prodijt in lucem scriptum quoddam contra septimam Synodum Niceæ habitam, sub nomine Caroli Magni. In eum librum præfatur quidam Eli Phili. vt Oedipus meritò adhibendus sit, qui illud nobis nomen interpretetur. Deindè nec loci, nec typographi vlla sit mentio, vt librum alioquì vel maximè suspectum, isthæc omnia magis etiàm suspectum reddant. Verebatur Eli Phili, nè quandoquè aliquid à Catholicis reperiretur, vel proferretur, quo liber ille falsò tanto Principi adscriptus doceretur. O quantùm laborat perfidia, vt vel per fraudem aliquid contra sanam fidem moliatur, quandò cum veritate non potest. De libro illo nihil admodùm dicere attinet: nam non multùm facit pro istis nouis dogmatistis, qui apertè doceat sanctam Romanam Catholicam & Apostolicam Ecclesiam, cæteris Ecclesijs à Domino prælatam, pro causis fidei, cùm quæstio surgit, (sic enim loquitur) omninò esse consulendam. Et id quidem hoc scripto sibi oblato fecit Carolus Magnus rex verè Catholicus. Ea igitur tempestate, qua Niceæ habita synodus est contra Iconomachos, quidam in eius acta inciderunt, & vt apparet, quæ ab illa synodo de Imaginibus venerandis prolata sunt, isti de cultu diuino adorandis intellexerunt. Ad oppugnandam ergò eam Synodum se conferunt, conscribunt quatuor libros, eosque Carolo Magno, vt probabilis est coniectura, dedicant. Is verò mittit eos examinãdos Adriano Pontifici, cuius & amantissimus & obseruantissimus fuit. Porrò Adrianus eos confutat, sicut testatur prolixa illius hac de re ad Carolum ipsum epistola, quæ iam in Conciliorum Tomis habetur, quam ego pulcherrimis characteribus in membrana descriptam ex Gallijs habui, sed aliquot locis mutilam. Habetur autem etiàm Romæ, vndè eam expectamus. Cùm sit autem certissimum, in Synodo Nicena Adriani legatos non adfuisse modò, sed præfuisse etiàm, quì fieri potest, quod Eli Phili in sua præfatione confingit, vt Carolus in Synodo Francophordiensi, cui

Lib. 1. cap. 6.

Liber sub Caroli Magni nomine editus.

æquè

æquè legati Adriani interfuêre, Nicenam Synodum damnandam curauerit, aut contra eam quicquam scribere voluerit? Sed benè habet, quòd Adriani scriptum extat, quo libri illi quatuor grauitèr confutantur, idque ea verborum seueritate, vt perspicuum sit, non à Carolo, sed ab alijs eos esse elucubratos. Hanc plagam verebatur Eli Phili: itaque & suum, & loci, & typographi nomen suppressit, vt in illum quoque quadret illud Euangelicum, Qui malè agit, odit lucem. Mirum autem in modum Caluinus & Illyricus cum suis hos quatuor libros iactitant, nec vident stulti longè plura in ijs haberi, quæ illorum impia commenta destruant, quàm quæ illis fauere videantur. Sed hoc apud hæreticos in more positum est, vt vndecunquè arripiant occasionem infestandi Catholicam Ecclesiam. Vt imagines oppugnent, cogunt religiosissimum & inprimis Catholicum Principem fieri iconoclastam: nec pudet eos pro se allegare illum eximium regem, qui tot olìm Episcopatus, monasteria, collegia, aliaque sacra loca fundauit, & amplissimis reditibus auxit & donauit, quæ isti perditi homines hodiè destruunt, diripiunt & euertunt, non impunè tot sacrilegia laturi, si ille Carolus verè Magnus hodiè superesset. Paucis hæc annotare volui, vt videat pius Lector, quanta sit istorum hominum improbitas, qui cùm è diametro pugnent cum religione & pietate Christianissimi illius regis Caroli, tamen audent Ecclesiæ Dei illius nomine insultare, qui fuit Catholicæ Ecclesiæ vindex acerrimus, & fidissimus atque constantissimus defensor ac propagator. Quòd autem fingunt in Francophordiensi Synodo, assentiente Carolo, damnatam esse Synodum Nicenam, tam est pudendum & insolens mendacium, vt eorum impudentiam nemo satìs admirari queat. Vt enim iam antè dixi, vtrique Synodo interfuêre legati Adriani Pontificis, à quo hi libri prolixè confutati sunt, nec dubium est eius legatos non diuersa, sed eadem de re vna statuisse. Tum verò decretū Synodi Francophordiensis, quod proferunt, eorum os impudens planè confundit. Sic enim habet, quemadmodùm ab ipsis proferetur: Allata est in medium quæstio de noua Græcorum Synodo, quam de adorandis imaginibus Constantinopoli fecerunt. Iam efferebant se hæretici, putabant se planè victores abijsse: & quauis talpa cæciores, non videbant nullam hîc Nicenæ, sed Constantinopolitanæ Synodi mentionem fieri. Habita enim non longè ante

1549

Ioan. 3.

Hæreticorum vesana impudentia.

De Synodo Francofordiensi.

Nicenam

1549 Nicenam Synodum, fuit Constantinopoli pseudosynodus de imaginibus profligandis, eamque hic intelligi oportere certum est. O quam sunt isti ad nocendum intenti, quorum tamen improbos conatus diuina prouidentia miris modis eludit, & plerunque ità fraudes illorum palàm retegit, vt mirum sit illos vnquàm ausos prodire in publicum, magis etiàm mirum sit non sibi cauere homines ab istorum insidijs & malis artibus. Citant etiàm pro se Abbatis Vrspergensis testimonium, sed iusto Dei iudicio occæcati non vident, ibi quoquè non Niceni Concilij, sed Constantinopolitanæ pseudosynodi nomen expressum.

De aduentu regis Philippi in Belgium paulò suprà memini. Ingressus est ille egregius Princeps Bruxellas summa patris Caroli Imperatoris gratulatione, & ingenti Belgarum studio. Quæ deindè secuta est æstas, ea ferè omnis incredibili erga iuuenem principem mirificis exhibendis pompis, dum is inaugurandi causa circunducitur, liberalitate consumpta est, adeò vt non desint, qui annotârint solos Antuerpienses in publica hac congratulatione supra centena tricena coronatorum aureorum millia expendisse: quos reliquæ sanè quàm opulentæ vrbes pro sua quæque virili & facultate imitatæ sunt. Est enim omnis illa ditio prędiues certè, & mira in suum Principem beneuolentia.

Philippus rex in Belgio vt exceptus.

Erat interim etiàm in Gallijs summa lætitia, rege & regina maximis regni eius opibus honorificentissimè Parisijs acceptis: & poterat Reipub. certa pax & tranquillitas diù optata tandèm cumulatè etiàm obtingere, si inter hos potentissimos reges, Carolum Imperatorem, eiusque filium Philippum, & Galliarum regem Henricum, firma & syncera concordia constitui potuisset. Sed eam necdùm merebantur corruptissimi hominum mores, & effrenis peccandi licentia, cui castigandæ noua parabantur flagella, non multò pòst exardescente bello inter Imperatorem & regem Henricum, de quo pòst dicemus.

Dissensiones in Anglia.

In Anglia hac tempestate feruebant intestinæ animorum dissensiones & acerbitates, atque in religionis negocio pugnantes opiniones & fœda diffidia, quæ parit hoc nouum Euangelium ab hominum monstrificis ingenijs ab inferis excitatum, in quo tum proponendo, tum propagando mirum in modum feruent importuni homines: sed cùm à veritatis studio & spiritu sint alieni,

in mul-

in multas repentè factiones diſtrahuntur, & habent ſingulæ malè detorta quædam ſcripturæ loca, quibus imperitæ concioni vera ſe docere perſuadeant: ſed impudentiſſimam eorum vanitatem ipſa doctrinæ varietas & pugnantia coarguit, quæ nihil poteſt cum veritate habere commercij. Porrò Senatus Anglicus armata manu ortas ſeditiones compeſcuit, ſumptumque ſupplicium eſt de illarum authoribus. Cæſus autem eſt etiàm Thomas Semerus Britanniæ Amiralius, quòd in affectati regni ſuſpicionem veniſſet apud germanum fratrem ſuum, qui tum regni protector erat, & regis Edouardi auunculus. Dum autem inter ſe Angli tumultuantur, rex Galliarum ea arrepta rei gerendæ opportunitate, in maximas annonæ & rerum neceſſariarum anguſtias adduxit Boloniæ arcem, ademptis Anglis partìm vi, partìm deditione Ambletula & Monlamberto, quæ ſunt loca Boloniæ vicina, & ab Anglis munita tum erant. Et vt hoſtem alibì quoquè diſtineret, exercitum in Scotiam mittit, qui Scotis iunctus, egregiam ex Anglis profligatis victoriam reportat commiſſo prælio, reginæque reſtituuntur, quæ Angli Scotiæ regno ademerant. *1549*

Thomas Semerus cæditur.

Idem Henricus rex cùm eſſet Pariſijs, ſeueritèr animaduertit in quoſdam hæreticos, habuitque ſolennem & publicam ſupplicationem ad Deum & ſanctos eius. Deindè ſcripto quodam typis excuſo teſtatur ſe Catholicæ fidei, authoritatis Apoſtolicæ, & cleri ſuſcepturum patrocinium: palamque declarat, quàm ex animo deteſtetur noſtrorum temporum hæreticos & hęreſes, partìm è cineribus excitatas, partìm recèns inuentas à Lutero, Carolſtadio, Zuinglio, Oecolampadio, Melanchthone, Bucero, Caluino & id genus alijs hæreſiarchis, hominibus monſtroſis & peſtiferis, quas etiàm velle ſe ait è ſuis ditionibus extirpare, & in reos grauiſſimè vindicare. Hæc quidem ille rex Catholicè, & vt decebat regem Chriſtianiſſimum: atque ea in re ſecutus eſt patrem Franciſcum, qui noua dogmata ferre non potuit, & ſæpè acerba ſumpſit ſupplicia de hæreticis. Videbant ſanè illi reges, quàm nihil ferè niſi tumultus & ſeditiones, diuinarum humanarumque legum contemptum, magiſtratûs odium & faſtidium, & multa alia horrenda mala pariat nouum iſtud Euangelium. Et felices ſanè atque florentes illæ ſunt reſpublicæ, in quas exitioſa dogmata minimè irrepſerunt. Speramus autem fore quandoquè, Deo benè propitio, vt

Henricus Franciæ rex ſe Catholicum declarat.

omnes

1549 omnes intelligant, quàm nihil nisi meræ fraudes & imposturæ fuerint, quæ sub puri verbi Dei & synceræ doctrinæ speciosis titulis nouorum dogmatum architecti & satores orbi venditârunt. Sed hæc & id genus alia alibì diximus, quanquàm etiamsi crebrò repetantur, non possunt videri superflua, quòd expediat horum sępissimè admoneri homines, vt relictis errorum tenebris, redeant in viam, & ad pacem ac vnitatem Catholicæ Ecclesiæ, extra quam nulli potest esse vera salus.

Disputatur in Anglia cum Martyre. Mense Maio in Anglia disputatum est Oxoniæ ab eius Academiæ Theologis cum Petro Martyre, monacho apostata, profugo ex Italia. Disputationi præerant legati regij, qui posteà scripto edito, visi sunt palmam tribuere Martyri. Is Martyr aliquandiù Bucerano more solebat de cœna Domini, vt ipsi vocant, loqui: sed vbi aduertit eum loquendi modum à sua mente alienum esse, quod Bucerus non magnoperè curâsse videretur, noluit ampliùs Buceri imitari simulationem, sed apertè professus est Zuinglianismum. Iuit autem in Angliam etiàm Bucerus, vt nè quid ad eius regni infelicitatem deesset.

Octobri mense Argentinenses cum Episcopo suo transigunt: tria templa Catholicis permittunt, & quædam alia inter vtrosque componuntur.

Solimanni filius ad Persas profugit. Hoc anno primogenitus Turcæ Solimanni filius ad Persas confugit. Erat Solimannus propensior in secundæ vxoris liberos, è quibus alterum Mustaphæ primogenito, hortatu vxoris, prælaturus videbatur. Id indignè tulit Mustaphas, Persarumque fretus copijs, aliquot Persis loca finitima expugnat. Solimannus cum quingentis hominum millibus pergit obuiàm, Persas in fugam conijcit: sed cùm Persæ longè lateque omnia incenderent, è Solimanni exercitu, rerum inopia pressi, ad centum millia periêre, coactusque est Solimannus re infecta discedere.

Paulus 3. excedit è viuis. Decima Nouembris die, anno ætatis suæ 82. moritur Paulus Pontifex III. In hunc Sleidanus scribit suo more, & vt vita functum acerbissimè & odiosissimè traducat, citat librum Italicum Bernardini Ochini, longè contumeliosissimum. Si quis ità scriberet in principes Euangelicos, quemadmodùm liber ille perstringit Pontificem, nemo æquo ferret animo. Et hic visus est dignus Sleidano Sacramentario, è quo non pauca in defuncti Pontificis contumeliam suis illis præclaris commentarijs

tarijs infarciret. Sanè qui talium commentariorum lectione delectantur, illi facilè quoquè Mahometis Alcoranum & id genus alia commenta non admodùm recusaturi videantur. Fuit ille Pontifex à luxu & crapula alienus, & temperantiæ inprimìs studiosus: quæ res illi tam raram conciliauit senectutem. Porrò qui stupris, libidinibus, comessationibus & largioribus poculis assiduè vacant, vix possunt ad eam pertingere senectutem. Fuit idem Pontifex multa rerum peritia ac prudentia, & apud omnes plurimùm gratia valebat, Italiamque diuturno liberauit bellorum tumultu, & perpetuam seruans pacem, vulgò dictus est pater patriæ, bonus pastor, bonus Reipub. Sleidanus & tota nouorum dogmatistarum cohors non nisi mordere nôrunt summos illos Ecclesiæ pastores. *1550*

ANNO 1550. ipso Purificationis die solenni Argentinensis Clerus Missam in tribus templis rursùs celebrat, iam plusquàm viginti annis intermissam. Ibì itidèm Sleidanus mirè est facetus, & cæremonias ecclesiasticas haud secùs atquè Turcus aliquis aut Scytha irridet. Eo autem die excitatus est Argentinę tumultus occasione quadam, & vsqueadeò res periculi plena fuit, vt indè vsque ad Pentecosten rursùs diuina officia intermissa sint. Oderant Clerum plerique vrbis incolæ, nec alio quàm idololatriæ loco habebant plerasque omnes Catholicæ Ecclesiæ cæremonias: porrò apostatæ Buceri identidèm repetitæ incestæ nuptiæ, horrendæ in Eucharistiam & alia sacramenta blasphemiæ, diuinarum ac humanarum rerũ plusquàm Babylonica confusio, purum putum Euangelion videbantur. Hæc quidem faciunt, vt minorem apud nos admirationem habeant, quæ Antichristi temporibus futura creduntur. Habebit ille plurimos, qui eius impietati consentiant: sed habent etiam horum temporum prodigiosi dogmatistæ, qui cupidè illorum absurditates amplectantur, idque adeò, vt non desint, qui scribere ausi fuerint, nec adorandum Deum, nec præsidium ab eo expectandum. Et hoc quidem dogma est Ochini. Quid verò deterius ex ipsa Antichristi schola prodire poterit? Neque verò multò tolerabilior eorum doctrina est, qui Missam vsqueadeò execrantur, nec ferre possunt vt in Eucharistia Christum adoremus.

Missa rursùs Argentinæ celebratur.

Galliæ & Angliæ reges pacem faciunt, Boloniam *Pax inter*

1550 Angli reddunt Gallis, à quibus certa illis pecuniæ summa numeratur. Quòd Angli Boloniam restituerent, plerique non mediocritèr admirati sunt. Et vt maior sit inter reges necessitudo, Gallus ordinis Anglici, Anglus Gallici fit eques.

Gallos & Anglos.

Huius anni mense Ianuario senatus Burdegalensis in Gallia restituitur. Hoc tempore Cæsar grauissimum in Luteranos suis in hæreditarijs ditionibus promulgat edictum: sed antè quàm promulgaretur, vnà cum Philippo filio Augustam ad comitia proficiscitur, Saxone quidem sibi adiuncto, Lantgrauio autem Mechliniæ, munitissimo Brabantiæ oppido, relicto.

Edictum in Luteranos.

Iulius 3. Pontifex.

In defuncti Pontificis Pauli locum subrogatur Februarij die 7. Iohannes Maria Montanus, & vocatur Iulius 3. Erat tum ob Iubileum magnus Romæ hominum concursus, qui Luteri & eius similium blasphemijs surda aure præteritis, pia animi deuotiône loca sacra Romanæ vrbis inuisebant, & largissimarum condonationum, quas Indulgentias vocamus, participes sese reddere studebant. Luterani & eius farinæ alij non indigent Indulgentijs, quia sua sterili fide securi, rectà proficiscuntur in Orcum. De indulgentijs possent multa dici, sed istis nouis Euangelicis nunquàm possunt satis multa dici. Si tamen audire dignantur, dicam quid Tridentina Synodus amplissima de his statuerit. Verba Synodi hæc sunt Sessione 25. Cùm potestas conferendi indulgentias à Christo Ecclesiæ concessa sit, atque huiusmodi potestate, diuinitùs sibi tradita, antiquissimis etiàm temporibus illa vsa fuerit, sacrosancta Synodus Indulgentiarum vsum Christiano populo maximè salutarem, & sacrorum Conciliorum authoritate probatum, in Ecclesia retinendum esse docet & præcipit, eosque anathemate damnat, qui aut inutiles esse asserunt, vel eas concedendi in Ecclesia potestatem esse negant. His contenti sunt Catholici. Sectarij nec his nec alijs opùs habent, sola fide sua migraturi quò digni sunt. In hunc quoquè Iulium Pontificem Sleidanus impura & flagitiosa iactat conuicia: vt aduertamus, ex abundantia cordis os illius talia euomere obscœna & pudenda. Parceret saltem lectoris pudori, si nollet parcere Pontifici. Verùm impunè, immò & cum multo huius infelicis seculi applausu, ab istis quiduis iactatur in Pontificem: sed mendax Sleidanus fidem non meretur.

Synodi Tridentinæ de Indulgentijs sententia.

Iulij

Iulij mensis die 26. Cæsar Comitia auspicatur Augustæ. Et hæc quoquè Sleidano armata dicuntur, quòd Cæsar vrgeret quædam, quę id genus homines nollent. Mauritius, qui anteà Cęsari se submiserat, ad hunc conuentum mittit legatos, per quos ostendit se non alitèr probaturum Concilium Tridentinum, nisi etiàm Augustanæ Confessionis Theologi habeant definiendi potestatem, & Pontifex non obtineat locum præsidis in Concilio. Hęc absurda è suis absurdis habuit Theologis. Scilicèt rei, immò iam olim damnati, non vnius, sed multarum hęresum, in Concilio sententiam ferent. Quis vnquam audiuit eiusmodi absurditates? Videtur Mauritius iam tum coxisse bellum in Cæsarem, de quo pòst audiemus. *1550 Comitia Augustana.*

Extremo Augusto mense Granuellanus, qui iam totos viginti annos apud Cæsarem summum obtinuerat dignitatis locum, migrat à corpore. Eius functionem Antonius filius, tum quidem Atrebatensis Episcopus, postea verò Mechliniensis Archiepiscopus & Cardinal. multæ vir literaturæ obtinet. Erat is quoquè in magna apud Cæsarem familiaritate, in magna quoquè posteà gratia apud Philippum Cæsaris filium, potentissimum Hispaniarum regem, ob multas egregias dotes, multamque in rebus dexteritatem. *Granuellanus occumbit.*

Per hoc tempus Aphrodisium Aphricæ munitissimum oppidum Siciliæ prorex magna vi expugnat. Obtinebat in ea vrbe nidum suum insignis archipirata Dragutus, qui maria suis excursionibus adeò habebat infesta, vt nulla ratione diutiùs tolerari posset. Capta sunt in ea vrbe à Cęsareanis, & in seruitutem abducta ad octo circitèr barbarorum millia. Ea res vehementèr offendit Solimanni animum, nouisque bellis materiam prębuit. Coniunxerat se enim illi non ità pridèm Dragutus. Imperator deindè ablatis omnibus, quæ in naues conijci poterant, Aphrodisium funditùs euertit, quòd parùm vtiles in eo, militari præsidio firmando ac tuendo, sumptus poni viderentur. *Aphrodisium expugnatur.*

Hoc quoquè tempore Magdeburgenses magnis afficiuntur damnis à Georgio duce Magnopolensi, & in acie non sinè multorum hominum cæde vincuntur: capti sunt plurimi, & tormenta, currus & instrumenta militaria omnia in Ducis Georgij potestatem veniunt. Ea ex Magdeburgicis parta victoria, multi ad bellum illis faciendum sese accingunt. In ijs fuêre Mauritius & Ele- *Magdeburgensium clades.*

1550 ctor Brandeburgicus cum Alberto patruele, itemq; Henricus Brunsuicensis, cœptaque est vrbs obsideri Octobris 4. die. Imperij quoquè ordines in id bellum auxilia pollicentur, & Mauritius rerum summæ præficitur. Decernuntur autem in bellum aureorum millia sexaginta menstrua, & pro sumptibus factis centum millia.

Obsidio Magdeburgi.

Sub Idus Nouembris Iulius Pontifex, qui Paulo III. successerat, annos natus duos & sexaginta, Concilium indicit Tridenti continuandum, iubetque vt adsint omnes ad Maij Calendas, ad quos pertinet interesse. Interim Mauritius fortitèr rem gerit contra Magdeburgicos, multa illis clade illata, & noua vrbe (est enim vrbs ipsa tripartita) multis cæsis ciuibus occupata. Porrò rursùs cum Brandeburgico instat apud Cæsarem de dimittendo Lantgrauio. Cæsar respondet, non ipsum modò, sed & filios eius & consiliarios ità se gerere, vt nondùm possit in libertatem restitui. Instabat verò Cæsar, vt edictum religionis omnes executioni mandarent, & videbantur omnia posse in tanta Cæsaris fortuna paulatim in Germania ad pristinum statum reduci, nisi satan impediuisset bello Gallico, de quo pòst dicemus.

Vrbs noua capitur.

Lantgrauius captiuitatis valdè pertæsus, consilia fugæ cum suis ex Hassia euocatis init. Erat ingentis res periculi, Hispanis attentè vigilantibus. At tamen reperti sunt duo, qui suam ei operam addicerent. Hi toto itinere ab Hassiæ finibus Mechliniam vsque celeres disponunt equos, & iam parùm aberat, quin res prosperos haberet successus: sed ad Hispani præfecti notitiam perfertur, & in ipso propè fugæ momento duo ex Lantgrauianis confodiuntur, nonnulli compræhensi capite plectuntur, & Lantgrauius arctiori custodiæ mandatur. Cæsar hos conatus indignissimè tulit.

Lantgrauius fugã meditatur

In Augustanis Comitijs multùm fertur Carolus Cæsar egisse cum Ferdinando fratre de Philippo filio ad Imperij successionem admittendo. Sed nihil ea in re effici potuit. Non dubium quin Cæsar, qui sciret Philippi amplissimas ditiones & vires, Reipublicæ Christianæ illo promouendo consulere voluerit, quandoquidem & Turcæ vicini, & alij Imperij hostes non nisi summa potentia arceri possint. Cur autem Ferdinandus ea in re, vt aiunt, Cæsari non acquieuerit, me latet, nec est nostrum, Principum consilia scrutari.

ANNO

ANNO 1551. in Prussia Andreas Osiander nouum de iustificatione dogma è suo cerebro fabricat, videlicet, hominem Christianum eadem prorsùs iustitia, qua Deus essentialitèr iustus est, iustum esse oportere: hanc verò iustitiam homini inseri &c. Contra hunc, licèt alioquì strenuus esset Luteri propugnator, multi Euangelici aliquot Principum & ciuitatum Luteranarum præcones acritèr scripserunt, sed ità, vt & illi Osiandro, & illis rursùs Osiander multas execrandas hæreses impingat. Inprimìs autem Vuittenbergenses, & in his Melanchthonem perstringit. Sic illi fratres Euangelici non contenti turbare Ecclesiam Dei, etiàm mutuò se egregiè lacessere & perturbare non desinunt. Et quanuis tam multos haberet Osiander contradictores Euangelicos, tamen in suam sententiam pertrahere potuit Albertum Prussiæ Principem, qui eius aduersarios, & in his Ioachimum Merlinum insignem Euangelicum, è suis finibus exegit. Quis non rideat, apud istos infaustos rerum nouatores Euangelij sui doctrinam totiès in nouas mutari formas, easque tam diuersas, atque inter se mirè discrepantes? Sed dolendum maximè est, dum isti ità in rebus grauissimis ludunt, miseræ plebi tam miserabilitèr ac nimiùm exitiabilitèr illudi.

1551

Osiandri nouum dogma.

Luterani contra Osiandrum.

Merlinus proscribitur.

Die 27. Februarij perijt in Anglia Martinus Bucerus, monachus Apostata, & qui contra omnium seculorum & Christianarum gentium morem, cùm esset sacerdos, ad tertias vsque nuptias progressus est. Audiui ego ex quodam graui longeque doctissimo viro, fuisse eum Iudæum, & cùm quandoquè puerum quendam nescio ex qua fœmina sustulisset, eum circuncidisse. Vtrùm autem hæc prorsùs certa sint, non possum affirmare, præsertìm quòd ille quoquè qui hæc referebat, se ab alijs accepisse diceret. Vnum hoc certum est, fuisse hominem pestilentissimum. Facessant importuni quidam, qui talem virum pacis & pietatis studiosum prædicare non dubitant: nam seipsos satis produnt, quàm sint parùm syncerè catholici, & veræ pietatis amantes. Si qua in eius viri toto pectore hæsisset scintilla veræ pietatis, nunquàm ausus fuisset tantæ sibi turpitudinis conscius, præsertim post publicitùs Deo nuncupatum perpetuæ continentiæ votum, in cuiusquam boni viri prodire conspectum. Sanè inter Euangelicos buccinatores haud teme-

Bucerus extinctus

1551 rè inuenias, qui vafricie & calliditate Bucerum superet. Multa arte conatus est præclaram Coloniensem diœcesin in suos errores pertrahere, & iam aliquousquè progressus erat, sed Deus præpotens illius conatus citò dissipauit. De eius horrenda morte multa tum dicta fuère, sed quia non satis constant, nolim ea huc adscribere.

Stua crucifixi sudat. Mensis Martij die 14. in oppido Bernburgensi sub concionem statua Christi in cruce pendentis, magno & stupendo miraculo ad quatuor horas largitèr sudauit. Erant qui sudorem illum subindè abstergerent, sed rursùs magna copia manauit. Multæ hac nostra ætate, dum regnant passìm hæreses, statuis & imaginibus iniuriæ & contumeliæ petulantèr illatæ sunt, nec adhuc cessatur, licèt non desint id genus prodigia, quibus possent importuni homines absterreri. Videntur valdè sibi Euangelici, si ab hominum oculis imagines & statuas Christi & diuorum remoueant, nec pudet eos Iudæorum & Turcarum aliorumque Mahometanorum imitari vecordiam & impietatem. Sed hac quoquè ratione via sternitur Antichristo.

Robertus Vuaucop cæcus fit Archiepiscopus. Hoc anno obijt Robertus Waucop Scotus Lutetiæ Parisiorum. Is à puero cæcus, vsque eò Parisijs in literis processit, vt Theologiæ doctor creatus sit. Indè Romæ fit sacerdos, ac paulò pòst Archiepiscopus Armachanus in Hybernia, & posteà sub Iulio 3. Legatus à latere. Interfuit quoquè Synodo Tridentinæ. De Didymo Alexandrino, quem D. Hieronymus suum videntem appellat, constat, à parua ætate captum oculis, ad summam eum euasisse eruditionem, atque adeò etiam geometriam, quæ vel maximè visu indiget, ad perfectum didicisse.

Parma Gallicum præsidium accipit. Galliæ rex Henricus in suam fidem & clientelam recipit Octauium Farnesiū, & Parmæ imponit Gallicum præsidium inuito Pontifice & Cæsare. Ea res initium præbuit calamitosissimo & diuturno bello Gallico, quo totius Germaniæ, immò & Europæ in pristinum statum restitutio, prorsùs impedita est. Pontifex Cæsaris, tanquàm defensoris Ecclesiæ, opem implorauit contra Farnesium, nec eam Cæsar Pontifici negare potuit, quòd Parma tum esset ditionis Pontificiæ.

Sub Maij finem Philippus Cæsaris filius Augusta discedit in Italiam, indè in Hispaniam, comitante Maximiliano, quem patruus Imperator & parens Ferdinandus ad Comitia euocauerant.

Augusti die 26. Ecclesiæ Augustanæ ministri Euangelici, Cæsaris voluntate intra diem tertium ex vrbe decedere iubentur, nec vsquàm omninò concionari intra Cæsaris ditiones. Intra Augustam vetat Cæsar Luteri dogmata doceri. Eodem modo actum est cum Memmingensibus & alijs Sueuiæ concionatoribus. Erat in ijs quidam, cuius Dalila iam proxima esset partui. Is petit sibi copiam fieri vxoris, vt ipse vocabat, inuisendæ. Tum Atrebatensis Episcopus cumprimis eruditus, ad suos conuersus, Vxorem iste vocat, ait, quæ scortum est. Et reuerà non nisi scorta, immò scortis peiores sunt, quæ vel sacerdotibus, vel monachis iunguntur. Horum autem profligatio magnum omnibus vbiquè terrorem incussit, qui hauddubiò idem sibi quoquè formidarent: potuissetque hac ratione facilè populus miserè seductus in viam reduci, expulsis prauis & seditiosis doctoribus, cum eccè in tanta publicæ pacis & tranquillitatis expectatione, Galliæ rex Cæsari bellum mouet. Mauritius deindè cum Gallo fœdus ferit, eam gratiam pro maximis beneficijs Cæsari rependens: Cæsaremque vehementèr & Gallus & Mauritius afflixerunt, tam inopinato nec vsquàm indicto bello: immò cùm Cæsari Mauritius omnem interim obsequentiam polliceretur, & Gallus videretur nullas belli iustas causas habere. Quicunque autem huius in Cæsarem inexpectati belli authores fuêre, non diù posteà superuixêre, & plerique omnes in ipso ætatis flore dura morte periêre. In Galliæ Christianissimo rege mirum fuit, quòd se eo quoquè nomine scriberet bellum Cæsari facere, vt Saxonem & Lantgrauium, qui erant præcipui Luteranæ doctrinę patroni, in libertatem assereret, cùm tamen ipse in sua ditione Luteranos & aliarum sectarum homines seuerissimè persequeretur.

1551

Exiliũ cõcionatorũ Augustæ.

Itemq; aliorum.

Bellũ Gallus Cæsari facit.

Hoc tempore Turcica classis, Melitæ arce frustrà tentata, Tripolim Aphricæ vrbem expugnat, & Gallus naues aliquot Belgicas capit & diripit. Per Pedemontium quoquè aliquot vrbes occupat. Dolebat regi, quòd Cæsar Pontifici ferret opem contra Octauium, quem, vt diximus, ipse in suam fidem accepisset. Cæsar eius facti publico scripto rationem reddidit. Quod de captis nauibus Belgicis diximus, ità ferè accidit: Viginti & duæ naues onerariæ multis mercibus onustæ, fretæ inducijs, vt quidam scribit, è Belgio tendebant in Hispanias. Eius rei per nauem speculatoriam certior factus Polinus Gal-

Tripolis à Turcis capta.

1551 lus, adnauigat ad naues, ait se vehere reginam Scotię, orat vt recepto nautico more, congratulationis & honoris causa tormenta omnia displodant. Faciunt id nimiùm creduli. & ecce repentè ille in exarmatas naues impressionem facit, & nouem duntaxàt euadentibus, reliquas cum mercibus, quarum pretium quingentiès mille aureis scutatis æstimaretur, Rotomagum pertraxit, magna quidem nauiculatorũ iniuria, & incomparabili damno mercatorum.

Continuatio Concilij. Ad Calendas Septembris Tridenti Concilium rursùs continuari cœptum. Aderant magna omnium gratulatione tres Germaniæ Archiepiscopi Electores, Moguntinus, Coloniensis qui paulò pòst aduenit, & Treuericus: & præter hos etiàm aliquot Germaniæ Antistites. Rex Gallię eò misit Legatum, excusauitque se coram Patribus Concilij, cur ipse hac vice suæ ditionis Episcopos non esset passus ire ad Synodum. Erat tum propter Parmense bellum nonnulla offensio inter Pontificem & Regem. Testabatur nihilominùs per legatum Rex, se erga Religionem & Romanam Ecclesiam animo futurum syncero & integro. Et certè Catholicam religionem in suo regno egregiè tutatus est, & si illi longior contigisset vita, nunquàm eas hæretici in eius regno turbas excitâssent, quibus post eius obitum Gallia miserabilitèr quassata est. Atque hoc ipso tempore, quo propter Parmense bellum alieno in Pontificem visus est animo, edictum longè grauissimum contra Luteranos in suo regno proposuit, præmia etiàm magna delatoribus pollicens.

Magdeburgenses se dedunt. Nouembri mense Magdeburgenses, longa iam obsidione pressi, in gratiam his conditionibus recipiuntur: Supplices à Cęsare veniam petant, in Austriacam & Burgundicam familiam nihil faciant, Cameræ se submittant, Augustano decreto postremo pareant, aureorum quinquaginta millia persoluant in vsum fisci pro belli sumptu, tormenta maiora duodecim Cæsari tradant, & quædam aliæ duræ satìs. Sleidanus hanc eorum laudat constantiam, quòd illi Cæsari & toti Imperio tam pertinacitèr restitissent, qua re dicit eos summam nominis gloriam apud exteras nationes adeptos. Verùm nemo sanæ mentis dixerit eos laudem vel gloriam mereri, qui ob pertinaciam & rebellionem proscripti à Cæsare, suo exemplo alios quoquè ad rebellandum inuitent. Sed Sleidanus ad tam præclarum facinus audendum etiàm alios, dum

dum laudat, instigat & accēdit. Porrò Mauritius Magdeburgum in Cæsaris, Imperij & suam fidem adigit, & relicto in vrbe præsidio, abscedit. *1552*

Intercesditur pro Lantgrauio.

Sub Decembris initium Mauritius, Elector Brandeburgicus, & multi alij Principes partim per literas, partim per legatos apud Cæsarem pro Lantgrauio rursus intercedunt. Cæsar, qui de Mauritij cum rege Gallorum fœdere & bellicis consilijs nihil sciret, (adeò tectè & dissimulantèr à Mauritio gerebantur omnia) respondet se expectare in dies Mauritium, cum illo se ea de re ità coràm acturum, vt intelligant Principes, ipsorum intercessionem apud se pondus habuisse. Paulò pòst Lantgrauij filius Guilelmus venit ad Mauritium, ait Cæsaris hoc dubium esse responsum: Patrem suum tabescere squalore carceris, (licèt non sit verisimile, Cæsarem tam duritèr egisse cum Lantgrauio) hortatur vt patri opem ferat. Ità Mauritius, qui sua consilia mirificè celârat, hoc Cæsaris non incommodo accepto responso, statim ad bellum gerendum animum adijcit, tempusque anni idoneum expectat. Habebat iam exercitum quo Magdeburgum obsederat, cui adiunxit eos milites, qui vrbem defenderant. Hi per Thuringiam hyemabant, & multa, præsertim Ecclesiasticis, atque in ijs Moguntino Episcopo, damna dabant. Ea res permouit tres Electores Episcopos, vt domum cogitarent.

Mauritius bellum parat.

Bellum in Cæsarem suscipitur.

ANNO 1552. Germanicum in Cæsarem bellum suscipitur, Galliæ rege cum Mauritio & alijs quibusdam sese coniungente, & defensorem Germanicæ libertatis palàm scribente. Cæsar necdùm quicquam comperti habuit de Mauritij machinationibus, quippe qui omne studium Cæsari per literas & legatos polliceretur, & etiàm legatos duos ad Concilium mitteret, Cæsari quoquè persuaderet milites ob non soluta stipendia tumultuari, cùm tamen eius sacramento tenerentur. Hæc quidem in illo principe, quem Cæsar amplissimis auxisset honoribus & beneficijs, minimè probantur. Nam ad Lantgrauij liberationem nihil opus erat tam pernicioso bello, quo Germaniæ plerique Principes dirissimè afflicti, ciuitates magna damna perpessæ sunt, Noriberga inprimis, cui Albertus Brandeburgicus Mauritij socius tantum damni dedit, quantum credi vix queat: & quo deniquè latiùs serpente,

1552 ipse Mauritius florente ætate extinctus est. Si accessisset Cæsarem, vt & se facturum dixerat, & Cæsar per literas petebat, hauddubiè illius animum flexisset, & Lantgranium longè faciliori via liberâsset. Sed non vna Lantgrauij captiuitas, verùm multò magis, vt est verisimile, importuna Luteranorum dogmatistarum instantia, eum ad hoc bellum Cæsari præter omnem expectationem faciendum induxit.

Conciliũ bello dissipatur. Cùm Tridentum crebris nuncijs de bello allatum esset, paulatìm Concilij patres domum abeunt: neque enim tutum erat, cum armato milite de religione disceptare. Ità tot Cæsaris conatus, tot sumptus & labores eo importuno bello periêrunt. Iam Mauritius cum exercitu progreditur: priùs tamen ad Ordines Imperij scribit, facti sui rationem reddit: Cæsarem, non tamen nominatìm, acerbè perstringit, & moderatissimo Principi multa impingit, quæ in illum minimè quadrant. Appáret, illas literas non à Mauritio, sed ab aliquo impuro apostata vel Melanchthone conscriptas, præsertim quod ad primam earum partem attinet. In altera agit de Lantgrauio, vbì rursùs imputat Cæsari, licèt obliquè, studium arripiendæ Monarchiæ. Sed dum sic scribit, videtur optimo Principi propemodùm nimiam improperare clementiam, qua nisi ille in Germanos vti voluisset, non valdè difficile fortasse ei fuisset, tale iugum imponere Germanorum ceruicibus, quod non facilè excutere potuissent. Sed & hoc ex alicuius virulenti apostatæ Monachi officina profectum videtur. Scilicèt Carolus Cæsar apud ingratos & in tot sectas dissectos Germanos Monarchiam affectauit. Habuit ille longè potentissimus Princeps, hodieque habet Hispaniarum serenissimus rex Philippus filius eius tantam, tamque amplam & præpotentem in nouo Orbe Monarchiam, vt tota Europa vix digna sit, quæ illorum in eo Orbe ditionibus comparetur. *Cæsaris in nouo orbe potentia.* Deindè laudat Galliæ regem, & cum eo se percussisse fœdus scribit, aitque Cæsari decretum esse, Galliæ regem omnibus fortunis euertere. Hoc quidem Cæsarem voluisse, nusquàm appáret, nec hoc quisquam facilè credet, qui Cæsaris res gestas inspexerit. Sed vt dixi, talia Mauritius non suo, sed alieno calamo scripsisse putatur.

Albertus Brandeburgicus Edidit etiàm scriptum quoddam Albertus Brandeburgicus, socius Mauritij, quem Cæsar captiuum in libertatem restituerat. Is inter cætera in hoc scripto ait, Cæsa-

Cæsarem induxisse militem externum in Germaniam, 1552
qui & plurimum det damni per agros, & complures *cōtra Cæ-*
ad inopiam redigat, & omne genus insolentiæ exerce- *sarem.*
at. Hoc autem vtrùm veriùs in externos milites, quàm in eum ipsum Albertum Principem competat, qui tot modis vexauit Germaniam, testes esse possunt multæ amplæ Germaniæ prouinciæ. Valde etiam perstringit *Ludoui-*
Commentarium Ludouici ab Auila clarissimi viri Hi- *cus ab A-*
spani de Cæsaris bello Germanico, ipsumque Ludoui- *uila per-*
cum vocat hominem impurum & mendacem, quod qui- *stringitur.*
dem in eum virum nō competit, quem Cęsar admodùm habuit multis annis familiarem. Et ipse quidem Ludouicus etsi vno loco nonnihil insimulat Albertum negligentiæ, idque eo tempore quo captus fuit, tamen alibi honorificam eius mentionem facit, & dicit Cæsarem vel maximè lætatum fuisse, cùm eum sibi videret ex captiuitate restitutum, magnisque eum affecisse beneficijs.

Galliæ quoquè rex, cur hoc bellum susceperit, publi- *Galliæ*
cis literis declarat. Is nominatìm perstringit Cæsarem *rex per-*
non semèl. Iam omnes isti erant ad bellum instructissi- *stringit*
mi, & ingentes post se militum turbas trahebant, cùm in- *Cæsarem.*
terim Cæsar omnia ferè tuta putaret. Ità verò necopinatò à tam multis non vno loco hostilitèr appeti, & iam propè in ipsas hostium manus incidere, tam est humanæ infirmitati molestum, vt non pauci etiàm ex longè minoribus casibus legantur subitò vel apoplexia, vel alio morbo extincti: & est verisimile, Carolo Cæsari hanc inopinatam persecutionem non paucos vitæ annos detraxisse: quanquàm nec illi diù superuixerunt, qui in eum tam hostilitèr incurrerunt. Scriptum istud Galliæ regis typis fuit excusum lingua populari, & in frōte præferebat pileum inter duos pugiones. Subtùs erat titulus regis, qui se libertatis Germaniæ & principum captiuorum vindicem appellabat. Sunt qui dicant hoc symbolum repertum in antiquis numismatis, & ab illis, qui Iulium Cæsarem occiderunt, vsurpatum. Historici interdùm scribunt, seruos ad pileum vocatos, hoc est, ad libertatem, cuius insigne est pileus. Iam ante dixi, multos fuisse admiratos, quòd ille rex, qui diceretur Christianissimus, eos principes ex Cæsaris Catholici manibus vi extorquere voluit, qui essent Luteranorum pręcipui patroni, cùm tamen ipse in suo regno hoc ipso ferè tempore decretum seuerissimum in Luteranos promulgâsset,

Mauri-

1552 Mauritius cum socijs progreditur, multas Germaniæ vrbes occupant, abrogant magistratus à Cæsare institutos, ipsi nouos creant: nec hoc contenti, etiàm pecuniam & tormenta exigunt: & hoc erat Germaniæ restituere libertatem, cùm ipsi non essent illarum ciuitatum domini, immò bellum facerent suo Principi. Augustam quoquè paruo præsidio munitam deditione capiunt. Interim Galliæ rex cum maximis copijs Tullum, Virdunum, Metim Imperio subtrahit, Lotharingiam occupat, ducem puerum nouem annorum in Gallias mittit. Metensibus durum est iugum impositum, nec præter meritum, vt quidam putant, quòd Luteri dogmata non admodùm respuere viderentur. Ità rex Galliæ, qui se libertatis Germaniæ vindicem scribebat, breui tempore ab Imperio tres abstraxit episcopatus, adiutus Germanorum auxilijs. Visus est etiàm Galliæ rex tentare Argentinam munitissimum Germaniæ oppidum, sed id frustrà fuit. Mauritius Augustæ mutauit Senatum, à prudentissimo Cæsare constitutum, & veterem vnà cum tribubus restituit. Indè sex diebus Vlmam oppugnant, sed oleum atque operam perdunt: quanquàm Albertus Brandeburgicus Vlmensium vicos & oppida vastauit incendijs, pecuniam extorsit, eodem instituto vtens apud Vlmensium vicinos.

Mauritius occupat Germaniæ vrbes.

Imperio tres Episcopatus adimuntur.

Vlma frustra oppugnatur.

Est Vlma potens & nobilis Sueuiæ vrbs, quam tamen ipsam constat olim à Carolo Magno Christianissimo Imperatore attributam fuisse amplissimo illi monasterio, quod Augiam maiorem vocant. Et vt videat Lector, quanto studio quondàm sanctissimi Imperatores, Reges & Principes, exædificandis & ditandis Ecclesijs & monasterijs incubuerint, adscribam hoc loco fragmentum literarum Caroli Magni, quibus Vlmam largitur monasterio iam dicto, idque sanè longè maiori pietate, quàm hodiè infames apostatæ incitant reges & principes atque magistratus ad expilanda & destruenda monasteria. Est verò hoc literarum exemplar: CAROLVS diuina fauente gratia Imperator Augustus: Si sanctorum monasteriorum loca, nè labantur, frequentèr sustentamus, sustentando ditamus, non solùm Deum per hoc nobis placamus, sed etiàm nostri totius regni statum corroboramus. Quapropter omnium præsentium ac futurorum comperiet industria, qualitèr Vlmam nostram regalem villam, pro animæ nostræ ac parentum nostrorum remedio, ad monasterium

Vlma datur monasterio Augiensi.

rium quod cõstructum est in insula, quæ in Alemanniæ 1552
partibus sita, Sintleohesuna nuncupatur, vbì venerabilis præsul Hetto spirituali turmæ præest, cum omnibus appendicijs suis & locis adiacentibus tradimus atque transfundimus: vt fratres ibidèm regularitèr subsistentes, & diuino operi die noctéque iugitèr insudantes, dum sumptibus alacritèr procurantur, assiduis eorum precibus Deum nobis propitium facere dignentur. Et vt prædictus Hetto cum fratribus suis monachis & clericis in præfata insula, exterioribus curis remotis, Deo seruire liberiùs atque securiùs insistere valeat, cum ipsius Abbatis desiderio, suorúmque monachorum rogatu, Adelbertum cognatum nostrum in supradicta Vlma aduocatum ac defensorem constituimus &c. Datum anno salutis 813.

Ex quibus literis inter cætera obitèr licet animaduerti, quàm vanum sit istorum nouorum hominum commentum, qui monasteria olìm non nisì Christianas scholas fuisse somniant, in quibus pueri instituerentur. Nam etsi etiàm in quibusdam monasterijs habebantur monachi doctissimi, qui iuniores fratres in humanis ac diuinis literis instituerent, at tamen præcipua monasteriorum occupatio fuit, diuinis vacare officijs & ministerijs. Pudet sanè pigetque referre, quàm multa & impudentèr & petulantèr, atque etiàm imperitè & stolidè hac de re à quibusdam sectarijs confingantur. Scripsit quidam Guilielmus Radensis epistolam dedicatoriam in Chronicon Hirsaugiense Ioannis Tritthemij Abbatis. Is multus est in laudando illo Abbate, sed quædam tamen illius obliquè perstringit. Cogor esse breuis, alioquì in breui epistola multas illius hominis ineptias, nè quid grauius dicam, ostenderem: & tamen videtur sibi bellissimus euangelicus. Ait satìs liquere, monasteria olìm nihil aliud fuisse quàm Christianas scholas ad ætatem iuuenilem in omni genere literarum & bonis moribus vsque ad annos maturioris ætatis instituendam. Itaque putat posteà sic institutis licuisse indè discedere, & abire quò vellent: nam mox subiungit: Quæ quidem nunc sunt tristissimi carceres. Sed vel ex vno illo Chronico, quo se vult tueri, abundantissimè hominis vecordia confutatur. Nam in monasterijs monachi instituebantur iam monasticen professi, aut certè professuri, tametsi fortassis etiam admittebantur honestorum virorum id petentium pueri nonnulli,

Monasteriorum præcipua studia.

1552 nulli, vt cum literis vnà etiàm pietatem apud monacos imbiberent. Nec tamen sic dabatur opera literis, vt nihil prætereà aliud fieret ab eis. Immò poterat delirus iste ex Regula Diui Benedicti, de cuius monachis potissimùm agit Tritthemius, id perspicuè discere, non licuisse monachis quicquam diuino operi, hoc est, precibus horarijs & cultui diuino in templo absoluendo anteponere, nisì id fortaßìs certas ob causas rationi consentaneas alicui permitteretur. Itaque monasteria eò potissimùm spectabant, vt in ijs ex monasticæ regulæ præscripto in castitate, paupertate & obedientia (cuius obedientiæ votum iste miser vocat impijssimum) viueretur, vt diuinis laudibus vacaretur, & tempus omne religiosè expenderetur, idque ex Regulæ & Obedientiæ præscripto. Hoc verò isti tenebriones vocant tristissimum carcerem, non vtiquè sic dicturi, si vel micam haberent Christianæ pietatis. Nôrunt enim homines in vera pietate exercitati, quantam animi libertatem & iucunditatem pariat eiusmodi propriæ voluntatis abnegatio & studium obedientiæ: contrà verò, quàm verè misera & dira sit seruitus suæ obsequi voluntati, suis indulgere affectibus & desiderijs, quemadmodùm faciunt hoc tempore apostatæ monachi, qui pertæsi Euangelicæ illius vitæ, quæ in monasterijs benè institutis cernitur, ad ollas Aegypti & seculi atque carnis voluptates redierunt: cumque suam turpitudinem & fœdissimam apostasiam in sacco & cinere plorare deberent, è diuerso in reprobum dati sensum, criminantur vitam monasticam, & vbique magistratus instigant ad abolenda monasteria, eorumque reditus & facultates in pios scilicèt vsus conuertendas. Ità factum est, vt multis locis monasteria destructa sint, quædam verò mutata in scholas, vbì pueri instituantur, contra ipsam monasteriorum primam institutionem & fundationem. Porrò reditus eorum & facultates sic distribuuntur, vt non exiguam indè atque etiàm ex alijs bonis Ecclesiasticis portionem ad se adducant viles apostatæ, qui cum suis incestis Dalilis viuunt ex eis non paulò suauiùs, quàm olìm eis in ipsis monasterijs licuisset. Sed veniet ille dies, quandò diuitias quas deuorant, euoment, & de ventre illorum extrahet eas Deus. Luent quæ fecerunt omnia, nec tamen consumentur: iuxta multitudinem adinuentionum suarum sic & sustinebunt.

Nihil operi Dei præponendū.

Monasteria in scholas à quibus mutata.

Iob 20.

Et

Et quarè tandèm? Sequitur apud Diuum Iob: Quoniam confringentes nudauerunt domum pauperis, (Sunt enim monachi ex professo pauperes, & licèt pleraque monasteria habeant non paruas facultates, tamen necessarijs contenti monachi, reliqua longè meliùs quàm isti desertores expendunt, nec quicquam priuatim indè sibi ceu proprium vendicant) rapuerunt, & non ædificauerunt eam, nec est satiatus venter eorum. Reuelabunt cæli iniquitatem eorum, & terra consurget aduersùs eos. Certè omnium harum turbarum caput & author Luterus sibi vendicauit Augustinianum monasterium, quod fundatum erat pro monachis triginta, nec id quidem in scholam publicam conuertisse cum legi, sed cum sua Catharina vixit ibì genialitèr, idque non modò non repræhendente, sed summè etiàm applaudente cæco hoc mundo. O fœdissimam rerum mutationem. Olìm sanctissimi & potentissimi reges & principes innumeris extruendis & ditandis monasterijs exatiari non potuerunt, & ea re, vt paulò antè ex literis Caroli Magni didicimus, Deum se placare, & totius regni statum corroborare credebant: hodiè contrà, ad sceleratorum apostatarum suggestionem, passim excinduntur & euertuntur, hauddubiè non sinè euidenti regnorum & ditionum multarum euersione. Nam certè in monasterijs instabatur precibus nocturnis atque diurnis, & erant in illis permulti, quorum preces Deus contemnere non potuit: & tum florebat Resp. & erant opes & copiæ in regnis, magna annonæ vilitas, vberes rerum prouentus. Conferantur sanè ea secula, quibus in precio fuère monasteria, cum hoc nostro reuerà miserrimo & infelicissimo seculo, quo nihil ferè est contemptius monastica vita, & re ipsa vtrorunque mirabilem atque ferè incredibilem diuersitatem comperiemus. Non volunt attendere homines, tanto sempèr omnia rebus in humanis feliciùs succedere, quãto maior impenditur cura, studium & opera in cultum diuinum. Sed Luterus & sui aiunt eum Dei cultum, qui est in monasterijs, esse impiũ & idololatricum. Quid verò aliud diceret Luterus cum toto grege suî similium apostatarum? Longè alitèr de monachis senserunt omniũ ætatum & seculorum optimi quiq; & doctissimi homines, atq; etiàm pijssimi & inuictissimi principes. Et certè nisi suæ impietati vel maximè obsistere videret malus dæmon vitæ monasticæ professores, nũquàm tã atrocitèr per-

1552
Ibidem.

Luterus occupat monasterium.

Respublica quãdò floruerit.

1552 per Luterum & id genus pestes eos esset insectatus. Verùm ab eius farinæ hominibus vituperari, id demùm eximiè laudari est: maximè cùm isti non solùm ea vituperent, quæ ab omnibus bonis prædicantur, sed interìm etiàm palàm impudentissimè mentiantur. Ità ille bonus vir, cuius suprà memini, Guilielmus Radensis in illa sua Epistola hoc quoquè addit: Nunc nemo ferè est, (aut saltem paucissimi) qui vel à limine sacras literas in monasterijs, ab Antichristi fermento non repurgatis, salutârit, nedùm profiteatur. Immò si quis sit, qui Bibliorum lectioni intendat, inque vsum transferre vel saltem cogitet, hunc statim hæreticum, schismaticum, inobedientem, apostatam ac Luteranum proclamitant &c. & rursùs: Authores, inquit, bonos exurunt &c. nam nimìs longum est eius nugas & calumnias referre. Obsecro, quid in his hominibus vel mentis vel frontis est, quos non pudet tam turpitèr mentiri? Vt nihil dicam de alijs monasticis ordinibus, quorum mihi non tam nota sunt exercitia & studia, atquè nostra. In Carthusiano instituto, quod ego me amplexum lætor, quotannìs tota sacra Biblia publicè in omnium fratrum auribus perleguntur, partìm in templo, partìm alijs certis locis: psalterium totum hebdomadîs singulis recitatur, vt cætera priuata studia prætercam: & tamen non verentur isti scribere, arceri monachos à Bibliorum lectione, & qui Biblia legant, eos hæreticos vocari. Et hæc quidem & id genus alia plurima, licèt sint impudentissimæ vanitatis, tamen persuaserunt permultis: & hoc illis sufficit, potuisse scilicet id ipsos efficere, vt quanuis scelerate & prodigiose mentirentur, tamen verà dicere putarentur. Et videas sanè hodiè perplures, qui huiusmodi multa petulantèr confingant, aut ab alijs horum temporum nouatoribus hausta, admodùm confidentèr iactitent, & in hoc sibi bellè scioli & præclarè religiosuli videantur, si possint insultare monachis. Ità noster Guilielmus Radensis, cuius semèl atque iterùm memini, rursùs ait, ordines quosdam Peruersis suis (sic enim vocant, quos nos Conuersos dicimus) omnium librorum lectionem aliquot seculis penitùs interdixisse. Scripsit iste egregius vir suam hanc epistolam Magdeburgi anno 1559. cuius vrbis concionatores quidam Luterani, in quibus & Illyricus, mirabilitèr oppugnârunt Vuittenbergenses & Lipsenses theologos, & fortassìs iste Radensis fuit vnus ex illis.

Calūnia Hæretici.

Mendaciū posuimus spem nostram.

Magdeburgici oppugnant Vuittebergicos.

Tali-

Talibus verò tam profligatis & deploratis tenebrionibus prolixè velle respondere, non nisi bonas horas perdere est. Audiant miseri illi, multos hodieque in monasterijs inueniri monachos, qui se à talibus humani generis pestibus irrideri & vituperari, in magno lucro ponant. Vtinàm verò præpotens Deus quandoquè pectoribus hominum, malè ab istis fascinatorum, adspiret lumen gratiæ suæ, vt videant quorum hominum prodigiosa commenta sequantur, mâlintque similes esse Caroli Magni, & innumerabilium aliorum religione & pietate præstantium Maiorum suorum, quàm istorum reuerà miserorum hominum, quorum horrendam cæcitatem tanto magis execrabitur posteritas omnis, quòd eam ipsam pro magna Euangelij luce iactitârint. Scio hæc non admodùm commodè hoc loco inseri: sed candidus lector boni consulet, quòd interdùm istorum insolentiæ respondemus, quorum alioquì amentiam & stultitiam irridendo & contemnēdo prætergredi mallemus, nisi nos simplicium minusque peritorum periculum, quippe qui horum fraudulentis mendacijs non raro euertantur, cogeret veritatis suscipere patrocinium. Verùm his obitèr commemoratis, iam ad narrationis ordinem reuertamur. 1552

Conuenitur intereà Lincij, quod est Ferdinandi regis oppidum, atque ibì cum Ferdinando Mauritius de pace tractat, nec Cæsar se valdè difficilem præbet, certis tamen conditionibus, quas cùm Mauritius sinè sociorum consensu se diceret per omnia accipere non posse, ità disceditur, indictò rursùs conuentu Passauij. Cęsar iam militem cōscribebat, Episcopus Augustanus non mediocri ab Mauritij socijs damno afficitur. Cameræ Iudices Spira excedunt non sinè causa. Magna est in Germania, pro cuius libertate isti se dicebant arma cepisse, rerum confusio & perturbatio, multis etiàm Protestantibus ad summam inopiam redactis. Vndecimo die Maij veniunt literæ ad regem Galliæ à Mauritio de pace cum Cæsare componenda. Ijs acceptis literis, Rex, qui nihil minùs sperâsse putatur, biduo pòst redit in Lotharingiam. Et hæc fuit merces, quòd Mauritium Cæsari bellū mouentem tam magnis impēdijs adiuuerat. Mauritius quidem paulò pòst redit cum Cæsare in gratiam, & militē suum in Hungariā contra Turcas ducit, rege Gallorum posthabito. Sed dum Galliæ rex in Germania versatur, Cæsareani duce Martino Rossemio Gallias inuadunt, & Cam-

Gallus redit in Galliam.

Mauritius Cæsari conciliatur.

1552 paniæ Gallicæ fines longè latéque vastant incendijs. Mouit hoc quoquè regem, vt suos potiùs limites tueretur, quàm in Germania hæreret.

Mauritij periculũ. Mauritius Lincio digressus, victoriam obtinet apud Alpes, capta arce Erebergo, vbi non longè abfuit à supremo vitæ discrimine, nisi celerrimè ex militum stipendium poscentium manibus elapsus esset. Vbi Cæsar cognouit de capto Erebergo, mox Oeniponte discedit festinabundus, & cum eo Ferdinandus rex. Paulò antè Saxoni captiuo libertatem restituerat, sed is à Cæsare discedere noluit, abeuntemque secutus est Villacum vsque, quod est in Carnis oppidum. Vix Cæsar abierat, *Oenipontem Mauritius obtinet.* cùm Mauritius adest cum suis, ingressusque Oenipontem, res omnes Cæsaris, Hispanorum & Cardinalis Augustani diripit, rebus Ferdinandi & ciuium nihil læsis. Augustæ paulò pòst scriptum edunt, quo à Cæsare fugatos concionatores Luteranos reuocant, & eos iureiurando, quo Cæsari se obstrinxerant, absoluunt nescio qua authoritate. Ità permissum est, immò & mandatum illis præclaris noui Euangelij præconibus redire ad Luteri confirmandam & amplificãdam doctrinam: & hoc quoquè erat libertatem Germaniæ restituere. ô miseram libertatem.

Per hoc ferè tempus Albertus Brandeburgicus Vuolphgango Teutonici Ordinis Magistro direptionibus & incendijs plurimùm dat damni, atque insupèr *Noribergensium clades.* pecuniam extorquet. Indè verò in Noribergensium agrum sese confert, & tam immanitèr eorum omnia vastat & populatur, vt vicos centum, castella & ciuium villas septuaginta, & cùm his templa, postquàm ea spoliâsset, atque ter mille iugera syluæ ad eos pertinentis *Item Bãbergensis & Vuirciburgici.* combusserit. Bambergensis episcopus durissimis conditionibus pacem ab eo redimit. Vuirciburgicus aureorum millia ducenta numerare cogitur, & prætereà in se eius debita recipere, quæ erant circitèr trecenta quinquaginta aureorum millia. Sueuicæ ciuitates numero ad vigintisex, & in ijs Augusta, per legatos hortabantur Noribergenses ad pacem cum Alberto faciendam: sed illi præter alia, quæ eos ab hac pace absterrerent, à Cæsaris & Ferdinandi fide discedere noluerunt. *Noribergenses afflictigrauissimè.* Tum verò Albertus longè etiàm maiori impetu Noribergam oppugnat, & tandèm his conditionibus cum eo pacem facere compulsi sunt: Aureorum ducenta millia dependant, licèt iam antè Mauritio & socijs eius centum

centum millia dedissent: tormenta magna sex instructa rebus omnibus tradant: principes confœderatos fauore prosequantur &c. Et hæc ipsa ciuitas Augustanæ erat Confessionis. Hoc successu fretus Albertus, Vlmensibus quoquè dira minatur: sed illi respondent negatiuè ad ea quæ postularet. Si Romanus aliquis Pontifex, vel alius quiuis Catholicus Episcopus ità diuexâsset vrbem aliquam, nullum Sleidanus & eius similes sectarij scriptores, eius atrocitatis exaggerandæ finem facerent. Et multus est Sleidanus in commemorandis pecunijs, quæ è Germania & alijs regnis Romam exportentur. Et hæc facit vir bonus, vt inuidiam conflet Pontificibus. Verùm sub hoc nouo Euangelio tantam rerum ferè omnium iacturam fecit Germania, totque damna & clades perpessa est, vt pecuniẹ omnes Romam exportatæ, pro nihilo habendæ sint: nec adhuc calamitatum vllus appáret finis. Hoc verò bonus Sleidanus non videt, & libens patitur hærere in calamo, non passurus, si ad Pontifices exagitandos isthuc pertineret. Tales nimirùm sunt plerique omnes scriptores sectarij, qui se Euangelicos vocant. 1552

Galliæ rex Lucemburgensem ditionem inuadit, populationibus & incendijs grassatur, Danuillerium oppidulum deditur, & posteà Iuodium valdè munitum, in quo erat Ernestus Mansfeldius Comes, qui cum multis alijs in regis potestatem venit. Porrò Mauritius ad constitutam diem Passauium aduolat, vbì & Principes aliquot coràm aderant, & absentium multorum legati. Aderat & Galliæ regis legatus. Mauritius tria vrgebat: Lantgrauij liberationem, & vt cognosceretur in illo ipso Passauiensi conuentu de illis rebus, quæ essent contra Germaniæ libertatem: deniquè vt religionis causa nemini fiat molestia, donèc lis omnis composita sit. Albertus Brandeburgicus egregiè pergit Moguntinum, Treuirensem, & alios per Germaniam multis illatis damnis affligere. Volebat ab Argentinensibus milites suos quouis tempore intra vrbem recipi, & præsidium quoquè admitti, & quædam alia. sed nihil impetrauit. Non tulissent impunè, nisì eo ipso temporis puncto, quo hæc ferè exigebat, rumor allatus esset de Mauritio ad pacem spectante. Iam Vuormatiam & Spiram occupârat. Relicto autem Spiræ præsidio, cum copijs Francofordiam repetit, & indignè ferens pacem cum Mauritio confectam, noluit subscribere, sed pergit oppugnare

Gallus vastat Lucemburgenses.

Cõuentus Paßauiensis.

1552 Francofordiam. Reuerà dici non poteſt, quàm multos per Imperij ditiones ille Albertus mirabilitèr flagellârit. Mauritius pace facta cum Cæſare, exercitûs ſui partem, vt iam antè attigimus, ducit in Hungariam contra Turcas. Pacem illam Rex Galliæ fertur non æquo tuliſſe animo.

Cæſar venit Auguſtam. Iam Cæſar ingenti coacto exercitu Oenipontem redibat. Indè 20. die Auguſti Auguſtam venit, Senatum à Principibus inſtitutum remouet, & priorem, quem ipſe creârat, reſtituit. Per hoc verò tempus in Italia Senenſes Gallorum ope Hiſpanos milites è ſua vrbe eijciunt. Lantgrauius è cuſtodia dimiſſus, vbì ad Traiectum ſuperius venit, rursùs ob Rifebergi copias cum Alberto recèns coniunctas, Hiſpanis cuſtodiendus traditur, donèc Cæſar conſuleretur. Albertus Brandeburgicus primò Moguntiam, mox Treuerim occupat. Moguntiæ arcem Epiſcopi & quædam alia loca flamma vorax abſumpſit. Treuerica quoquè ditio ignes & dira multa pertulit, & cum aliquot monaſterijs arſit etiàm quædam Epiſcopi arx, haud procùl à Treueri. Epiſcopus Treuirenſis erat in arce munitiſſima apud Confluentiam, quò etiàm ſe contulit Colonienſis Epiſcopus. Facilè ex ea arce prohiberi poterat, ſi Albertus (vt ferebatur) militem nauibus per Rhenum deuehere voluiſſet. In hoc Principum Confœderatorum bello, Vlmenſes in Cæſaris fide conſtantiſſimè permanſerunt, licèt ſex dierum (vt diximus) obſidione premerentur, & Albertus dira eis comminaretur.

Cæſar intrat Argentinã. Cæſar Septembri menſe venit cum omnibus copijs Argentinam, ſed non niſì cum paucis vrbem ingreditur, quod Galliæ rex impetrare non poterat: ſumptoque illic prandio, rursùs egreditur. Tandèm iam appetente hyeme, importuno tempore cœpit oppugnare Metim, 22. Octobris die. *Metis obſidetur.* Vrbem illam Galli mirum in modum communiêrant. Albertus Brandeburgicus hoc tempore, cùm non poſſet cum Galliæ rege de ſtipendio conuenire, quorundam precibus cum Cæſare redit in gratiam. habebat apud ſe 50. ſigna peditum, nec paucos equites. Aumalius Guiſij Principis frater, cognita eius à rege defectione, cùm iam ei legionem vnam peditum, cui Rifebergus præerat, Galli detraxiſſent, in eum magno impetu irruit: ſed Albertus, licèt longè pauciores haberet equites, magna vi Gallos in fugam conijcit, multos etiàm nobiles cædit, Aumalium ipſum capit, & in

in Germaniam mittit custodiendum: moxque ad Metim 1552
secum Cæsaris exercitu coniungit. Fuit hoc Nouembris quarta die. Cæsar 20. die Nouembris venit in castra. Tum verò tanta vi vrbs oppugnata est, vt tormentorum horrenda tonitrua vltra vigintiduo Germanica milliaria sint audita: sed quòd sæua esset hyems, & tempus omninò importunum, obsidio soluta est sub Decembris finem. Ex exercitu multi frigore & contagione periêrunt. Guisius princeps, qui vrbem propugnauit, egregia in milites Cæsaris, morbo aut vulneribus, nè exercitum sequi possent, impeditos, vsus est humanitate & liberalitate, benignè eos excipiens, & rebus omnibus necessarijs adiuuans. Fuit hoc sanè facinus Christiano principe dignum, & merita apud omnem posteritatem laude celebrandum. Et certè idem ille princeps religionis catholicæ fuit constantissimus propugnator, quę res illi tandèm mortem conciuit, vt posteà indicabimus.

Terribilis oppugnatio.

Ab alia parte Cæsaris Belgicæ copiæ vastant Galliam, & Hesdinum expugnant. Interim ex Hungaria Mauritius domum redit. Porrò Henricum Brunsuicensem hoc ferè tempore non mediocritèr afflixit Volratus comes Mansfeldius, qui Alberti militabat auspicijs, cùm is Gallicarum esset partium.

Magna omninò & incredibilia hoc anno damna tulit Germania, idque ab ipsis Germanis, qui se Germanicæ libertatis vindices profiterentur, præterquàm quòd etiàm tres Germaniæ Episcopatus Gallus sibi vendicauit. Videbantur iam Euangelici præcones restituti, cùm eccè Ioachimus Vuestphalus, Ecclesiæ Hamburgensis pastor, classicum canit, nec finit pace gaudere Zuingliani Euangelij fratres. Libellum enim emisit hac inscriptione, *Farrago confusanearum & inter se dissidentium opinionum de Cœna Domini, ex Sacramentariorum libris congesta*. Hoc telo præter spem Tigurini & reliqui eius generis symmystæ, inprimìs Caluinus percutitur: Vult Ioachimus hoc libello ostendere, Zuinglianos in varias & pugnantes inter se opiniones scissos esse: quæ sit propria nota seductorum. Certè ipse quoquè Luterus 8. Zuinglianorum sectas in breui sua Confessione enumerat. Hortatur quoquè Ioachimus doctiores, vt nocentissimum Zuinglianorum errorem opprimant: Deniquè dicit esse dignas Zuinglianorum blasphemias, quæ potiùs sceptro magistratûs, quàm stylo

Germaniæ clades & damna.

Luterani instaurãt bellum in Zuinglianos.

1553 refutentur. Paulò antè Caluinus Tiguri ostenderat, idem se cum Tigurinis de cœna sentire: sed hoc Ioachimus per simulationem factum dicit. Nemo quidem contra hoc Vuestphali scriptum quicquam hoc anno edidisse visus est, sed non sempèr impunè feret, quòd ausus est tanta contumelia afficere Caluinum cum suis. Obitèr hìc obseruanda sunt occulta Dei iudicia. Gaudebant iam hæretici, Mauritij opera ipsis aliquam esse redditam libertatem & Cæsarem grauissimis bellis teneri implicatum : sed eccè dum sibi à Cæsare tuta ferè omnia pollicentur, in mutua se bella transferunt, & tam dirè inuicèm se lacerant & insectantur, vt parùm à Catholicis passi videri possint. Hoc tamen dubitandum non est, qui Cæsarem impediuerunt, nè posset cœptam Germaniæ ab hæreticis contaminatæ restaurationem prosequi, eos Christianæ Reipub. cladem haud vulgarem attulisse. Sed de his alij fortasſis scribent copiosiùs.

Giapan insula apud antipodes.

Hoc anno Giapan insula, in extremæ Asiæ finibus à Lusitanis, quorum est longè latéque prolatum Imperium, etiàm in remotissimis ab orbe nostro regionibus, de amplectenda Christi religione sedulò pertentatur. Est ea gens in parallelo Germaniæ & Galliæ ad Antipodes sita, disciplinarumque omnium gnara. Itaque difficiles se præbent, nec volunt Lusitanis morem gerere, nisì id priùs faciant Sinarum populi, de quibus iam magna spes est, quòd possint ad fidem Christo benè propitio traduci, vtì infrà paucis attingemus. Sinarum rex perpetuum gerit bellum cum Cathainis Tartaris, quorum est amplissimum imperium, ferturque idem rex aliquot milliarium murum contra Tartaros exædificâsse, vbi perpetìm in armis habeat centum millia hominum, nè qua à Tartaris fiat irruptio. Giapan insula vergit ad Septentriones, & vt Hispani numerant, à Sinarum regione versùs Aquilonem distat leucis sexcentis : & corporum quidem colore, linguæ accentu, vestimentis & cultu corporis, eius incolę Germanis perquàm similes sunt. Habet insula in longum leucas sexcentas, alicubì in latum trecentas.

Sinarum populi Germanis assimiles.

Libri hæretici cōburuntur Meti.

ANNO 1553. mense Ianuario Galli apud Metenses inquirunt libros Lutericos per ciuium domos, inuentos tradunt carnifici publicè exurendos. Mirum profectò est, cùm Germani Principes, qui Gallum contra

tra Cæsarem sibi adiunxerunt, id eo partim nomine, se 1553
fecisse testati sint, nè Augustana Confessio, hoc est, Luteri doctrina opprimeretur, tamen cum eo rege percutere fœdus voluisse, quem scirent Luterano dogmati esse infestissimum: nec minùs mirum est, regem Henricum Gallum eorum voluisse principum amplecti fœdus & amicitiam contra Cæsarem, quos & ipse odisset religionis nomine, & quos non dubitaret à se quoquè animis esse alienos causa religionis. Venit etiàm Metim Robertus Metensis Episcopus, Galliæ regi valdè addictus, & nouum constituit Senatum.

Albertus Brandeburgicus rursùs conscribit militem. Fœdus contra eum vel potiùs sui defendendi causa aliquot principes ineunt. Mauritius cum Henrico Brunsuicensi fœdus percutit, & Episcopis Vuirceburgensi & Bambergensi atque Noribergicis suam pollicetur opem. Albertus coactis copijs in Episcoporum & Noribergensium fines sæuit incendijs & direptionibus, Bambergam & Suinfurtum Imperij vrbem capit & præsidio munit, quædam Noribergensium castella & oppida occupat. *Fœdus cōtra Albertum.*

Cæsar oppidum Morinorum munitissimum Terouenam Gallis vi eripit, diripit, incendit, euertit. Captus in eo fuit Conestablij filius. Turca hoc tempore aut circitèr mare Iōnium & Tyrrhenum infestum habet. Sunt qui scribant Gallos se eis coniunxisse. Ego nihil huius affirmare velim. Nimiùm enim turpe est, Christianos contra Christianos cum Turcis Christi atrocissimis hostibus se coniungere. Dum Albertus in Franconia grassatur, Mauritius & socij exercitum eò mittunt. Albertus magna exacta pecuniæ vi, multis abductis captiuis obsidibus è Noribergica ditione, in Saxoniam celerrimè aduolat, multos Erphordiensis agri vicos diripit. Mauritius eius repentino aduentu commotus, omnes suos ad arma vocat. Albertus eius finibus nihil nocet, Halberstatensi Clero magnam pecuniæ vim imperat, Henrici Brunsuicensis agrum incendijs vastat. Ferdinandus rex & Mauritius bellum ei denunciant. Noribergenses eius ditionem inuadunt, editoque libro inter alia hoc ei obijciunt ceu singulare quoddam inauditæ crudelitatis exemplum, quòd cùm Altorfum atque Laufum ditionis Noribergicæ oppida occupâsset, & oppidanos & ruricolas & pecudes incluserit eo animo, vt omnes exureret: eo incendio pu- *Terouena euertitur.* *Albertus grassatur.*

1553 eros, mulieres aliquot grauidas, & non paucos ægrotos conflagrâsse.

Eduardus rex decessit. Iulij sexto die in Anglia obijt Eduardus rex, circitèr annorum sexdecim adolescens, magno quidem dolore Euangelicorum fratrum, qui nihil non illo viuo sibi polliciti essent: nec minori illorum dolore successit ei Maria Catharinę illius, quam Henricus à se separârat, filia, virgo prudentissima, & Catholicæ religionis amantissima. Sleidanus Eduardi mortem non parùm deplorat, aitque tantæ expectationis regem seculis aliquot Europam non habuisse, quippè qui noui euangelij doctrinam vehementèr amâsset. Sed Sleidani encomia plus vituperationis quàm veræ laudis adferunt, nempè ab hæretico sacramentario profecta, qui non laudet nisi sui similes.

Prælium Saxonicũ immane. Nona die Iulij committitur in Saxonia prælium cruentissimum à Mauritio & Alberto, atque vtriusque copijs. Mauritius cum suis victoria potitur, sed ipse lœtali accepto vulnere, paulò pòst moritur, Albertus incolumis effugit. Periệrunt in eo bello duo Henrici Brunsuicensis filij, & permulti comites, pręter alios. Multa eo die millia periệrunt, illis inter se infestissimis signis concurrentibus, qui se Germanicæ libertatis assertores scripserant. Hoc quidem in bello videre erat Mauritium, Lantgrauium, Brunsuicensem Henricum & Episcopos Vuirciburgicũ ac Bambergeń in ijsdem versari castris: Porrò Alberto studere Ericum Brunsuigiũ, Mauritij sororium. *Mira rerũ metamorphosis.* Fertur Mauritius durissima obijsse morte, & se mirum in modum ob nimios dolores velut in spiras contraxisse. Sed nihil huius pro certo asseuerare velim. Sunt qui scribant eum noua cum Gallo rege consilia tum agitâsse. Vtcunquè sit, Cæsarem illa inopinata ad Galliæ regem defectione & bello præter spem illato adeò afflixit, vt eius valetudinem alioquì non bonam, non mediocritèr perturbâsse videatur, cùm ipse in se Cæsaris summam esset expertus beneuolentiam.

Sub hoc tempus sanguineę guttæ repertæ sunt in folijs arborum, auditi canum importunissimi latratus, & mutuæ dilaniationes, equorum veluti fremitus & concursationes armorum. Fuerat inter Mauritium & Albertum maxima necessitudo, quæ tandèm hunc habuit euentum.

Hesdinũ Superiori anno Hesdinum, arcem munitissimam, diximus Cęsareanos expugnâsse. Eam Galli recuperauerant.

rant. At hoc anno, mense Iulio, rursus Gallis eam vi extorquet Cæsaris exercitus, cæso Horatio Farnesio Galliarum regis genero, multisque captis nobilibus, & in ijs Galliæ Mareschallo Marchiano. *1553 rursus expugnatur.*

Mauritio successit Augustus frater eius, qui regis Danorum sororem habet in matrimonio. Per id tempus maximus terræmotus concussit Misniam Augusti oppidum. Saxo, quem Cæsar captiuum duxerat, electoriam dignitatem & possessiones ablatas, ab Augusti optimatibus, itemque à Cæsare repetebat, sed Augustus mansit in possessione.

Episcopi Vuirciburgicus & Bambergensis cum Noribergicis, Alberti oppida oppugnant. Lugduni nouem Euangelici fratres iussu regis rapiuntur ad supplicium. Bernates pro ijs apud regem intercedunt, sed frustrà.

Eduardus rex Angliæ hoc anno, vt diximus, moritur. Is sibi substituit Iohannem Suffolciam, Henrici regis proneptem ex sorore: porrò Mariam & Elizabetham sorores suas exhæredat. Assentiunt proceres plerique, sed populus & nobilitas omnis fert indignissimè. Erat enim Maria legitima Henrici filia, & ipsam Henricus moriens Eduardo voluit succedere. Multùm Northumbrius Dux conatus est impedire, nè Maria in regno succederet: at successit tamen, Deo illam benè iuuante, & multis ad eam confluentibus. Porrò Iohanna ducitur in custodiam, captusque Northumbriæ Dux, Londinum adducitur, mira in eum conuicia iactante populo. Capti sunt etiàm eius liberi, & frater, & nonnulli alij proceres, & Eduardi præceptor Iohannes Checus, qui tamen posteà dimissus est. Deindè Maria regina Londinum venit in arcem, atque ex carcere liberat locoque restituit Stephanum Vuintoniensem & Tonstallum Dunelmensem, doctissimos Episcopos, ducemque Norfolciæ, & quosdam alios Catholicos. Vuintoniensi addit summæ dignitatis munus, nempè Cancellarij. Northumbrius Augusti die 22. capite plectitur: multi Euangelici superintendentes in carcerem conijciuntur. Northumbrius cùm iam supplicio afficiendus esset, palàm suum errorem confessus est, & quia Edouardo regi puero suasor fuerat mutandæ religionis catholicæ, coram tota populi frequentia hortatus est omnes ad Romanæ Ecclesiæ amplectenda dogmata: simul etiàm commemorauit turbas & tumultus, qui ex sectis nasci soleant, quales etiàm Anglia iam vidisset intestinis exagitata dissidijs, & Germania

Iohanna Suffolcia.

Maria succedit Eduardo.

1553 fœdiſſimè confuſa. Ad extremùm ait, ſe velle mori catholicè: atque ità cæſus eſt. Petrus martyr, monaſtici inſtituti deſertor, inſignis Zuinglianus, ex regno excedit. Calendis Octobris Maria regno inauguratur, annos nata ferè 38.

Albertus vincitur. Henricus Brunſuicenſis Albertum, nouas conſcribentem copias, in pugna vincit. Turcica claſſis Corſicam inſulam Genuenſium capit, aliquot demptis oppidis. Cæſar Heſdinum ſolo æquat, & cùm vellet Dorlanum tentare, eius exercitus à Gallis in fugam compellitur, non paucis occiſis & captis. Galli Cameracum tentant, ſed fruſtrà: & cùm vſqueadeò propè Cæſaris ad Valencenas caſtris ſe coniunxiſſent, vt res ad prælium ſpectare videretur, plurimis deſideratis abeunt 18. Septembris die, in reditu longè lateque omnia vaſtantes incendijs. Lutetiam ſæuiſſima vaſtat peſtis, & rex multos Euangelicos comburit. Brunſuicenſis Henricus cum exercitu proficiſcitur contra Albertum in Franconiam, & licèt non deeſſet ei occaſio quoſdam Principes, à quibus læſus fuerat, egregiè diuexandi, tamen commodum & humanum ſe præbet, & ſinè maleficio exercitum per eorum fines ducit.

Caluinus Seruetum afficit ſupplicio. Geneuæ Caluinus Seruetum Hiſpanum, valdè impiè de ſacroſancta Trinitate ſentientem, extremo curat ſupplicio affici. Mirum hoc erat, non ſolùm quòd Caluinus nihilo eſſet illo melior, ſed etiàm quòd iſti Euangelici nolunt morte affici hæreticos. Porrò verò Caluinus ſuum hoc factum vſqueadeò illuſtre eſſe voluit, vt totam hiſtoriam ſcripto euulgato compræhenderit, & in hæreticos gladio vindicandum docuerit. Tanta eſt nouæ huius Euangelicæ doctrinæ conſtantia.

Sleidanus hanc Serueti necem non improbat, non probaturus, vt appáret, ſi Pontifex aut Catholici eam hæretico illi intuliſſent. In ſumma: quicquid facit Luterus, Caluinus, Zuinglius, & id genus peſtes, id non poteſt non eſſe euangelicum: ſi quid eiuſdē generis faciat Pontifex Romanus, ſæua tyrannis eſt & facinus Antichriſtianum. O cæcas hominum mentes. Certè Caluinus non minùs commeruerat mortem atquè Seruetus ille: nec refert ſecùs de illo ſentire miſeros, quos ille miſer euertit. Luterani ſanè ſi habuiſſent illum, tractâſſent illum haud alitèr, nì fallor, atquè hæreticum.

Alberto Brandeburgico aliquot oppida eripiuntur ab hoſtibus. Galli Vercellas ex improuiſo capiunt, factaque

ftaque direptione, indè recedunt, quòd Gonzaga Cæsaris præfectus superueniret. 1553

Turcica Solimanni classis multa damna infert ditionibus Cęsaris, quę ad mare vergerent, Siciliæ, Calabrię, Corsicæ quoquè, quam (vt dixi) occupârunt, permultis cæsis Corsis & Genuensibus. Interim diuina vltio Solimannum illum domi persequitur. Erat ei filius natu maximus Mustaphas. Hunc suspectum habens de regno ipsius inuadendo, ad se eum accersit Alepiam in Syriam, vbi tum regiam habebat Solimannus. Mustaphas patri statim obtemperans, ad eum cum magnis properat muneribus. Vbi se de equo demisit, nullas suspicatus insidias, in Solimanni tabernaculum ingreditur, iussusque acinacem deponere, ad Solimannum eius manum osculaturus propiùs accedit: sed ô crudelem patris animum, antequàm accessisset, à regijs ministris, vt eis imperatū erat, subitò compræhenso funis in collum inijcitur, & inspectante patre strangulatur. Eadem hora signifer eius, ex nobili Michaëlium familia Venetijs ortus, capite plectitur. Fertur posteà Solimannus eam filij necem multis lachrymis prosecutus.

Classis Turcica vexat Christianos.

Solimannus suum iugulat filium.

Albertus Brandeburgicus à Cameræ iudicibus proscribitur, tanquàm publicæ quietis & tranquillitatis perturbator. In Angliæ regno Catholica religio magna ex parte restituitur: Regina Philippo, Caroli Cæsaris filio, despondetur, & Euangelici malè mulctantur. Multos martyres numerant Euangelici in solo regno Angliæ, & quidam Iohannes Foxus, de quo infrà fortassis plura, martyrum istorum Angliæ historiam conscripsit. Sed ab horum martyrum consortio libera nos Domine. Ne Luterani quidem istos dixerint martyres, cùm Zuinglij potius, quàm Luteri dogma secuti videantur. Ineptus quidam scribit, exules Angliæ priuatìm in Germania multos de vera sententia verborum cœnæ priuatim docuisse, ijs verbis non solùm catholicos, sed etiàm Luteranos perstringens. Et certè hoc eodem anno Ioachimus Vuestphalus Luteranus libellum edidit hoc titulo, Recta fides de cœna Domini: quem libellum ideò se scribit dedicâsse Ecclesiæ Hamburgensi, vt eam instrueret aduersus Sacramentarios.

Iohannes à Lasko Polonus nobilis, sed sacramentarius, permissu reginæ Mariæ ex Anglia cum duabus nauibus in Daniam se confert cum multis socijs sacramentarijs. Putabat se illic per hyemem latitaturum: sed

Iohānes à Lasko à Luteranis vbiquè repellitur.

1554 quòd aliam à Lutero ſententiam de ſacramentis adferret, non potuit obtinere hoſpitium. Luterani enim non ferunt ſacramentarios, vtì nec ſacramentarij Luteranos. Venitur ergò ad maritimas Saxoniæ vrbes, Lutero addictas: ſed ibi quoquè Laskus cum ſuis repellitur. Culpam illam inexpiabilem non tam in magiſtratus, quàm Luteranos concionatores, Sacramentarij conferunt. Tandèm poſt longos errores & pericula, in Phriſiæ Orientalis oppido Embdano inueniunt nidulum, vbì refocillarentur. In eos acritèr inuecti ſunt etiàm publicis ſcriptis Saxonici quidam eccleſiaſtæ, ità vt compulſus ſit Iohannes Vtenhouius hiſtoriam ſcribere, De inſtituta ac demùm diſſipata peregrinorum in Anglia Eccleſia, quam tamen etiàm ipſi Sacramentarij vellent non euulgatam. Et quis non rideat, dum iſta legit? Prodijt etiàm, Iohanne Stoltzio authore, defenſio Luteri contra Sacramentarios, in qua narrat Lutero, Sacramentarios œſtro percitos, ipſum ſcribendo nunc vincere, & quibus poſſint ſannis commentarios eius & verſionem Bibliorum carpere: illum, qui à caluitie nomen habet, (Caluinum intellige) eius ſanctiſſimos commentarios in Geneſim ſingulis propè folijs explodere, & cachinnis amarulentis excipere &c. ſcripſerat enim Caluinus commentarios in Geneſim à Lutero diſcrepantes. O miſeros, qui tales ſequuntur duces in rebus grauiſſimis, ad animarum vel ſalutem vel exitium ſempiternum pertinentibus.

Embdæ recipitur.

Homo portentoſus Pariſiis.

Item Baſileæ & Pariſiis.

Hoc anno fuit quidam Pariſijs, qui ſe Iohannis Apoſtoli & Euangeliſtæ mente perfuſum diceret. Porrò & Baſileæ & Pariſijs viſus eſt, qui genio Petri Apoſtoli ſe duce frui contenderet. Alius quoquè Baſileę aſſerere non dubitauit, ſe Moſis angelum habere, prædixitque regem Galliæ ante menſis Iunij initium Proteſtantium dogma recepturum. Multos ille quidem initiò commouit, ſed vbì vidit regem Franciæ conſtantèr in auita religione permanere, ſubduxit ſe, veritus laqueum, furcifer. Non finxiſſent iſti, opinor, talia, niſi vidiſſent homines pleroſque incredibili ſtoliditate quibuſlibet commentis facilè commodare fidem.

Sebaſtianus Luſitaniæ rex naſcitur.

ANNO 1554. 2. Ianuarij è viuis exceſſit Luſitaniæ rex Iohannes, Iohannis tertij filius, anno ætatis ſuæ 17. In matrimonio habuit Caroli Cæſaris filiam Iohannam, quæ ab illo grauida relicta, eiuſdem menſis die 20. Sebaſtianum principem enixa eſt. O quàm multi

Multi in rerum omnium summa affluentia tum aufe- 1554
runtur ex hac luce, cùm eam primùm incipiunt intueri. Et tamen in tanta miseræ vitæ huius incertitudine quotusquisque est, qui non sibi Nestoreos propemodùm polliceatur annos?

Eodem anno Cæsaris amplissimi legati in Anglia matrimonium Philippi & Mariæ reginæ omninò conficiunt, inuitis seditiosis quibusdam, qui authore Viato rebellionem excitârunt. Regina turbam ad arma concitatam mira dexteritate sedat: Viatus capitur, & in carcerem ducitur: Dux Suffolcius, seditionis non minima pars, Londinum captiuus adducitur. Northumbrij filius Guilfordus & Iohanna vxor eius, quam Eduardus rex puer sibi substituerat, capite mulctantur. paulò pòst etiàm dux Suffolcius plectitur die 21. Februarij. Eodem die moritur Vinariæ Sibylla Cliuensis, Saxoniæ Ducis coniunx, & vndecimo post eam die dux Iohannes Fridericus maritus eius.

Cõficitur matrimonium Philippi & Mariæ.

Hoc tempore religio Catholica in Anglia prorsùs restituitur, & multi Euangelici indè aufugiunt, sedesque suas apud Germanos diuersis locis captant. Elizabetha reginæ soror, quòd anteactæ seditionis conscia putaretur, in custodiam datur. Hæc religionis mutatio molestissima fuit Euangelicis, qui sibi illo in regno certum perfugium collocârant, si quid alibì aduersi accideret.

Religio restituta in Anglia.

Albertus Brandeburgicus omni ditione sua eijcitur, & Blasseburgum, præcipuum eius propugnaculum, obtinet rex Ferdinandus. Intereà Brunsuicensis Henricus per inferiorem Saxoniam aliquot principes & vrbes, multos quoquè nobiles & illustres pecuniam poscit. Alteræ eius & Episcoporum ac Noribergensium copiæ, pulso Alberto & expugnato Suinfurto, quosdam alios mulctant in Germania superiori. Porrò Carolus Sabaudiæ princeps moritur, relicto Philiberto, qui Cæsari militabat. Galliæ rex Cæsaris vexat ditiones, inter alia Bouinum oppidum & Dinantum capit, diripit, arces ibi demolitur, Mariæburgo præsidium imponit. Cæsare illi occurrente, in Hannoniam deflectit, Binsium oppidum & arcem, vbì regina Maria res magni precij & cultissimos hortos habuit, fœdissimè diripit, inflammat, & omnia longè ac latè populatur & incendit. Eodem verò tempore Gallicus exercitus in Italia à Cæsareanis profligatur, & Senenses grauissima premuntur obsidione.

Galli vexant Burgundos.

Philip-

1555 *Philippus rex in Angliam.* Philippus Caroli Cæſaris filius 9. Iulij venit in Angliam: quarto pòſt die Vuintoniam, vbì ad ſummã cum multa nobilium turba progreſſus ædem, ab Epiſcopo Vuintonienſi & quibuſdam alijs excipitur. Luce altera reginam adit. Porrò ſequenti die, ipſis ferijs D. Iacobi, regali magnificentia nuptiæ celebrantur. *Nuptiæ.* Cæſar eò miſerat legatum, qui ſuo nomine regnum Neapolitanum filio nuptiarum cauſa concederet. Poſteà cum multo ſplendore Londinum cum regina ingreditur. Sub finem Octobris, Mediolanenſis quoquè principatûs poſſeſſionẽ Cæſar ei tradit per legatos. Ipſe interim iuxta Heſdinum, ſuperiori anno ab ipſo captum & euerſum, nouam munitionem & oppidum contra Gallos condit.

Comitia Angliæ. Nouembris die 12. Londini in Anglia publica inchoantur Comitia. Aderat rex Philippus & Regina. Venit etiàm eò Cardinalis Polus, vbiquè ſummo honore exceptus. Is in publico conuentu hortatur omnes ad eccleſiæ Catholicę amplectendam communionem & vnitatem. Ibì ſanè regni Ordines petunt veniam ſchiſmatis contra Pontificem admiſſi, orantque vehementèr, vt à cenſuris Eccleſiaſticis abſoluti, recipiantur in Eccleſiæ ſinum. *Anglia Eccleſiæ conciliatur.* Altero die inter alia, quæ narrare longum eſt, Rex & Regina cum cæteris procumbunt in genua, & Cardinalis in omnes abſolutionem pronunciat. Hæc irridentur ab iſtis nouis Euangelicis: ſed quantumcunquè procaces ſint & inſolentes, niſì abſoluantur horrendi illius anathematis vinculis, quibus velint nolint conſtricti tenentur, nunquàm Dei vultum conſpicient. Olìm ſolebat plerunque malus dæmon inuadere eos qui eſſent excommunicati: *1. Cor. 5.* quod cùm hodiè raro fieri videatur, Excommunicatio, qua nulla eſt pœna ſeuerior, & formidanda magìs, in contemptum abit. Interìm tamen, etſi corpus non videtur obſidere, animam certè anathemate percuſſi malus dæmon obſidet. Et indè eſt, quòd in ſummum Pontificem adeò atrocitèr incurrunt plerique omnes hæretici, quia ſciunt illi datas eſſe claues regni cælorum, & ligandi atque ſoluendi primariam in terris poteſtatem, *Matt. 16.* quam, licèt eis rumpantur ilia, tamen eripere ei non poſſunt.

Vueſtphalus in Sacramentarios. ANNO 1555. Ioachimus Vueſtphalus præco Hamburgenſis, nouum edit ſcriptũ contra Sacramentarios. In præfatione ſcribit, Regem Daniæ & ſenatum Hamburgenſem edicto prohibuiſſe, nè quis ciuium Anabaptiſtas,

ptistas, Sacramentarios, vel alios sectarios hospitio reci- 1555
peret. Hoc edictum renouatum esse ob grauissimum periculum, quod Luteranis Ecclesijs à Sacramentarijs ad maritimas vrbes confluentibus immineret. Alię quoquè eius littoris vrbes sub graui pœna vetuerũt, nè quis Zuinglianos hospitio reciperet. Isthuc quidem est sapere, lupos arcere à grege, nisi quòd satanas satanam expellit, dum Luterani pellunt Zuinglianos. Vtinàm verò ea seueritate erga sectarios omnes vsi essent Catholici, non tam latè serpsissent tot monstrosæ hæreses.

Caluinus in Vuestphalum.

Diù tacuerat contra suum genium Iohannes Caluinus, sed nunc tandèm primam contra Vuestphalum defensionem euulgat. Vuestphali quidem nomine abstinuit, sed eo consilio, vt ipse scribit, vt si fortè sanabili esset ingenio, tacitè eius ignorantia sepeliretur. Verùm sensit Caluinus non edentulum Vuestphalum.

Vuestphalus contra Caluinũ.

Mox enim libellum cõscripsit contra Caluinum, hoc titulo: *Aduersùs cuiusdam sacramentarij falsam criminationem.* Prodijt eodem tempore Timanni Luterani, Bremensis pastoris, Farrago contra Sacramentariorum dissentientes inter se opiniones. Terrebant hæc Luteranorum fulmina Iohannem à Lasko egregium Zuinglianum. Itaque mense Aprili ex Embda migrat Frãcophordiam, vbì ei permissum est constituere Ecclesiam peregrinorum. Sic vocari voluit illa non admodùm magna synagoga. Sed quàm miserum est, quamque horrendum, ea ratione dici peregrinos? Quanto consultiùs fecissent, si ad Catholicam Christi Ecclesiam se adiunxissent, futuri deinceps ciues sanctorum & domestici Dei? Est tamen hîc quoquè non negligentèr obseruandum iustum Dei præpotentis iudicium, quo factum est, vt qui eam profiterentur sectam, quę multos Catholicos è suis sedibus expulisset, multisque modis diuexâsset, ipsi iam ferè nusquàm possent certam & tutam obtinere sedem.

Mensis Martij die 18. moritur Sebastianus ab Hausenstain Archiepiscopus Moguntinus, & ei substituitur Daniel Brendel ab Homburg, multa doctrina & insigni virtute conspicuus.

Iulius 3. moritur.

Eiusdem mensis die 23. obit diem suum Iulius Pontifex eius nominis tertius. Eius morte comperta, Moronus Cardinalis, itemque Augustanus & reliqui Cardinales Romam celeritèr aduolant, noui Pontificis creandi causa. Eligitur autem ab omnibus Marcellus Cer-

Marcellus 2.

uinus,

1556 uinus, retento sibi nomine Marcelli, multa & eruditione & probitate venerabilis. Sed quod dolendum est, eius Pōtificatus vix paucorum fuit dierum. Ab eius obitu die vicesimo Senenses ad summam rerum omnium egestatem redacti, Cæsari tandèm se dedunt post diuturnam obsidionem. Marcellus successorem habuit Iohannem Petrum Caraffam, senem propè octogenarium, qui ex more mutato nomine dictus est Paulus Quartus.

Senæ deduntur Cæsari.

Paulus 4.

Sub veris initium apud Heluetios nata est dissensio propter quosdam Locarnorum subditos, qui trans Alpes positi, Zuinglianismum complexi erant. Id Quinquepagici cum cæteris Catholicis Heluetijs nullo pacto ferendum putârunt, alijs Zuinglianarum partium rem approbantibus. Tandèm compulsi sunt illi, qui religionem mutârant, extra eam regionem cum familijs & facultatibus suis discedere. Eorum bonam partem Tigurini in suam vrbem & agrum receperunt.

Dissensio apud Heluetios.

Sub finem Octobris Carolus Imperator Philippo filio, euocatis ad se legatis prouinciarum, dominiorum & ciuitatum Burgundicæ domûs, potestatem regnandi & gubernandi terras ipsi subiectas vltrò tradidit. Eo tempore sedentis Cæsaris dextrum latus Philippus filius, sinistrum Maria soror eius ità claudebant, vt terna sedilia triangulari ferè linea essent constituta. Enarrabat tum ad eos qui aderant, labores suos & annos Regni sui, idque viua voce, & valdè oratoriè, grauitèr, & copiosè. Lachrymabatur autem Cæsar ipse. Porrò filius Philippus rex, & Maria regina Pannoniæ, & plurimi proceres mirabilitèr doluerunt, & multi in profusissimas lachrymas eruperunt, etiàm illustres aurei velleris equites. Inter cætera dixit palàm optimus Imperator, quòd nemini sciens & prudens iustitiam negârit. Aderat inter alios Hannoniæ Senescallus, podagræ morbo vexatus. Illi Cæsar semèl atque iterùm humanissimè iussit sedem poni, quam tamen ille modestissimè recusabat. Finita oratione, Guilielmi Principis Auraniæ, & Burenij comitis humeris se sustentans, ex conspectu amplissimi theatri abscessit.

Carolus V. Philippo filio permittit Burgūdiæ administratione͂.

ANNO 1556. aliquot Sacramentarij dogmatis signiferi Luteranis egregiè respondent. Principiò Henricus Bullingerus Apologiam edit, qua ostendere nititur, Tigurinos ministros in Orthodoxa & Catholica fide sanctè perseuerare. Crede, si vis. Deindè Bernar-

Zuingliani respondent Luteranis.

Bernardinus Ochinus contra Vueſtphalum defenſionem 1556
conſcribit & euulgat. Et vt nullus Luteranis hoſtis non eſſet moleſtus, etiàm Caluinus ſecundam ſuam defenſionem, piam ſcilicèt & Orthodoxam de Sacramentis, contra Vueſtphali calumnias euulgauit. Si Romanus Pōtifex & tota Chriſti Eccleſia, auſi eſſent, inuitis Zuinglianis iſtis, hoc pacto calamum ſtringere in Luteranos, omnia illorum ſcripta non alitèr acciperentur, quàm Papiſtica commenta, quibus conarentur opprimere lucem Euangelij. Sed vt iſthæc calumnia faceſſeret, viderentque homines ab iſtis noui Euangelij præconibus non ipſum verbum Dei, quod tam impudentèr iactitant, ſed priuatas quorunque opiniones pro Dei verbo imperitis obtrudi, permiſit ſapientiſſimo conſilio etiàm inter ſe atrociſſimè & pertinaciſſimè digladiari miſeros & omni lachrymarum fonte plangendos, vt qui necdùm eorum laqueis implicati ſunt, caueant, nè quandoquè irretiantur: qui autem irretiti ſunt, ocyſſimè ſeſe explicare nitantur. Acceſſit his Luteranorum hoſtibus auctarij loco Iohannes à Lasko, qui ad Poloniæ regem & eius regni ordines omnes ſcribit Epiſtolam, qua & Zuinglianum dogma tuetur, & Luteranos ait cum mente totius ſcripturæ & Catholicæ Eccleſiæ conſenſu pugnare, neque citra Dei contumeliam, eorum doctrinam retineri poſſe. Poterant tot hoſtes miſeris Luteranis ſufficere, ſed iritati crabrones non tam facilè conquieſcunt. Angli exules apud Geneuam edunt Latinè Nicolai Ridlæi libellum de Cœna Domini. Hunc Ridlæum hæreſeos nomine in Anglia flammis tradidit regina Maria. Porrò Zuingliani eum in martyrum album retulerunt. Hunc in modum iſti præclari Euangelici noua bella atrociſſimè inſtaurârunt, immò potiùs ſimulatam concordiam in apertiſſima bella verterunt. Multi libri, orationes, dialogi, confeſſiones, epiſtolæ, theſes, præfationes vtrinquè à doctis paritèr & indoctis euulgabantur, & maiori, quàm vnquàm anteà, impetu res agitata eſt. Luterani Zuinglianos apud omnes in odium & inuidiam vocabant, & multas habuêre ſynodos, quibus de opprimendis Sacramentarijs actitârunt. Atque hæc & multa alia ſcribunt ipſi Zuingliani: adduntque Luteranos pleroſque ſe iunxiſſe Papiſtis, vt Zuinglianos faciliùs opprimerent. Verum quidem eſt, non paucos Luteranos ad Catholicos ſeſe recepiſſe, agnito errore ſuo: ſed ij non minùs oppugnant Luteranos, quàm Zuinglia-

Dißidia Euangelicorum.

Luterani in Zuinglianos ſæuiunt.

1556 nos. Ex ista enim mutua dissensione, cùm vtrinquè non nisi verbum Dei creparent fratres Euangelici, complures ad sanitatem rediêrunt, nec cum talibus quicquam voluerunt habere commercij, quos non minùs à se inuicèm, quàm à Catholica Christi Ecclesia dissidere viderent. Erant in hoc negocio vehementes Saxonici ministri, Heluetij visi sunt moderatiùs agere cum Luteranis. Habet Saxonia multis locis cereuisiam mouendo cerebro, si nimiùm bibas, valdè idoneam. Porrò Euangelicos per Saxoniam fratres verisimile est pro more gentis potare largitèr. Indè tot fumi & crassi spiritus, qui cerebrum pertentant, immò obruunt, faciuntque nihil ferè sobriè ab istis vel dici vel scribi. Heluetij cùm vinum non habent, non inuiti aquam potitant. Hoc Saxones cane peiùs & angue oderunt. Hæc possit forsan ratio reddi, quòd ministri Saxonici egérunt tumultuosè, Heluetici paulò sedatiùs. Sed vtcunquè sit, optimè dixit Sapiens, Inter superbos sempèr sunt iurgia. Quin & Erardus Snepffius Luteranus confessionem de Eucharistia hoc tempore edidit, qua Zuinglianos perstringit.

Prou.13.

Intereà moritur Conradus Pellicanus, ex Franciscano apostata Zuinglianus. In eius locum Argentorato à Tigurinis accitus est Petrus Martyr Florentinus, qui ex Italia profugerat. Prodijt quoquè scriptum quoddam Erasmi Alberi Luterani contra Carlstadianos, Sacramentarios, fanaticos & Anabaptistas &c. Accidit quóquè ridiculum quiddam Francophordiæ. Caluinus publicè disputat cum Iusto Velsio (qui apud Coloniam Agrippinam parùm faustus hospes aliquandiù hæserat, quin & in carcerem coniectus fuerat) de libero arbitrio: cumque ille magnus Sophos, qui apud Geneuenses tantùm non deus aliquis habitus est, cum ministris eius loci de causa Sacramentaria conferre vellet, tanquàm Zuinglianus reiectus est, non sinè crimine læsæ maiestatis, si penès Geneuates sit sententiæ pronunciandæ potestas & authoritas. Sunt qui in scriptis suis indicare videantur, Velsium, abiuratis erroribus, reuertisse ad Catholicam Ecclesiam. Res mihi necdùm penitùs comperta est: sed si ità tamen est, gratulandum est homini docto, quòd magno & raro Dei beneficio potuit agnoscere lapsus suos. Vtinàm eius exemplum resipiscentiæ, si modò certa est, plurimi imitentur, & redeant in viam dum adhuc dies est, priusquàm illa æterna

Disputatio Caluini cum Velsio.

1556

næ noctis tetra caligine inexplicabilitèr inuoluantur.

Inter Carolum Cæsarem, filium eius Philippum & Galliæ regem, quinquennales non ità pridèm erant pactę induciæ, sed hoc anno rursùs ruptæ sunt, & ad arma vtrinquè magna miserorum hominum, qui interim opprimebantur, infelicitate concursum est. Moritur quoquè 4. Calendas Martij Fridericus Elector Palatinus: & paulò post eum Iohannes Treuirensis Episcopus ex Comitibus Eisenbergicis. Eius sedem obtinet Iohannes à Lâten, cuius inter alias corporis & animi dotes, eximia prudentia & in Catholica religione cõstantia prædicatur.

Mors episcopi Treuirici.

Excessit è viuis per idem tempus 3. Nonas Iulij Reuerend. D. Episcopus Cyrenensis Iohannes Nopel à Lippia, Reuerendissimo Archiepiscopo Coloniensi à suffragijs, magna eruditione & facundia vir, longiorique vita digniss. probitate vitæ & strenuo concionandi labore de Ecclesia & fide Catholica per annos aliquot optimè meritus: atque ea re inter illustres Dominos Capitulares summi templi Coloniensis, haud procùl à sacello, vbi trium Magorum corpora asseruantur, honorificè sepultus.

Moritur etiàm Adolphus Archiepiscopus Coloniensis die XX. Septembris, & ei succedit germanus frater eius Antonius ex comitibus Schauuenburgicis. Ità breuì tempore quatuor Rheni Electores è medio ablati sunt. Mense Februario visus fuit in cælo cometes, qui plerunquè terris dira minari solet.

Obitus Adolphi Archiepiscopi Coloniensis.

Est in Caluini discipulis quidam non postremus, Theodorus Beza. Is quondàm Iuris licentiatus, Parisijs ex opulentis sacerdotijs vltra septingentos coronatos aureos percipiens, vitam viuebat turpissimam, ac varia libidinum spurcitie contaminatam. Erat hæc quædam ad deteriora parasceue, talesque mores nihil merebantur aliud, quàm vt homo impurus prorsùs à Deo reiectus, in inexplicabilis perfidiæ & hæreseos labyrinthos detruderetur: quod & factum est. Nam ad Caluinum defecit, venditis priùs Simoniaco sacrilegio sacerdotijs vel beneficijs Ecclesiasticis. Sed quemadmodùm in Caluino alijsque hæresum architectis multa fraus & dolus, miraque inconstantia fuit, ità & in hoc Beza, quemadmodùm vel vnum hoc præclarum facinus, quod subijcimus, declarabit. Anno hoc
1556. venit ille ad Electorem Palatinum Ottonem Henricum,

1556 ricum, qui erat Luteri placitis addictissimus, cum Farello homine pestilente, qui Geneuam infecerat, & Caluinum, Seruetum, Viretum, aliosque id genus habuit discipulos, atque ob metum seditionis à Basileensibus proscriptus & in exilium abire iussus fuit. Obtulit autem is Beza illi principi arte veteratoria & multa cum simulatione confessionem quandam, aitque illi non modò Allobroges, sed etiam Heluetios subscribere. Fecit hoc ille bonus vir, vt Principis sibi beneuolentiam conciliaret, qua tum opus habebat, maximè quòd rex Francorum seuerè in Caluinistas animaduerteret, quem eo nomine apud Principem accusabat tyrannidis, orans vt regem à proposito precibus & minis deduceret. Porrò hæc Confessio ad verbum habebat, verum & reale ac substantiale corpus & sanguinem Christi sub specie rerum visibilium repræsentari & exhiberi. Dixisses Caluinistas & Zuinglianos prorsus mutatos in Luteranos: sed quid non fingit deplorata nequitia? Princeps quidem & qui aderant, ea Confessione lætabantur, & quòd putarent conuersos esse Sacramentarios, communis gratulationis ergò miserunt eam Duci Vuirtembergico. Is quoquè tam insperatam metamorphosim miratur & laudat. Spargitur mox rumor in Germania, agiturque de Zuinglianis triumphus ante victoriam. At Tigurini vbi de re tota certiores fiunt, tanta hominis impostura acritèr dolent, & eam Confessionem magna contentione oppugnant, Bezamque falsi reum peragunt. Nihil enim Zuingliani illi volebant minùs, quàm à Zuinglio ad Luterum defecisse videri. Nam tametsi in quibusdam Luteri placita non inuiti sequuntur, at in re Sacramentaria errâsse Luterum, plùs Lutero vidisse Zuinglium contendunt. Quid verò interim Beza? num se deserit? Minimè. Audi artem tali artifice dignam. Vult persuadere Tigurinis, dolum aliquandò bonum esse, & aliud agere atquè simulare. Nec dubium est, quin nouum hoc Euangelium his artibus sit instructissimum, ijsque & ortum, & auctum, & propagatum sit. Et id quidem mortales necdùm vident: vbi autem Deo benè propitio quandoquè viderint, repentè vt fumus istorum præstigiæ, quibus homines dementant, euanescent. At Tigurini tamen hoc paradoxo minimè contenti, non priùs in gratiam recipiunt Bezam, quàm suam ille culpam agnosceret. Redit indè vir optimus ad suos Heluetios & Allobrogas, & vt priorem fraudem

Facinus veteratorii Theodori Bezæ

Confeßio Bezæ simulata.

Nota fraudem.

dem posteriori expiaret, atque re ipsa testatum efficeret se Germanis illusisse, in Vuestphalum & Heshusium stringit calamum, palamque profitetur, non aliam in Cœna Domini esse corporis & sanguinis præsentiam, quàm in Baptismo, in concione, in Lectione Sacræ scripturæ, atque in priuata meditatione quotiès mens fidelis ad Christum assurgit. Et rursùs tamen, vt à Germanis non prorsùs discedere videatur, fatetur in Cœna Domini substantialitèr ac realitèr verum & naturale Christi corpus esse & exhiberi: sed Cœnam non vult esse id, quod inter homines ex Domini præscripto geritur, eius verò præcipuam partem in cælis peragi, cui nos fide intersimus & spiritu. Ità isti infelices sibi inprimis, deindè etiàm alijs portentosis verborum strophis illudunt, atque in sanctissimis religionis negocijs haud alitèr atquè in scena versantur, in alias atque alias subindè transformati formas, vt cùm ijdem perpetuò loquantur, diuersos loqui putes. Et tamen is idem Beza multas posteà in Gallijs turbas excitauit, opima è locis sacratis spolia abegit, & tantùm non apud homines miserè fascinatos principatum & regnum obtinere visus est. Faxit clemens & bonus Deus, vt tamen vel tandèm nobis patescant oculi, & videamus quàm splendidè isti nobis imponant, quàm omnia in summam & sempiternam animarum nostrarum perniciem machinentur, quàm nihil spectent minùs, quàm vt rebus salutique nostræ consulant. 1556

Rex Ferdinandus necessaria contra Turcarum irruptiones præsidia comparare volens, petit à subditis suis eam in rem subsidia. Austriaci inferiores apud Viennam conueniunt, seque imperata vltrò facturos recipiunt, modò ipsis permittatur Euangelium. Id si fiat, sperare ipsos omnia contra Turcas ex sententia cessura. Nihil tum impetratum est, quòd facilè videret sapientissimus Rex, nunquàm adeò infestos fuisse Turcas Germanis, quàm his annis, quibus Luteri Euangelium miseri homines amplectuntur. Et reuerà nisì aliqua ratione tandèm Germaniæ sua pristina religio restituatur, & noua dogmata, quæ tot nobis pariunt sectas & hæreses, atque intestinas animorum acerbitates & simultates, prorsùs eliminentur, fieri non potest, quin vel Turcico vel Moscouitico aut certè Tartarico quandoque ferro vastetur, & durissima seruitute oppressa, leuitatis & temeritatis suæ meritas pendat pœnas. Vti-

Austriaci cupidi nouæ doctrinæ.

1556 nàm vel Græciæ summa calamitas doceret tandèm Germanos maturè sapere. Sed fortaſsis peruenit in nos quoquè ira Dei vſque in finem. Magnum profectò eius iræ argumentum eſt, tam horrenda cæcitas & vaſta caligo, vel potiùs inſania quædam, quæ nos non ſinit noui huius Euangelij fructus longè peſſimos intueri. Luterus viſus eſt nouam mundo lucem inuehere: eius doctrinam multi è vulgo cupidè ſtatìm complexi ſunt, cordatiores cunctantiùs eam admiſerunt, permulti penitùs reſpuerunt. Vbi animaduerſum eſt, eius conatus, dum non initiò reprimuntur, ſuos habere ſucceſſus, mox alij ſuper alios exiſtunt homines importunis ingenijs, & ipſi quoquè nouam mundo lucem venditant, aiunt ſe vidiſſe, quod Luterus necdùm viderit. Ità repentè intra vnam Germaniam multiplex nimiùm credulæ turbæ Euangelium obtruditur, & incredibili ſtultitia ab imperita concione arripitur Luteranum, Carlſtadianum, Anabaptiſticum, Zuinglianum, Zuencfeldianum, Oſiandrinum, &c. Nec vident miſeri & cæci homines, dum ab vna, vera, Catholica religione abduci ſe ſinunt, ſe in tam varias & mirabilitèr inter ſe pugnantes ſectas ſeduci, vt iam permulti ſint, qui prorsùs ignorent, quid potiſſimùm ſequi debeant in tanta nouorum dogmatum varietate. Hoc verò iure meritoq́ue patiuntur, quòd ſtultè & puerilitèr quibuſlibet nouatoribus primò aures, mox etiam fidem commodârunt, cùm in ea debuerint religione conſtantiſſimè perſeuerare, quam tot perpetuis ſeculis vniuerſa Germania & Catholica Chriſti Eccleſia coluiſſet, quam hodieq́ue tot ampliſſima regna & prouinciæ colant. Interim verò dum ſeductoribus obtemperant, qui non Chriſti, ſed ſuam gloriam quærunt, & miſerorum animas negociantur, in multas diſcinduntur factiones: indè animorum exiſtunt diſſidia & perniciosiſſimæ diſſenſiones, ſimultates, inimicitiæ, vndè neceſsè eſt Germaniæ vires prorsùs eneruari & ſensim collabaſcere, dum inter ſe Germani tam miſerè diſtrahuntur. Atque ità Turcis, qui hæc non ignorant, creſcit animus, creſcunt vires: nec dubitare quiſquam ſanæ mentis poteſt, quin illi in omnem occaſionem ſint intenti, & vbi eis commodum viſum fuerit, totis viribus nos ſint oppugnaturi, & certè nullo negocio etiàm oppreſſuri, quod quidem illi nunquàm vel ſperare auſi eſſent, ſi apud nos Maiorum noſtrorum ſacroſancta religio inuiolata

1. Theſ. 3.

Cæcitas horũ temporum.

Diſcordia religionis perdit Germaniam.

olata & inconcussa permaneret. Sed de his satìs, quippe quæ & superiùs non semèl haudquaquàm temerè inculcata sint. Ferdinandus Rex, vt dixi, hoc tempore non est passus mutari religionem: at nihilominùs misit exercitum contra Turcas & aliquotiès felicitèr cum illis pugnatum est, multis cæsis, muita quoquè præda abacta. 1556

Accidit hoc ipso anno in Poloniæ regno res memorabilis. Fœmina quædam vilis, Dorothea Lazezka nomine, Christiana quidem professione, in oppidulo Sachazeto, non longè ab arce Louitz/ cuidam Iudæo annis aliquot seruiebat. Interìm verò Iudæus ille sæpiùs eam solicitat, vt sacrosanctum Christi corpus, more Christiano cum cæteris acceptum, ipsi perferat. in eius flagitij præmium promittit ei daleros tres, & vestem sericis fimbrijs ornatam. Et quid non mortalia cogis pectora auri sacra fames? Fœmina scelerata conditionem accipit, tantillo illecta munusculo, & in ipso Paschatis peruigilio abit ad pagum Cotzo dictum, ibì cum cæteris accedit ad aram, & instàr Iudæ accipit Eucharistiam, ac paulò pòst ex ore extractam in sudariolum reponit, & tertia Paschatis feria Iudæo hero suo illam tradit: ad quem tres alij Iudæi huic oppidulo vicini, putà, Michalecus, Sachaus, & Iosephus veniunt, fortasſìs ab illo inuitati, sacrosanctam Eucharistiam in suam synagogam deferunt, pugionibus & cultris confodiunt. Et eccè repentè ex illa hostia multus emánat cruor, quem perfidi Iudæi cochleari in vitreum calicem transfundunt. Non diù latére potuit tam atrox facinus. Ante omnes mulier scelesta Sachazeti compræhenditur, indè Iudæus eius herus. Hi confitentur rem gestam omnem. Per id tempus Poloniæ rex Sigismundus Vilnæ erat, quæ est Letuaniæ metropolis, & erant tum in Polonia, qui Eucharistiæ vtranque speciem necessariò putarent porrigi oportere. Vbì Rex quid esset actum cognouit, mandat oppiduli præfecto secundario, vt rem eam diligentèr inuestiget, & si ità factum sit vt narratur, in omnes eius flagitij complices extremo supplicio animaduertat. Itaque Dorothea & Iudæus, priùs habita quæstione, die Veneris post Christi asscensionem flammis exuruntur. Reliqui Iudæi sceleris socij, vno dempto qui aufugerat, Calendis Iunij comburuntur. Voluit omnipotens Deus hoc insigni miraculo, qualia sæpè etiàm aliâs circa sacratissimam Eucharistiam

Sacrilegiū & horrēdum facinus.

Iudæi sæuiunt in Eucharistiam.

Iudæus capitur.

Iudæus exuritur.

Item alij Iudæi.

1556 am contigêre, eorum castigare incredulitatem, qui perindè àc si non sit totus Christus sub vtralibet specie, ità prorsùs infidelitèr & insipientèr calicem efflagitant: qui si essent in ijs, quæ sunt Christianæ religionis, benè instituti, scirent nunquàm posse Christi corpus, postquàm è sepulcro rediuiuum surrexit, ab anima, à sanguine, à diuinitate separari, sicque libentissimè vnius speciei perceptione cõtenti forent. Commodissimè quidem isthuc eo tempore in Polonia accidit, quandò & plerique illic calicem expetebant, & Romanus Pontifex eò miserat Aloysium Lipomanum Veronensem Episcopum, virum multa probitate & eruditione spectabilem, qui gentem Polonam in Catholica religione confirmaret. Et ipse sanè Poloniæ rex fertur hoc miraculo nõ mediocritèr in Catholicæ Ecclesiæ retinenda communione confirmatus, & propensiùs etiàm Romani Pontificis legatum admisisse.

Carolus V. nauigat in Hispaniam.

Carolus Cæsar, postquàm ditiones omnes filio Philippo regi tradiderat, in Zelandiam abit. Indè cum duabus sororibus reginis, Eleonora & Maria, commodam nactus tempestatem, in Hispaniam vẽto admodùm propitio nauigat. Quò postquàm peruenit, quodam in loco saluberrimo atque amœnissimo, qui Iustus vocatur, vbì Hieronymitanum est sodalitium, Deo se & rebus diuinis, quod sæpè antè concupiërat, tradidit, diuinis vacans & incumbens cogitationibus, magna continentia vitæ, magna morum temperantia, magna vini cibique abstinentia in illo relucente. Ità pijssimus Princeps re ipsa declarauit, quàm iniuria sæpè esset à quibusdam insimulatus immodicæ regnandi libidinis & ambitionis, dum se sponte sua omni ditionum suarum amplissimarum administratione abdicauit, & à toto mundo sese auertit, & in quandam solitudinem Deo vacaturus inclusit. Non fuit dignus hic mundus tali principe: & est sanè verisimile, prudentissimum principem nimiæ pertæsum ingratitudinis, tandèm priuatum omninò vitæ genus delegisse, vbì soli Deo & sibi vacaret. Non desunt qui putent magnæ cuiusdam infelicitatis fuisse, ab augusto imperio ad tantam vitę priuatę humilitatem descendisse: sed hoc mundi huius spiritus suggerit hominum pectoribus. Nam qui benè in sancta Christi religione sunt instituti, optimè nôrunt, Deo seruire, id demùm regnare esse, nec quicquam esse gloriosius, quàm omnem mundi gloriam, tanquàm rem caducam & vanam, gene-

Vacat soli Deo & sibi.

roso

roso & excelso animo Christi amore contempsisse. *1556*

Per hoc tempus aut circitèr Otto Henricus Palatinus Elector, & Carolus Marchio Badensis, è suis ditionibus veterem profligant religionem, & nouam introducunt. Non est mirum, vt etiàm aliâs dixi, populum libentèr amplecti noua hæc dogmata, quia plausibilia sunt & suauia veteri homini: permittunt direptiones rerum Ecclesiasticarum & cœnobiticarum: ieiunia, vigiliæ, preces, mortificationes carnis, mundi contemptus, studium continentiæ, sobrietatis, pudicitiæ, & id genus virtutum, papistarum sunt commenta. Sola fides iustificat. Confessio peccatorum & pœnitentia, nugæ sunt & carnificinæ papisticæ. Quis non hæc libentèr audiat? quis non cupidè amplectatur? Et tamen longè secùs docet scriptura omnis, & ipsa quoquè, quantunuis dissimulemus, longè diuersum nobis testatur conscientia. Qui autem sunt Christi, ait Apostolus, carnem suam crucifixerunt cum vitijs & concupiscentijs. Hoc fac, & viues. Eant Euangelici cum suo isto blandissimo Euangelio, quò volent. Vbi ad Christi tribunal venerint, sentient se toto cælo errâsse.

Religio mutatur in Palatinatu.

Gal. 5.

Luc. 10.

Mense Septembri horrenda tempestas Locarni vltra Alpes in finibus Heluetiorum desæuijt. Summo manè turbo vehemens è nubibus descendens, quædam ædificia subruit. Indè à meridie pluuia, tonitrua, fulgura & fulmina per horas quatuor tam immanitèr sæuiêrunt, vt eius loci homines supremum mundi diem adesse putarent. Ex ea pluuia torrens quidam adeò excreuit, vt & arbores & domos secum raperet, nec vllum tandèm, quò se euolueret, haberet exitum. Totum itaque circuniacentem agrum occupat, & tanquàm lacum efficit. At posteà reperto exitu, magno erumpens impetu, multa secum iumenta, pecora & homines abripit, & magna clade adiacentem regionem afficit.

Tẽpestas horrida apud Locarnenses.

Torrens ex pluuia.

Pestis hoc anno multis locis plurimos extinxit, præsertim Argentinæ, & in locis Rhenanis, & inter alios etiàm Iohannem Sleidanum, qui suis commentarijs magnam orbi Christiano pestem inuexit. Decreuerant contra illum scribere viri duo longè clarissimi, Coloniæ Agrippinæ præclara lumina, Iohannes Gropperus designatus Cardinalis, & Eberhardus Billicus Carmelitanus Prouincialis, si & Sleidano & ipsis vita prolixior contigisset. Nemo me putet hominis illius odio sæpiùs illum perstringere. Mihi ille nec de facie vnquàm no-

Sleidanus peste moritur.

 tus

1556 tus fuit. Mendacia & errores tetros illius detestor. Multi, immò plurimi, nôrunt Iulium Pflugium Numburgensem Episcopum, quo ob multam ætatem nemo ferè meliùs nouerat res Imperij. Is Sleidani Commentarios volebat sibi à quodam mihi notissimo, qui tum eius in aula versabatur, legi. Porrò verò inter legendum, cùm aduerteret res ipsi notas mala fide à Sleidano narrari, sæpiùs exclamabat : Ibì nebulo ille sceleratè mentitur. Quin & Carolus V. integerrimus & potentissimus Imperator, cùm ipsi quoquè legerentur Commentarij Sleidani, itidèm subindè exclamabat: Nebulo ille mentitur, nebulo ille mentitur. Et sanè datum erat ab eodem Imperatore negocium cuidam, vt comitiorum acta ob Sleidani mendacia confutanda syncerè excuderentur : sed nescio quo casu res illa impedita fuit, & omnia in Hispanias transferri iussa feruntur. Certè hæretico homini nunquàm tutò credi potest.

Dauidis Georgij historia. Hoc anno obijt Basileæ David Georgius, pestilentissimus hæreticus, cuius suprà mentio facta est. Fertur is Delphis apud Batauos ortus. Porrò cùm Cæsar in inferiori Germania eius dogmata persequeretur acerrimè, Basileam se contulit Calendis Aprilis, anno salutis 1544. cum aliquot comitibus. Ibì ciuitatis statu diligentèr explorato, questus de suis calamitatibus, quas Euangelij causa perferret, à Senatu supplex petit, vt Christi Iesu & Euangelij causa in ciuitatem cum familia satis ampla recipiatur. *Admittitur David Basileæ.* Senatus liberalitèr respondet, & copiam illi facit cum suis Basileam commigrandi. Erat homini corpus quadratum, barba flaua, oculi glauci & micantes, sermo grauis & sedatus, totius corporis motus, status, incessus decens, & ad omnem, vt videbatur, probitatem compositus. Senatûs accepto responso, octauo Calendas Septembris redit Basileam cum multa familia, vxore, liberis, clientibus & seruis, reliquoque comitatu, & in ciuitatem adscribuntur. *Domũ & arcem sibi emit.* Deindè intra vrbem domum sibi comparant, extra vrbem arcem & prædia quædam opima emunt, connubia contrahunt, & modis omnibus ità se comparant, vt viri boni & religiosi viderentur, nec quisquam de eis sinistrè suspicaretur. Huiusmodi artibus id homo versutus effecit, vt à plerisque magno in precio haberetur. Hanc autem falsam opinionem augebat magna vis auri, & preciosæ res quas secum

1556

cum attulerat, & ex inferiori Germania quotidiè adferebantur : prætereà regalis propè ſplendor & apparatus, ſed cum quadam modeſtia & tranquillitate coniunctus. Habebant in ampla illa familia ſinguli quique ſuas functiones, nec quiſquam ſupra vires aut inuitus ad aliquid faciendum cogebatur.

Ampla familia.

Porrò callidus homo non Dauidem Georgium, ſed Iohannem à **Bruck** ſe nominabat, triaque ab illis diligentèr curabantur : primùm, nè Dauidis Georgij nomen proderetur : deindè, cuius in patria conditionis fuiſſet : poſtremò, nè dogma ſuum vlli vel Baſileenſi vel Heluetio aperirent. Interim in Germania inferiore & alijs ſemotis locis, literis, libris, nuncijs ſectam ſuam continentèr fouebat, apud Heluetios incredibili ſilentio regebat. Sed quid humana poſſit verſutia contra conſilium præpotentis Dei ? Ex ipſis familiaribus eius de eius doctrina quidam dubitare cœperunt. Ex ijs facilè principem ad ſe vocat, cui alioqui plurimùm confideret, nec ſinè ſtomacho ex illo percontatur, cur de re certiſſima dubitare voluerit : an non credat, ſe verum eſſe illum Dauidem à Deo miſſum, vt his extremis temporibus regnum Iſraëliticum reſtituat, Iacobique tabernaculum inſtauret ? Sed poſt multam diſputationem iſte manſit in ſententia, & à Dauide illo fertur abalienatus, monuiſſe etiam permultos, vt à perniciosiſſima ſecta quamprimùm diſcederent.

Mutat ſuum nomē.

Deficit ab illo quidā coniūctiſſimus.

Ad huius admodùm coniuncti viri defectionem acceſſit, quòd è duabus, quas intra vrbem habuit, ædibus altera fulmine tacta eſt : altera, quam in paſcuis magnificè extruxerat, cum precioſa ſupellectile conflagrauit : nec diù pòſt domûs, in qua ipſe habitabat, tabulatum repentè concidit. Omnium verò moleſtiſſimè tuliſſe fertur aduentum cuiuſdam viri grauis ex Germania inferiori, qui Baſileæ Dauidem ipſum totamque eius familiam deſcripſiſſet. Eo percepto nuncio, primùm eius coniunx morbo correpta moritur, & mox ipſe quoquè excedit è corpore, qui ſe Christo Domino prætulerat, & immortalem finxerat. Fuit hoc anno Christi 1556. 8. Calendas Septembris. Sepultus eſt honorificè in æde Diui Leonhardi. Eius mors non mediocritèr perturbauit diſcipulorum animos, qui eum nunquàm moriturum putârant : niſi quòd homo veteratorius falſa perſuaſione eorum ſuſtentabat ſpem, quòd pollicitus eſſet ſe intra triennium reuicturum, & præſti-

Diuinitùs in eū animaduertitur.

Moritur impius.

turum

1556 turum ea, quæ ipsis ampliter promisisset. Post obitum eius paulatim cœpit latens fraus aperiri, ità vt plerique iam sentirent eum, qui se Iohannem à Bruck, atque etiàm ab arce, quam Basileæ emerat, Iohannem à Benningen falsò appellârat, Dauidem Georgium esse, sectæ pestilentissimæ authorem, qui se regem & Christum sceleratissimè asseruisset. Hæc fama permouit Senatum Basileensem, vt rem diligentiùs inuestigandam susciperet. Itaque 4. Idus Maij anno 1559. (libet enim hìc totam historiam vnum in locum congerere, nè posteà sit necessè per partes absoluere) Dauidis Georgij iam mortui, filij & quotquot in eius erant familia mares, quidam etiàm extra familiam clientes & amici in curiam accersuntur. Vbì eò venerunt omnes, Tribunus plebis, nonnulla præfatus de illorum simulatione & dissimulatione, posteà interrogat, num Iohannes à Bruck sit proprium hominis defuncti nomen, an vnquàm siue priuatìm, siue publicè docuerit, & quæ eius doctrina fuerit. Ibì à nonnullis responsum est, nullam ipsos propriam habere sectam: à nonnullis verò, non aliam se tenere religionem, quàm quæ Basileæ doceretur. Nec se aliud nôsse viri nomen, quàm Iohannis à Bruck, quod à patria haberet: priuatìm quidem illum non tam docendi, quàm adhortandi causa quædam inter suos dixisse, nihil à Basileensium concionatorum dictis discrepantia. Erant homines vndecim: cumque hac ratione nihil esset compertum, iubentur secedere, & singuli reuocantur, & separatìm interrogantur. At nec sic quicquam repertum est. Itaque iubentur omnes isti in carceres abduci, & haberi in vinculis. Mittuntur interìm à Senatu, qui in illorum ædibus scripta omnia conquirant, si quid fortè indè cognosci queat. Facta conquisitione, permulti libri & literæ repertæ, cum ipsius Dauidis ad viuum picta imagine absportantur, danturque Theologis & Iurisperitis quibusdam examinandæ, num quid in ijs sit diuersum à religione recepta. Faciunt illi diligentèr quod iussi erant, & Dauidica ad senatum referunt. Senatus porrò mittit ad eos, qui in vinculis erant, septemuiros rerum capitalium, qui seuera primùm interrogatione nihil ab illis impetrant. At tamen cùm quidam nonnihil titubare videntur, accuratiùs inquiritur: & ibì tum quidam fatentur, qui se Iohannem à Bruck dixisset, eum esse Dauidem

Fit inquisitio in defunctum.

Perquiruntur scripta illius.

Proditur nomen impij.

dem Georgium, cuius nomine in Germania inferiore tot eſſent turbæ excitatæ. Porrò cùm eis nonnulla doctrinæ eius decreta proponerentur, fatebantur ſe illam doctrinam nunquàm ex eo audiuiſſe, nec in libris eius inueniſſe, ſed ſe prorsùs eam deteſtari. Quòd ſi tamen in aliquo errârint, vel etiamnùm errent, cupere inſtitui rectiùs. Hęc vbì ad Senatum ſeptemuiri retulerunt, miſſi ſunt certi concionatores & theologi, tam ad eos qui in carcere erant, quàm ad eiuſdem familiæ fœminas omnes. Vbi ad eos ventum eſt, vno ore tam viri quàm fœminæ reſpondent, ſe deteſtari ea quæ ipſis tanquàm Dauidis Georgij inuenta eſſent propoſita, & eam complecti fidem, quæ Baſileæ tradatur. Deindè Senatus Dauidicæ doctrinæ capita quædam Academiæ & Concionatoribus cenſenda proponit. Omnes igitur à Rectore Academiæ conuocantur, veniunt ad Concionatores, cunctique ea capita damnant. Poſteà Senatus iubet homines è carceribus educi, & ſub certis aliquot conditionibus dimitti. In ijs conditionibus etiàm illa fuit, vt Dauidicos libros omnes, ſiue typis excuſos, ſiue manuſcriptos, qui vllo modo Dauidicum fermentum redoleant, quos apud ſe habeant, mox in curiam apportent, nec vllum Batauica lingua ſcriptum librum apud ſe retineant. Hac quidem ratione poſſent facilè extingui hæreſes omnes, ſi ſic cum omnium damnatorum dogmatum ſcriptis ageretur. Sed hanc legem in ſuis ſcriptis non facilè tulerint dogmatiſtæ Zuingliani & eorum ſimiles. 1556

Biduo pòſt Iudices rerum capitalium de Dauidis Georgij cadauere, libris, & reliquis ad eum pertinentibus, in aream productis, extremum iudicium inſtituunt.[*] Inter alia obijciunt, quòd ob eius pernicioſam ſectam multi vtriuſque ſexûs, atque etiàm propria mater eius, in inferiori Germania vita mulctati fuerint, atque ea cauſa ipſe indè aufugerit, licèt aliud Baſileæ prætexeret. Deindè pronunciant, eius ſcripta omnia flammis exurenda, eius cadauer ſiue oſſa, & quicquid reliquum in eius ſepulcro fuerit, effodiendum, extra portam in ſupplicij locum, vnà cum libris & imagine eius ad viuum picta à carnifice trahendum, illicque ſimul omnia in cineres redigenda, ſicut cum ipſo Dauide fieret, ſi ſupereſſet. Porrò bona eius omnia in ærarium publicum inferenda. Poſtremò, ſi quis contra hoc iudicium quicquam dixerit, fecerit, eadem pœna plectendum. Sic illius in-

[*] *Iudicium in defunctum.*

1556 us insani hominis memoria prorsùs abolita est. Cùm carnifex cadauer eius comburere voluit, priùs illud ità erexit, vt ab omnibus, qui hominem nouissent viuum, facilè agnosceretur. Nam satis adhuc integrum erat, præsertìm flaua barba. Erat autem hoc modo ornatus: In capite villosum è serico pileum purpura suffultum habebat, & è rosmarino corollam: caput puluini non ignobiles fulciebant: ipse vndulata toga, quod camelotum vocant, vestitus, ac sindone munda inuolutus: Sic enim hæredes eum sepeliendum curauerant.

Cadauer vt sepultum fuerit.

Exuritur cadauer & scripta eius.

Combustus est autem cum scriptis suis coram maxima hominum frequentia. Fuit ille Dauid magno vir ingenio, (licèt patre, vt aiunt, ludione natus, & ipse in prima ætate pingendi vitri artem sit secutus) sed malo prauoque, quod ex plurimis eius libris, Hollandica lingua compositis, potest animaduerti. Linguę Latinę & omnium aliarum, nisi patriæ, rudis fuit. Eius autem doctrina multos continet execrabiles errores, è quibus paucos huc adscribam: Ausus est scribere, omnem doctrinam Moseos, prophetarum, ipsius Christi, & apostolorum ac discipulorum esse imperfectam, & inutilem ad absolutam consequendam felicitatem, atque in eum tantùm vsum traditam, vt homines quasi pueros ad hoc vsque tempus coërceret: suam verò doctrinam esse perfectam, & quæ hominem beare queat. Asseruit se verum esse Messiam, patris charissimum filium, non ex carne, sed spiritu sancto natum: se restauraturum domum Israëlis, verosque Leui filios, & verum Dei tabernaculum, idque non cruce, vel morte, aut rebus aduersis, vt alter Christus, sed clementia, & spiritûs Christi, qui ipsi à patre sit datus, amore & gratia. Se dixit habere potestatem soluendi peccata, & remittendi & retinendi, seque in extremo die totum mundum iudicaturum: se maiorem esse Iesu Christo, quòd hic ex muliere in carnem natus sit, se verò è Spiritusancto cælestem Christum natum & vnctum. Multa alia absurda nimis & impia scripsit homo perditus, & tamen hæc omnia conatus est adstruere sententijs scripturæ diuinæ. Ità nullus ferè est tam scelestus & abominandus hæreticus, qui non iactitet Dei verbum. Cur igitur tandem non cauent sibi homines ab istis noui Euangelij in tot sectas distracti præconibus, sub prætextu puræ doctrinæ & verbi Dei & synceri Euangelij horrendos in orbem errores inuehentibus, & innumeros in tartara abducentibus!

Impia eius dogmata.

tibus? Obitèr autem obseruanda est seueritas iudicij, quo cadauer hominis impij & eius imago flammis addicta sunt, idemque supplicium intentatum ijs, qui quippiam contra hoc iudicium dixissent, fecissent. Nos quidem, qui Catholici Deo fauēte sumus, satis nouimus iurè animaduerti grauitèr in hæreticos. At tamen cùm Pontifex & Catholici magistratus id faciunt, quàm bellè audiant apud sectarios, scripta eorum probant. Scilicèt cùm Zuingliani vel Luterani, aut alij id genus homines puniunt hæreticos, in virtute & laude ponendum est: cum Catholici, in vitio & vituperatione. In Anglia, vt mox dicam, cremata sunt cadauera Buceri & Fagij. Id indignissimè ferunt Foxus & eius complices. Sed rectiùs illi stomacharentur in Geneuenses suos, apud quos traditur ante annos non admodùm multos cadauer cuiusdam, qui ritu Catholico sacramenta sibi ministrari petierat, in crucem actum. Omnia licent præconibus euangelicis, Pontifici & Catholicis nihil licet. Vna eademque res cùm fit à Lutero, Zuinglio, Caluino, vel eorum similibus, purum putum euangelion est & eximia virtus: cùm fit à Pontifice aut Catholicis, facinus est Antichristianum, impium, execrabile.

1557

Cadauer in crucem actū Geneuæ.

ANNO 1557. octauo die Ianuarij mortuus est Albertus Brandeburgicus, qui intra paucos annos mirabilitèr afflixit Germaniam: Primò cum Mauritio persecutus est Cæsarem, indè Noribergenses, quos maximis affecit damnis, & Episcopos Herbipolensem atque Bambergensem. Posteà à Gallo rursùs defecit ad Cæsarem, cæsis multis Gallis & capto egregio Gallorum duce Aumalio. Deindè cum Mauritio acerrimè conflixit, in quo multa Germanorum millia perierunt vna die, & Mauritius ipse cum duobus Henrici Brunsuicensis principis filijs, multique comites. Nisi Deus maturè eum abstulisset, putatur maiora fuisse moliturus. Per id genus homines solet Deus interdùm castigare peccata mortalium, quemadmodùm veteres narrant historiæ, Attilam Hunorum crudelissimum tyrannum se appellâsse flagellum Dei, quo scilicet hominum scelera corriperentur. Obijt Albertus anno ætatis suæ 35.

Mors Alberti Brādeburgici.

Moritur etiàm Bona Sforcia, huius, qui nunc apud Polonos rerum potítur, Sigismundi regis mater, cùm antè sese Barium in Apuliam, relicto Poloniæ regno,

1557 in quod sensim teterrimæ hæreses irrepere cœperunt, contulisset.

Cadauera Buceri & Fagij exuruntur. Die 21. Februarij in Anglia combusta sunt cadauera Martini Buceri & Pauli Fagij, & templum, vbi condita fuerant, more Christiano expiatum, & denuò consecratum est. Et quidni Catholici sic tractent damnatorum dogmatum assertores, quādò idem, vt suprà dictum est, Dauidi Georgio fecêre Basileenses? Nihil debet Christianis commercij esse cum damnatis hæreticis, ne in sepultura quidem. Olim D. Ioannes Apostolus, (quemadmodum Irenæus martyr ex Polycarpo eiusdem Apostoli discipulo se accepisse testatur lib. 3. cap. 3. contra hæreses) cùm balneo eum vti oporteret, atque in eo Cerinthum hæreticum cerneret, quanta potuit celeritate indè se proripuit non lotus: Fugiamus, inquiens, nè balneum concidat, in quo veritatis inimicus Cerinthus lauat. Videat, qui volet, Historiam Nicephori Ecclesiasticam lib. 3. cap. 14.

Liberalitas Philippi regis. Eodem ferè tempore, cùm fames & inedia Germaniam inferiorem premeret, Rex Philippus, paternæ pietatis æmulator, aliundè curauit frumenta apportari in vsum multorum, & idemipse supra tria millia pauperum suis sumptibus in ea fame aluisse dicitur.

Hoc tempore recruduit bellum inter Galliæ & Hispaniæ reges. Anno superiori orta erat contentio quædam inter Pontificem & Philippum regem. Iamque dux Albanus nomine Philippi multo conscripto milite non pauca in Italia loca & in ijs ostia Tiberina occupauerat. Ea res multam Romanis trepidationem attulit. Erant tum induciæ inter Galliæ & Hispaniæ reges. At Gallus opem laturus Pontifici, duo millia peditum Romam misit, qui iuncti Pontificis copijs, ad magnam annonæ inopiam Philippi exercitum adegerunt. Porrò hoc anno 57. Gallus inuasurus Neapolim, & Mediolanum tentaturus, Guisium in Italiam misit cum 12. millibus peditum & 2. millibus equitum, qui in itinere nonnihil lacessiti à Valentiæ vrbis incolis, eam hostilitèr expugnârunt, præsidiumque firmissimum imposuerunt. Ea vrbs fœderata erat regi Philippo. Eodem verò tempore alius Galli exercitus Artesiam vexabat, adeò vt circa Epiphaniam alienissimo anni tempore Duacum frustrà tentârint, Lensam autem vrbem vi ceperint, multa præda àbsportata, & oppido inflammato. Ità quinquennales induciæ, vix integro seruatæ anno, rescissæ

rescissæ sunt, & sæuissimum deintegrò bellum exarsit. 1557
Verùm interim dum Galli exercitus hæret in Italia,
Philippus Hispaniarum rex insigni potitur victoria *Victoria*
apud D. Quintinum Galliæ oppidum. Miserat Philip- *Philippi*
pus Philibertum Sabaudiæ principem cum instructo *ad S.Quin-*
exercitu, qui in hostium terras irruens, tandèm deim- *tinum.*
prouisò ad oppidum D. Quintini deflectit, castraque
illic figit, vrbemque obsidet. Galliæ rex eò mittit An-
nam Mommorantium Conestablium cum triginta du- *Copiæ*
obus signis peditum Germanorum, dúce Reingrauio, & *Gallorũ.*
vigintiduobus signis peditum Gallorum, & quinque,
vel (vt alijs placet) quatuor millibus equitum, cum
quatuordecim maioribus tormentis. Eos Mommoran-
tius iubet hostem leuibus prælijs distinere, ipse interim
in oppidum conatur alimenta inuehere. Verùm Phi-
libertus Princeps, quem Philippus rex suis copijs præfe-
cerat, ad eos contendit. Erant in eius exercitu, præter *Exercitus*
alios, equitum Germanorum circitèr decem millia, *Philippi.*
quorum singuli præter hastas & gladios, quatuor aut
quinque vel plures etiàm sclopetos, rotulæ circumactu
ignem concipientes, gestabant. Hi vnà cum alijs in
Gallos irruunt. Galli, equitatûs tanti impetum non fe-
rentes, in fugam vertuntur: pedites, turbatis ordinibus,
à Philippicis cæduntur, plurimi capiuntur, reliqui ab-
iectis armis sese dedunt. Captiuorum ingens fuit nu-
merus, & in ijs multorum principum & nobilium. Co- *Capti*
nestablius ipse captus est vnà cum filio suo. Captiui *Galli.*
omnes ad Philippum regem, qui nondùm in castra ve-
nerat, perducti sunt. Signa militaria Gallorum ferè
omnia atque tormenta bellica capta sunt, & ingentia
spolia reportata. De exercitu Philippi vix quinquagin-
ta eo in certamine perijsse putantur. Incidit hæc me-
morabilis victoria in decimum Augusti mensis diem.
Aliquot pòst diebus Philippus rex venit in castra, & *Oppidum*
quòd se dedére nollent Galli, qui in S. Quintini oppido *S. Quin-*
erant, vrbs ipsa validè oppugnata, & die 26. Augusti vi *tini dire-*
expugnata & direpta est. In ipsa vrbe captus est Amira- *ptum.*
lius Franciæ, cum multis alijs nobilibus. Non est hîc
prætermittenda insignis pietas regis Philippi. Ante
ipsam vrbis expugnationem præconis voce edixit, nè *Pietas*
Sacramenta & sacra milites prophanent, nè quid in re- *Philippi.*
liquias sancti martyris Quintini, quæ illic reuerentèr
asseruabantur, committant, nè sacerdotes iniuria affi-
ciant, vt parcant senibus, cœnobitas & virgines Deo sa-

1557 cratas nè lædant. Ex ipsa deindè vrbe imbellem turbam curribus per media castra in Gallias duci iubet, Germanos milites eo bello victos in gratiam recipit, adhibitisque contra vim custodibus, in patriam reduci curat, singulis aureis in singulos pro viatico distributis. Porrò victoria parta ingentes Deo gratias egit. Capto S. Quintini oppido, arces aliquot proximæ Han & Castelletum victori Philippo regi cedunt. Erat tum Franciæ rex in non mediocri trepidatione, coactusque est suos ex Italia reuocare, & nouum repentè conscribere militem.

Caluini fermento Gallia corrumpitur. Vt autem est hæreticorum in omnem occasionem mirabilitèr intenta versutia, dum sic bella feruent in Gallia, & rex alijs negocijs distenditur, ipsi sua agunt clàm conuenticula, & spargunt in illo Christianissimo regno pestilentissima Caluinianæ impietatis dogmata. Die 5. Septembris summo manè in cuiusdam *Capiūtur Caluinistæ.* priuati hominis ædibus, qui tunc procùl aberat, Lutetiæ depræhenduntur permulti viri & fœminæ, qui illuc ad concionem nouorum dogmatum conuenisse dicebantur, & ferè omnes in vincula conijciuntur, demptis illis, qui nocturnis freti tenebris, fuga dilapsi erant.

Initio huius anni Iohannes à Lasko Polonus Sacramentarius, scripto edito conatus est testatum facere, Zuinglianum dogma non discrepare ab Augustana *Mutata crebrò cōfeßio Augustana.* Confessione. Philippus Melanchthon eam Confessionem subindè mutauit: & tandèm etiàm Zuinglianis fenestram, qua in eam irreperent, aperuit, cùm alioquì etiàm testatus esset de cœna Domini magis sibi placere Zuinglij, quàm Luteri doctrinam: immò etiàm conquestus est quandoquè de Luteri tyrannide, quam diù passus esset. At prima Confessionis Augustanæ editio, quam Cæsari Augustæ Protestantes exhibuêre anno 1530. nulla ratione admittit dogma Sacramentarium.

Porrò ex Anglia profugi Zuingliani, qui Embdæ nidulum obtinuerant, libellum edunt sancti Christi martyris & reuerendi patris Thomæ Cranmeri Archiepiscopi Cantuariensis, quem regina Angliæ Maria ob impiam hæresim vita mulctârat. Sic enim visum est illis profugis ornare hominem impium, non Christi, sed satanæ martyrem, pseudoepiscopum, non Archiepiscopum. Et quid non audent isti? Inuenti sunt olìm hæretici,

retici, qui & Cain & Iudam venerarentur, quin & Core, 1557
Dathan & Abiron & Sodomitas colerent. Tanta est hæreticorum insania. *Hæreticorum stultitia.* Cranmerus hic à Reginaldo Polo diligentèr admonitus fuit, vt ad sanitatem rediret, cumque eius resipiscentiæ spes non modica initiò appareret, Polus à regina Maria veniam impetrauit homini, licèt ea non religionis duntaxàt, sed etiàm suâ causa meritò illi esset infensa. Verùm posteà animaduersa eius simulatione, ad quam fictus esse videbatur, & qua omnibus in rebus tota vita, vt grauis quidam vir scribit, vsus sempèr fuerat, flammis absumptus est. Et is quidem ex Catholico primùm Luteranus, mox ex Luterano factus fuerat Zuinglianus, homo inconstantissimus, quem oblata quælibet vitæ spes facilimè immutaret.

Atquì Ioachimus Vuestphalus Luteranus Epistolam edit contra Caluini conuicia: breuem quoquè responsionem ad scriptum Iohannis à Lasko, in qua ostendit Iohannem à Lasko cum suis à Confessione Augustana in cœna Domini dissentire, etiamsi aliud callidè simulet. *Vuestphalus contra Zuinglianos.* Idem Vuestphalus Confessiones Ecclesiarum Saxonicarum collegit, & in libellum redactas edi curauit contra Caluinum. Et quanuìs Ecclesiæ Saxonicæ strenuè defendunt & mordicùs retinēt sanctissimi patris sui Luteri doctrinam, tamen libellus, quo earum confessiones continebantur, diuersis compræhensæ Epistolis, à Zuinglianis, ô rem indignam, per iocum dictus est Epistolæ obscurorum virorum. *Zuingliani rident Luteranos.* Itáne etiàm Luterani iam obscuri vocātur, & quidem à symmystis Zuinglianis, cùm apud eos orta sit mundo noui Euangelij lux? Iustus es Domine, & rectum iudicium tuum. *Psal. 118.* Qui Ecclesiam tuam, quæ non nisì vna est, & sola rectè Catholica dicitur, sibi irridendam & lacerandam sumpserunt, iurè se inuicèm irrident & lacerāt, & omnibus cordatis hominibus irridendos propinant.

Mense Augusto Caluinus librum euulgat hoc titulo: *Vltima admonitio ad Ioachimum Vuestphalum, cui nisì obtemperet, eo loco posthàc habendus erit, quo pertinaces hæreticos haberi iubet Paulus.* *Caluini scriptum contra Vuestphalum.* Refutat etiàm hoc scripto, vt titulus habet, superbas Magdeburgensium & aliorum censuras, quibus cælum & terram obruere conati sunt. Sic isti Euangelici fratres omnibus ostendunt, quid ex mutuis aliorum de alijs iudicijs sentire de ipsis debeant:

1557 atque vtinàm puderet nos cæcitatis nostræ, quòd nolumus vel serò animaduertere, quàm miserè nobis imponant sub puræ doctrinæ prætextu infausti tenebriones isti. Romanus Pontifex cùm istos hæreseos damnat, censuram eius contemnimus, & tamen illi ipsi inuicèm se condemnant & hæreticos vocant, idque tantum pondus habet, vt hoc nomine & Luterani Zuinglianos, & Zuingliani Luteranos ferre nequeant.

Zuinglianus contra Luteranos. Mense Septembri Martinus Micronius sacramentarius Apologeticum scriptum euulgat, quo partim Vuestphalum, partim Suerinenses ministros Luteranos confutat, & suos symmystas tuetur. At rursus Paulus Eizenus, Ecclesiæ Hamburgensis superintendens, scribit defensionem veræ doctrinæ de Cœna, nempè Luteranæ. Eo consilio sescripsisse dicit, vt contradicentibus veritati Dei, & multas simplices animas suis imposturis in perditionem seducentibus resistat: manifestè Zuinglianos indicans. *Luteranus contra Zuinglianos.* Nam & eadem ferè habet, quæ Vuestphalus & Timannus iam antè contra eos attulerant. Et quidem impostores & seductores eos vocat. Porrò quidam Adamus Christianus (appáret nomen esse fictitium) libellum edit, quo sarciendæ inter Euangelicos concordiæ viam ostendere molítur: sed oleum & operam perdit. Inter superbos enim sempèr sunt iurgia. Nolunt isti à Christo discere, mites esse & humiles corde. *Prou.13. Matt.11.* Putabat forsan Caluinus, se sua postrema terribili admonitione Vuestphalum prostrauisse penitùs: sed eccè tibi nouum Vuestphalus librum cudit hac inscriptione: *Iusta defensio aduersùs insignia mendacia Ioannis à Lasko &c.* *Vuestphalus contra Laskum.* Librum dedicat Francofordiensi Senatui, hortaturque vehementèr, nè Zuinglianos foueant: nec dubitat inexpiabili (si in Caluini foro discéptetur) blasphemia eos Zuinglianos, qui supremo supplicio affecti sunt, martyres diaboli dicere. Vsqueadeò nihil commouit Caluinus sua admonitione Vuestphalum.

Colloquium Vuormatiense. Hoc anno colloquium indictum est Vuormatiæ inter Catholicos & Luteranos. Accidit ibì quiddam longè fœdissimum, quod operæprecium sit ad posteritatis notitiam transmittere. Erant Euangelicarum partium duodecim theologi. Ab his Catholici theologi petiêrunt, quandoquidem multijuges Sectæ sub Augustana Confessione se compræhendi volunt, quæ tamen etiàm in maximis rebus inter se diffideant, vt tamen declarare ve-

1557

re velint, quas ipsi sectas Augustanæ Confessioni vel consentaneas, vel dissentaneas statuant. Nam decretum erat, inter eos solos colloquium habendum, qui essent vel religionis veteris, vel Augustanæ Confessionis: exclusis reliquis sectis omnibus. Ibì in diem vsque decimumsextum certatum est inter Euangelicos theologos, nec tamen res componi potuit, quòd alij ex ijs Sectas quasdam, tanquàm à Confessione Augustana discrepantes excluderent & damnarent, alij retinendas, eisque parcendum censerent. Ea contentio & altercatio eousquè progressa est, vt ex duodecim quinque reiecti sint, nec eos deincèps Collegarum & symmystarum loco habere voluërint reliqui septem. Itaque quinque illi à suis socijs excommunicati, relicto Colloquio, domum abiêrunt.

Mira inter Euangelicos cõcertatio.

Reijciuntur quinque Luterani.

Erat expectatio magna alicuius inter Catholicos & Euangelicos conciliandæ concordiæ: sed ea vsqueadeò iniri non potuit, vt ipsi Euangelici in duas propemodùm æquales partes turpissimè dissecti, Catholicis non immeritò dubitationem attulerint, vtra pars Confessionem Augustanam sequatur. Nec leuibus de rebus isti Euangelici theologi inter se rixabantur, sed de præcipuis capitibus: putà, De libero arbitrio, De Iustificatione, De Operibus, De Sacramentis, præsertìm de Eucharistia. Et certè quinque illi exclusi theologi literas sigillis suis munitas nostris theologis tradidêre, quibus testantur, omniuarias hactenùs sectas & corruptelas irrepsisse, & earum authores Confessioni Augustanæ se immiscuisse, & sub Augustanæ Confessionis prætextu, tanquàm eiusmodi hæreses illi consentaneæ sint, eas defendere voluisse, &c.

Nota literas 5. exclusorum.

Quandò verò ipsi quinque eas à Confessione Augustana excludere & specificè condemnare voluërint, à suis reliquis septem Collegis & socijs ex eorum consortio extrusos esse &c. Itaque istis ità inter se distractis, & quòd à septem reliquis, qui Vuormatiæ remanserant, nunquàm impetrari potuit, vt multiplices sectas à Confessione Augustana specificè separarent atque damnarent, nè frustrà cum Euangelicis Colloquij labor omnis insumeretur, necessariò hac vice Colloquium intermitti & suspendi oportuit. Prodiêrunt posteà scripta acerbissima, præsertìm Nicolai Amsdorffij & Nicolai Galli, quibus mirabilitèr lacerant illos septem, qui alios quinque reiecerunt. Inter alia sic habet Amsdorffius in libello, cui titulum fecit, Publica Confessio

Luterani in Luteranos debacchantur.

1557 puræ doctrinæ Euangelij, & confutatio præsentium Suermerorum : Brentius, inquit, & Adiaphoristæ (Philippum Melanchthonem & socios intellige) iam in Colloquio Vuormatiensi Zuinglium & Osiandrum ob linguarum & artium insignem peritiam, condemnare noluerunt : nostros autem, qui in colloquium illud consentire recusârunt, nisi illi damnarentur, sannis & contumelijs laceratos, è Colloquio excluserunt & abire compulerunt. Nos Zuinglianam & Osiandrinam hæreses tranquilla conscientia amplecti non possumus. Et quanuis Theologi, qui in Vuormatiensi colloquio post nostrorum discessum permansêre, publicè editis scriptis testati sint, se ab Augustana Confessione nolle discedere, re tamen ipsa diuersum planè faciunt. Cùm enim Zuinglianos & Osiandrinos execrari nolint, non possunt Augustanæ Confessioni adhærere, &c. Posteà nominatim sex damnat Sectas ac diris deuouet, quæ tamen ferè omnes ad Augustanam Confessionem se referunt. Nicolaus Gallus præco Ratisbonensis, in suis Thesibus & Hypotyposibus inter cætera disertis verbis ità scribit : Non sunt leues inter nos (Euangelicos) concertationes, nec de rebus leuibus, sed de sublimibus doctrinæ Christianæ articulis, de Lege & Euangelio, de Iustificatione & bonis operibus, de Sacramentis & vsu Cæremoniarum : nec vlla ratione componi & transigi possunt &c. Sic nimirùm isti scribunt, & verum eos hac in parte scribere, cùm alia multa, tum præsentis anni Colloquium declarat. Quarè verò permittit Deus istorum pudendos errores & priuatas atque ab animi cæca arrogantia profectas opiniones in eiusmodi fœda abire dissidia, & implacabiles animorum dissensiones ac acerbitates, nisi vt vel manibus ac pedibus tandèm palpare possimus, ab istis hominibus non verbi Dei veritatem, quæ semper vna est, & vbiquè suî similis, sed sub prætextu verbi Dei, mendacium (quod varium sempèr est, & inconstans ac multiplex, & subindè in alias atque alias formas transformatur) miseris mortalibus obtrudi, & tam multos horrendos errores in orbem nostrum inuehi ? Qui isthuc non videt, planè cæcus est & excors : & cui non dolet tot animarum, quæ his erroribus implicantur, sempiterna apud inferos damnatio, is dignus non est qui Christianus vocetur.

Nota.

Non leuibus de rebus conflictantur Euangelici.

ANNO 1558. Henricus Gallorum rex, paulò antè non mediocritèr afflictus amissione exercitûs sui ad S. Quintini vrbem, suos ex Italia reuocatos cum alijs recèns conscriptis, duce Francisco Guisio, mittit contra Philippum. Guisius primò ità se comparat, tanquàm sit S. Quintini oppidum oppugnaturus. Erat anni tempus longè alienissimum: atque eccè per exploratores certior factus, Caletum non satis firmo Anglorum præsidio teneri, derepentè conuerso itinere, eò cum exercitu contendit, vrbemque omnium opinione inexpugnabilem, septimo obsidionis die, hoc est, 9. Ianuarij, aut circitèr, in regis Gallorum potestatem redigit, cùm iam annis ducentis Angli eam obtinuissent. Fuit hoc facinus audax & propè incredibile, præsertìm tam iniquo anni tempore. Mox etiàm Guiennam vi expugnat, castellum munitissimum, direptumque incendit. Hoc quoquè oppidum Angli supra ducentos annos Gallis ereptum possederant. Ijs inopinatis victorijs Galli, iam propè consternati, animos recuperant. Horrendum in modum tormentis diuerberatum fuit Caletum: nec præsidium militum arci & vrbi impositum, eam quam oportuit, præstitit in defendendo constantiam, multùmque, amisso loco illo munitissimo, Angliæ rebus decessit. Vrbs ipsa deditione sub certis conditionibus venit in Gallorum manus. Eduardus tertius eius nominis Anglorum rex, anno Christi 1346. Caletum vndecim menses obsessum, è Philippi sexti Franciæ regis manibus extorserat: solebantque dicere Britanniæ reges, donèc Caletum haberent, claues Galliæ se in cingulo circunferre.

1558

Caletum expugnāt Galli.

Item Guisennam.

Mensis Februarij die 24. quo die in hanc lucem editus fuit, & anno 1530. Bononiæ à Clemente VII. incredibili splendore Imperij insignia acceperat, missa insigni legatione ad Principes Electores, qui Francofurti conuenerant, Carolus Cæsar Imperium in fratrem suum regem Ferdinandum transfert, & vt Septemuiri id gratum & ratum habere velint, orat. Indè 13. Martij die Principes electores Ferdinando maximi Imperij dignitatem deferunt, & tandèm Imperator ipse & Principes omnes domum repetunt. Vt in multis alijs, sic in hoc quoquè facto Caroli V. Cæsaris longè optimi summa apparuit modestia & humilitas, qui sua sponte se Imperio abdicârit, cùm interim non deessent, qui illi

Carolus V. Imperio se abdicat.

1558 ambitionem & regnandi libidinem improperarēt. Vtinàm digni eſſemus multos tales habere Imperatores. Deincèps priuatus in multa pace vixit aliquot menſes optimus Princeps, quod etſi miſerum & inglorium videtur pleriſque huic mundo deditis, vt iam antè dixi, tamen ſpontè renunciâſſe tanto Imperio & omnibus quæ ſunt huius mundi, inprimìs glorioſum & multa laude ac prædicatione digniſſimum eſt. Non enim debemus nos, qui Chriſtiana religione initiati ſumus, id genus in rebus hominum ethnicorū, aut etiàm huic mundo nimìs deditorum opinione duci, ſed oculos habere defixos in Chriſtum verum Deum ac Dominū noſtrum, qui cùm in forma Dei eſſet, non rapinam arbitratus eſt eſſe ſe æqualem Deo, ſed ſemetipſum exinaniuit, formam ſerui accipiens.

Phil. 2.

Vueſtphalus in Caluiniſtas, &c.

Huius anni initio Vueſtphalus, minimè Caluino ceſſurus, aliquot ſcriptis Apologeticis fœdiſſimas, vt ipſe ait, Sacramentariorum calumnias diluit, & Luteri de Euchariſtia doctrinam tuetur. Edidit etiàm Confutationem aliquot enormium mendaciorum Iohannis Caluini, ſequuturæ Apologiæ aduerſùs eius furores præmiſſæ, &c. Hic eſt enim eius confutationis titulus. Mox ſecuta eſt Apologia illa ad vltimam Caluini admonitionem. Ioachimus quoquè Magdeburgicus librum euulgauit, de vetere & nouo Chriſto: aitque veterem Chriſtum prædicari à Luteranis, nouum, à Berengario excogitatum, annunciari à Sacramentarijs. Non poſſunt dicere Euangelici hæc eſſe Papiſtica commenta, ſed ſunt purum putum verbum Dei, vt quidem ab vtraque parte iſti miſeri iactare ſolent. Cur igitur tandèm alij alijs non cedunt, & hactenùs ſe errâſſe confitentur? Sed hoc non ſinit ſpiritus ille, quo reguntur.

Nota.

Epiſcopus Herbipolen. interficitur.

Menſis Aprilis die 16. Melchior Zobel, ex antiqua & nobili familia, omnibus charus Princeps & Epiſcopus Herbipolenſis, nefando latrocinio in ipſa vrbe Herbipolenſi & Mœni ponte crudelitèr interficitur.

Theonuilla expugnatur.

Rex Galliæ duce Guiſio Theonuillam oppidulum munitiſſimum, multis ſuis deſideratis, expugnat, ſed Lucemburgum fruſtrà oppugnat. In Theonuillæ expugnatione glande ictus P. Strozza interijt. Eius morte & rex ipſe, & exercitus omnis Gallorum, & vniuerſa Francia non mediocritèr indoluit. nam multis in rebus

ſtrenu-

ſtrenuam Galliæ operam nauauerat. Alius verò Gallo- 1558
rum exercitus ad Grauelingam à Philippicis partim de-
letus, partim captus eſt. Multa peditum & equitum ve- *Gallorum*
xilla Gallis ablata ſunt: omnes machinæ, quas partim *ſtrages.*
ex vrbibus nupèr occupatis abſportârant, recuperatæ
ſunt: aliquot belli duces, Comites, nobiles, & quinque
Gallici ordinis equites capti ſunt. Paulò pòſt Duncker-
ca vi expugnatur, & Gallorum ad tria millia cæduntur.
Aegmondanus Comes, vir ſtrenuus & bellicæ rei peritiſ-
ſimus, huius prælij dux fuit.

Die 18. Iunij moritur Antonius Colonienſis Archi- *Epiſcopus*
epiſcopus, è Comitum à Schauuenburg familia, habu- *Colonien-*
itque ſucceſſorem Iohannem Gebhardum è Mansfeldi- *ſis obit.*
cis Comitibus.

In Hiſpanijs obijt Eleonora Caroli Cæſaris ſoror, *Obitus*
Franciæ regina. Eius exequiæ Lutetiæ Pariſiorum die- *Eleonoræ.*
bus 13. & 14. Aprilis in ſummo beatiſſ. Mariæ virginis
templo celebratæ ſunt. Et 24. Aprilis Henricus Gallia-
rum rex, Mariam Stuardam Scotiæ reginam, Franciſco
Delphino filio ſuo Pariſijs dat vxorem, nuptijs regia ma-
gnificentia celebratis.

Die 21. Septembris, cùm iam aliquot dies acutiſſi- *Diem ſuũ*
ma febre tertiana laboraſſet, è viuis felicitèr exceſſit piiſ- *obit Caro-*
ſimus & celeberrimus Princeps Carolus V. Romano- *lus V.*
rum Imperator potentiſſimus. Ante mortem in illa ſua
optata ſolitudine dies ac noctes precibus ad Deum fun-
dendis conſumebat, mundo ſe iam, immò & Deo de-
incèps in vita hac inutilem dicebat: itaque cupiebat li-
berari mortali corpuſculo, vt in æterna vita Deum per-
petìm laudare poſſet. Cùm eſſet in precibus ardenti-
or, ſæpè & valdè & piè pro Eccleſię concordia Deum ora-
bat, inquiens: *In manus tuas Domine tradidi Eccleſiam tuam.* *Precatio*
Sæpè lapſus ſuos publicè ingemiſcens lamentabatur, *eius.*
& too vitæ ſuę ſpatio nullum diem ſe dicebat Dei ſerui-
tio dignè & vt par erat impendiſſe. Crucifixi Seruatoris
imaginem per multos dies vlnis, oculis, oreque com-
plexus, ſeptimo à tranſlato Imperio menſe, pręſente Ar-
chiepiſcopo Toletano, omnibus Sacramentis Eccleſiæ
imbutus, maximam vim lachrymarum effundens ex-
pirauit, anno ætatis ſuæ 59. Ante mortem poſt ſacram
vnctionem, licèt iam antè corpus Domini accepiſſet, ite-
rùm illud ſibi dari petijt, dicens, *In me manes, ego in te ma-
neam.* Sic mortuus eſt piiſſimus & ſempiterna memoria

1558 dignus Princeps Carolus V. de quo, ob totius Ecclesiæ ædificationem, hoc loco visum est breuem historiam annectere, vt pro multis & maximis eius in Ecclesiam beneficijs, hanc qualemcunque illi impendamus grati animi significationem, & cognoscat posteritas omnis, qualem nostra ætas, alioqui longè calamitosissima ob hæresum & nouorum dogmatum prodigiosam fertilitatem, habuerit Imperatorem.

Historia Caroli V. optimi & religiosissimi.

Et quidem, vt iam initiò dictum est, natus est Gandaui, idque anno seculari, anno Iubileo, anno gratiæ. Nimis esset longum, omnia singulatim persequi, quæ in huius Principis tota vita viri grauissimi obseruârunt. Porrò verò singulari quadam Numinis prouidentia hūc Principem orbi labenti datum, dubitari non potest. In eum enim statum, cùm ille ad Imperium prouectus est, iam res Christianæ in Germania reciderant, vt nisi tanta ille & authoritate, & potentia & Numinis indubitato perpetuoque fauore præditus Imperij habenas accepisset, de Germania propemodùm desperandum fuerit, præsertìm in dies magis ac magis increscentibus sectis & erroribus, atque Turcis eam ob causam Germaniæ extrema minitantibus. Postquàm enim in Germania mutata est prisca & auita religio, vires quoquè Germaniæ labefactatæ sunt, & multa Imperio detraxerunt Turcæ, Moscouitæ, & plerique alij, idque paruo negocio, ob animorum dissensiones, quas noua religio peperit. Statim post natum Carolum multa omni in re præclara hominum ingenia extitêre: multos Italia, Germania, Gallia, Hispania, Britannia, Sarmatia, Hungaria doctissimos viros protulit: poteratque eo nomine hoc seculum longè felicissimum videri, si non plerique suis ingenijs in Dei contumeliam abuti voluissent.

Cæsaris forma externa.

Quòd ad Corpus Caroli attinet, erat illi cutis candida, capillus flauus, oculi glauci, & pęti, in quibus cum summa grauitate mira inerat amabilitas: genæ succulentæ, brachia & femora carnosa, venter subactus, rotundum, neruosum & compactum tergum, graciles suræ, nasus aquilinus, labra rubricantia, lata, crassa: pedes, manus, auriculæ breues: digiti vtrinquè longiores, neruosum collum, humeri lati, pectus latum & frons lata, vultus serenus, placidus, mitis: statura media. Atque hanc corporis formam vsque ad annum ætatis quadragesimum incolumem retinuit, multa omnium admiratione. Patrem habuit Philippum Austriacum, regem Ca-

ſtellæ & Legionis: matrem Iohannam, filiam Ferdinandi & Elizabethæ Catholicorum regum Caſtellæ & Aragoniæ. 1558

Genus Caroli V.

Philippi pater fuit Maximilianus Cæſar, Maximiliani Fridericus tertius, Friderici Erneſtus, Erneſti Leopoldus, Leopoldi Albertus, Alberti Albertus Romanorum rex, & huius pater Rudolphus, æquè Romanorum rex.

Ingenium.

Ingenio fuit Carolus V. humano, miti, candido, diſciplinarum capeſſendarum auido, taciturno, tractabili, pio, pietatis maximè ſtudioſo, clemente, honeſto, magnanimo, forti, reconciliabili, multùm amicitiæ appetente, vindictæ nō cupido, liberali, largo, amabili, dulci, verſatili, prudente, ſapiente, prouido, cunctabundo, non præcipiti, non effreni, modeſto, moderato, æquo, iuſto, bono, veraci, triſtitiæ & grauitati magìs quàm leuitati aut lætitię dedito, raro hilari, ſempèr conſtante atque tranquillo, vbiquè ſuî ſimili, nuſquàm & nunquàm diſſimili, aut ſuî immemore.

Educatio.

Mechliniæ à puero educatus eſt apud Margaretam Maximiliani Cæſaris filiam. Primam eius pueritiam gubernauit Pontifex Biſontinus Vergiacus Sequanus, vir grauis, & poſt hunc Guilielmus à Croia Marchio Ariſcotiæ. Porrò Maximilianus Cæſar, Caroli auus & tutor, cupiens eum optimis & literis & moribus imbui,

Adrianus Florētius Caroli præceptor

Adrianum Florentium Vltraiectinum, virum grauem & eximium theologum, ei pręceptorem adhibuit. Adrianus Caroli ingenio benè perſpecto, nihil ſui officij in eo optimè inſtituendo prætermiſit. Carolus verò, optimæ indolis iuuenis, morigerum ſe præbuit promptiſſimè, & lectioni, ſcriptioni, alijsque literarijs exercitationibus grauitèr incubuit.

Guilielmus à Croia.

Guilielmus à Croia Marchio, rebus militaribus, luctationi, iaculationi quæ fit arcu, equitationi, ſaltationi, armorum vſui & venationi operam dare eum permittebat. In omnibus facilè ſuperabat commilitones ſuos, nè tamen eos contriſtaret, victoriæ brauium illis impertiebatur. Multa ei quotidiè proponebantur veterum heroum ex ſacris & prophanis hiſtorijs fortia facta, quin & Maximiliani aui paterni & Ferdinandi aui materni bellica facinora: quibus fiebat, vt literarum ſtudia ſensim refrigeſcerent, præſertìm dicente Adriano Florentio, virum principem magìs bonos mores, quàm bonos colores complecti debere, cumque iam vltrò pietati deditum, ad ſtudia pietatis amplectenda extimu-

1558 timulante. Interim Adrianus legationis nomine abit in Hispaniam, & Carolus totum se confert ad Rempublicam.

Adrianus it in Hispanias.

Inauguratur Carolus Belgio.

Anno ætatis suæ 15. sui iuris factus, Belgicis ditionibus inauguratus est, summa cum Belgarum omnium gratulatione, maximis illi exhibitis triumphis, idque non rarò. Deindè magnoperè studuit regum & principum sibi affinitates, quòd eę plurimùm faciant ad pacem publicam, conciliare: & primò quidem totum se ad Francisci Gallorum regis amicitiam contulit, qui tum recèns regni titulum obtinuerat. Lusitano regi Eleonoram, Daniæ regi Isabelam, Pannoniæ Mariam sorores suas collocauit. Henricus Angliæ rex eius materteram Catharinam, Ferdinandi Hispaniæ regis filiam, iam antè coniugem acceperat.

Conciliat sibi reges.

Abit in Hispaniã.

Anno ætatis suæ 17. primò in Angliam, mox in Hispaniam nauigat, matrem & regni proceres humanitèr & piè tractat, dum regnis Hispanię inauguratur. Interìm verò adfertur ad eum de obitu Maximiliani Cæsaris. Habebat tum secum quosdam principes viros, qui eum cuperent in Imperio succedere Maximiliano. At Carolus veritus, nè Franciscum Galliæ regem, qui putaretur Imperium petiturus, ea re offenderet, suam illi mentem aperuit. Franciscus rex respondit, nihilo magis se offensum iri, quàm si duo vnam virginem expeterent: pergeret bonis auibus, Deum feliciori adfuturum. Itaque Imperium Carolo defertur 19. die mensis Iulij: quę illi caussa fuit maturiùs in Germaniam redeundi. Relicto igitur Adriano iam Episcopo Dertusensi, præceptore quondam suo, eique summa in Hispanijs potestate tradita, in Belgium redit, & Aquisgrani in regem Romanorum coronatur & vngitur. Eo tempore constans inter Carolum & Franciscum regem pax fuit.

Eligitur in Imperatorem.

Coronatur Aquisgrani.

Conuẽtus Vormatiæ

Indè ad Conuentum Vuormatiensem abit anno ætatis suæ 21. vbì Luterum damnauit, & graui edicto paci publicæ consulere voluit. Erant tum Principes quidam in ea sententia, vt dicerent, Lutero, licet fide publica Vuormatiam accersito, non esse seruandam fidem. At Carolus eum iussit in Saxoniam reduci, dicens Fidem rerum promissarum, etiamsi toto mundo exularet, tamen apud se consistere oportere. In his Comitijs dum est Cæsar, bellum ei mouetur in Belgio, in Italia, in Hispania. Et ille quidem palàm testatus est, se ad bellum & arma capessenda prorsùs inuitum descendere: porrò rem

Bellum fit Cæsari.

tem omnem Deo committete: sibi verò id maximè dolere, quòd interim Turcis in Germaniam via sterneretur. 1558

Virtus eximia.

Multa per omnem vitam vir mitissimus & clementissimus bella gessit sempèr ferè adeò propitio Numine, vt hostibus suis, ipsique adeò potentissimo Turcarum principi, ob perpetuam in conficiendis bellis felicitatem, terrori fuerit. Fuit autem hoc in illo admirabile, & eximiæ virtutis euidens argumentum, quòd neque tum, cùm rex Gallorum Franciscus in pugna Ticinensi captus, neque cùm Clemens Pontifex & Roma superata nunciaretur, vllum dedit lætitiæ signum nec publicè nec priuatim, sed Deo supplicationes septem dierum decreuit: porrò pro Pontifice ex sæuissimi militis manibus liberãdo, dierum quadraginta. Nam certè Pontificem Romanum, vt verè Catholicus princeps, ex illa summa voluntate sua non amauit tantùm, sed coluit etiàm. Itaque quamprimùm militum efferos animos, qui Pontificem obsidebant, pecunia placari iussit. Nec diù pòst Galliæ rex, Italicis quibusdam illi se coniungentibus, Neapolim inuadit: sed eccè tibi prępotens Deus absentis Caroli Cæsaris curam gerens, fœda lue illas hostiles copias adeò attriuit, vt plurima sanè & peditum & equitum millia Gallus se amisisse quereretur. Inter hos autem Christiani orbis intestinos motus & bella ciuilia, valdè se pius princeps consolabatur, quòd in nouo orbe ab ipsius præfectis subacto, innumeræ gentes Christianam fidem in dies amplecterentur.

Obseruãtia erga Põtificem.

In nouo orbe multi reges subacti.

Et quidem inter cæteros eius præfectos Ferdinandus Cortesius, in regno Mexicano, & Franciscus Pizarrus in regno Peruaco, octodecim reges & prouincias totidem acerrimis prælijs subiugârunt, & Christiana religione initiari curârunt, alijs etiàm eò suam operam accommodantibus. Est autem hoc notatu dignum, quòd noui orbis incolæ Temistitani nullis literis siue characteribus vtuntur: sed res gestas Maiorum, imaginibus quibusdam auium ac stirpium annotârunt: Peruaci autem, chordarum coloribus & nodis. Aiunt cælum & terram post certa spatia peritura, & animas immortales rectè & malè factorum præmium & supplicium apud cælites laturas. Porrò ante cæli & terræ interitum Solem priùs & Lunam occubituros, quos interim pro dijs coluerunt. Credunt quoquè Peruaci carnis resurrectionem: sed planè barbarum est, quòd eam ob causam

Peruacorum opiniones.

mariti

1558 mariti cum vxoribus & familia magis chara sepeliri solebant, & quidem eodem momento, eodemque in loco, vt tanto citiùs simul resurgerent.

Multitudo hominũ in orbe nouo. Tot autem hominum millia in illo nouo orbe Carolino (sic enim vocant) Christi fidem complexi sunt, quantum esse possit in hoc veteri orbe nostro. In solo regno Mexicano iampridèm fuêre octoginta sanctissima monasteria, & in dies plura fiunt. Sunt ibì magni vbiquè populi, multæ & validæ vrbes, pulcherrima ædificia & palatia ex latere & candido quoquè marmore: incredibilis frugum, auri, argenti, æris, & aliorum metallorum copia. *Amplitudo vrbis Mexicanæ.* Vnica vrbs Mexicana centum viginti millia ædium habet: vicina autem municipia, alia septem, alia quindecim, alia viginti, alia triginta, alia quadraginta, alia sexaginta, alia septuaginta domorum millia obtinent: *Palatium amplissimum.* Marchionis Ferdinandi Cortesij palatium solum tanta est amplitudine, vt cùm ipse, & senatus Caroli Cæsaris, & multi præfecti & tribuni militares illic omnes laxissimè habitarent, septem tamen ducatorum millibus partes ædificij vacuæ quotannis elocarentur.

Potentia regũ Cusconiorum In regno Peruaco quanta fuerit regum Cusconiorum potentia, antequàm Caroli armis domiti essent, vel indè facilè constare potest, quòd duas illi vias militares è ciuitate Cuscone in septingentas Leucas direxerant, quarum vna per alpes, altera per valles ducebatur: atque in his vijs ad singulas septenas leucas diuersoria, quas ipsi tumbas vocabant, constituerant, in quibus singulis sempèr nudus, exarmatus, famelicus quadraginta aut ampliùs millium hominum exercitus, subitò appellens, vestiri, armari, pasci in longum tempus posset. Et *Atabaliba immẽsum auri pondus offert.* quidem Atabaliba vltimus Cusconij rex, qui multos sub se habebat reges, Cæsaris Caroli subactus armis, septuaginta milliones aureorum Carolinorum, (id est, septuagiès dena centena millia aureorum Carolinorum) intra diem septuagesimum se spoponderat appensurum, si libertati suæ restitueretur. Sed duorum Tribunorum Cæsaris dissensione & auaritia factum est, vt post sepiès quadraginta auri vasa appensa, morte violenta ablatus sit, non minima Caroli Cæsaris iactura. Miranda quidem sunt hæc, sed id multo mirabilius, quòd tam opulentæ gentes sanctè, piè & castè Christi religionem colunt, quod vtiquè sinè præsentissimo Numinis fauore & summo miraculo fieri non potuit: vt nos meritò gaudere debeamus, nostro æuo gentes amplissimas & opulen-

pulentissimas, relictis dæmonum cultibus, ad vnius viui & veri Dei cultum traductas esse, dum interim in his Europæi orbis angustijs, in mille sectas distracti, sensim ad atheismum quendam & paganismum relabimur. 1558

Idioma Mexicanorum.

Est hoc quoquè admiratione dignum, quòd plerisque Imperij Mexicani locis coloni & incolæ idiomate vtuntur eiusmodi, quod valdè affine & simile sit Flandrico, præsertim Gandauensium idiomati. Nec verò sinè maximo sudore & multis periculis nouus orbis in Caroli Cæsaris ditionem redactus est. Sunt nanque ibì multæ amplissimæ ciuitates, multi altissimi montes, rupes inaccessibiles, profundissimæ voragines, densissimę syluæ, frequentes hominum turbæ, multæ & in terra & in mari horrendæ beluæ: sed hæc omnia, Deo benè fauente, Caroli Cæsaris virtuti & pietati cessêre, Hispano veteranò milite nullos pro Cæsare & Christi fide propaganda labores recusante.

40. vrbes Cæsar condit in regno Peruaco.

In solo regno Peruaco quadraginta nouas vrbes Carolus Cæsar exædificari curauit: porrò in regno Mexicano vrbem Mexicū, (in qua, vt diximus, tèr quadraginta sunt millia amplissimarum ædium, quam Corthesius ob seditionem totam iusserat concremari, augustissimè totam nouam ædificari voluit, vndè etiàm Palatiū Caroli vocatur vrbs ipsa. In nostro quoquè orbe (vt id obitèr dicam) multas & vrbes & arces construxit Carolus Cæsar, putà Carolomontium, Philippopolim, Hesdinfertum vrbes, Cameraci, Gandaui, Vltraiecti arces validissimas in Belgio, atque alibì complures alias.

Structura Cæsaris in nostro orbe.

Opes ex nouo orbe allatæ.

Legatus Indicus noui orbis Anno Domini 1555. tèr septem milliones aureorum Carolinorum coronatorum siue ducatorum (million significat deciès centena millia) Carolo Cæsari obtulit, vt priuilegium & legem quandam Carolinam abrogaret. Totidem milliones eorundem ducatorum etiàm Philippo Caroli Cæsaris filio alter legatus posteà obtulit. Ex ipso nouo orbe septem decades millionum auri feruntur in Hispanias relatæ, & totidem decades millionum auri ex margaritis, gemmis, vnionibus & reliquis lapidibus & rebus preciosioribus noui orbis: quæ summa si ritè supputetur, penè incredibilis euadit: sed sunt magnæ opes illarum regionum. At multò maior summa pecuniæ, demptis tamen his auri summis, in milites & præfectos Cæsaris annis quadraginta in nouo orbe subigendo & muniendo

1558 niendo consumpta est. Per hos autem auri milliones hoc loco accipi debet purum putum aurum Castellanorum ducatorum Carolinorum.

Orbis nouus vbi repertus. Et quidem in Australiori veteris orbis nostri plaga, trecentis quinquaginta leucis vltra caput Bonæ Spei, nouæ noui orbis Carolini plagæ & vastitates repertæ sunt, quæ magnitudine spatiorum longè apud fretum Magellanicum in Orientem & Occidentem & Austrum porrigantur, adeò vt nouæ quotidiè terræ noctu & interdiu emicârint in mari.

7 Senatus noui orbis. Porrò in nouo orbe septem Carolus Cæsar esse voluit amplissimos Senatus, quorum quidam Cancellariæ vocantur: nempè, in Fano Dominici, in Mexico, in Guatimala & Nicaragua, in noua Granata, in Regibus ciuitate Peruaca. In Cuba est Gubernator, & in noua Gallicia sunt quatuor Prætores, qui vocantur Alcaldes maiores.

Duo Proreges. Constituit quoquè duos Proreges, alterum qui præsit mari meridionali & eius littoribus & locis mediterraneis, habitatque Regibus in prouincia Peruaca: alterum qui dominetur mari Aquilonari, & eius latissimis littoribus, & locis ac prouincijs mediterraneis, habitans in Mexico. *Magistratus varij.* Sunt quoquè Gubernatores plurimi siue proconsules, vt in Boriqueno, Panama, Cartagena, Venezuela. Sunt Adelantadi præsides prouinciarum. Sunt & præsides vrbium, itemque Consulares prouinciæ, qui in maioribus ciuitatibus habitant, quorum electio ad duos supradictos Proreges pertinet.

Archiepiscopus Fanu Dominici. In Fano Dominici est Archiepiscopus, & habet septem sub se Episcopos, videlicet, Xaliscomium, Mechauacanum, Guaxacam, Tascalam, Guatimalam, Chiapam & Nicaraguam. *Item in Regibus.* In Regibus, quæ est vrbs regni Peruaci nobilissima, est Archiepiscopus, cui inter cæteros sub sunt Episcopi, Cusconus, Quitonus, & Charcas: & quotidiè plures creabantur. Porro rex Castellæ est patronus omnium Archiepiscoporum, Episcoporum, dignitatum & beneficiorum Ecclesiasticorum noui orbis: & ipse illos designat permissu Romani Pontificis.

Magnitudo noui orbis. Nouus ille mundus Carolinus in mari Boreali in dimensione littorum obtinet septem millia leucarum communium Gandauensium, quarum tèr septem leucæ conficiunt vnum latitudinis siue altitudinis gradum, si à septentrione Boreali in Australem plagam metiaris. Singulis autem gradibus Ptolemæus attribuit septuaginta millia passuum, quæ efficiunt septuaginta millia-

ria Italica. Porrò vetus orbis noster habet trecentos sexaginta gradus: & totidem dies numerant noui orbis incolæ in anno vno: sed illis interserebant dies quinque, quos habebant toto anno celeberrimos, vt nos Pascha nostrum. *1558*

Magnitudo orbis nostri.

In mari autem Australi noui orbis dimensio continet in se ter mille quingentas leucas communes. Noster vetus orbis, quacunque eas, conficit septem millia leucarum communium. Si singulis climatibus mille leucas attribuas, septem erunt orbis climata. Si decem parallelos singulis climatibus iniicias, & singulis parallelis singulas leucarum centurias adiicias, septuaginta parallelos & septuaginta centurias leucarum orbis habebit. Vndè conficiuntur 360. gradus Ptolemaici, quorum singuli continent tèr septem leucas communes Gandauenses, in quos Ptolemeus orbem partitus, spatia telluris marisque distribuit. Est autem omninò verisimile & ferè necesse, in Australi noui orbis plaga, hoc est, ad polum antarcticum & fretum Magellanicum, vbi aræ & columnæ Caroli Quinti constitutæ sunt, esse latissima, vastissimaque terrarum spatia.

Sebastiani à Cano nauigatio stupenda.

Fuit quidam Sebastianus à Cano appellatus, qui vltra æquinoctialem egressus cum naui Victoria dicta, triennio vndè egressus fuerat nauigans, in Hispanias reuertit, ac in tellure vtrorunque Antipodum ancoras fixit. Atque ille quidem multa Asiæ, Aphricæ, Europæ littora circunnauigauit, vltra lineam æquinoctialem se extendens, quam veteres inhabitabilem ob æstûs nimietatem falso putabant: sed vltra vtrosque Septentriones, Boreales scilicet & Australes, noluit aut non potuit tantillo temporis spatio progredi. Certè non desunt viri grauissimi, qui contra veterum opinionem dicant, mundum totum non solùm habitabilem, sed etiàm habitatum, idque multis modis probant. Aiunt verò alimenti inopiam, & libertatem itinerum interclusam, magis vitæ hominum impedimento esse, quàm solis ardores, aut polorum frigora & hyemes: constanterque affirmant, esse antipodes & antœcos & periœcos, nec dubitant dicere orbem nouum Carolinum comprehendi altero mundi hemisphærio, & nostro esse æqualem, illique in æquilibrio respondere.

Terra omnis habitata.

7. Prouinciæ maiores noui orbis.

Eius orbis septem sunt prouinciæ maiores siue Consulares, quarum maximè borealis est Florida, cuius latera extrema amnem Neuadum & terram Laboratoris

1558 atttingunt, & Gronlandiam, Islandiamque ad ducentas leucas respiciunt. Altera prouincia, est Hispania noua: Tertia, est Terra firma: Quarta, Andalousia noua: Quinta, Bresilia, quæ páret Regi Lusitaniæ: & hæ prouinciæ omnes positæ sunt ad mare Boreale. In mari Australi, vnica est Peruaca, prouincia sexta, in qua sunt Chile, Quito, Cusco, Reges, Platana, Loxa, Portus vetus, Guayaquilæ, Guanucum, Pax, Valles, & similes vrbes ac dynastiæ. Septima prouincia est, quæ nupèr reperta est, contra Caput Bonæ spei obiecta, & freto Magellonico longissimè respondet, veterem & nouum orbem respiciens.

Ortus solis in Mexico.

Porrò septem horis antè lucescit sol apud Hispalim Hispaniæ vrbem, quàm in Mexico, & ijsdem septem horis priùs eclipses, solstitia & æquinoctia appárent in limite nostri veteris orbis, quàm noui Carolini. Et quidem anno salutis 1524. venit in ciuitatem Mexicanam frater Martinus Valentinus. cum duodecim monachis, tanquàm vicarius Papæ à Carolo Cæsare illuc cum authoritate eiusdem Pontificis missus: eodemque anno prædicauit ille in noui orbis terra continente Euangelium Christi, & magnos illic progressus magnaque incrementa fides Christi accepit, & quidem ea ipsa fides, quam Germani & plerique alij Europæi, à Martino Lutero & alijs sectarijs malè persuasi, vt Papisticam reijciunt. Baptizabantur illic multa hominum millia, & cùm anteà plures simul vxores habuissent, dubitareturque quam ex omnibus retinere deberent, eodem anno Mexicana habita est Synodus solennis, cui tanquàm Papæ Vicarius præsedit Martinus Valentinus, in qua tandèm definitum est, quòd qui fidem Christianam cum omnibus Romanæ & Catholicæ Ecclesiæ ritibus complecterentur, ex omnibus vxoribus vnam tãtùm quam vellent, ducerent ritu Christiano.

Martinus Valētinus Christum annunciat nouo orbi.

Synodus Mexicana

Idola omnia ex templis exturbabantur, crux Christi & sanctissimæ Mariæ virginis imago in templis reponebantur, Eucharistia populis ostendebatur, Missæ sacrificium à Martino & collegis duodecim patefiebat, Euangelium Catholico more piè & purè annunciabatur. Indè verò paucis annis tot baptizabantur in ea noui orbis plaga, vt alij septiès dena centena millia, alij quaterdeciès dena centena hominum millia in solo illo Mexicano regno baptizata retulerint. Magna etenim in eo noui orbis tractu est hominum copia, adeò vt in

Multitudo baptizatorum.

insula

insula Fani diui Dominici quindeciès centena hominum millia fuisse reperiantur, & quandoquè in processione centum millia hominum se Christiano more ceciderint virgis. Eodem anno 1524. misit Cortesius ex Mexico Carolo Cæsari per Diegonem de Soto septuaginta millia Castellanorum ducatorum aureorum, vnamque colubrinam argenteam, quadragintanouem millibus aureorum Carolinorum æstimatam.

1558

Colubrina argentea.

Et ô diuinam prouidentiam, ô terribilem Deum in consilijs super filios hominū, septimo anno post natum in Germania dogma Luteranum, in nouo orbe Martinus Valentinus vitæ sanctitate & miraculorum operibus inclaruit, & cæcis gentibus Euangelij lucem syncetam, quam Germania Martino Lutero apostata infami duce fastidiuit, inuexit. Qua de re Catholici quidam hos versus scripsêre:

Psal. 65.

Inuito potuit Romano præsule Luter
Sacramenta Dei vellere, non premere.
*Septem post annos * validus Martinus in orbe*
Illa tuo repetit Maxime Carle nouo.
Iste duodenis sociatus fratribus, ipsum
Prototypum sequitur legis Euangelicæ.
Hunc sequitur (quemnam sequitur Germania?) Cæsar.

* Alludit ad Valentiā, Martini huius patriam.

Et certum est, omnes Indos & noui orbis Carolini incolas & accolas, fieri quotidiè magis ac magis Christianos. In archiuis Caroli Cæsaris lectum est, vnum quendam sacerdotem septiès centena hominum millia baptizâsse: alium tèr centum millia, alium centum millia: alios plures, alios pauciores. In solo Mexico referunt multi summa fide dignissimi triginta fuisse dynastas, quorum quilibet habuerit sub se centum millia hominum, aut circitèr: & tria millia toparcharum, qui & alios sub se haberent clientes fidutiarios, & beneficiarios Vasallos, valuasores & valuasinos: qui Dynastæ certa anni parte familiam suam alebant in ciuitate Mexicana curia regis Moteczumæ: & ex ea non licebat illis discedere ad suas prouincias, nisì regis permissu, ac relictis siue filijs siue fratribus suis in ciuitate obsidum loco: &, quod dictu horrendum est, mille plerunquè homines vno die in ciuitate Mexicana immolabantur. Sed omnia idola exturbata sunt, dæmonibus silentium indi-

30. dynastæ regni Mexicani

Horrenda sacrificia.

1558 ctum, oracula & præstigiæ conticescere iussæ sunt, pluralitas vxorum in vnius consortium redacta, septem illis Sacramenta & cæteri Romanæ Ecclesiæ ritus reuerentèr traditi sunt, nobis interim in Europa de horum contemptu & nouorum dogmatum complexu petulantèr nobis applaudentibus, & tanquàm mirifica reperta luce gratulantibus. Sed Deus prępotens, spretis nobis contemptoribus, suam gratiam offert illis barbaris & ignotis gentibus, & vt hæretici tabescant, omnes illas facit Romani Pontificis obseruantissimas, & veteris religionis studiosissimas. Solent iactare isti temulenti noui Euangelij præcones, se Romano Pontifici modis omnibus velle incommodare: nec vident miseri, vt ipsos irrideat qui habitat in cælis, & tantò Romanum Pontificem in remotissimis noui orbis regionibus faciat maiori studio ac veneratione affici, quantò in Europa apud plerosque minori in precio est. Nostrum erat, iuxta Pauli doctrinam, obedire præpositis nostris, permanere in ea religione, quam à sanctis Maioribus nostris accepimus, exercere nos in operibus bonis, sobriè & iustè & piè viuere in hoc seculo, & omnia peregrina dogmata vitare. At dum ista nos negligimus, eccè Christus se confert ad Indos & antipodes, offerturque regnum Dei gentibus facientibus fructum illius, & nos hîc in tot sectas & errores distrahimur, vt referre pudeat. O nos miseros, qui in summa quoquè miseria nos felices & beatos putamus.

Psal. 2.

Heb. 13.

Matt. 21.

Quòd autem in nouo orbe vsqueadeò propagata est fides Christi, vel maximè illustrem reddit Carolum Cæsarem, cui vtiquè id præcipuè studio fuit, vt fides Catholica illic modis omnibus disseminaretur. Dicebat autem peccata nostra meruisse, vt Ecclesia discinderetur, & vt authorem ostenderet, Vnus homo, inquit, nobis scribendo perdiderat rem, Luterum videlicet significans. Vt enim ab vnà interdùm scintilla vastissimum oritur incendium, sic ab vno Lutero faces subministratæ sunt, quibus totus apud nos conflagraret orbis Christianus. Quàm autem hoc sit verum, tædet referre, cùm res ipsa id plus satis testetur. Sed noster Carolus non solùm nouum sibi subiugauit orbem, sed etiàm nominis sui fama celeberrima, ex multis rebus felicitèr gestis comparata, & Mauritanorum, & Libycorum, & Tartarorum, & Scytharum, & Sophi regis Persarum, & Prætoianis, qui est potentissimus Aethiopum rex, legationibus

Dictũ Cæsaris de Sectis.

Legationes ad Cæsarem.

nibus perquàm honorificis affectus est. Fuit autem idem *1558*
ipse magnæ temperantiæ in cibo & potu, vt plerunquè *Cibi & potûs parsimonia.*
ad mensuram & certas vncias biberet, & ad pondus co-
mederet. Nec vnquàm vestitui nimio indulsit: nusquàm
purpura Tyria, nusquàm preciosa & regalis vestis in vsu
vitæ eius quotidiano apparuit: sed atra lanea veste & *Vestitus.*
diù lugubri, præsertìm à coniugis obitu, est vsus, vt &
in re omni familiari attentus, nusquàm immodicus es-
set. Nusquàm præter modum lauta vtebatur supellecti- *Supellex.*
le, nusquàm mirifici incendebantur odores, nusquàm
mensis epulæ conquisitissimæ inferebantur, nisi cer-
ta ratio aliud hortaretur. Et in mensa plerunquè solus
& tacitus sedebat, ità vt conuiuia eius sinè conuiua, mo-
derata, solitaria, honesta, non opiparè apparata, esse con-
staret. Nunquàm pecuniæ præter causam prodigus fuit,
cuius expendende magnam sempèr rationem habendam
censuit, non ignarus, quantam pecuniæ vim bella ab-
sumerent.

A vinolentiæ, vanæ gloriationis, & voluptatum vi- *Pudor ingenuus.*
tijs adeò sempèr fuit alienus, vt qui illum & à puero o-
ptimè nouerant, eandem illi tum indolem, quæ nunc in
sene & extrema ętate apparuit, etiàm infanti, & ephebo,
& adolescenti, & iuueni, & viro fuisse affirment, sem-
pèr in eo pudore ingenuo mirificè relucente. Fuit huma-
nitate, morum suauitate & clementia in omnes singu-
lari. Familiam suam omnem præcipuè charam habuit.
Erat natura valdè placabilis & exorabilis, idque sua le- *Lenitas & placabilitas.*
nitate & bonitate assecutus est, vt sæpiùs ipse ab hosti-
bus laudatus sit, quàm alij Principes ab amicis & ciui-
bus suis. Cùm ad Solimannum Turcarum principem
quidam Christianus dynasta transfugisset, & ab illo in-
terrogatus, cur relicto Cæsare ad ipsum perfugisset, ille
tribus de causis, putà auaritiæ, libidinis & iniustitiæ Cæ-
saris fecisse responderet, Solimannus ait, nihil horum *Nota Solimanni de Carolo V. testimonium.*
sibi posse de Carolo persuaderi, quippe qui diù percon-
tando & indagando cognitam haberet Cæsaris vitam,
nec posse horum vitiorum labem in illo hærere, qui tam
sanctè & piè leges cæremoniasque Dei & Maiorum su-
orum obseruaret: iussitque hominem Solimannus à suo
conspectu remoueri, & posteà etiàm odijs & proscripti-
onibus eum est persecutus, & ex tota Turcia exturbauit.
Est hoc insigne testimonium ab eo redditum, qui non
Caroli tantùm, sed totius Christiani nominis hostis in-
festissimus esset.

1558 Multas Cæsar callebat linguas, quod illi ad multa magnas attulit commoditates. Itaque in bello diuerso vtens milite, cum Germanis Germanicè, cum Hispanis Hispanicè, cum Belgico equitatu Gallicè, cum Italis Italicè, cum Neapolitanis equitibus mixtim loquebatur: ad Hungaros, Boëmos, Dalmatas, Macedones varijs sermonibus vtebatur. Imperium & imperiale diadema semper non vt patrimonium se suum possidere, sed vt magistratum gerere profitebatur, idque quam humaniter & beneuolè accepit, tam liberalitèr ac munificè reddidit à quibus acceperat. A risu fuit abhorrens, quod idem de Carolo Magno legitur: interim tamen in apophthegmatibus, & acutè, falsè, breuitèr, facetè dictis valdè elegans fuit, sic vt Atticus quidam lepos in eius sermone & Nestorea eloquentia appareret. Ità enim labijs compressis sua verba distinctè, articulatè & tractìm pronunciabat, vt singulæ & syllabæ, & consonantes, & vocales, & diphthongi audirentur. His adiungebat pronunciationis dulcedinem, cum summa modestia & grauitate coniunctam. In ipsis autem apophthegmatis suis ità se comparabat, vt essent sinè ioco ioci. Atque ex ipsa natura magìs ad condolendum & collachrymandum, quàm ad subsannandum aut irridendum vitam aut mores hominum procliuis fuit, quæ quidem rara est virtus. Indè accidit, vt non rarò in lachrymas solueretur, cùm pro hominibus calamitosis ei preces offerrentur, & plerunquè magìs ipse fleret, quàm pro quibus rogabatur.

Peritia idiomatũ.

A risu abhorret.

Cõdolentia erga miseros.

Quotidiè suas manè horas Canonicas, vt vocant, legebat, easque ità extendebat, vt bìs tantum ferè, quantum presbyteri, sempèr manè legerit. A cœna sempèr redibat ad longissimas preces suas, quæ duarum plerunquè erant horarum, sicut & matutinæ. Non enim suis viribus fidebat potentissimus Princeps, sed totus à summi Numinis ope & auxilio pendebat, quod sibi precibus, tam longis quotidiè conciliare studebat. Et hinc tanta illi in rebus gerendis felicitas, tam insignes victoriæ: adeò vt ob multa fortissimè gesta, Galli eum Herculi, Germani Carolo Magno, Itali Dauidi, Siculi Africano, Hispani Alexandro Magno, Turcæ Iulio Cæsari, Afri Hannibali comparârint. Multi cùm aduertissent eum & domi & militiæ æquè continuum & prolixum esse in precibus suis, dicere solebant: *Carolus sæpiùs cum Deo, quàm cum hominibus loquitur.* In singulas bellorum expeditiones,

Preces quotidianæ.

ones, nouas sibi preces ipse & componebat, & sua manu conscribebat, quæ prolixitate ferè æquarent septem illos Psalmos vsitatissimos, easque priùs examinandas dabat suis Confessarijs, & ab eis approbatas, quotidiè etiàm in agmine & acie dicebat, nonnunquàm per speciem exonerandæ vesicæ aut alui ab agmine secedens, vt prolixiùs & feruentiùs oraret. 1558 *Preces in bellis.*

Cùm bella gereret, ipse primus sempèr suo in agmine fuit, nonnunquàm quindecim horas, nonnunquàm diutiùs in equo iugitèr residens. In omnibus expeditionibus bellicis audacissimus fuit, vt ità mortem planè contemnere videretur: adeò se ad omnia pericula impauidum offerebat, vt nusquàm ob bombardarum ictus caput inclinaret, nusquàm pedem moueret, nusquàm expallesceret. Et in castris ità se audactèr supra humanum modum contra hostes gerebat, vt occidi velle in militia videretur. In omni quoquè ætate nunquàm cupidus vitæ, sempèr mortis auidus fuit. Sæpè etiàm in castris, & in ipso iuuentutis flore dicebat, Cupio dissolui & esse cum Christo. Eam verò inusitatam animi fortitudinem indè partìm habuit, quòd nullā expeditionem in hostes susceperit, nisì animo tranquillo & optima conscientia. *Fortitudo et magnanimitas in bellis.* *Phil.1.*

Plerique viri militares dicere solebant, Cæsarē vincere quidem nôsse, sed victoria non perindè vti nôsse aut velle: quibus Cæsar respondit, Iulium Cæsarem, quem illi obijciebant, & alios veteres ethnicos vnum tantùm habuisse finem, videlicet honorē: nobis Christianis duos esse propositos, putà & honorem, & animæ salutem. Sæpè etiàm dixit: Etsi totum expugnâssem Franciæ regnum, redderem illud regi, modò id exiguum, quod meum esse contendo, mihi relinqueret. In seruandis matrimonij legibus sempèr castissimus fuit: & licèt non deessent, quæ eum ad libidinem illicerent, eas tamen sempèr constantissimè respuit. Sæpè ipsemet fenestram claufit, nè inspiceret prætereuntes formosiores fœminas. Sæpè dictitabat, nunquàm se ducturum vxorem, si fratrem Ferdinandum tam fœcundum fore sciuisset. *Dictum Cæsaris.* *Castitas in matrimonia.*

Nunquàm choreis aut tripudijs delectatus est, nisì decoris & honesti respectu. Nunquàm per aliquod numen iurare auditus fuit, nisì cùm fœdera inijt, aut regnis inauguratus est.

Supra modum acuto & perspicaci fuit ingenio, ità vt eius iudicij acrimoniam, prudentiam & sapien- *Ingenij acumen &*

1558 tiam præſtantiſſimi viri ſæpè mirarentur. Sæpè ſuam
prudẽtia. ſententiam ſcripto comprehenſam, ad aliquot ſuos prin-
cipes & duces mittebat, & illorum tamen iudicio, vt erat
mirabili modeſtia, ſe ſubmittebat: ſed illi ferè ſempèr
eius ſubſcribebant ſententiæ, eumque meliùs quàm ſe-
ſe rem perſpexiſſe fatebantur. Hinc conſtans fama fuit
Elogium ſempèr, *Carolum ſapientiſſimum ſenatorum, fortiſſimum cen-*
Cæſaris. *turionum, pientiſſimum iudicum fuiſſe*: quam iudicij pieta-
tem non ſemèl in illò experti ſunt potentiſſimi ſatrapæ,
Nerui cùm illis grauiſſima eſſent crimina intentata. Tres bel-
belli. li neruos dicebat, Commeatum, pecuniam, militem: ex
ijs ſi aliquo carendum eſſet, militem veteranum ſe po-
tiſſimùm electurum, cuius promptitudine reliqua duo
ſe ex hoſte comparaturum confideret. Cùm eſſet in cu-
biculo cum ſuis familiaribus & domeſticis, nuſquàm
quiſquam vel læta vel triſtia ad eum eſſe perlata, ex eius
Conſtan- vultu aduertere potuit: tanta erat oris, oculorum, & to-
tia oris. tius vultûs Cæſarei conſtantia, & quaſi perennis quæ-
dam ſerenitas. Quotidiè tres quartas horæ partes genu
flexo orabat manè, longa talari ſupra ſubuculam in-
dutus veſte: ac tum nemini in cubiculum patebat in-
greſſus. Poſteà patebat ijs, quibus ius ingrediendi erat,
Vt diem ac tum preces Eccleſiaſticorum Horarias dicebat. Indè
trāſegerit. ſe veſtiebat. Pòſt ad Rempublicam gerendam ſe com-
ponebat. Hinc ad Sacrum audiendum ſe conferebat,
quod in omni vita ſempèr audiuit, præterquàm in bel-
lo Africano ſemèl. A Sacro rectà ad menſam, nunquàm
ad negocia ibat, niſì grauis accidiſſet caſus. Cùm Miſſæ
ſacrificium ad medium perductum eſſet, menſa paraba-
tur: cùm ipſe è ſacro egrediebatur, cibi ex culina effe-
rebantur. Halecibus, ſalſamentis & piſcibus naturali-
tèr delectabatur, ſed ità tamen, vt haberet rationem va-
letudinis. In menſa etſi parùm aut nunquàm loquere-
tur, audiebat tamen libentèr aliquid nonnunquàm, præ-
Audit ſertìm ex ſacris depromptum. A prandio omnes proli-
omnes. xiſſimè audiebat etiàm infimæ fortunæ homines, vir
humilis & miſericors, ſupplicesque omnium libellos
accipiebat.

Largitas In præſtandis eleemoſynis per omnem vitam ad-
in eleemo- modùm liberalis fuit, adeò vt cùm puer eſſet, quadra-
ſynis. genos aureos in loculis habens, ſæpè ſeptiès vno die eos
erogârit, neſcientibus præfectis & œconomis ſuis. In vi-
rili ætate & ſenili in largiendis eleemoſynis ad puella-
rum matrimonia, iuuenum ſtudia, ſenum vitam ſuſten-

tan-

tandam, captiuos ab hoste redimendos, ægrotos curandos, omnium regum, principum, Cæsarum liberalissimus ac munificentissimus est habitus. Quæcunque autem eius generis donabat, clanculùm faciebat, tum accipientium pudori, tum suæ modestiæ consulens. In Germanos, ab hæreticis rebus suis spoliatos aut vexatos, sacros & seculares, liberalitate sua pientissimè vtebatur: sed nunquàm ferè tales dedit eleemosynas, quin lachrymas multas profunderet, grauiterque doleret, non se posse egenis omnibus ex æquo subuenire. Habuit autem œconomos semper circùm se attentissimos, quorum seueritate fiebat, vt princeps natura liberalissimus, non esset profusus in eos, quos non esse egenos putaret. 1558

Quidam sapientissimi proceres, Cæsari intima familiaritate coniuncti, sæpè eum admirati sunt, atque plane sui temporis miraculum naturæ Carolum fuisse confitebantur: tanta erat in Carolo & morum, & sapientiæ, & pietatis præstantia. Tandem optimus princeps sentiens se viribus deficere, & multam erga se multorum ingratitudinem expertus, toti mundo & omnibus mundi honoribus valefecit, & in solitudinem sese contulit, nauigans ex Belgio in Hispaniam. Sed in ipso itinere nunciatum ei est, Ouranum Africę promontorium liberatum obsidione Turcarum & Afrorum, ac multa illic Turcarum & Afrorum millia concisa ab Hispanis: atque etiàm in auro quinquagiès centena millia aureorum Carolinorum, & in lapidibus preciosis viciès centena millia aureorum ex orbe nouo Carolino Hispalim esse allata. Per id tempus stupendæ auri copiæ ex Peruaca & Mexicana plaga tum expectabantur. Denique feliciter ex hac luce in lucem sempiternam migrauit optimus, pijssimus, potentissimus princeps Carolus V. cui parem per omnia Imperatorem multa secula non viderunt.

Miraculũ naturæ Carolus.

Aurum et gẽmæ alˀ latæ ex nouo orbe.

Atque interìm tamen non desunt, præsertìm aliquot Gallici scriptores, qui tantum principem non semèl acerbè perstringant, & apud omnes traducere conentur: quos oportebat modestia vti, præsertìm in principem religiosissimum, cui ipsi suis scriptis apud cordatos omnes non solùm nihil detrahent, sed eoipso efficient etiàm, vt tantò in maiori precio & veneratione habeatur. Atque hæc quidem in Caroli V. longè potentissimi & pientissimi Imperatoris commendatio-

1558 nem pro nostri instituti breuitate dicta sint satis. Caroli Cæsaris mortem paulò pòst secutus est obitus Mariæ sororis eius, fortissimæ & prudentissimæ heroinæ, quæ multis annis Belgio præfuerat. Sub finem Nouembris mortua est etiàm Maria Angliæ regina longè piissima, cuius incredibili virtute intra breue tempus in Anglia restituta fuit religio Catholica. Non mediocriter illam afflixerat Caleti & aliorum oppidorum expugnatio : tum etiàm quòd videret Philippum regem bello implicatum teneri : nec huius doloris exiguum auctarium fuit mors Caroli V. soceri sui. Accedebat his omnibus hydropisis, quæ cùm initiò eius intendisset ventrem, creditum est, eam è Philippo rege concepisse : nec adhibebantur matura remedia, nec ipsa eam quam oporteret, sectabatur victûs rationem. Indè in febriculam incidit, quæ suis sensìm aucta incrementis, longiori vita ob multas excellentes animi dotes dignissimam heroidem extinxit. Habuerat illa germanum fratrem Henricum nomine, sed quem non nisi trimestrem mors præpropera enecârat, pro regno terreno fruiturum regni cælestis immensa gloria. Itaque cùm Henricus rex & Catharina Mariæ parentes, inter quos tum mutuus vigebat amor, solam Mariam sibi superesse cernerent, ad quam regni successio deuolueretur, hoc vnum summoperè curârunt, vt ea piè & honestè educaretur, & optimis moribus imbueretur. Erat tum Margarita, Edouardi 4. Anglorum regis fratris filia, Reginaldi Poli mater, cuius etiàm suprà meminimus, tum ipsi Henrico regi sanguine iuncta, tum singulari prudentia & in Deum pietate fœmina. Ea præ omnibus visa est vel maximè idonea, cui Maria quàm rectissimè instituenda committeretur. Et ea quidem in suam eam curam & disciplinam recepit, & moribus sanctissimis, omniq́ue virtutum genere, vt pòst res ipsa satìs declarauit, excoluit : verùm posteà cùm nulla posset ratione adduci, vt à Catholicæ religionis integritate deflecteret, hoc præmij tulit ab Henrico rege, quòd plùs quàm septuagenaria iussa est capite plecti, vt iam antè dictum est : nec ipsa sola, sed etiàm filius eius natu maximus, & duo alij eius consanguinei, religionis causa, eodem rege iubente, cæsi sunt.

Maria regina excessit è viuis.

Item Maria Anglica.

Mariæ reginæ educatio.

Mortua Maria Angliæ regina, eodem anno Reginaldus Polus Cardinalis & Archiepiscopus Cantuariensis

ensis, multa & virtute & eruditione, & regio quoquè 1558
stemmate clarissimus, eam tam breuì secutus est, vt inter vtriusque obitum, quod mirum videri queat, non nisi sedecim horarum spatium intercesserit. De cuius insigni viri vita & virtutibus pauca hoc loco commemorasse operæprecium fuerit, maximè quòd Sleidanus non vno loco in hæreseos suspicionem eum vocare videtur, tanquàm is à nouo hoc Euangelio non abhorruerit, quæ quidem est iniuria non mediocris in talem virum. Et vt breuitèr genus eius attingamus, patrem habuit Richardum Polum, qui frater consobrinus fuit Henrici 7. Anglorum regis: mater eius Margarita ex Georgio Clarentiæ duce orta est, qui fuit germanus frater Edouardi 4. Anglorum regis. Is verò Edouardus filiam procreauit Elisabetham, quæ nupta Henrico 7. peperit eidem Henricum 8. Angliæ regem. Itaque & paternum illi & maternum genus fuit longè clarissimum. Natus verò est anno salutis 1500. mense Martio, non diù post Carolum V. cui fuit inprimis charus, adeò vt cùm quandoquè de Romana curia loqueretur, dixerit se quidem nouisse neminem, qui Polo esset melior. Mater Margarita puellum piè instituit, adolescentulum misit ad gymnasium iunctum Carthusiæ, haud ità procùl à Londino distanti. Indè abijt ad Oxoniensem academiam. Porrò annos natus 19. Patauium in Italiam profectus est, non mediocri iam tum literarum cognitione præditus. Habebat pro generis splendore sic satis honestam familiam, morumque singulari venustate facilè omnium erga se amorem & beneuolentiam demerebatur. Alebat domi suæ aliquot doctrina præstantes viros, in iisque Christophorum Longolium Belgam, qui apud ipsum mortuus est: quorum ille opera & consuetudine vsus, in omni scientiæ genere & linguarum cognitione maximos progressus fecit. Quinto anno postquàm in Italiam venerat, exacto, iussus domum redire, priùs Romam adijt, præsertìm quòd tum annus Iubileus ageretur, locaque sacra, quæ in ea vrbe plurima sunt, pia animi deuotione inuisit, non id vtiquè facturus, si Luteri fermento infectus fuisset. Reuersus deindè in Angliam, summa omnium voluntate & gratulatione, quòd ob mores amabilissimos & multam doctrinam omnibus esset gratissimus, à rege & petijt & impetrauit eam domum, quam Iohannes Coletus ad Carthusiam, cuius suprà memini, vbì puer vixerat

Obitus Reginald di Poli.

Genus Reginald di Poli.

Natiuitas.

Studia.

Familia.

Reditus in Angliam.

Polus,

1558 Polus, exædificauerat. Ibì fanè delectatus Carthusianorum sodalitio & instituto, (quemadmodum etiàm per omnem vitam loca solitaria & monasteria, quoriès opportunum fuit, libentèr expetijt, magìs ab ipsa natura literarum studijs & contemplationi quàm actioni deditus) biennium permansit, donèc rege malè persuaso Catharinæ reginæ repudium meditante, copia à rege petita, Parisios profectus est, vt impendentes Angliæ calamitates declinaret. Sed anno absoluto, reuocatus à suis in Angliam, iterùm duos annos in sua illa Carthusiensi habitatione religiosè & piè exegit. Tum verò per quosdam rex conatus est illum eò permouere, vt in Catharinæ repudium consentiret. Hæc res illum vehementèr anxium cùm haberet, tandèm visus est sibi eam inuenisse rationem, qua nec regi aduersaretur, nec suæ conscientiæ prorsùs deesset. Orabat autem obnixè Deum, vt in tanto animæ periculo minimè se

Polus obmutescit.

desereret. Ingressus indè ad regem, vt illi mentem suam explicaret, mirabili Dei prouidentia & voluntate ità obmutuit, vt aliquandiù ne verbum quidem edere potuerit. Quæ enim ipse sibi reperisse videbatur, non tam veritati solidæ, quàm humanæ prudentiæ, innitebantur.

Henrico 8 mentē explicat suā.

Deindè reddita loquendi facultate, summa cum modestia, in nullo prorsùs regi assentatus, humanissimè eum admonuit, vt à diuortio, quo pristinam esset gloriam obscuraturus, & animam perditurus, sese maturè reuocaret. Hoc quidem euidens miraculum, & insigne erga Polum præpotentis Dei beneficium fuit, qui passus non est, vt aliqua ex parte suam conscientiam regiæ machinationis qualicunque approbatione contaminaret. Ea responsione rex, qui sperârat Polum, quod ipse magnoperè optaret, approbaturum, ità commotus est, vt eum inter loquendum tantùm non occidere cogitârit. Neque tamen vnius regis duntaxàt, sed etiàm aliorum in se animos hoc responso concitauit. Itaque facilè animaduertens quo in discrimine versaretur, per quosdam regi charos obtinuit, vt ipsi è regno abscedere

Abit in Italiam.

liceret. Venit igitur primò Auenionem, mox Patauium: cumque virorum doctissimorum amicitia delectaretur, ijs tamen vtebatur familiariùs, quorum esset spectata pietas in Deum. Venetijs cùm esset, Caspari Contareno & Petro Caraffæ, qui posteà fuit Paulus 4. Pontifex maximus, atque tum temporis cum nonnullis sanctius quoddam & seuerius vitæ genus, cuius secta-

tores

tores Theatini dicti sunt, instituerat, familiaris admodum fuit. 1558

Fit Cardinalis.

Non multò pòst, licèt inuitus, à Paulo 3. in Cardinalium est collegium cooptatus anno 1536. Multa studiosè prætereo, nè longior sim, omnibus optimi viri virtutibus commemorandis. Missus deindè est legatus à Pontifice in Galliam & Belgium, & cùm Parisijs esset, à rege & omnibus honorificè acceptus, tamen quòd Henricus Angliæ rex apud Galliæ regem vehementèr instaret, vt Polum sibi traderet, iussus est postridiè indè abire : id quod propterea Gallus fecit, nè vel tradendo Polo, Pontifici de seruando illo fidem datam falleret, vel etiàm diutiùs retinendo Anglum iritaret. Etsi verò id permolestum accidit Polo, tamen mox Cameracum petijt, & quidem non absque magno discrimine.

Proscribitur à rege Angliæ.

Interim Angliæ rex eum tanquàm Maiestatis reum proscripsit, & qui eum tulisset è medio, illi quinquaginta millium aureorum præmium constituit. Indè verò non difficilis coniectura capi potest, quibus ille nullo non loco obiectus esset periculis.

Manet apud Leodiensem Episcopũ.

Vnus tum Erardus Cardinalis & Episcopus Leodiensis, eum ad se interposita fide publica euocauit, & sex menses summa humanitate tractauit. Et quia bellum erat inter Cæsarem & Gallum, Anglus in quatuor millia peditum contra Gallum decem mensium stipendia Belgico Senatui, in quo erat etiàm Leodiensis Cardinalis, pollicitus est, si Polum in suam potestatem traderent. Reuocatus pòst à Pontifice Polus, Romam est reuersus. Omitto hoc loco legationem aliam à Pontifice illi demandatam ad Cæsarem & Galliæ regem, qua tamen nihil potuit effici. Ab ea verò legatione ex Hispanijs & Gallijs reuerso aliam, sed multo tranquilliorem, putà Viterbiensem, Pontifex ei detulit, in qua multos annos magna cum laude versatus est.

Præsidet in Concilio Tridenti.

Indicto autem Tridenti Concilio, Pontifex illum cum duobus alijs Cardinalibus suum voluit esse legatum, qui Concilio Pontificis nomine præsideret: idque bis idem Pontifex Paulus 3. fecit, cùm prima vice ob antistitum absentiam nihil potuisset effici. Et fuit sanè inter illos legatos summa animorum charitas & consensio, & Polum omnes plurimi faciebant. Pontifex quoque ipse si quid in religionis negocio, & cum regibus & principibus agendum esset, atque etiàm in id genus scribendis literis Poli opera perlibentèr & crebrò vtebatur. Mortuo Paulo III. duos & eo ampliùs menses maior Cardinalium nume-

1558 rus Polum delegit, quos tamen ille orabat, raro sanè insignis continentiæ & modestiæ exemplo, nè qua humana affectione duci se paterentur, sed ante omnia Dei gloriam & Ecclesiæ vtilitatem spectarent.

Recusat summum Pontificatum.

Erat tum ex Cardinalium numero, qui ei ambitionem obijceret. Cui ille grauitèr admodùm respondit, summi illius sacerdotij onus non tam sibi leue videri, vt non reformidandum potiùs quàm appetendum existimaret. Per id tempus apparuit sanè in illo eximia virtus & animus benè firmus, quandò neque certa ferè Pontificatûs expectatio, neque aliquorum atroces calumniæ eius constantiam perturbârunt. Deniquè fuisset ille tum proculdubiò creatus Pontifex, si se à Farnesio eiusque socijs Cardinalibus de more adorari permisisset. Cùm enim illi auidè ad eum properarent, reiecit eos, dicens non nocturnum se velle tempus: differrent rem in crastinam lucem, Deum non tenebrarum, sed lucis amantem esse. Postera die mutata sunt Cardinalium studia, nec deerant, qui tantam animi virtutem ignauiæ & stupiditati tribuendam putarent. Creato deindè Iulio tertio cùm bellum contra Gallos ad Mirandulam moueretur, Polus Maguzanum profectus, quod est Benedictini instituti cœnobium, in summa illic tranquillitate vixit.

Viuit apud Monachos Benedictinos.

Postquàm verò Maria in Anglia rerum potita est, Pontifex primò quidem Polum legatum in Angliam mittere voluit, sed ob certas causas ea re dilata, legationem aliam ei decernit, de pace inter Cæsarem & Gallorum regem concilianda. Venerat tum Polus Dilingam vsque ad Cardinalem Augustanum, sed ibì hærere iussus est à Cæsare, ad quem ibat, donèc accerseretur. Fecit id quidem Polus, sed interim tamen datis ad Cæsarem literis, ostendit quàm parùm deceat Pontificis Legatum eius aditu prohiberi: quàm ea res hæreticis magnam sit allatura voluptatem. Nec verò id faciebat Cæsar contemptu Pontificis aut Legati, sed quòd tum ageretur de contrahendo Philippi & Mariæ matrimonio, cui rei verebatur nè quam moram adferret Poli in Britanniam aduentus. Eo matrimonio breuì post contracto, Polus ad Cæsarem Bruxellas venit, acceptus ab illo Principe perhumanitèr.

Venit ad Cæsarem.

Multa illic sapientèr locutus est ad Cæsarem de pace cum Galliæ rege facienda, & Cæsar sanè libentèr eum audiuit, nullasque se pacis conditiones honestas, & quibus minimè dubia pax confici posset, recusare testatus est. Ijs auditis,

tis, adijt Polus etiàm Galliæ regem, cum quo itidèm ea 1558
ratione de pace egit, vt rex eum non sinè spe pacis di- *Item ad*
mitteret. Eo autem abeunte, plurimùm se dolere rex *Galliæ*
ait, quòd non rectiùs eum antehàc nouisset. Nam se *regem.*
nullum alium quàm ipsum maluisse creari Pontificem.
Reuersus ad Cæsarem Polus, in cœnobio quodam pro-
pe Bruxellas degebat. Iam verò celebratis in Britannia
Philippi & Mariæ regum nuptijs, regina Maria Polum
missis legatis ad se accersit, abrogatis priùs legibus,
quas contra illum & eius familiam Henricus rex tu-
lerat, & Edouardus ratas habuerat. Tum ille, Cæsare *Abit in*
annuente, in Britanniam abijt mense Septembri anno *Angliam.*
1554. secundissimo vsus vento, cùm diù antè contrarius
perpetuò flauisset. In Britannia vbiquè honorificè in-
primìs exceptus est, ab ipso etiàm rege & regina. Rex
sanè illi processit obuiàm, & perhumanitèr eum am-
plexus est. Regina quoquè tantam se ex eius conspectu
voluptatem capere testata est, quantam tum cepisset,
cùm regina esset declarata. Mansit verò aliquandiù
cum regibus, deindè in ædes magnificè reginæ iussu in-
structas, multis primarijs viris comitantibus, deductus
est. Tertio indè die cum rege, qui illi extra cubiculum
obuiàm processit, de rebus quarum causa venerat, tracta-
turus, ab eo literas perplures Roma missas, quibus le-
gationis authoritas non parùm expetita augebatur, ac-
cepit, hoc ipso sanè mirificè lætatus. Postera luce rex ad
eius domum accessit, diuque cum illo familiaritèr lo-
cutus est de Britanniæ regnò ad Ecclesiæ vnitatem re-
uocando. Sequenti die conuentus fuit in ipsa regia, præ- *Habet o-*
sente quoquè Polo legato, qui in eo conuentu benè lon- *rationem*
gam habuit orationem, gentis eius vsus idiomate. Ea *ad An-*
oratione gratias egit, quòd ipsi aditum in regnum, legi- *glos.*
bus antè præclusum ab Henrico latis, patefecissent: ait
se proptereà venisse, vt eos cum Deo & Ecclesia in grati-
am restitueret: quas essent calamitates perpessi interìm
dum ab Ecclesia se separâssent, & quãta omni tempore se-
dis Apostolicę in eos extitissent beneficia, cõmemorauit:
hortatus est, vt oblatam ipsis modò gratiã amplecteren-
tur & asseruarent. pluraque dixit alia, quæ ab illis omni-
bus non absque significatione propensæ erga ea volunta-
tis audiebãtur. Indè regni Cancellarius Episcopus Vuin-
toniensis regum & totius conuentus nomine Legato
gratias egit, seque de ijs quæ proposuisset, in deliberatio-
nem ituros ait. Abeunte verò legato in proximũ cubicu-
lum,

1558 lum, idem Cancellarius paucis repetijt, quæ erant dicta à Legato, & hortatus est vt in viam, à qua se quoquè deflexisse fatebatur, hac oblata opportunitate redirent.Ità conuentus eo die solutus est. Alterò manè magno omnium consensu decretum est amplecti Ecclesiæ Catholicæ concordiam & vnitatem. Die sequenti, in quem feriæ S. Andreæ Apostoli inciderant, omnes iterùm in regiam conuenerunt, missíque à regibus sunt ad Polum Legatum Episcopi sex & totidem viri proceres, & cum ijs Arondelli Comes, regiæ domûs præfectus, qui Legatum in regiam deducerent. Is venit eò Legati ornatu atque omnibus insignibus, multúmque honorificè à regibus acceptus est. Ibì Cancellarius repetit priùs dicta, rogat num permaneant in sententia, cupiantque ad Ecclesiæ vnitatem & Pontificis maximi redire obedientiam. Mox ab omnibus acclamatum est, id planè se velle: simulque à Cancellario supplex libellus porrectus est regibus, quo vniuersi se fatebantur præteriti schismatis & quæ in Romanam sedem peccâssent, ex animo pœnitere: orabantque reges, qui ab hac labe alieni essent, veniam ipsis à Pontifice per Legatum impetrarent, vtque in matris Ecclesiæ gremium benignè reciperentur. Lecto eo libello à regibus, redditus est Cancellario, qui eum palàm recitauit. Indè surgentes reges Legatum adeunt, eúmque ipsis occurrentem regina & suo & regis nomine orat, vt quod supplici libello petebatur, præstare nè grauaretur. Mox cùm omnes resedissent, Legatus multa quæ ad rem pertinere visa sunt locutus, quibus illos apparebat non mediocritèr permoueri & affici, surrexit, & cunctis in genua procumbentibus, vniuersos absoluit, vixque ab eo dictum est, In nomine Patris & Filij & Spiritussancti, cùm omnes acclamarent, Amen Amen. Proferente autem Polo absolutionem, regina & plerique alij præ gaudio & studio pietatis illachrymârunt. Post absolutionem omnes inuicèm se amplexabantur, mutuoque gratulantes sæpiùs dicebant, Hodiè renati sumus. Deindè in regiæ sacello cantatum est, Te Deum laudamus. Altera die, petentibus id magistratibus, Polus Legati ornatu Londinum ingressus est, obuiàm procedente tota ciuitate, quæ illum ad D. Pauli templum deduxit, vbì præsente rege & vniuersa regni nobilitate, Missa solennitèr celebrata est, & Legatus omnibus Pontificalem benedictionem & indulgentiam de more impertiuit.

Angli petunt conciliationē.

Absoluuntur Angli à Polo.

pertiuit. Posteà data opera est, vt religio instauraretur, *1558*
religiosi viri reuocarentur, hæretici qui ex locis omni- *Religionis*
bus ceu ad asylum quoddam eò confugerant, expelle- *in Anglia*
rentur, Episcopi Catholici, doctrina & pietate præstan- *instaura-*
tes instituerentur. Regina quoquè tres ad Pontificem *tio.*
Legatos misit, qui ei suo, regis, regni totius nomine
obedientiam deferrent. Ij Legati Iulium Pontificem
paulò antè obijsse inuenerunt. Eius successor Marcel-
lus paucorum dierum pontifex cùm fuisset, magno Po-
li dolore extinctus est. Ità factum est, vt Paulo 4. hæc *Angli obe-*
obedientia exhiberetur. Regina deindè Polo Archiepi- *edientiam*
scopatum Cantuariensem, licèt multùm anteà relu- *promittũt*
ctanti, attribuit. Eum ille ità recepit, vt Pontifici Ro- *Pontifici.*
mano rem omnem perscriberet, à quo sanè in Cardi-
nalium consessu vnà cum regina mirificè laudatus est.
Post hæc sacerdotij ordinem suscepit, & pallio Londini
accepto, ibidèm primum Sacrum peregit. Absoluto sa-
crificio, ad frequentissimum auditorium concionatus
est, vti etiàm aliâs non raro. Iam verò vt posset adesse
gregi sibi credito, apud reginam instabat, copiam ipsi
faceret ad suos Cantuarienses se conferendi. Regina
sentiens eius operam ad multa sibi cùmprimis neces-
sariam, maximè quòd non deessent etiàm in ipsius au-
la, qui Catholicæ religioni occultis machinationibus
detrimenta afferre conarentur, quibus opponenda erat
Poli prudentia & integritas, non est passa illum à se
discedere. Et theologi quoquè, alijque viri optimi in ea
erant sententia, vt dicerent non posse illum, salua con-
scientiæ pietate, eo rerum statu reginam deserere: sed
& rex ipse Philippus iturus in Belgium, omninò voluit
illum manere apud reginam, & consilijs omnibus ad-
ministrandæ Reipub. non interesse modò, sed etiàm
præesse. Hoc verò initiò ille modis omnibus à se amo-
liri conatus est, sed regibus in sententia permanenti-
bus, ità tandèm assensit, si Pontifex id gratum & ratum
haberet. Nam Pontificis authoritati sempèr plurimùm *Polus Pon-*
ille detulit. Egit tum cum regina de restituendis bonis *tificis Ro-*
illis, quæ Ecclesijs Henricus rex ademerat, regijsque *mani ob-*
vectigalibus adiunxerat, & ad regias possessiones per- *seruantis-*
tinere voluërat. Ea in re promptissimum inuenit regi- *simus.*
næ animum, quæ ablata omnia Romani Pontificis &
eius legati Poli arbitrio permisit, quæ Polus adhibito
Episcoporum consilio, prudentissimè Ecclesijs distri-
buere instituit. & ea ferè dimidia pars erat prouen-

1558 tuum, quos ijs in locis habuerant ecclesiastici florente Catholica religione. Quæ verò ab alijs passim obtinebantur, ea consentiente Pontifice tum quidem exacta non sunt, quòd spes esset reflorescente in eo regno religione, plerosque sua sponte ea reddituros. Atque hîc obitèr obseruanda est versutia & malus dolus nouorum huius temporis dogmatistarum, quorum parens Luterus fuit, quòd illi persuadent magistratibus, res ecclesiasticorum iure illis auferri posse, & tum in priuatos, tum alios vsus conuerti. Id enim propterea illi facere videntur, vt magistratus hac ratione arctiùs implicatos retineant. Et solet hæc res magnas parere difficultates, cùm ad Ecclesiæ vnitatem redire cupiunt, qui se ab illa separauerant. Sciunt enim multa esse Ecclesijs ablata, quæ æquum sit restitui, & tamen plerunquè non apparent vndè possint restitui. Itaque illi quidem prudentissimè sibi consulunt, qui id genus fraudulentas persuasiones non audiunt, nec sibi vsurpare volunt, quæ semèl Deo & Ecclesijs dicata sunt. Sed ad rem. Polus deindè cernens ob superiorum temporum perturbationes collapsam disciplinam Ecclesiasticam, Synodum habuit Angliæ Episcoporum omnium, cui etiàm permulti alij è clero interfuêre. In ea Synodo post multos tractatus conscripta est totius Anglicanæ Ecclesiæ reformatio, quæ illis temporibus maximè congruere visa fuit, quam tamen non priùs edere voluit Polus, quàm esset à Pontifice approbata. Multùm prætereà illi negocij erat cum hæreticis, quorum permulti in regno supererant. Et ille quidem studebat lenitèr cum illis agi: sed quòd plerique pertinacitèr suis erroribus inhærerent, locus misericordiæ non relinquebatur. Quosdam sanè in viam reduxit, & in ijs Iohannem Cicum, hominem doctissimum, & magni apud Anglos nominis, qui cùm coram regina, multis omnium ordinum adstantibus, veniam erroris petijsset, etiàm impetrauit. Fuerat ille præceptor Edouardi regis. Crescebat interìm in Anglia Catholica pietas, & tum Londini, tum alibì aliquot monasteria Poli opera & reginæ pietate iam erant restituta. Et poterant omnia paulatim ad pristinum reuocari statum, nisì interim obortis bellis, & multis alijs accidentibus incommodis, regina è rebus humanis dolore animi & morbis corporis confecta excessisset: quam paucis horis secutus est, vt antè diximus, Polus: qui duplici quartana correptus febre, cùm

Fraus & dolus Hæreticorũ.

Synodus Anglica.

Ioannes Cicus resipiscit.

cùm ſe vehementèr eo morbo exhauriri animaduerte- *1558*
ret, teſtamentum ſcripſit, in quo præter cætera etiàm fidem & erga Romanum Pontificem & ſedem Apoſtolicam ſummam obſeruantiam ſuam egregiè expreſſit. Ingraueſcente autem in dies morbo, Eccleſiæ ſacramentis ſe, vt pium & catholicum virum decebat, præmuniuit: & licèt admodùm fractis eſſet viribus, tamen quotidiè, vt anteà ſempèr fecerat, Miſſam audire voluit, & cùm ventum eſſet ad eum locum, quo ſolet ſacra hoſtia eleuari, miniſtrorum auxilio è lecto ſurgens, flexis humi genibus, Chriſtum in Euchariſtia admodùm humilitèr & reuerentèr adorabat. Pridiè eius diei, quo è corpore migrauit, ipſe vltrò à nemine admonitus, extremæ vnctionis ſacramentum ſibi miniſtrari voluit, ſicque ad vltimum vſque ſpiritum mentis planè compos, tandèm ità lenitèr animam reddidit, vt non tam mori quàm obdormire videretur. Obijt annos natus 58. & 6. menſes, eodem anno quo Carolus V. Ex his verò omnibus, quæ bona fide à me ſcripta ſunt, colligat prudens lector, quàm alienus fuerit ſummus ille vir ab omni hæreſeos labe, quam tamen illi adſpergere non veretur infidus ille Sleidanus. Obijt hoc tempore etiàm in Germania Otto Henricus Comes Palatinus Elector, & in Dania Chriſtianus Danorum rex.

Nota pietatem.

Poli mors.

Eodem anno Moſcouitarum Princeps potentiſſimus in Liuoniæ Torpatenſem ditionem ingentem mittit exercitum, trecentorum millium hominum, qui omnia longè & latè populantur, ferro & igni omnia vaſtant, & per multa milliaria omnia cæde, rapinis, fœdiſſima barbarie & immanitate complent. Nulli neque ętati, neque ſexui parcitur. Pueri infra annũ decimum necantur, intra decimum & vigeſimum conſtituti, Tartaris feris hominibus venduntur: ſupra viginti annos, trucidantur omnes. Pecus omne, quod in Moſcouiam abduci non potuit, mactatur: ingens ex tota Torpatenſi prouincia prędа abigitur. Quadraginta dies hunc in modum ſæuitum eſt, paucis arcibus & vna Torpatenſi ciuitate vim hoſtilem euadentibus. In Germanos ille Moſcouitanus exercitus præcipuè ſæuiebat: depræhenſos omnes, mares quidem brachijs truncatis, fœminas ſectis vberibus dirè cruciant: pleroſque in fruſta diſcindunt, & membra palpitantia hàc illàc diſpergunt. Multa nobilium & popularium, immò infinita propemodum turba cum vxoribus & liberis & rebus omnibus intra Torpatum vrbem

Moſcouitæ populantur Torpatenſes.

Exempla barbaræ crudelitatis.

1558 bem se recipiunt, etiàm ex ijs qui decem, immò & viginti milliaribus indè distarent: sed cùm nimiam multitudinem vrbs capere non posset, supra millia decem in oppidi fossas confugiunt. Erat videre miseria, alios asperrimo hyemis frigore, alios inedia, alios postremò hostili gladio confectos, passìm ruere. Nam sæuissimi Moscouiorum milites, vbì miseros in fossis latitantes conspiciunt, præcipites in eos irruunt: gladijs, lanceis, sagittis immanitèr conficiunt, eratque plurima mortis imago. Qui intra vrbem erant, nimia hostium multitudine absterriti, non fuère ausi miseris ferre opem: tandèm multis in eos tormentis exoneratis, hostes abscedunt. Indè porrò in Teutonici Magistri ditionem per Leidense territorium proficiscuntur, eademque illic horrendæ crudelitatis exempla edunt, adeoque populantur omnia, vt ne vnum quidem tuguriolum incolume permanserit. Eundem in modum se gerunt in regione Neruiensi, quæ & ipsa páret Magistro Teutonico. Vbì satis tandèm cædibus, rapinis & incendijs grassatum est, in Russiam immensis aucti spolijs reuertuntur. Nemo illis Liuoniæ procerum ausus est ire obuiàm, ità vt impunè illi omnia vastarent & diriperent.

Pereunt multi.

Ditio Magistri Teutonici vastatur.

Fit deindè conuentus omnium Liuoniæ procerum in Vuendensi oppido, & post multam disceptationem in eam sententiam itum est, vt sexaginta aut septuaginta aureorum millibus pax ab hoste redimatur. Quod etsi turpe videri poterat, post tantam acceptam cladem, tamen in præsens non aliud occurrebat consilium. Interìm verò dum Liuoniensium legati longissimis viarum emensis spatijs ad Moscouiæ Principem contendunt, (abest enim vrbs Moscouia à Torpato centum quinquaginta milliaribus Germanicis) Liuones contra pactas quadrimestres inducias Ruthenicæ Neruiæ incolis vim adferunt, duabus colubrinis in eos displosis, & non paucis occisis. At tamen Moscouitæ, quibus religio erat violare inducias, nihil se commouent, sed celerrimo nuncio rem totam ad principem suum referunt. Ità accidit, vt eodem tempore quo Liuoniensium legati Moscouiam vrbem perueniunt, etiàm hic nuncius ad principem perferretur. Legati, eius quod acciderat ignari, Principem adeunt, de pace tractaturi. Sed ille vehementèr commotus, induciarum ruptam fidem eis improperat, cum nouo eodemque impio Luteri dogmate, quod ab annis paucis complexi sint, omnem

Liuones violant inducias.

omnem illos fidem, pudorem, constantiam abiecisse, 1558 dictitat. Iubet redire ad suos, pecuniam reddere Magistro, se breui adfuturum, & egregiè acceptam iniuriam vindicaturum. *Duæ Neruiæ.* Ad fines Moscouiticæ & Liuoniensis ditionis, duæ erant vrbes cum singulis arcibus: vtraque Neruia dicebatur: sed altera Germanica, altera Ruthenica. Inter vtranque non nisi fluuiolus intererat. Itaque Liuones è sua Neruia duas, vt dixi, colubrinas in Ruthenorum Neruiam exonerârunt, alijsque prætereà Liuonibus vicinis, qui inducias ruptas putarent, confluentibus, aliquot Ruthenorum cædes ediderunt. Ea res animum Moscouiæ Principis ab omni pace prorsus abalienauit. Rursus ingens conscribitur è Moscouia & Tartaris exercitus, qui primò Neruiam Germanicam *Neruia Germanica expugnatur.* occupant vi, arcem deditione capiunt: ciues Neruienses Moscouiæ Principi sacramentum dicunt. Capta Neruia, exercitus omnis Neruiense territorium longè latéque ad quindecim Germanica milliaria fœdissimè rursus diripit & vastat, multaque in sui Principis ditionem redigit. Pòst in Torpatensem diœcesin aduolant, Episcopi arcem Nienhusium, *Nienhusium capitur.* octodecim à Torpato vrbe milliaribus distantem, obsident & deditione accipiunt, vita viris & fœminis donata: sed cùm ex arce ad duo milliaria excessissent, in aliud Ruthenorum agmen incidunt, qui raptis virginibus & fœminis, viros rebus omnibus spoliatos dimittunt. Habebat Magister Teutonicus aliquot equitum turmas, sed cùm audiret Moscouitam cum vniuerso agmine aduentare prælij committendi causa, deserto Torpatensi episcopo, ad vigintiquinque ferè milliaria aufugit. Porrò Rutheni equites ad triginta millia cœpto pergunt itinere, Germanos quosque obuios trucidant. Totius exercitûs Moscouitici dux Petrus Sisegaleider, strenuus olìm pirata, cum omnibus copijs, in quibus erant Tartarorum triginta millia, & sclopetariorum millia duodecim, ad Torpatum obsidendum progreditur. Erant hominum ad trecenta millia. *300000. bellatorũ.* Interìm Germanos quosdam appræhensos, crudelitèr tractat: viris brachia, fœminis vbera & nares præcidit: sicque fœdè deturpatos, in vrbem mittit: oppidanis, vt se dedant, imperat: nî faciant, eadem ratione se omnes mulctaturum edicit. Multi iam ciues ex vrbe discesserant, paucique qui vrbem defenderent, relicti erant, partìm Catholici, partìm Luterani. Catholici intra Ecclesiæ cathedralis immunitatem, vt

1558 vocant, suas habebant ædes. Neminem enim ciues Torpatenses apud se ferebant, qui non Catholicam religionem eiurâsset. Moscouitæ vbì ad oppidum veniunt, horrendum in modum tormentis omnia concutiunt. Fit magnus fœminarum & puerorum eiulatus: & licèt Catholici vrbem constantèr defensuros se reciperent, & Senatum atque ciues Luteranos ad constantiam hortarentur, at nihilo minùs paulò pòst intolerandis conditionibus se dedunt Moscouitis. Modò vita & facultates ipsis saluæ maneant, Pontifici & imperio Romano renunciant, & præstito sacramento, in magni Moscouiæ Ducis imperium concedunt. Præclarè nimirùm, vt qui ex Catholicis facti erant Luterani, ex Luteranis fierent Moscouitæ, qui ferè Græcorum ritus & religionem sequuntur. Eam deditionem indignissimè tulêre Catholici, qui etiàm vitam cum sanguine potiùs se fusuros dicerent, quàm vrbem hostibus prodant, & ab auita religione discedant. Ea re cognita, Dux exercitûs Moscouiti nunciat obsessis, neminem se cogere, vt abiurato imperio Romano in Moscouij Principis ditionem transeat. Si qui id nolint, licere illis in Germaniam illæsis abire. Itaque cùm Catholici foris hostes, intùs ciues aduersos haberent, ab vrbe excedunt. Erant omnes viri & fœminæ ad quadringentos. Fuit hoc quoquè tristissimum spectaculum, dum maritus ab vxore, frater à sorore, liberi à parentibus diuelluntur. Qui in vrbe remanserunt, Pontifici & imperio Romano valefaciunt, & Moscouitico iugo colla supponunt. Longum esset enarrare, quantam cladem Liuoniæ amplissimæ prouinciæ dederit Moscouiticus exercitus: sed omnia recto Dei iudicio, quia à prisca religione ad Luteri commenta dilapsi, cum religione paritèr pristinam virtutem & constantiam, atque robur inuictum perdiderant plerique Teutonici milites. Olìm cùm Catholici essent, religioni & pietati addicti, decem illorum millia, Moscouitarum octoginta millia collatis signis in fugam vertere potuêre. At postquàm partìm Luteri, partìm Zuinglij, partìm Anabaptisticum Euangelion amplexi sunt, Moscouitis prædæ sunt. Et iurè quidem ferunt Moscouiticum iugum, qui Pontificis Romani ferre noluerunt. Quàm verò miserum est, non videre homines, dum sub Euangelij prætextu à Catholica Ecclesia se separant, mox in diuersas & pugnantes sectas distrahi: Indè porrò exi-

Torpatũ oppugnatur.

Catholicorũ constantia.

Virtus priscorum Teutonicorũ militum.

1559

rò existere animorum dissensiones, quibus necessè sit tandem etiam amplissimas Respublicas interire, cùm verissimè dictum sit, Concordia res paruæ crescunt, discordia maximæ collabuntur? Sed hæc, Turcico demum aut Moscouitico pressi iugo, intelligemus.

Salustius.

Elizabeth substituitur Mariæ

ANNO 1559. decimoquinto Ianuarij die in demortuæ Mariæ reginæ locum Angli substituunt Elizabetham, quam Henricus rex ex Bolenia susceperat. Ea, religione vetere ex toto regno exulare iussa, Zuinglianismum aut Caluinismum restituit. Sed dum illud regnum religionem mutat, Deus Optimus Maximus inter potentissimos planeque Catholicos reges Henricum Galliæ, & Philippum Hispaniæ, pacem largitur multis conditionibus initam, quas nimis longum esset huc adscribere. Iam vtriusque regis prouinciæ tot annorum perpetuis bellis defessæ erant, nec sinè grauissima Catholicę religionis iactura diutiùs protrahi potuissent, hæreticis intereà suum virus clàm spargentibus, & multos inficientibus. In hac mutua tantorum principum conciliatione, vt esset pax firma & stabilis, regi Philippo despondetur Elizabetha Henrici regis maxima natù filia, & soror eius Margarita Emanueli Philiberto Allobrogum clarissimo principi.

Pax inter Galliæ & Hispaniæ reges.

Exequiæ Caroli V.

Mensis Februarij die 24. in Principum & Procerum ex tota penè Europa frequentissimo Conuentu Augustæ exequiæ celebratæ sunt Caroli V. pientissimi & potentissimi Imperatoris: idque singulari studio & solennibus cæremonijs, atque magna animorum commiseratione.

Iohannes Gropperus moritur.

Die 14. Martij obijt Romæ clarissimus vir D. Iohannes Gropperus, Ecclesiæ Coloniensis in tuenda Catholica religione singulare decus & ornamentum, quem Pontifex Paulus IIII. in Cardinalium ordinem amplissimum cooptârat. Sepultus est in Ecclesia Germanorum ad pedes optimi Pontificis Hadriani VI.

Eodem mense Martio quiddam prodigiosum accidit in ea regione Angliæ, quam veteres Cambriam, hodiè Vualliam vocant. Annosa quædam fraxinus vi tempestatis deijcitur, trunco ad septem pedes è terra extante. Is verò cùm media suî parte eo ventorum turbine dissectus esset, in eius parte interiori crucis admiranda

1559 effigies conſpicitur humano pede longior, colore nucis auellanæ. Ager, in quo ea arbor fracta eſt, hominis fuit non vulgaris, ſed torquati equitis: & quod maiori quoquè admiratione dignum eſt, ea arboris pars, quam ventorum impetus à trunco auulſam humi ſtrauerat, eandem omninò crucis figuram referebat. Et vt ad plurimorum notitiam rei ſtupendæ miraculum perferretur, aliquot annis in arboris trunco crux illa perdurauit, non ſinè ſtupore eam adſpectantibus hominibus, qui frequentes eò confluebant rei nouitate permoti. Porrò qui eò accedere commodè nequibant, precibus ab alijs contenderunt, vt crucis effigies ad viuum pictoris manu & arte expreſſa, ipſis viſenda deferretur: quod etiàm factum eſt, idque adeò, vt in exteras quoquè regiones multa eius exempla peruenerint. Succeſſerat iam in regno Angliæ Mariæ reginæ pijſſimæ Elizabetha, quæ religionem, vt dixi, mutauit, permiſitque Caluiniſtas & Zuinglianos illic nidificare, immò & primas obtinere. Ea verò hominum fæx vbiquè demolitur ſtatuas & imagines, & nec ipſius Chriſti figuram & effigiem pati poteſt. Voluit autem præpotens Deus illos Antichriſti ſatellites hoc ſtupendo Crucis in arbore exiſtentis prodigio admonere, vt ab impietate ſua maturè animum reuocarent, deſinerentque perſequi Crucem illius, quæ idcircò varijs modis figuratur & exprimitur, vt apud homines perpes ſit memoria ineffabilis illius charitatis, quæ filium Dei compulit ob noſtra expianda peccata, ad tam immane & ignominioſum vſque ſupplicium ſe deijcere & offerre. Ipſa quidem regina Elizabetha, licèt admodùm moleſtè id ferentibus noui Euangelij in Anglia buccinatoribus, fertur in baſilica aulæ ſuæ Chriſti crucem erectam retinere, nec æquis auribus ferre concionatores in eam impiè debacchantes. Et quid tandèm aliud eſt ità paſsim deijcere & profligare ſacras illas Chriſti crucifixi imagines, nisi ab hominum memoria penitùs tollere omnem memoriam ineffabilis erga nos amoris & beneuolentiæ illius, qua redempti ſumus? Sæuitum porrò eſt immanitèr in Anglia in ſtatuas & imagines, & è templis ità illæ exturbatæ ſunt, àc ſi nihil ab ethnicorum ſimulacris diſtarent. Nec tamen ſatis fuit impijs hominibus, eas è templis exegiſſe, ſed in campum raptatas pro ſcopo collocârunt, ad quem ſagittas & iacula contorquerent. ſed neque hîc impietas ſiſtere ſe po-

Crux in fraxino.

Hæretici hoſtes crucis Chriſti.

Effigies Crucis in baſilica reginæ Angliæ.

se potuit. Nam in vrbibus celebrioribus non diuorum 1559
modò, sed etiàm Christi ipsius imaginem in ignem con- *Nota impietatem.*
iecisse ludus fuit. Alij eò amentiæ & furoris progressi
sunt, vt Christi à cruce pendentis imaginem, ea potissimùm parte, sagittis è trunculo tereti & cauo magna vi spiritûs efflatis, conficiendam sibi proposuerint, qua non absque singulari mysterio è latere sanguis profluxit & aqua, & in tam nefario & omni suppliciorũ genere vindicando flagitio inter se contenderint, quis primus illud sacratum latus traijceret, aut telo cor transfigeret: idque in ipsis Londini suburbijs ità perpetratum vir quidam grauis & fide dignus annotauit. Magna est interim Christe Deus patientia tua, sed tarditatem supplicij quandoque grauitate compẽsabis: quanquàm hocipsum omne fermè vincit supplicium, vt iusto tuo iudicio sinantur homines in tam horrendæ impietatis barathrum ire præcipites.

Paulò post illud in arbore apparentis Crucis inusitatum prodigium, nempè circitèr Pentecosten, in Cantia, quæ est Angliæ pars alia, mulier quædam in subucula sua Crucis vidit expressam effigiem. Erat ea fœmina non ignobilis, neque Crux illa aut colore aliquo ab homine effìcta, neque acu vel filo intexta, sed è Cælesti quodam influxu nata cernebatur. Frustrà hæretici cum impijs Iudæis & Mahometanis Christi crucem abolere conantur. *Crucis effigies in subucula.* Obitèr hîc hæreticorum fraus quædam commemoranda venit. Profertur ab illis edictum Valentis & Theodosij de non effingendo signo Christi. Prima fraus est, quòd constat Valentem in imperio nunquàm consociatum fuisse Theodosio: altera fraus est, eaque apud hæreticos valdè solennis, quòd à Theodosio quidem edicto cautum est, nè quis signum Crucis sculperet aut fingeret, sed additum est, humì. Hanc voculam illi impostores omiserunt. *Insignis fraus Hæreticorũ.* Videbatur pio principi cedere in aliquam Christi iniuriam, quòd eius signum pedibus calcaretur: itaque nè deincèps humì exprimeretur, vetandum putauit. Vetuit hoc idem Romæ fieri ante paucos annos Pius 4. Romanus Pontifex. Ità isti malæ fidei homines miserandum in modum incauto lectori imponunt, nec timent illos æternos æstuantis gehennę ignes, quibus in omnem æternitatem ob tam nefaria mendacia cruciabuntur.

Vicesimasecunda Iunij magnificentissimo apparatu celebrantur nuptię Philippi regis & Elizabethæ filiæ Henrici *Nuptiæ Philippi regis.*

1559 Henrici Galliarum regis. Aderant Philippi nomine Dux Albanus, princeps Aurantius, & comes Egmondanus cum alijs proceribus & nobilibus. Cumque paulò post etiàm Philiberti & Margaritæ sororis nuptias esset celebraturus Henricus rex, & interim certamina equestria fierent publicè, ipso rege omnium admiratione fortissimè se gerente, eccè repentè postremi diei concursu, à quo tamen permulti eum retrahere conabantur, inprimis regina coniunx, hasta in regis pectore frangitur, & eius fragmentum per galeam adactum, in cranium vsque altè defigitur. Ex eo vulnere intra paucos dies rex, annos natus quadraginta, ætate, opibus, gloria florentissimus, occumbit. Eius obitus Galliæ regno incommodissimè accidit, plerisque res nouas molientibus, & praua dogmata complectentibus, quod illo superstite nunquàm ausi fuissent. Omninò statuisse fertur, si ei superuiuere licuisset, acerrimè in toto regno suo persequi eos omnes, qui noui Euangelij commenta sequerentur. Ei in regno suffectus est Franciscus filius natu maximus. Eiusmodi verò exempla admonent homines, vt meminerint nihil esse sub sole diuturnum: tum quoquè apud præpotentem Deum non esse personarum acceptionem, sed cùm ei visum est, tollere eum è medio sublimes & humiles, diuites & inopes: quarum rerum prudens & sagax cogitatio id efficere apud nos debet, vt sempèr animus sit erga Deum pius, & à rerum labentium atque fluxarum studio & amore liber & absolutus. Hæc enim magnam præstant pectoris tranquillitatem.

Mors Henrici, regis Gallorũ.

Die 18. Augusti Paulus 4. Romæ vitam cum morte commutat. Moritur etiàm Hercules Estensis Ferrariæ dux: itemque Isabela Hungariæ regina, cui rara felicitate contigit, vt & regis esset filia, & regis soror, & vxor, & mater. In regno Scotiæ vnus atque alter temerarius & indoctus nebulo inter populares religionis nomine seditiones excitat planè barbaricas, quæ deindè quorundam nobilium adiutæ studijs, eius regni statum mirè perturbârunt.

Paulus 4. decedit.

Caluinus post vltimam suam Ioachimi Vuestphali admonitionem, pro sua maiestate nihil deincèps contra eum scribere constituerat. Itaque Theodorus Beza impurus nebulo, hoc anno scriptum edit contra Vuestphali calumnias. Prodit etiàm Petrus Martyr, sed non martyr Christi, aduersùs Stephani doctissimi Vuintoniensis

Beza contra Vuestphalum.

ensis Episcopi librum, quo is Capernaitarum (sic enim 1559 vocat Sacramentarios) cauillationes confutat. Est hoc Martyris scriptum longè pestilentissimum, quo homo callidus mira arte & vafricie, summaque vi audet sacras literas & antiquos patres & Concilia ad sceleratissimum dogma suum confirmandum detorquere, cùm certissimum sit, hæc omnia ab illo vel maximè dissentire. Sed huiusmodi mendacijs miseræ plebeculæ illi atrocitèr imponunt. Faciebat hoc homo versutus, quia videbat tot testimonia Patrum contra Sacramentarios adferri à Vuintoniensi, vt multi in Anglia egregiè in fide Catholica confirmarentur, & non prorsùs à periculo abessent Sacramentarij.

Luterani sectas multas damnant.

Iuniores Saxoniæ principes hoc anno Latina & Germanica lingua scriptum publicum ediderunt, itemque comites Mansfeldenses aliud scriptum, quibus vndecim enumerantur sectæ, & vt execrabiles hæreses condemnantur. In ijs sunt etiàm Melanchthonici, Maioristæ, Adiaphoristæ, & Sacramentarij. Porrò in Heidelbergensi academia periculosum ortum est certamen inter Tilmannum Heshusium & Guilielmum Clebitium de cœna Domini. Princeps Palatinus, cui páret Heidelberga, in hac Euangelicorum funesta altercatione à Melanchthone quærit, quid ipse hoc in negocio sentiat. Melanchthon sic respondet, vt nouum quoddam Sacramentariæ impietatis genus effinxisse videatur. Sic isti miseri ex erroribus alijs in alios labuntur, sempèr seipsis deteriores. Nicolaus Gallus, præco Ratisbonensis Luteranus, huic Melanchthonis scripto egregiè respondet.

Contentio Heidelbergensis.

Rex Danorum suis & sociorum principum armis Thietmarsos liberos populos, vel qui libertatē sibi vendicarent, in duram redegit seruitutem. Solebat ille populus Archiepiscopo Bremensi parere, & Catholicæ religioni esse addictus: & eatenùs permansit inuictus. At vbi Luterizat, & religionem veterem abijcit, insigni seruitute pressus, dat suæ leuitatis pœnas. Atque hi sunt præclari fructus noui Euangelij. Nouum Euangelium docet libertati carnis studere gnauitèr, & interim suos sectatores vel Turcicæ, vel Moscouiticæ, vel aliæ molestissimæ seruituti addicit. Iustus es Domine, & rectum iudicium tuum.

Thietmarsi domantur à rege Danorū.

Psal. 118.

ANNO

1560

Pius 4. fit Pontifex.

ANNO 1560. die 2. Ianuarij, Romæ Pontifex Maximus renũciatus est Iohannes Angelus Medices Mediolanensis, & Pius 4. dictus, qui summa cum laude Pontificatum administrauit. Eodem anno obijt in Polonia Iohannes à Lasko vir nobilis, sed insignis sacramẽtarius.

Melanchthõ exhalat spiritum.

Obijt etiàm Philippus Melãchthon, Luterismi egregius propagator, licèt in Eucharistiæ negocio Zuinglianismi quàm Luterismi esset studiosior. Multùm is vir nocuit Catholicæ Ecclesiæ, vel hoc solo nomine, quòd modestia quadam vsus, multorum sibi incautos animos conciliauit, cùm Luterus planè importunus & vehemens, inuisum se nonnullis hoc ipso redderet. Fertur autem Melanchthon aliquot Luteri scripta limâsse & castigâsse, quæ alioquì in lucem sic emissa, vt Luterus impotenti quodam animi impetu & insolentia ea cõfecerat, plurimùm Luteri dogmatis detractura fuisse putantur.

Melanchthon familiaris Zuinglianis.

Fuit Melanchthon admodùm familiaris Sacramentarijs, quippe à quorum dogmate non valdè abhorreret. Iohannem Crispinum ad edenda denuò Oecolampadij scripta hortatus est, Bullingero & Caluino de rebus suis sæpè scripsit familiaritèr: multis studiosis author fuit, vt Tigurum & Geneuam, ob cognoscendam liquidò de Eucharistia sententiam, se conferrent. Et quia illum non puduit à sanctissimi patris sui Luteri dogmate Eucharistico dissentire, ipsius quoquè discipuli & alumni & viuum & mortuum multis conuicijs, vt quidam scribit sacramentarius, lacerârunt. Et quidni illum lacerent sui discipuli, quandò ille totiès lacerauit matrem Ecclesiam Catholicam?

Historia Magdeburgensis.

Magdeburgenses ministri grandia aliquot volumina ediderunt Historiæ suæ Ecclesiasticæ. Hoc anno quarta Centuria eius præclaræ, immò pestilentissimæ & perniciosissimæ, vt grauissimi viri testantur, historiæ prodijt. Et vt magis mireris, Matthias Illyricus cum socijs eius Historiæ authoribus, eam reginæ Angliæ dedicant, nec dubitant in ea Epistola Nuncupatoria Zuinglianos acritèr perstringere,

His verbis seipsos quoquè iugulant.

vt qui philosophicis rationibus Testamentum Domini adeò euacuent, vt corpus & sanguinem Christi, quo ad præsentiam & Communicationem, iuxta clarissima, euidentissima & potentissima verba ipsius Christi, prorsùs remoueant, miraque verborum perplexitate fucum faciant. Porrò cùm Zuingliani iactitent vetustos Patres ab ipsis stare, isti contrà hoc pror-

prorsùs negant, & ſecum facere Patres, cum Zuinglianis verò pugnare affirmant. Quibus tandèm aſſentiemur? 1560

De hac Magdeburgenſium hiſtoria operæprecium fuerit paulò accuratiùs agere, & quàm bona fide, qua religione & pietate in ea conſcribenda verſati ſint, Lectori explicare. Iactitant illi ſe omnia ad ſolius veritatis amuſſim exigere, & hoc proculdubiò perſuadent imperitis: ſed qui alicuius ſunt lectionis & iudicij, tot in illis fraudes & mendacia, tot in Patres ſanctiſſimos intoleranda conuicia, multaque alia nulla ratione ferenda comperiunt, vt facilè animaduertant, non hoc illis ſtudio fuiſſe, vt nobis veram & Catholicam texerent hiſtoriam, ſed vt veras hiſtorias patrumque ſcripta in multorum perniciem deprauarent & contaminarent. Conſtat quidem, eos plurimùm & operæ & temporis in ea conſcribenda poſuiſſe, nec vlli peperciſſe labori, vt vndecunquè conquirerent, quæ poſſent Catholicę Chriſti Eccleſiæ aliquid adferre detrimenti, illorumque praua dogmata vel in ſpeciem confirmare: ſed vtinàm illorum mala mens tam poſſet ab omnibus perſpici, quàm illi ſedulò mirabili aſtu & vafricie eam ſtudent celare. Erunt hauddubiò in Catholica Eccleſia, qui quandoquè prolixè illis reſpondeant, & impoſturas omnes producant in lucem: nec ità pridèm vir doctiſſimus Alanus Copus Anglus ſex Dialogos edidit, in quibus permultæ illorum calumniæ, fraudes, & mendacia reteguntur: cuius ego veſtigijs inſiſtens, pauca quædam inde contra iſtos infidos hiſtoricos mutuabor, meiſque ferè verbis nonnulla ex ijs efferam, quæ ibì copioſiſſimè & elegantiſſimè habentur. Pro meo verò inſtituto breuis ero, ità tamen, vt lector ex ijs, quæ à me annotabuntur, de tota illa in multas Centurias diſtributa Hiſtoria, nullo negocio poſſit ſtatuere. Hoc inprimìs vel maximè deplorandum eſt, in ijs hominibus, qui ſemel obſtinato animo à Catholicæ Eccleſiæ caſtris ad ſathanæ ſynagogas defecerunt, tantum ineſſe nocendi ſtudium & conatum, vt nihil prorsùs prætermittere videantur, quod poſſit in miſerorum mortalium certam perniciem cedere: qui ſi ſoli perirent, poſſet hominum deplorata malitia id iure meritoque pati videri: iam verò quandò contenti non ſunt ſibiipſis exitium attuliſſe, ſed modis omnibus nituntur etiàm quàm plurimos ſecum in æſtuantis gehennæ æternum chaos pertrahere, hoc quidem tantam habet

Dialogi Alani Copi.

1560 bet immanitatem & barbariem, vt nullus vnquàm pro dignitate ſatìs id explicare queat. Et eſt ſanè multùm formidandum, niſi Deus iſtorum machinationibus potenti virtute ſua finem imponat, & Eccleſiam ab hac hominum fæce repurget, non quieturos illos, donèc Patrum ſcripta corrumpant, quæcunque illorum opiniones deſtruunt, maximè cùm iam ante multos annos conſtet, Luterum harum turbarum authorem, in ipſis diuinæ ſcripturæ libris tam multa adulterâſſe, certumque ſit, & Luteranos Luteranis, & Sacramentarios æquè Luteranis, & Luteranos Sacramentarijs palàm obijcere, quòd ſcripturas deprauent. Quid enim non auſi erunt homines incredibili audacia & petulantia, qui etiàm in Deum ipſum, & in ſanctos cum Deo in cælis regnantes, palàm contumelioſi & blaſphemi ſunt? Porrò verò cùm non ignorent Romanos Pontifices Chriſti in terra vicarios, pro ſuæ ſedis primaria authoritate hæreticis ſempèr iuiſſe obuiàm, & eorum elatas ceruices fortitèr compreſſiſſe, mirabilitèr cùm cæteri hæretici omnes, tum iſti Magdeburgenſes centuriones in Romanos Pontifices incurrunt, illos etiàm, quos pro Chriſto ſuſcepta mors, aut alioquì incomparabilis vitæ ſanctimonia & eximia doctrina egregiè commendat. Hinc eſt, quòd non pudet eos in dubium vocare, num Petrus Apoſtolus vnquàm Romæ fuerit, & cùm multorum Patrum citent teſtimonia, quibus perſpicuum fit Romæ Petrum fuiſſe, idque teſtetur orbis vniuerſi conſenſus, tamen non multùm referre exiſtimant, quid in quamlibet partem credas: ſcilicet veteratoria arte in id intenti, vt ſi Petrum Romæ non fuiſſe hominibus perſuadere poſſint, iam illud quoquè obtineant, Romanos Pontifices non eſſe Petri ſucceſſores, nec alijs epiſcopis præferri eos oportere. Caluinus hac in re, vt in multis alijs, Proteus eſt. In Inſtitutione ſua ſcribit ſe propter conſentiens antiquitatis hac de re teſtimonium non pugnare, quin Petrus fuerit Romæ mortuus: at in Epiſtolam D. Petri ſcribens, Niſì, inquit, maria & terras momento tranſuolauerit Petrus, procùl ab Italia mortuum eſſe conſtat. Belliſſimè ſanè, in re apertiſſima tam pulchrè ſibi conſtant, vt agnoſcas mendacij ſpiritum iſtorum ſibi pectora vendicâſſe. Iam verò quòd & Magdeburgici, & Caluinus, & hæretici omnes Romanum Pontificem cogunt in ordinem, nec Romanam ſedem volunt alijs eſſe antelatam, id illorum malitiam & perfidiam egre-

Hæretici Patrum ſcripta corrumpunt.

Hæretici infeſti Pontificibus.

Caluinus Proteus. Lib.4. Cap.6.

giè

giè coarguit, cùm non ſint neſcij, Romanis Pontifici- 1560
bus non modò de omni antiquitate præcipuos ſempèr
eſſe delatos honores, ſed ipſum etiàm Carolinum li-
brum, quem falsò illi religioſiſſimo principi Carolo Ma-
gno attribuunt, & de quo tam impotentèr Catholicæ Lib. 1.
Eccleſiæ inſultant, diſertis verbis affirmare, Romanam Cap. 6.
ſedem nullis ſynodicis conſtitutis cæteris eccleſijs eſſe
prælatam, ſed ipſius Domini authoritate tenere prima-
tum. Si tanti apud illos eſt ſcriptum illud, cur hæc &
multa alia eius ſcripti non recipiunt? Sed improba
verſutia ſatìs habuit aliquid inueniſſe, quod ex illo ſcri-
pto nobis obijceret, etiamſi non neſciat multò plura
illic haberi, quę illis à nobis poſſint rectiùs obijci, quàm
quæ nobis ab illis. Eſt ergò hoc magnoperè in iſtis in-
fauſtis hominibus obſeruandum, quòd incredibili qua-
dam animi calliditate in omnem occaſionem intenti
ſint, & ſi quid vſpiàm in patrum ſcriptis occurrat, quod
pro ipſis facere videatur, id mirum in modum exagge-
rent, cætera omnia floccipendant: quòd ſi eiuſmodi ali-
quid occurrat, quod truncatum ſi ſit, incauto lectori
fidem poſſit facere, cum illorum erroribus conuenire,
ibì nihil eos pudeat mutilas & truncatas ſententias ci-
tare, quæ tamen ſi integræ proferantur, illorum opini-
ones deſtruant. Nec infrequens apud illos eſt, dum al-
legant aliqua ex patribus vel aliundè, ea omittere, quæ
ſi abſint, ab illis Patres ſtare videantur: ſi adſint, eos
oppugnare certum ſit. Quæ omnia hominum ſunt fla-
gitioſorum, & falſa pro veris imperito lectori obtrude-
re cupientium.

Recitant Magdeburgici Centuriones, qui illas Cent. 3.
mendacijs refertas centurias conſcripſerunt, nefarium Cap. 6.
quoddam crimen ſanctiſſimi martyris & Romani Pon- & 7.
tificis Cornelij, (ſic enim illis collibitum eſt tantum
tractare virum) voluntque Cypriani teſtimonio docere,
Cornelium contra Chriſti inſtitutionem populo non
niſì aquam in calice porrexiſſe: addunt alias blaſphe-
mias, in Romana ſede myſterium iniquitatis, vt in alijs
rebus, ità & in Cœnæ Dominicæ deprauatione maturè
laborare cœpiſſe. Hæc iam prima fronte illorum homi-
num in Eccleſiam & Pontifices Romanos inexpiabile
odium perſpicuè ſatìs prę ſe ferunt: fitque illis iuſto Dei
iudicio, vt odio & liuore occæcati, toti orbi conſpuen-
dos & irridendos ſe propinent, nec id tamen animaduer-
tant. Primò enim intolerabilem iſthæc narratio habet
vani-

1560 vanitatem, quasi ille insignis Episcopus & martyr, quem
Lib.4. tam prolixè ipse Cyprianus commendat, tam vel stupi-
Epist.2. dus, vel impius fuerit, vt contra Christi institutionem
pro sanguine meram aquam porrigeret. Deindè Episto-
la illa Cypriani, quam pro se allegant Magdeburgici,
Lib.2. non ad Cornelium scripta est, sed ad Cæcilium Africæ
Epist.3. Episcopum, qui illi Carthaginensi de rebaptizandis hæ-
reticis Synodo interfuit: & audent impostores isti con-
tra omnium exemplarium fidem, pro Cæcilio Corneli-
um substituere. Facit hoc liuor & inuidia, de quibus, vt
In Episto- ait D. Hieronymus, scripsit B. Cyprianus librum valdè
lam ad optimum: quem vtinàm isti potiùs legissent, & ex eius
Galatas. lectione sese corrigere maturâssent, quàm falsò produ-
cerent Cypriani Epistolam, nihil ad Cornelium perti-
nentem. Colligat hinc prudens lector, qua fide isti ho-
mines in rebus nostræ religionis versentur. O calamita-
tem temporum horum. Et tamen has historias multi cu-
pidissimè arripiunt, eisque auidissimè lectis putant se
Crœsi opes inuenisse. Vtinàm tales vel admoniti, ab ho-
rum fraudibus sibi cauerent. Et nè putet lector me illos
iniuria afficere, eodem ipso sexto capite tertię Centuriæ,
vbi hanc Cœnæ deprauationem Cornelio affingunt,
mirabili & incredibili stoliditate & cæcitate animi sui
prauitatem omnibus produnt, dum illam Epistolam,
quam aliâs Cornelio scriptam nugantur, non illi, sed
Cæcilio scriptam, contra suam sententiam affirmant.
Ità repentè illi suî immemores, de vna eademque re, pu-
gnantia eodem capite loquuntur. Quis tantam fraudem
vnquàm pro dignitate vel deplorare vel detestari suffici-
at? Volebant illi Cornelium Pontificem & martyrem
odio Romanæ sedis summa ignominia afficere, & sibi-
ipsis sempiternæ ignominiæ, dum suam ipsi malitiam
produnt, apud omnem posteritatem notam inurunt. Nec
est iam quòd miremur istos Euangelicos, immò hære-
ticos homines, in nostræ & aliquot superiorum ętatum
Romanos Pontifices tam petulantèr incurrere, quandò
nec illi tam antiquo & celebri Pontifici & martyri par-
cunt. Omnis verò illa Pontificum iniuria in Christum
redundat, qui talium contumeliarum vindex acerrimus
erit, immò etiàm nunc est, quandò istorum nugatorum
fraudes & mendacia non ab alijs magis, quàm ab ipsis
aperiri sinit. Eadem fide isti viri egregij non rarò vtun-
tur, tum in Cypriani, tum aliorum Patrum contra Ro-
manæ sedis principatum proferendis sententijs: & si
qui-

quidem par eſſet illorum voluntati facultas, iampri- 1560
dèm ſuis mendaciorum cuniculis eam ſedem penitùs euertiſſent. Sed fruſtrà ſudant miſeri. Eſt autem hoc admirabile, quòd cùm patres omnes, vbicunquè fert occaſio, virgula cenſoria notatos, nihil velint habere authoritatis vel ponderis, ſed impudentèr & procacitèr reijciant, rursùs tamen ſi quid apud illos ſit, quod ad ipſorum cauſam tuendam aliquid ſubſidij adferre poſſe videatur, id vel miſerè mutilatum, vel etiàm vi detortum, vel per capillos attractum, cogant ſuis ſeruire mēdacijs. Ità cùm B. Cyprianus Eccleſiaſticæ vnitatis & concordiæ ſempèr fuerit ſtudioſiſſimus, adeò vt etiàm qui diuerſam ab ipſo de rebaptizandis hæreticis ſequerentur ſententiam, illos à ſua noluerit communione ſeparare, nihilo minùs ex eo iſti præclari centuriones allegant, quibus vnitatem Eccleſiaſticam oppugnent, quæ nulla eſſe poteſt, niſì cum Romana Eccleſia, quam idem ipſe Cyprianus principalem, quam radicem, quam matricem, quam vnitatis originem appellat, cæteræ per orbem Eccleſiæ conſentiant. Porrò inſignem illam eiuſdem Cypriani ſententiam, qua ait: Eccleſia vna eſt, quæ vna intùs eſſe & foris non poteſt. Nam ſi apud Nouatianum eſt, apud Cornelium non fuit: Quòd ſi apud Cornelium fuit, qui epiſcopo Fabiano legitima ordinatione ſucceſſit, Nouatianus in Eccleſia non eſt: hanc (inquam) ſententiam, quæ non vnius Cypriani, ſed aliorum quoquè ſanctiſſimorum Patrum eſt, confidentèr reijciunt. Sed quarè tandèm? Vident hîc legitimæ ſucceſſionis mentionem inijci, quam cùm ipſi in ſuis ſynagogis nullam proferre queant, cane peiùs & angue illam oderunt. Ad hos enim pertinet illud propheticum: Non mittebam prophetas, & illi currebant. Si exigas ab eis, quas habeāt ſuarum Eccleſiarum Apoſtolicas & continuatas ſucceſſiones, ibi videbis aut obmuteſcere, alioquì nimiùm loquaces, aut atra bile percitos ferri in rabiem. Quam verò iſti vnquàm poſſint proferre ſucceſſionem, cùm neque ſibiipſis diù conſtent, nec idem ſempèr doceant, ſed ſubindè in alias formas ſua paradoxa transforment? Porrò multùm ab illis ſudatur, vt oſtendant Romanos Pontifices Concilij Niceni Canones deprauâſſe, vt ſibi ſupra alios authoritatem vſurparent: & hîc ſinè vllo pudore aut religione tantæ impietatis inſimulant Innocentium I. Zoſimum, Bonifacium, Cæleſtinum, tam vetuſtos & ſanctos Pontifices, è quibus aiunt Zoſimum, vt falſum

Cyprian. de Rom. Eccleſia. Lib. 1. Epiſt. 6.

Legitima Epiſcoporum ſucceſſio.

Hiere. 23.

1560 testem, post tres annos & nouem menses diuinitùs extinctum esse. Mirum autem in modum hîc iactitant Synodum 6. Carthaginensem, cui Augustinus interfuit, quam etiàm amplissimam & ornatissimam vocant, aiūtque eius Synodi patres, comperta Romanorum Pontificum perfidia, nihil ab eo tempore Romano Pontifici iuris in Africanas ecclesias concessisse. Quæ omnia eiusmodi sunt, vt indocto lectori nimiùm perniciosè imponant, doctos verò admirari cogant istorum hominum improbitatem & deterrimam mētiendi libidinem. Non opùs habebant Romani Pontifices vel Nicenę Synodi, quòd ad ipsorum primatum attinet, approbatione, vel eius deprauatione, quæ incidere non posset, nisi in hominem longè sceleratissimum, cùm in Euangelio extent Christi Dei ad Petrum verba, quibus ei ouium suarum pascendarum & fratrum suorum confirmandorum attribuit potestatem. Nec Africani patres Romanæ sedis authoritatem contempserunt, aut illi quicquam detraxerunt: quod si vel maximè fecissent, quod isti hæretici nunquàm docere poterunt, tamen extat Synodus œcumenica Sardicensis, cui 300. episcopi subscripsêre, quæ plurimum tribuit Romano Pontifici, meritóque antefertur illi Synodo Carthaginensi, quæ tamen nihil facit pro hæreticis, si propiùs inspiciatur. Nam etsi nonnihil hæsitabant quidam episcopi, num essent Niceni Concilij canones, qui ab Apostolicæ sedis legatis proferebantur, at nihilominùs profitebantur, se eos tantispèr seruaturos, donèc integra exemplaria Nicenæ Synodi ab Alexandria, Antiochia, & Constantinopoli adferrentur. & cùm Legati Pontificis inter cætera dixissent, vt hac de re ad Romanum Pontificem quoquè scriberent, Aurelius Carthaginis episcopus, reliquis omnibus approbantibus, ait in hæc verba: Necesse est, vt nostræ paruitatis literis sancto fratri & consacerdoti nostro Bonifacio singula, quæ tractamus, plenissimè intimemus. Quibus verbis satis indicant suam erga Pontificem obseruantiam. Sed hæc omnia dissimulant versuti hæretici, vt imperitum lectorem fallant. Nec ignorant, etiamsi in Nicenis canonibus hodiè non legantur illa, quæ à legatis Pontificis in hac Synodo Carthaginensi proferebantur, tamen haberi ea in Synodo Sardicensi, quæ certè authoritatis habet plurimum, cui etiàm magnus ille Osius interfuit, quem constat Nicenæ quoquè Synodo interfuisse. Sed appáret (quod maximoperè

Cent. 5. Cap. 10.

Iohan. 21.

Luc. 22.

mopere dolendum est) in istis hominibus quædam 1560
animi malignitas, in hoc solùm intenta, vt errorem
suum pertinacitèr etiàm per fraudem & mendacia tuea-
tur. Hinc est quòd hoc loco aliquid valet apud eos hæc *Hæretici*
Synodus Carthaginensis, cùm alioquì etiàm ipsam *Synodos*
Nicenam, & Chalcedonensem, & in vniuersum Syn- *reijciunt.*
odos omnes reijciant, vbicunquè illis collibitum est.
Quid verò Pontifici Romano Africani Episcopi tribue-
rint, cùm multa alia, tum tres illæ epistolæ, quæ in Au-
gustini Epistolis leguntur, putà 90. 92. & 95. satìs de-
clarant: in quarum prima, nempè 90. his vtuntur ver-
bis episcopi Synodi Carthaginensis ad Innocentium:
Hoc gestum domine frater sancte, charitati tuæ inti-
mandum duximus, vt statutis nostræ mediocritatis eti-
àm Apostolicæ sedis adhibeatur authoritas. Hæc & id
genus alia plurima fraudulentèr celant centuriones no-
stri, contenti fragmentum aliquod hincindè excerpsis-
se, quod prima fronte pro ipsis facere videatur, vt sic in-
cautum Lectorem decipiant. Pluribus hoc loco illo-
rum de Pontificibus mendacia confutaremus, sed est ab
instituto nostro alienum: hoc vnum addendum est, Au-
gustinum disertis verbis affirmare, ad Mauritaniam *Epist. 157.*
Cæsareensem iniuncta à Zosimo Apostolicæ sedis Epi-
scopo ecclesiastica necessitate se esse pertractum. Ita-
que ille tantus Africæ episcopus reuerentèr agnouit Zo-
simi authoritatem, quem tamen isti Centuriones aiunt
vt falsum testem post tres annos & nouem menses di-
uinitùs extinctum: & vt magìs eorum prodatur im-
probitas, eadem Epistola 157. idem asserit Augustinus
Pelagium & Cælestium hæreticos à Papa Innocentio
& Zosimo toto Christiano orbe damnatos esse: quibus
verbis luculentèr confirmat, Pontifices Romanos to-
ti Christi Ecclesiæ præsidere. Sed de his satìs: atquè
vtinàm vellent tandèm animaduertere homines, quàm
mala fide ab istis nouis dogmatistis religionis grauis-
sima negocia tractentur. Prætereo hoc loco, quàm *Cent. 5.*
contumeliosè Centuriones nostri proscindant Leo- *Cap. 10.*
nem I. & Gelasium sanctissimos atque doctissimos
Pontifices, quamque impudentèr mentiantur, patres
quinti seculi rara aut nulla edere testimonia de Ro-
manorum Pontificum præ alijs authoritate, & Iuli-
um antiquissimum & sanctissimum Pontificem sibi- *Cent. 4.*
ipsi canones de suo iure mentitum esse: quæ omnia *Cap. 7.*
nihil sanè istis celeberrimis Pontificibus derogant,

1560 sed horum centurionum produnt teterrimam in Pontifices liuorem & odium, deploratamque nequitiam & impietatem, quam etsi ad tempus fert magna Dei patientia, tamen quandoquè seuerissimè castigabit. Quàm verò fœdum & probrosum est, quòd ijdem Centuriones ex Socrate & Sozomeno Canonem proferunt, quem modò vnà cùm Musculo deprauatè translatum, eò pertinere volunt, nè ecclesiæ citra Romani Pontificis consensum dedicentur, modò non hac de re, sed de Pontificum Romanorum prærogatiua, qua episcoporum causas ex remotissimis prouincijs ad suum tribunal reuocabant, agere apertè profitentur, idque in eadem centuria? immò etiàm eodem omninò folio de hoc Canone pugnantia scribunt. Porrò eius Canonis hæc sententia est, non oportere absque sententia Romani Pontificis Concilia celebrari, vt habet vetus Epiphanij Scholastici versio, vel decreta Ecclesijs sancire, vt quidam recèns vir doctissimus transtulit. Qui sanè Canon cùm sit antiquissimus, præclarum Romanorum Pontificum authoritati reddit testimonium, quod Centuriones ferre non possunt, & citant tamen, vt seipsos turpitèr pudefaciant. Et id genus fœdissimi lapsus crebri sunt apud istos & alios noui euangelij præcones, quos diuino iudicio, dum aduersùs veritatem quasi quibusdam furijs agitati vndecunquè praua sibi commenta conquirunt, mirabilitèr occæcari videmus, & ruere præcipites in fœdas antilogias & putidissimas absurditates: nec tamen pudet suî homines perfrictæ frontis, & leuiùs ferunt, quòd sciant ab imperitis isthæc non facilè animaduerti.

Antilogiæ Centurionum.

Et hæc quidem de oppugnatis frustrà à Centurionibus istis Romanæ sedis Pontificibus dixisse sufficiat: iam veniamus ad ea, quibus illi sacerdotum cælibatum euertere conantur. In ijs non postremum locum obtinet epistola quædam, quàm illi volunt esse Vldarici Augustani Episcopi. Hoc quidem obseruandum est, legem de cælibatu ab ijs incunctantèr vocari doctrinam dæmoniorum: porrò quòd ipsi bellissimi Euangelici fratres, plerique omnes periuri sacerdotes, & votifragi monachi, ruptis omnis pudoris & religionis vinculis, perfractis omnium diuinarum humanarumque legum repagulis, blandissimæ dominæ Veneri se totos consecrant, & alios vt idem hilaritèr factitent, verbis, scriptis, exemplis prouocant & extimulant, id verò purum putum

Hæreticì vt oppugnent cælibatū sacerdotum.

tum esse verbum Dei, & hoc credunt, nescio quo lethargo oppressi, mortales. Sed absit, vt plus tribuamus istis cæcis & insanis apostatis, quàm omnium retrò seculorum sanctissimis & eruditissimis patribus, & iudicio totius orbis Christiani. Porrò videamus, quam isti nobis pertexant fabulam ex Epistola Vldarici scilicet. Vldaricum vocant, quem Vdalricum dicunt alij, sanctissimum Augustæ Vindelicorum quondam episcopum. Huic isti tenebriones quandam ausi sunt affingere epistolam, vt nullius eos flagitij pudet, scriptam ab illo ad Nicolaum I. Romanum Pontificem. Sed impudens commentum, vtriusque & Vdalrici & Nicolai inspecta ætate, instàr fumi dissipatur. Nam Nicolaum Pontificem doctissimi viri scribunt obijsse diem suum anno Christi 867. Porrò Vdalricus obijt anno Christi 973. Itaque hinc colligat prudens Lector, quales nobis Chimæras pro ecclesiasticis historijs obtrudant Magdeburgici cēturiones. Quorsum verò attinebat ab istis citari Vdalricum, cuius tota vita è diametro cum istorum portentosis dogmatibus pugnat? Sed versutissimi homines, omni eius sanctissima vita posthabita, inuenerūt Epistolam, quam illi non sinè insigni in tantum virum contumelia attribuerent. Nam Vdalrico hoc tribuitur encomion, quòd fuerit pastor & Doctor Ecclesiæ fidelissimus. Et vt paucis videat Lector, quàm nihil conueniat Vdalrico cum centurionibus & toto grege dogmatistarum Euangelicorum, fuit Vdalricus puer in monasterio benè instituto S. Galli educatus, indè à parentibus traditus est Adelberoni Episcopo Augustano, cui inprimis ob morum integritatem charus fuit. Factus Episcopus Augustanus, tempus omne ferè orando & legendo transmisit, rigidus castigator corporis sui, semper abstinuit à carnibus, & plurimùm delectabatur offerendo Missæ sacrificio. Visitabat crebrò totius diœcesis suæ clerum & populum, inquirebatque diligentèr, num populus sanæ doctrinæ & Ecclesiasticis præceptis obtemperaret. Profectus Romam, indè sanctorum reliquias absportauit, multaque fecit miracula etiàm adhibito oleo benedicto. Tandèm obijt annos natus 84. Quis verò non totus obstupescat, talis viri vel tenuem mentionem fieri à Centurionibus? Sed certè ità illi ad sua mendacia tuenda intenti sunt, vt parùm curent etiàm illa pro se citare, quæ ipsorum paradoxa penitùs destruant. O quàm immanes & horrendi istos quandoquè angores corripient, vbì ventum

1560

Epistola S. Vdalrico falsò attributa.

S. Vdalrici vita.

1560 erit ad extrema. Sed ad Epistolam veniamus. In eius parte quadam scribitur, Gregorium eius nominis primum Romanum Pontificem, inuenisse Romæ sex millia capitum infantilium in piscina, à parentibus enecatorum ob cælibatum, ad quem eos Gregorius compulerit, cuius eum posteà vehementèr pœnituerit. O verè prodigiosam istorum hominum mentiendi libidinem. Quis, oro, alicuius nominis vel existimationis author, huius cõmenti in suis scriptis vel tenuem vnquàm mentionem iniecit? Non tulit cælibatûs legem primus Gregorius, sed totus orbis longè ante Gregorium eam agnouit. Subdiaconos quidem in Sicilia Gregorius admitti vetuit ad hunc ordinem, nisì priùs castitatem promitterent: sed ea castitatis lege etiàm Leonis I. tempore, immò etiàm longè ante Leonem, vt ex Epiphanio lib. 2. tom. 1. hæresi 59. & Concilij Elibertini Can. 33. doceri potest, iam tenebantur subdiaconi. Et quid tam ridiculum, tam absurdum, quàm credere, illis paucis annis, quibus Ecclesiæ præfuit Gregorius, subdiaconos Siciliæ vnius tot procreâsse pueros, eosque & immani crudelitate priùs iugulare, deindè iugulatos per longa maris & terræ spatia ad Romanam piscinam apportare voluisse, quasi defuerint Siciliæ vel flumina, vel maria, in quæ multò & tutiùs & faciliùs infantes demergerentur? Et mirum sanè, subdiaconos omnes hoc inter se tanta concordia potuisse reperire consilium, vt infantes suos vniuersos tam barbara feritate occiderent, tamque stulta vecordia Romam vsque deferrent, nec tamen quisquam esset qui tantum scelus efferret in publicum. Apparet sanè quanta in his hominibus, quamque meditata modis omnibus Catholicæ Ecclesiæ nocendi & labem aliquam adspergendi insit animorum contentio, qui ad huiusmodi teterrima figmenta corradenda confugiunt, hocipso satis superque testatum efficientes, non se habere, quod in Ecclesiæ doctrina, nisì per fraudes, mendacia, calumnias, repræhendant. Et vt nihil pro illis facit tota, quam succinctim exposui, Vdalrici sancti Pontificis vita, ità si epistolam, quam sceleratè illi affingunt, recipiendam velint, iam in multis cogentur damnare seipsos, & à suis dogmatis discedere. Hæc ipsa enim Epistola, magna seueritate sacerdotibus & monachis coniugio interdicit, & Romanum Pontificem vt summæ sedis Episcopum, vt omnium Episcoporum patrem, vt vniuersalis Ecclesiæ caput, vt Apostolicum

O portentosum figmentum.

Epistola cõmētitia pugnat cū hæreticis.

cum reuerentèr agnoſcit. Verùm hæc iſti ſuauiſſimi do- *1560*
minæ Veneris myſtæ & iuratiſſimi Pontificum hoſtes, non admittent vnquàm, nè ſi miſeris abſque Dalilis ſuis cubandum ſit, vel lemures patiantur infeſtos, aut frigore enecentur. Nam vt ſuis illis liceat frui inceſtis connubijs, hinc tantas illi turbas cient: & cùm non ignorent omnium ętatum ſanctiſſimos Pontifices & patres id genus ſcelerata damnare coniugia, hæc illis cauſa eſt tam atrocitèr in Pontifices & patres debacchandi. Qui ſi ad- *1.Cor.9.*
uersùm ſuas impuras & obſcœnas libidines bellum ſuſciperent, & cum Apoſtolo corpora ſua caſtigarent, & in ſeruitutem redigerent, iam & ſibi & alijs longè profectò meliùs conſulerent. Interìm verò, vt Apoſtolorum prin- *2.Pet.2.*
cipis verbis vtamur, ſuperba vanitatis loquentes, pelliciunt in deſiderijs carnis luxuriæ, eos qui paululùm effugiunt, qui in errore conuerſantur, libertatem illis promittentes, cùm ipſi ſerui ſint corruptionis.

Et in hac quidem parte, vt probent ſacerdotum coniugia eſſe verbo Dei conſentanea, multam ponunt operam Cẽturiones noſtri, & tamen vbì multùm ſudârunt, non niſì oleum & operam ſe perdidiſſe non ignorant, oppreſſi omnium ſeculorum perpetuo conſenſu, & grauiſſima authoritate. Nam & apud Græcos non licet ſacerdotio initiatis vxores ducere. Quid verò hic tantus conatus ſpirat aliud, quàm pectus Veneri deuotum, & ſpurciſſimis libidinibus miſerabili captiuitate & deterrima ſeruitute addictum? Volunt huic turpitudini adhibere patrocinium, & tamen etiamſi rumpantur, non poſſunt. Et hoc loco plurimum apud eos pondus habet vnius Paphnutij exemplum, quem volunt in Concilio Niceno patribus authorem fuiſſe non indicendæ continentiæ ſacerdotum ordini, cùm tamen hæc Paphnutij hiſtoria admodùm dubia & incerta ſit, & à Socrate ferè tota pendeat, qui Nouatianus fuiſſe videtur, à quo Zozomenus eam mutuatus eſt, quem iſti belliſſimi Centuriones, ſi contra ipſos faciat, totius ſuperſtitionis mancipium faciunt.

Quòd ſi verò veteris Eccleſiæ & ſanctorum patrum hac de re conſentientem ſententiam & doctrinam inquiramus, inueniemus tantæ antiquitatis eſſe ſacer- *Sacerdotũ*
dotum continentiam, vt qui eam oppugnare inſtituit, *continen*
nihil niſì ſuam ſtultitiam & impudentiam prodat. Sed *tia peran*
non eſt huius loci adferre omnia, tamen quandò illi, vt paulò ſuperiùs oſtendimus, ex 6. Carthaginenſi *tiqua.*

1560 Synodo adferre non dubitârunt, quæ contra Pontificem Romanum facere viderentur, nos breuitèr ex 2. Carthaginensi Concilio, cuius authoritatem hîc isti impudentes floccipendunt, annotabimus, quæ continentiam sacerdotum vel maximè confirment, vt videat etiàm hac in parte lector, quanta sit horum centurionum improbitas & petulantia. Eius ergò Synodi cap. 2. hæc sunt verba: Episcopos, presbyteros & diaconos ità placuit, vt condecet sacrosanctos antistites, & Dei sacerdotes, necnon & Leuitas, vel qui sacramentis diuinis inseruiunt, continentes esse in omnibus, quô possint simplicitèr, quod à Deo postulant, impetrare, vt quod Apostoli docuerunt, & ipsa seruauit antiquitas, nos quoquè custodiamus. Hæc illi Patres vno ore omnes decreuerunt, sed apud Centuriones & totum noui Euangélij buccinatorum gregem non habent pondus, quia libidinum mancipia doctrinam pudicitiæ ferre non possunt. Et interìm non pudet eos pro se citare patres Africanos, quasi apud illos vlli omninò, nedùm Africani, patres aliquid habeant authoritatis, vbicunquè illorum teterrimis erroribus & spurcis libidinibus non consentiunt. Verùm his dolis fallunt imperitam multitudinem. Fortassìs autem dicturi sunt, hunc Africanum Canonem accipiendum esse de ministerij temporibus, quibus sit abstinendum à fœminis: sed patres omnes huic interpretationi reclamant, perpetuamque volunt esse eorum qui in sacris ordinibus sunt, continentiam, propterea quòd, vt ait D. Ambrosius, die noctuque pro plebe sibi commissa eos oportet orare. Quid facient Orientis Ecclesiæ, inquit D. Hierony. contra Vigilantium, quid Aegypti & sedis Apostolicæ? quæ aut virgines clericos accipiunt, aut continentes: aut si vxores habuerint, mariti esse desistunt. Verùm nostri blandissimi centuriones cum Dormitantio (sic enim eodem loco vocat Vigilantium D. Hieronymus) libidini frena permittunt, & naturalem carnis ardorem (vt ait idem) suis hortatibus duplicant, & cùm Christus suum Euangelium auspicetur ab agenda pœnitentia, isti etiàm homines diuinis ministerijs addictos vocant ad sacrificia Veneris, vt nihil sit quo distemus à porcis, quo differamus à brutis animantibus. Sed eant sanè, & strenuam suę Veneri apostatæ monachi & periuri sacerdotes nauent operam: veniet illa dies, quandò incestas libidines vltrices æstuantis gehennæ flammæ egregiè concremabunt, & in omnem

Dist. 82. c. Cùm in præterito.

In 1. Timot. ca. 5.

Matth. 4.

omnem æternitatem diriſſimè excarnificabunt. *1560*

Habent verò noſtri Centuriones permulta, quibus monaſticæ quoquè vitæ inſtituta infeſtiſſimè exagitant, idque adeò, vt nullam apud eos fidem propemodùm mereri videatur, quicquid in eorum inſtitutorum approbationem adferri poſſit. Et cùm monaſtica vita tot habeat ab omni antiquitate illuſtria teſtimonia, eximia encomia, innumeros eosque omni virtute, doctrina, miraculorum gloria clariſſimos ſectatores, tamen non verentur iſti impudentiſſimi nugatores palàm aſſerere, monachatum verbo Dei aduerſari, eſſe genus vitæ ſuperſtitioſum, & ad totos trecentos annos à Chriſto nato, nullum reperiri monaſticæ vitæ fide dignum teſtem, niſi Epiſtolas decretales Pontificum, & Vincentium, qui in Alexandria Aegypti mentionem monaſterij fecit, vbì fabulam ſeu legendam Eugeniæ recitat: ſic enim iſtis viſum eſt loqui. Cum huiuſmodi hominibus, immò potiùs Chimæris contendere, quid eſt (oro) aliud, quàm bonas horas malè collocare? Et tamen propter ſimplices, quibus miſerandum in modum illudunt, detegendæ ſunt illorum fraudes, idque breuitèr, nè nimiùm ab inſtituto deflexiſſe videamur. Obſeruet autem Lector, ad quantam impietatem iſti deuoluti ſint, qui cùm plurima etiàm ex vetuſtiſſimis ſcriptoribus adferant monaſticæ vitæ teſtimonia & miracula à monachis edita, tamen omnia aut ſceleratè irrident, aut malitiosè eleuant, aut prorsùs tanquàm figmenta reijciunt, cùm alioquì fragmentum quoddam Epiſtolæ cuiuſdam Vldarici, quem illi S. Vdalricum eſſe voluerunt, tam impotentèr nobis obijciant, àc ſi è medio Chriſti Euangelio petitum ſit. Itaque ſi quid vel parùm ipſis fauere, Pontifici & Catholicæ Eccleſiæ aduerſari videatur, id etiamſi ab obſcuro & ignoto homine editum ſit, tamen vrgent, obijciunt, exaggerant mirum in modum. Si verò ipſorum impijs commentis perpetuus reclamet omnium ſeculorum conſenſus, totuſque orbis terrarum, prorsùs nihili pendunt, & incredibili temeritate reijciunt, aut ſaltem aliò impudentèr detorquent. Habemus monaſticæ vitæ inſignes teſtes & encomiaſtas, Dionyſium Areopagitam, Athanaſium, Baſilium, Chryſoſtomum, Hieronymum, Auguſtinum, & innumeros alios: ſed quæ ab iſtis de monachis ſcripta ſunt, aut negant eſſe illorum, aut fabuloſa videri volunt, aut egregiè proſcindunt & lacerant,

Hæretici oppugnāt vitā monaſticam.

Cent. 2. cap. 7.

Nota vafriciem et impoſturā

1560 rant, & euidentissima Diuinæ Maiestatis miracula eximiasque monachorum virtutes, dæmonum præstigias & mandatorum Dei transgressiones vocant. Quid igitur istis cæcis & perditis sycophantis ad summam impietatem reliqui esse potest? Quid facerent isti, si res & gesta monachorum non nisi ab obscuris & incertis authoribus prodita haberemus, cùm à grauissimis, doctissimis, sanctissimis patribus conscripta, vsqueadeò exibilent & proscindant? Sed hac sua impudentia id tamen quandoque consequentur, vt totus orbis intelligat, eos homines planè deploratæ & profligatæ nequitiæ fuisse.

Centuriones dati in reprobũ sensum. Certè qui eorum hac de re (vt de alijs iam sileam) scripta, & eas ipsas, de quibus agimus, Centurias legunt, perspicuè animaduertunt eos datos in reprobum sensum, & plenos malo dæmone, ea scribere, quæ nullæ piæ aures ferre sustineant. Eius generis sunt, quòd historias sanctorum monachorum à grauissimis patribus scriptas, tanquàm fictitias & nugaces ac superstitiosas exibilant: quòd D. Gregorium imcomparabilis sanctitatis Rom. Pontificem, in Dialogis suis totum aiunt ad monachorum præstigias celebrandas effundi, cuius ea, quæ de D. Benedicto sanctissimo viro summa fide & integritate conscripsit, quòd plena superstitionis esse dicant, ne relatu quidem digna iudicant: interim tamen inter alia miracula, quæ (vt ipsi blaterant) superstitionem & idololatriam redolent, illud in suis illis mendaciorum & blasphemiarum Centurijs recensent, ex eodem beatiss. Pontifice Gregorio, vt iubente Benedicto vas vitreum continens pauxillum olei, foràs proiectum in saxa, non fit confractum. Multa prætereà alia diuinæ potentiæ miracula, tum ex Gregorio Pontifice Romano, tum Gregorio Turonensi & alijs, quæ pij omnes non sinè admiratione & veneratione legũt, commemorant, eaque speciali titulo his verbis compræhendunt:

Cent. 6. Cap. 13. De miraculis superstitionem & idololatriam redolentibus. Non est iam certè, quòd horum temporum monachi doleant se ab istis noui Euangelij prodigiosis præconibus parùm commodè accipi, cùm sic tractent priscos illos lõgè sanctiss. monachos: immò verò intelligãt hinc, nisi monastica vita malis dæmonibus vel maximè inuisa, Deo verò inprimis grata foret, nunquàm satanam per

Cent. 4. Cap. 10. hos suos administros tam atrocitèr eam insectaturum fuisse. Sic isti egregij Centuriones verbis D. Hieronymi recitant

recitant Hilarionem, summæ perfectionis monachum, 1560
à sexagesimoquarto anno vsque ad octogesimum pane abstinuisse, incredibili feruore mentis, vt eo tempore quasi nouus accederet ad seruitutem (Hìc addunt miseri isti, superstitiosam) Domini, quo cæteri solent remissiùs viuere. Cogitur ergò etiàm Hilarion esse superstitiosus, quem talem ac tantum virum fuisse scribit Hieronymus, vt si eius conuersatio vitaque ab ipso quoquè Homero conscribenda foret, vel inuideret materiæ, vel succumberet. Sed non frustrà in Hilarionem tam petulantèr incurrunt monstrosi Centuriones. Vident enim eius vitam ab euangelicorum apostatarum spurcissimis libidinibus longissimè distare: & poterant illi sanè, si non totos se Veneri deuouissent, discere ab illo, quemadmodùm petulantia carnis edomanda sit. Cùm enim pubescenti iam corpori illius, vt de eo scribit D. Hieronymus, solita voluptatum incēdia diabolus suggereret, ille iratus sibi, & pectus pugnis verberans, Ego, inquit, aselle faciam vt non calcitres: nec te hordeo alam, sed paleis. Fame te conficiam & siti, graui onerabo pondere, vt cibum potiùs quàm lasciuiam cogites. Simul etiàm frequentèr orabat & psallebat. Verum hæc nostri Centuriones vsqueadeò non ferunt, vt mox impiam superstitionem sint proclamaturi. Sed tamen vel ab ipso Apostolo coguntur audire, quòd castigârit corpus suum, & in seruitutem redegerit. Et eum igitur, si ausi sunt, superstitiosum vocent. Est autem certè edomanda carnis petulantia ieiunijs, vigilijs, precibus, atque alijs id genus pietatis exercitijs: atque hæc non dæmoniorum, sed Christi & Apostolorum eius doctrina est, cum qua nihil habent commercij noui isti Epicuri de grege porci, quorum omnis philosophia definit in tartareos deæ Veneris amplexus & oscula, cui illi quotidiè gnauitèr sacrificant, vt longè rectiùs in illos idololatriæ teterrimum scelus conferri queat, quàm in sanctos illos priscorum temporum monachos, qui vni Deo viuo & vero se totos consecrârunt. Sed ad narrationem redeamus. Audent isti Centuriones Benedictum, Patroclum, & alios plerosque multa sanctitate conspicuos monachos, incunctantèr pronunciare Antichristi notis insignes fuisse, Brigidam virginem toto orbe, apud Scotos inprimis, celebrem appellare magam, Martinum Turonensem Episcopum longè sanctissimum, dicere necromanticum, quem etiàm

1. Cor. 9.

Nota impietatem.

Cent. 6. Cap. 10.

Cent. 5. Cap. 10.

1560 etiàm fatentur vitam monasticam, quàm superstitiosam illis vocare libitum est, ante episcopatum coluisse. Et in his tam confidentèr & scelerate pronunciandis nulla retrahuntur religione, nec verentur nè præpotens Deus tam nefarias sanctorum suorum iniurias & blasphemias è vestigio, vt sæpè aliâs fecit, vlciscatur. Sed hîc meminisse oportet eius sententiæ, quam in
Eccles 8. scriptis diuinis legimus : Etenim quia non profertur citò contra malos sententia, absque timore vllo filij hominum perpetrant mala. Attamen peccator ex eo quòd centies facit malum, & per patientiam sustentatur, ego cognoui, quòd erit bonum timentibus Deum, qui verentur faciem eius. Istorum enim hominum effrenata impietas & horrenda occæcatio hominibus pijs religiosam quandam inijcit solicitudinem, vt diuino timori accuratiùs & studiosiùs inhæreant, nè quandoquè & ipsi excidant è gratia, & in eiusmodi reuerà expauescendam prolabantur animi cæcitatem & impietatem. Calumniantur tenebriones isti sanctissimorum monachorum Hilarionis & multorum aliorum admirabilem abstinentiam, & summam cibi potusque parsimoniam, vitæque austeritatem : nec vident cæci,
Matt.11. vel potiùs perfidiosè dissimulant, Iohannem Baptistam
Luc.7. ab ipso Christo eximijs ornari præconijs, quem diuinæ
Matt.3. literæ testantur vixisse locustis & melle syluestri, vsumque veste è pilis camelorum confecta. Aiunt monasticum viuendi genus aduersari verbo Dei, cùm præcipua eius vitæ instituta, ab ipso Christo & eius Euangelio petita sint. Vouent monachi obedientiam, castitatem, paupertatem. Earum verò virtutum clarissima exempla in ipso Christo relucent, cuius tota vita summa fuit erga patrem cælestem obedientia : nihil castius, nihil pau-
Matt.8. perius orbis habuit, cùm ipse de se locuples testis sit, fi-
Luc 9. lium hominis non habere vbi caput suum reclinet. Quid verò aliud fuit primorum credentium vita, quàm exemplar quoddam monachatûs, cùm illic degerent omnes sub Apostolorum obedientia, nihil quicquam haberent proprium, & plerique à nuptijs prorsùs absti-
Act.2. nerent ? Omnes qui credebant, ait S. Lucas, erant paritèr, & habebant omnia communia, & erant perseuerantes in doctrina Apostolorum, & communicatione fractionis panis, & orationibus. Talis quoquè fuit priscorum monachorum vita, hodieque tales esse conantur omnes boni monachi. Cùm sit autē doctrina Christi

& Apo-

& Apostolorum prorsùs aduersa prauis animi cupiditatibus & fœdis carnis voluptatibus, permulti horum temporum pseudomonachi pertæsi; eius doctrinæ, cucullum excusserunt, & ad vomitum reuersi, contra fidem Deo datam, incestis se polluerunt nuptijs, & omni calcata obedientia, etiàm res alienas, qui proprias priùs deseruërant, vsurpârunt, ducuntque ex ijs plerique iucundos dies, & interìm tamen prodigiosa quadam impudentia iactitant se puram adferre doctrinam & syncerum Christi Euangelion, cùm indè longissimè absint. Nam velint nolint, fateri cogentur illos sanctissimos priscorum temporum monachos, totos se composuisse ad Christi & Apostolicæ doctrinæ imitationem, hodieque in multis benè institutis monasterijs idem studium spectari: quam vitam cùm ipsi deseruërint, nihil aliud quàm viles & detestabiles apostatæ censendi sunt, prorsusque à Christi & Apostolorum doctrina alieni. Obijciunt nobis stupendi Centuriones, monachos frustrà colere Christum mandatis hominum: nos verò dicimus, vt iam antè quoquè diximus, præcipua monachorum studia, putà, obedientiæ, paupertatis & castitatis, ipsum Christum habere authorem. Et interìm tamen ex ijs, quæ ad obedientiam pertinent, multa sunt ab hominibus mandata: sed cùm non solùm nihil officiant pietati, sed plurimùm etiàm eam promoueant, rectè à monachis obseruantur. Atque hìc cæcos istos & stupidos magistros stultitiæ suæ admonere atque etiàm arguere & conuincere poterat exemplum Rechabitarum, qui quòd ex præscripto patris sui Ionadab vinum non biberent, non solùm non repræhensi, sed his etiàm verbis à Domino per Hieremiam laudati sunt: Hæc dicit Dominus exercituum Deus Israël: Pro eo quòd obedîstis præcepto Ionadab patris vestri, & custodîstis omnia mandata eius, & fecistis vniuersa quæ præcepit vobis: propterea hæc dicit Dominus exercituum Deus Israël: Non deficiet vir de stirpe Ionadab filij Rechab, stans in conspectu meo cunctis diebus. Hæc, nisi fallor, negare non poterunt Centuriones nostri, animales, spiritum non habentes, non aliud esse quàm purum putum verbum Dei. Desinant igitur carpere obedientiam monasticam, & sui gregis apostatas monachos & impuros sacerdotes hortentur ad resipiscentiam, vtque se vltrò restituant suauissimo sanctæ obedientiæ iugo, nullam alioqui vnquam partem cum Chri-

1560

Exemplũ Rechabitarum.

Hier. 35.

Philip. 2.

1560 Christo habituri, qui factus est obediens Deo patri vsque ad mortem crucis. Non est instituti mei, omnia huc adferre, quæ pro monastica vita faciant contra Centuriones: pauca annotâsse sat habeo. Extat scriptum Philonis de vita contemplatiua, in quo multa habet, quæ non parùm momenti ad monachatûs defensionem adferrent, sed studendum est breuitati. Et ille author vixit Apostolorum temporibus. Sanè haud obscurè indicat Christianos illos, de quibus agit, habuisse monasteria, in quibus ab alijs seiuncti, sanctæ vitæ mysterijs imbuerentur: item omnibus facultatibus & mundi curis nuncio remisso, extra muros in semotis locis habitâsse, & miram sectatos esse cibi ac potûs parcitatem, ac diuinarum rerum contemplationi vacâsse. Sed hoc grauissimum Philonis testimonium nostri Centuriones, qui mentiri non dubitârunt, ad trecentos annos à Christo nato nullum fide dignum Monachatûs testem extitisse, maligno & fraudulento silentio ferè totum inuoluerunt. Quæ verò Philo hìc scribit, ea Eusebius Cæsareensis, Epiphanius, Hieronymus ad monachos accommodant, quod tamen simili versutia isti Centuriones dissimulant. atque hac illi fide in rebus Ecclesiasticis explicandis versantur. Non est verò dubitandum, quin illorum præclarum Euangelium, quod non nisi mendacijs, fraudibus & imposturis nititur, vbì præpotenti Deo visum erit, perindè vt superiorum ætatum hæreses omnes, quandoquè sit ruiturum. Porrò monasticæ vitæ studium & hactenùs semper fuit in Ecclesia, & deincèps quoquè, Deo fauente, sempèr permanebit. Apostatas autem & desertores monachos ponet Dominus vt clibanum ignis in tempore vultûs sui, & in ira sua conturbabit eos, & deuorabit eos ignis. Atque vt magìs tabescat istorum in monachos odium, libet D. Hieronymi ex epistola quadam ad Marcellam verba huc adscribere: Certè flos quidam, inquit ille, & preciosissimus lapis inter Ecclesiastica ornamenta, monachorum & virginum chorus est. Et id genus permulta alia possent ex alijs omni genere doctrinæ & sanctitatis celeberrimis patribus adduci, sed non est huius loci. Centuriones & alij euangelij quinti buccinatores, dum monasticam vitam oppugnant, sui produnt pectoris putentissimam sentinam, séque ab omni Christiana pietate & Christi atque Apostolorum eius moribus & doctrina prorsùs adhorrere demonstrant. Quòd autem tam

Philo de vita contéplatrice

Psal. 20.

Hieronymi de monachis sententia.

tam immanitèr & ſceleratè proſcindunt multos in- 1560
comparabili ſanctimonia illuſtres patres & monaſticæ vitæ cultores, & eorum ſanctiſſimam vitam, & inſignia miracula ad ſuperſtitionem, idololatriam & impietatem referunt : id quidem eiuſmodi eſt, vt vel ex eo ſolo ſatìs ſuperque poſſit intelligi, totos illos eſſe occupatos à malo dæmone, atque ab omni ſpe ſalutis prorsùs excidiſſe, quòd illos etiàm malitioſè calumnientur & lacerent, quos conſtat iam beatam cum Chriſto in cælis vitam viuere. Et vt paucis rem totam expediam, nihil in iſtis hominibus appáret aliud, quàm pectus mundo huic & mundi voluptatibus atque omni ſpurcitiei & impietati deditiſſimum, à Chriſto verò & eius ſpiritu atque omni iuſtitia & ſanctitate longè alieniſſimum, Cimmerijſque oppreſſum tenebris, & in id vnum vel maximè intentum, vt quamplurimos ſecum in damnationem trahat. Habent verò noſtri Centuriones etiàm cum Diuorum inuocatione in illis ſuis præclaris Centurijs acre & immane bellum, & cùm non poſſint negare, multa eius inuocationis luculenta teſtimonia extare in vetuſtiſſimorum Eccleſiæ Doctorum lucubrationibus, eò validiſſimi & inuicti athletæ confugiunt, vt quæ illorum ſcripta huius mentionem faciunt, ea aut negent eorum eſſe vera & genuina, aut ab alijs blaterant eſſe corrupta & deprauata. Ità videlicèt vel ipſum Euangelium & omnis ſcriptura diuina iſtis erit adulterina & ſuppoſititia, vbì diſcrepat ab illorum paradoxis. Quòd autem hanc Sanctorum inuocationem minimè putant eſſe ferendam, ſummam illorum arguit rerum diuinarum imperitiam, qui prorsùs non intelligant beatos angelorum & hominum ſpiritus, tam eſſe omnipotenti Deo familiaritèr & inſeparabilitèr coniunctos, vt nec illi quicquam velle poſſint alitèr quàm velit Deus, nec quicquam illis vnquàm aut velit aut poſſit negare Deus, cum quo iam vnus ſpiritus ſunt, & cum quo iam prorsùs vnum illis & nolle & velle eſt. Quod ſi intelligerent rudes & craſſi iſti Centuriones, deſinerent carpere ſanctorum inuocationem, cùm omnis ille honor & cultus, quem Sanctis impendimus, in ipſum Deum, cui ſunt coniunctiſſimi, redundet. Sed hanc quoquè præclaram doctrinam, vt multa alia, ex veterum iam olim damnatorum hæreticorum lacunis hauſerunt : nec pudet eos toti obſtrepere Eccleſiæ cum paucis tèr execrandis hæreticis, Euſtachio

Hæretici oppugnāt Sanctorū inuocationem.

1560 ſtachio in Gangrenſi Synodo antiquiſſima damnato, & Vigilantio, quem pro dignitate egregiè perſtringit præclarum illud Eccleſiæ lumen Hieronymus, cui tamen iſti impudentes Centuriones Vigilantium non dubitant opponere. Atque multos illi quidem citant patres, è quibus fraudulentèr ſimulant ſe ſuam poſſe tueri ſententiam: ſed ipſi vel ſoli abundè ſufficiunt ad eorum confutandam ſtultitiam, tametſi multos alios veteres patres vſitatiſſima illa diſſimulandi arte prætereunt. Quid verò bonæ frugis adferre poteſt iſthæc fraus & dolus malus, dum grauiſſimi patres aut citãtur quidem, ſed vel mala fide, vel quæ in eorum ſcriptis apertè docent ſanctos inuocandos, ea dicuntur adulterina & ſuppoſititia, aut etiàm permulti patres ſilentio inuoluuntur, nè ſi eorum prolata ſint teſtimonia omni exceptione maiora, Centuriones noſtri tanto pondere oppreſſi, toti orbi ſe irridendos propinent? Tam enim vetus & conſtans eſt in Eccleſia Dei de ſanctorum inuocatione doctrina, vt qui eam oppugnare conantur, non niſi inſignem ſuam prodant amentiam & impudentiam. Et in ijs quidem eſt non poſtremus Philippus Melanchthon, qui in Apologia Auguſtanæ Cõfeſſionis impudenti vanitate iactitat, apud veteres ſcriptores, ante Gregorium primum Romanum Pontificem, ſummum eſſe de hac inuocatione ſilentium. Non eſt huius operis citare patrum ſententias: fecerunt id permulti noſtra ætate doctiſſimi viri.

Cent. 4. Cap. 6. & 8.

Melanchthonis vanitas & impudentia.

Pugnant autem Centuriones noſtri etiàm cum reliquijs ſanctorum & miraculis ad eas editis, vt animaduertat lector cruciari in illis tetros illos tenebrarum angelos, quibus pleni ſunt. Et hìc quidèm pectus ſuum egregiè, vt ſæpiſſimè aliâs produnt, dum Vigilantium hæreticum haud obſcurè inter pios doctores numerare videntur, cumque de martyrum ſuperſtitioſo, vt ipſi aiunt, cultu ac veneratione fortè benè & piè ſcripſiſſe dicunt, porrò D. Hieronymum eius ſcripta parùm firmis rationibus conuellere, magiſque conuicijs & importunitate, quàm argumentis & rationibus ſuperare. Addunt verò etiàm Auguſtinum oſtendiſſe in Africa ſuo tempore ſuperſtitioſum & magnum multitudinis ad reliquias Stephani protomartyris concurſum, dementatis populis quibuſdam illuſionibus, quæ pro miraculis habitæ ſunt. Nec his contenti, illud quoquè adijciunt, apud Theodoretum illud eſſe memorabile, has mar-

Reliquiæ ſanctorũ proſcinduntur ab hæreticis.

Cent. 4. Cap. 8.

Cent. 5. Cap. 6.

Cent. 5. Cap. 25.

martyrum reliquias ethnicos nihili fecisse, existiman- *1560*
tes se inquinari, si ad eorum sepulcra accedant : quam
illorum opinionem Theodoretus ibidèm ait esse ex-
tremæ ignorantiæ & maximæ dementiæ. Poterant hæc
sufficere ad istorum ostendendam insaniam, quando-
quidem & Vigilantius hæreticus laudem, & D. Hiero-
nymus repræhensionem apud illos habet, & quæ D. *De ciuit.*
Augustinus vt insignia Dei miracula recitat, ea isti *Dei lib.*
omni lachrymarum fonte plangendi tenebriones vo- *22. cap. 8.*
lunt illusiones fuisse. Tum postremò ethnicorum ex-
emplum loculos martyrum contemnentium, nobis
opponunt, quasi iam ab ethnicis dæmonum cultori-
bus, quid nobis agendum sit, discere debeamus. Sed ipsi
certè eò hoc protulerunt, vt boni omnes intelligant,
eos dum martyrum reliquias contemnunt, ad ethnico- *Ibidèm.*
rum esse deuolutos impietatem. Augustinus sanè aper-
tissimè testatur, facta suis temporibus multa miracula,
Deo faciente per quos vellet, & quemadmodùm vellet:
eaque ità recenset, vt ea plurimùm velit habere ponde-
ris ad confirmandam fidem nostram. Libet huc ex eo-
dem Augustini loco breue adscribere miraculum, vt istis *Miraculũ*
stomachus moueatur. Sanctimonialis quædam, inquit, *ex S. Au-*
cùm ęgritudine laboraret, ac desperaretur, ad memoriam *gustino.*
Stephani martyris tunica eius allata est, quæ antequàm
reuocaretur, illa defuncta est. Hac tamen tunica operu-
erunt cadauer eius parentes, & recepto spiritu, salua fa-
cta est. Sed vtcunquè insaniant Centuriones, vel poti-
ùs vtcunquè in eis & cum eis torqueatur diabolus,
qui vt olìm per Eunomium & Vigilantium detestabi-
les hæreticos, teste Hieronymo contra Vigilantium, ità
nunc per eos ipsos Centuriones ridet martyrum reli-
quias, sunt tamen miracula hæc, quæ ab Augustino
prolixè commemorantur, illius ipsius facta virtute, qui
olìm ad vmbram prætereuntis Petri curabat ægrotos *Act. 5.*
omnes. Non est autem magnoperè mirandum, quòd
bellissimi euangelici nostri Centuriones cum suis sym-
mystis buccinatoribus ità debacchantur in miracula
diuinitùs ad martyrum & sanctorum reliquias edita,
cùm se cernant hac gratia, vt etiàm omni vera virtute, *Hæretici*
adeò destitutos, vt nec vllum vnquàm canem claudi- *cur lace-*
cantem restituere potuerint. Inuident, igitur Catho- *rent San-*
licæ Ecclesiæ & eius clarissimis membris sanctis mar- *ctorum*
tyribus & eorum reliquijs hanc efficaciam, & imma- *miracula.*
ni blasphemia opera Dei non verentur atrocissimè ca-
 lumniari,

1560 lumniari, & dæmonum illusionibus ac figmentis tribuere homines planè profligati & perditi, qui non contenti vexâsse Ecclesiam etiamnùm in terris militantem, etiàm in illam iam cum Christo in cælis felicissimè triumphantem, suos stylos & blasphemas linguas acuunt, habituri quandoquè amplissimam mercedem tam nefariæ peruersitatis. Quàm enim est illa eorum intolerandа impudentia, quòd scribere non verentur, totis quingentis à Christo annis nullum verum miraculum à sancto aliquo post mortem editum reperire se potuisse, cùm tam multa vnus recitet Augustinus, quæ se certò sciuisse, quibusdam etiàm præsentem interfuisse affirmat? vt alios grauissimos Patres & Scriptores omittamus, quos omnes isti videntur velle insimulare mendacij, quasi eadem vanitate fuerit Augustinus & alij sancti Patres, qua sunt isti egregij Centuriones, quos non pudet fortitèr & insignitèr mentiri. D. Ambrosius Epistola 85. præclarissima ad sanctorum Geruasij & Protasij reliquias declarata miracula recitans, super quas etiàm multa indumenta iactata ait, vt tactu ipso medicabilia reposcerentur, ità subiungit: Gratias tibi Domine Iesu, quòd tales nobis sanctorum martyrum spiritus excitâsti, hoc potissimùm tempore, quo Ecclesia tua, præsidia maiora desiderat. Non adscribit ille, vt nostri stupidi Centuriones, sanctorum miracula dæmonum illusionibus, sed pro ijs Christo gratias agit. Et rectè quidem ob tantam improbitatem in illos quadrare potest, quod Sermone 19. de Arrianis dicit idem Ambrosius: Non alitèr, inquit, eorum operibus inuiderent, nisì fidem in hìs fuisse, quam isti non habent, iudicarent, & fidem illam Maiorum traditione firmatam, quam dæmones ipsi negare non possunt. Multa hîc studiosè prætereo Centurionum nostrorum commenta & fraudes, quòd nimìs longum sit omnibus annotandis immorari.

Impudentia hæreticorum.

Multùm etiàm miseros istos torquet reliquiarum sanctorum translatio, quam more suo audactèr vocant superstitiosam, & interìm ipsi non ignorant, rem esse in Ecclesiæ vsu & praxi antiquissimam, nec tamen verentur cæci & miseri dicere, eàm partìm ex ethnica superstitione primùm cœpisse, & mirum in modum mendacibus prodigijs & signis confirmatam, magis magisque creuisse. Est hæc illis impietas cum impijs Porphyrio & Eunomio communis, vt miracula & signa

Translatio reliquiarum.

Cent.4. Cap.6.

gna diuinitùs exhibita, præstigias dæmonum esse calu- 1560
mnientur. Legimus in D. Hieronymi scripto contra Vigilantium, sanctas reliquias Andreæ, Lucæ & Timothei ab Constantino Imperatore trãslatas esse Constantinopolim, & apud easdem dæmones rugijsse: ab Archadio quoquè Augusto Samuelis ossa de Iudæa translata in Thraciam, & Episcopos eius cineres in serico & vase aureo portâsse. Habemus in his multisque alijs celeberrimis exemplis Catholicæ Ecclesiæ morem antiquissimum, qui apud nos longè plùs valere debet, quàm innumeræ Centurionum & similium tenebrionum calumniæ & blasphemiæ. Eant illi in tenebras cum suis portentosis calumnijs, nos in Ecclesia Catholica Christum ducem & authorem sequimur, cuius spiritu scimus ecclesiam regi, nec posse errare vnquam. Hoc verò tamen obseruatu dignum est, multa ab istis Centurionibus diuinitùs declarata miracula apud reliquias & memoriam sanctorum totius ferè Europæ, vel silentio vel mẽdacio supprimi & aboleri. Est in Sicilia templũ Philippi, qui fuit Petri Apostoli discipulus, & ab illo missus in Siciliam, ad quod quotannìs eo die, qui illi sacer est, multi à dæmonibus liberantur. Et expediret profectò, nostros quoquè eò adduci Centuriones, si fortè abiecta perfidia liberari possent à malis dæmonibus, qui eos ad hæc & id genus alia conscribenda impellunt. Anno salutis 1541. ducentæ penè fœminæ ad hoc templum expulsis tetris spiritibus curatæ sunt. Huius Philippi Centuriones isti nec mentionem quidem facere voluerunt. In eadẽ Sicilia aliud templum est S. Viti longè celeberrimum, quod cùm inuisunt rabidi canis morsu infestati, curantur. In Hispanijs celebris est memoria Iacobi Complutensis Frãciscani. Huius meritis & intercessione, vt ait Michaël Medina doctiss. theologus, varij ac desperatissimi morbi frequentèr pelluntur, adeò vt etiàm Carolus, Catholici Hispaniarum regis Philippi vnicus idẽque charissimus filius, teste eodem Medina, post omnium medicorum desperationem, post totius regni mœrorem, post regiæ domûs luctus, ex capitis confractione penè à morte receptus sit. Sed hæc nostri Centuriones, aut non vident, aut præstigias dæmonum esse ore impuro vociferabuntur, quorum incredibilem audaciam & immanem pectorum cęcitatem nemo vnquàm satìs & admirari & abominari poterit. Nam etiàm insignia illa miracula, quæ Eusebius testatur, edita esse ad illam herbam, quę ad imaginem Christi, apud Pa-

Miracula apud reliquias sanctorum.

De recta in Deum fide lib. 2. cap. 8.

Lib. 7. ca. 18. vel iuxta Ruffinum, 14.

1560 neadem à muliere, quam Chriſtus ſanguinis fluxu liberârat, ſtatuta fuit, vſqueadeò obſcurare non verentur, vt & herbam illam ſuperſtitioſam vocent, & imaginem
Cent.4. horrendo fulmine diſruptam ſceleratiſſimè mentian-
Cap.13. tur, cùm eam quidem imaginem Iulianus apoſtata iuſſerit deijci, & ſuum in eius locum ſimulacrum ſubſtitui, quod mox ignis cælitus immiſſus ità diſiecit, vt collum atque pectus à reliquo corpore auulſerit: porrò Chriſti imago, quam ille ſceleſtus ſuo loco mouerat, à Chriſtianis in templum tranſlata eſt, vt iſtos impudentiſſimos nugatores tam turpis mendacij meritò æternùm pudere debeat: quemadmodùm & immanis blaſphemiæ, quòd Chriſti beneficia per illam herbam, curandis morbis omnibus efficaciſſimam exhibita, ad ſuperſtitionem trahere non dubitant: quanquàm nè inſigne hoc de Chriſti fulminata imagine mendacium ipſi confinxiſſe videantur, nouo mendacio eius rei teſtem citant Zozomenum, cuius alioquì vilis apud illos authoritas eſt, qui tamen nihil huius habet. O viros Euangelicos, ô fidiſſimos hiſtoriæ Eccleſiaſticæ ſcriptores. Eat iam Lector, & in ſcribendis hiſtorijs eos bona fide verſari ſibi perſuadeat, quos neque piget, neque pudet tam profligatę vanitatis. Tales ſunt noſtrorum temporum hiſtorici Euangelici.

Si hoc loco adferre velim, quæ illi de imaginibus non venerandis eadem fide & integritate ſcribunt in ſuis malè conſutis Centurijs, nimiùm longus ero. Et hîc tamen illorum atroces morſus & vipereas linguas
Cent.4. pati cogitur etiàm illa Magni Conſtantini ſanctiſſima
Cap.13. mater Helena, quam pro ſua teterrima conuiciandi libidine mulierem ſuperſtitioſam vocant, nec volunt ab ea Domini Crucem eſſe inuentam, cùm id teſtentur tam multi peruetuſti patres: immò verò ipſi ijdem Centuriones parùm attenti ad illud, quod vulgò dici ſo-
Cent.4. let, mendacem eſſe memorem oportere, in eadem Cen-
Cap.6. turia, vbì iſthuc non admittunt, itidèm affirmant his verbis: Helena mulier ſuperſtitioſa illuc profecta adorandi cauſa, reperta Domini cruce, duo templa ædificari curauit. Hoc verò in illis rarum non eſt, vt parùm ſibi conſtent, quod mendacibus euenire neceſſè eſt. Sic in eadem centuria & negant apud Euſebium extare mentionem inuentæ crucis, præterquàm in Chronico, cui tamen id volunt à poſterioribus inſertum, & aiunt id apud illum haberi lib.3. de vita Conſtantini. Eodem modo

modo alibì ſanctiſſimam Longobardorum reginā The- 1560
odelindam, ſtolidam & ſuperſtitioſam, alibì in eadem *Cent.6.*
Centuria mulierem pietate & eruditione inſignem, at- *Cap.6.*
que etiàm pijſſimam vocant. Hoc quidem pacto cæca *Ibid.cap.*
impietas ſeipſam deſtruit & euertit. Pertinent autem *2. & 3.*
etiam ipſi ad eorum numerum, quos Apoſtolus vocat *Phil.3.*
inimicos Crucis Chriſti, cuius venerationem non fe- *Luteri*
runt, belliſſimi diſcipuli ſanctiſſimi patris ſui Luteri, *impia vox*
qui in concione quadam aſſerere non dubitauit, ſe qui- *in Crucē*
dem ſi omnes Crucis Chriſti particulæ apud ipſum eſ- *Christi.*
ſent, eò illas proiecturum, quò nulli mortalium pateret
aditus. Et quanuìs Centuriones Conſtantinum citent,
qui Crucis fuit præcipuus venerator, tamen non veren-
tur Centuria 3.cap.10. Crucis vſum ad Montaniſtarum
errorem reuocare. Et eſt reuerà magnus ad ethniciſmum
atque adeò atheiſmum ſub hoc nouo Euangelio factus
progreſſus, dum plerique eò tandèm deuoluuntur, vt
nulla ratione adduci queant, Crucis vt ſignum fronti-
bus ſuis imprimant : quod quidem efficere apud nos po-
teſt, vt minus admiremur, tantas eſſe hodiè dæmonum
vires, quippe quæ creſcant hominum amentia, ſaluta-
ria remedia contra illorum inſidias & inſultus adhibe-
re nolentium, cùm olìm etiàm longè ante mille annos
vſitatiſſimum apud Chriſtianos fuerit, Crucis ſignum
in fronte digito pingere. Eſt apud Auguſtinum me-
morabilis ſententia, quam huc adſcribam in gratiam
Centurionum & eius farinæ quinti Euangelij bucci-
natorum, vt pudefiant: Quid eſt, inquit, quod omnes no- *Tractatu*
uerunt, ſignum Chriſti, nisì Crux Chriſti? Quod ſi- *118.in Io-*
gnum nisì adhibeatur ſiue frontibus credentium, ſiue ipſi *hannem.*
aquæ qua regenerantur, ſiue oleo quo chriſmate vngun-
tur, ſiue ſacrificio quo aluntur, nihil eorum ritè perfici-
tur. Auguſtino longè vetuſtior Tertullianus, ad omnem, *De Coro-*
inquit, progreſſum atque promotum, ad omnem aditum *na militis.*
& exitum, ad veſtitum & calceatum, ad lauacra, ad men-
ſas, ad lumina, ad cubilia, ad ſedilia, quacunque nos con-
uerſatio exercet, frontem ſignaculo terimus. Sed noſtri
Euangelici cum his nihil habent commercij, ſicut nec
cum Eccleſia Dei, extra quam illi ſuas condunt ſynago-
gas, in quibus ſpiritu vertiginis agitati, portentoſa ſub-
indè effingūt paradoxa, aut iam olim exploſa refingunt,
in quibus etiàm illud eſt è Brētij ſchola profectum, Cru- *Brentius*
ce ſe ſignare, ad ſuperſtitionem & magiam pertinere, nec *contra*
magis ad pietatem facere digitis Crucem formare, quàm *Sotum.*

1560 si manibus in aëre circulum descripseris: item illud: Signum Crucis non esse Apostolicæ traditionis, nec elementum eam, sed figmentum appellandam, & non eam, sed asinum potiùs adorandum, qui naturalem dorso portet crucem: denique omnem hunc Christianum cultum, magiam esse & idololatriam. Puto equidem non longè istos abesse ab ethnicismo, vel potiùs atheismo, qui in tam immanes blasphemias prolabuntur. Sed sic solet iratus Deus punire eos, qui sibi plùs sapere videntur, quàm sapiat totus orbis. Væ miseris mortalibus infelicissimi seculi huius, qui in istos tam exitiosos & blasphemos dogmatistas inciderunt. Sanè Centuriones nostri cùm multos citent vetustissimos patres, & in ijs Ambrosium, Augustinum, Chrysostomum, qui præclarè sentiant de Crucis signatione, non tamen verentur eorum hac de re scripta vocare superstitiosa, & vehementèr contumeliosa in meritum Christi, atque cum fide pugnantia. Et eam quidem Augustini sententiam, quam paulò antè adscripsi, ipsi quoquè habent, & cùm negare non possint esse Augustini, eam tamen putant illi non esse tribuendam. O cæcos & stupidos Centuriones. Non vident dum tot sanctiss. patrum proferunt amplissima testimonia, nihil se consequi aliud, nisi vt totus orbis eos vt impios hæreticos exibilet & execretur, qui à totius Ecclesiæ sententia & consensione discedant, & tot patribus summam audeant irrogare contumeliam. Latet autem in hoc ipso magnus quidam istorum dolus, qui dum vetustissimis illis patribus fidem & authoritatem detrahere moliuntur, facilè id consecuturos se sperant, vt aliorum omnium, qui per mille deincèps annos scripsêre, testimonijs pondus omne detractum videatur. Sed dabit quandoquè Deus pius & bonus, vt isti Centuriones, vbi eorum fraudes & præstigiæ hominibus innotuerint, ceu vanissimi impostores ab omnibus explodantur & exterminentur, & cum suis mendaciorum Centurijs in solas terras relegentur, si nihil eis acciderit deterius. Vtinàm verò resipiscant, & maturè agenda pœnitentia, Deum & Ecclesiam sibi reconcilient. Hæc Lectori paucis indicata volui, vt & præsentes & posteri intelligant, quales viri fuerint, qui nostra ætate Ecclesiam Christi oppugnârunt.

Idem in præfat. in respons. Smidel. adrefut. Hosii.

Hoc etiàm anno in ducatu Vuirtenbergensi, vbi Brentius est superintendens, promulgatum est edictum contra Sacramentarios.

Basileæ

Basileæ prodijt liber Iohannis à Lasko, cum hac inscriptione: *Responsio ad virulentam, calumnijsq; ac mendacijs consarcinatam Ioachimi Vuestphali Epistolam quandam, qua purgationem Ecclesiarum peregrinarum Francforti conuellere conatur &c.* Adeò etiàm post fata Laskus non desinit esse infestus misero Vuestphalo: qui si se defendere velit, cum vmbris illi pugnandum erit. Porrò Theologi Ienenses Supplicationem edunt ad Principes & Ordines Confessionis Augustanæ pro legitima synodo, in qua Luterani soli conueniant, & Zuinglianos atque alios aduersarios condemnent. Non dubium quin illius amplissimæ synodi decreta plùs authoritatis & ponderis habitura fuerint apud miserè fascinatam plebem, quàm ea omnia sacrosancta Concilia, quæ Romani Pontificis voluntate & authoritate indicta vnquàm & habita sint. Et quid est absurdum magis? O quò prolapsa est Germania.

1560

Iohannis à Lasko scriptum posthumū.

Supplicatio Ienensium.

Quin & Tilmannus Heshusius libellum Ienæ edit contra Sacramentarios, & mox in ipsa Præfatione queritur, Zuinglij & Caluini errorem de Cœna latè per orbem Christianum diffusum esse, cui etiàm gubernatores potentes applaudant. Inter cætera, hoc libro suum, id est, Luteranum de Cœna dogma ex scripturis & patribus probare conatur. Idem contrà faciunt Zuingliani. Non ità pridèm Superintendentes Heidelbergenses huiusmodi decretum promulgârunt: Luteri & Brentij Catechismi extra ecclesiam eijciantur, & eorum scripta nullam habeant authoritatem. Eccè vt ille Pontificiæ authoritatis impotentissimus exagitator & euersor, iam à suis planè reijcitur & profligatur. Idem eueniet omnibus alijs turris Babylonicæ structoribus.

Heshusius in Sacramentarios.

Nota Lector.

Franciscus 2. Galliæ rex post celebrem sui apud Rhemos inaugurationem, cum multo comitatu Ambæsias se confert: vbi paulò pòst à seditiosis quibusdam excitato tumultu, res ad summum ipsius regis & vniuersæ aulæ periculum spectare videbatur. Sed eccè Deus misertus optimi adolescentis, authores seditionis prodit, de quibus mox 24. Martij grauissimum sumptum est supplicium. In Scotia hoc anno mirè tumultuatum est, dum Caluinismum amplectuntur, Anglis suppetias ferentibus, qui & ipsi Caluinisticum Euangelium complexi erant. Regina Scotiæ longè optima Maria Guisiani olìm Ducis filia, dum à Galliæ rege con-

Regis Galliæ periculum.

Scotia Caluinizat.

1561 tra non ità dudùm de religione concitatos motus suppetias opperitur, curis permultis & morbo confecta, moritur Edimburgi in arce regia. In Gallia quoquè plerique Caluinismum suspirabant. Interim enim, dum Henricus rex tot perpetuis annis grauissimo bello implicatus tenebatur, Caluinus cum suis summam nactus opportunitatem, pestilentissima scripta per Gallias clàm dispersit non Latino tantùm, sed etiàm Gallico idiomate: qua re multos deprauauit. Itaque Franciscus rex, summæ spei adolescens, omnibus regni Ordinibus Conuentum indicit religionis componendæ causa. Verùm non diù pòst superuixit, 4. Decembris die morbo increbrescente extinctus. Successorem habuit Carolum fratrem suum, 12. annorum puerum magnæ spei. Extat scriptum Galli cuiusdam, in quo inter alia refertur, nefandissimum Geneuæ initum fuisse consilium de hocipso rege Francisco, Regina vxore, Regina matre Francisci, & eius liberis, proceribus, bonis magistratibus ad certum diem commodo loco per insidias trucidandis: atque eius crudelissimæ, & post homines natos atrocissimæ conspirationis Bezam principem, Caluinum authorem, Ottomannum subsignatorem, Spifamium suasorem, omnes Galliæ prædones & lanistas conscios fuisse. Si quem plura nôsse iuuat, legat religionis & regis aduersùs exitiosas Caluini, Bezæ & Ottomanni coniuratorum factiones defensionem primam. Multa hoc anno feruntur visa portenta. Alicubì ignis in aëre per horas tres, Alicubì sanguinem pluisse, Fosani tres cometæ visi, In planitie iuxta Cenalium maximus equitum numerus turmatim conspectus: multaque in Gallijs, Germania, Polonia portenta alia. Iam enim passìm homines à Catholica religione ad plausibilia multiplicis noui euangelij dogmata deficiebant, digni qui eiusmodi ostentis terrerentur.

Franciscus rex occumbit.

ANNO 1561. Conuentus fuit Principum Augustanæ Confessionis Numburgi in Thuringia. Quidam Zuinglianus scribit, in hoc Conuentu acerrimè actum esse, vt ferebatur, de Zuinglianis solennitèr & quàm apertissimè condemnandis, sed id quorundam Principum bonitate esse impeditum. Misit ad eum conuentum Pius 4. Pontifex nuncium suum virum longè doctissimum, nobili apud Venetos stirpe editum, cui Cæsar Ferdinandus suum quoquè Legatum adiunxerat. Sed

Cõuentus Numburgensis Euangelicorum.

Sed quòd Principes Augustanæ Confessionis suorum 1561
concionatorum verbis plùs æquo tribuerent, illa Pontificis legatio parùm effecit. Porrò Iohannes Caluinus scriptum euulgat contra Heshusium, quibus eius nebulæ discutiantur. Mox Theodorus Beza insignis Caluinianus, duos submittit dialogos aduersùs Tilmanni Heshusij somnia: prior Cyclops, posterior Sophista inscribitur: vt animaduertas Euangelicorum mutuam inter ipsos molestiam. Edidit quoquè abstersionem aliarum calumniarum Heshusij in Caluinum. Sed & Boquinus Theologus Heidelbergensis examen libri ab Heshusio scripti euulgat. Porrò verò Guilelmus Clebitius, ô facinus audax & incredibile, librum edit hoc titulo: *Victoria veritatis, & ruina Papatûs Saxonici.* Sed quia sublimis fuit Papatus Saxonicus Martini Luteri, non potuit ruere, nisi fracta ceruice: sepeliatur ergò, nec eius deinceps vlla sit memoria. Hoc quidem contendunt Sacramentarij, sed Luterani non deerunt suo Lutero Papæ Saxonico. Eodem ferè tempore etiàm Iohannes Sturmius quædam Buceri scripta Eucharistica diuulgat, & in præfatione sua queritur, Luteranos importunitate & iniustitia sua cursum Euangelij impedire. Ad extremùm dicit, Si magistratus illis hominibus per triduum gladium suum concederet, crudelissima statìm secutura condemnationũ tonitrua, fulgura, fulmina, &c. Dicit etiàm eos, quos velint, & quæ velint, probare: rursùm, quæ velint, & quos velint, improbare, vexare, condemnare, proscribere, palo propè & cruci affigere, in ipsas propè vstrinas & rogos impellere &c.

Caluinus cum suis cõtra Luteranos.

Ruit Papatus Saxonicus.

Sturmij de Luteranis iudicium.

Porrò Lipsiæ Martinus Kemnicius Brunsuicensis Apostolus Repetitionem edit sanę doctrinę de vera præsentia corporis & sanguinis Domini in cœna. Prodijt verò etiàm Brentij liber de personali vnione duarum naturarum in Christo, in quo veram corporis & sanguinis præsentiam in Cœna Lutericè explicat, valdè tabescentibus Zuinglianis, qui eam plagam à Brentio acceptam nollent. At tamen Petrus Martyr illi respondet, & defendit negocium Zuinglianum. Scripsit alium quoquè libellum Brentius contra Bullingerum, qui nihil minùs forsan ab illo expectârat.

Luterani in Zuinglianos.

Hoc anno quidam impius, blasphemus & tèr execrabilis furcifer, Lucas Sternbergerus nomine, in sacrosanctam Trinitatem, in Christo Iesu diuinitatem, in ipsum quoquè Spiritumsanctum, in sanctissimam Dei

Blasphema Sectarij blasphemi dogmata.

1561 genitricem Mariam, de Sabbato potiùs quàm Dominico colendo, de Eucharistiæ Sacramento, de Baptiſmo deniquè, quod ſatanicam vocat inſtitutionem, tam horrenda & abominanda palàm dixit & aſſeruit, vt nullæ piæ aures ſinè horrore ferre queant. Idem ipſe cùm aliquandò pauciores opinione ſua cœnam Domini percepturos haberet, alios omnes his verbis acceſſiuit: Venite hùc: non enim poſſum ſolus illum deuorare. Et ille quidem in Euchariſtia ſe faſſus eſt Melanchthonem ſequi, in reliquis Sacramentis Luterum. Docuit inter alia, non eſſe Trinitatem, ſed vnum Deum: non Chriſtum, non Spiritumſanctum. Huic tam impiæ opinioni quædam alia planè contraria emerſit in Polonia, dicentibus quibuſdam Pſeudoprophetis, non vnum, ſed tres eſſe Deos: at Filium tamen aliquanto minorem eſſe Patre & Spirituſancto: Porrò Athanaſij ſymbolum iure ſathanaſianum appellandum. Sciſcitantibus quibuſdam Poloniæ proceribus, vndè hoc dogma accepiſſent, illi reſpondent purum putum eſſe Euangelion, & eam doctrinam ſe accepiſſe à ſuis præceptoribus, Caluino, Bullingero, Petro Martyre, & Vuolffgango Muſculo. Hunc verò tantum theſaurum nunc demùm voluiſſe Deum per ſuos fideles ſeruos reuelare. Sed cum tali theſauro abeant illi quò digni ſunt. Eccè quò tandèm proruit humana temeritas, & temeraria impietas.

Conuentus Lunæburgensis. Saxones Luterani Lunæburgi Conuentus agunt, damnantque hæreſeos Albertum Hardenburgium Zuinglianum. In Tranſſyluania alij Luteri, alij Sacramentariam de Sacramentis doctrinam recipiunt. Indè ſecuta eſt Eccleſiarum diſtractio, effusè ridentibus Turcis tantam Chriſtianorum inſaniam. Porrò Bremenſes, qui ferè ex primis Saxoniæ populis Luteri Euangelium ſuſceperant, iam nouo afflati ſpiritu, Caluiniſmum complectuntur, frementibus Luteranis, quòd à vera Luteri luce ad has tenebras eſſent deuoluti. Luterani omnes ex vrbe profugere compulſi ſunt. Vbi nunc ſunt illi, qui ea in vrbe hactenùs Luteri Euangelium tanquàm certam veritatem amplexi ſunt? Scilicèt Caluinus plùs vidit, quàm Luterus Germanicus Elias.

In Galliæ Chriſtianiſſimo regno multi à Catholica religione ad Caluini blaſphemias deficiunt, & res necdùm ſatis ſopita eſt.

ANNVS

1562

Hæretici sæuiunt in Galliis.

ANNVS 1562. inprimis infaustus & luctuosus fuit florentissimo & Christianissimo Franciæ regno, in quod iam sensim irrepserant feræ belluæ hæretici Caluiniani. Sæuitū est hoc anno mirabiliter & plus quàm Tartaricè vel Turcicè in sacrosanctam Eucharistiam, in res Deo sacratas, in templa, in monasteria, in calices, vasa sacra, & id genus alia. Ex Duodecim noui Euangelij buccinatoribus, qui inter alios verbi ministros se dicebant, octo vel nouem erant desertores monachi, quos euomuerat Christus ex ore suo. Omnium verò dux & signifer Theodorus Beza, in bonis Ecclesiasticis egregiè iam antè etiam luxuriatus fuerat. Tales ferè plerique omnes fuerunt horum infelicium temporum præcipui dogmatistæ & buccinatores multiplicis noui Euangelij. Habet autem malus dæmon amplam potestatem in eiusmodi impios & deploratos apostatas, quibus ceu aptissimis malitiæ suæ organis & administris ad omniuariam abutitur in miseros & incautos homines spargendam & propagandam nequitiam & impietatem. Huius igitur Bezæ satellites inter aulicos quosdam suum cœpêre virus spargere, & quos in suam potuêre nassam pertrahere, illis persuadere conati sunt, nè nefas esse putarent mentiri, fallere, fingere, agere prædas & sacrilegia perpetrare: nec huic bellissimo euangelico Thrasoni deerat suus quidam verbi Dei egregius prætextus, sub quo perditissimi nostræ ætatis hæretici innumeros perdiderunt. Et erat hæc doctrina plausibilis, sensimque per hanc apud quosdam non infimos sibi gratiam conciliârunt. Ea obtenta, in eam cogitationem incubuêre, sua vt consilia in opus conferrent, statueruntque mense Ianuario cuncta Galliarum templa diripere & expoliare, nihil quidem aliud ex illa præda quàm aurum Tholosanum relaturi. Id vt suos haberet successus, socios suos omnes iusserunt quantam maximam possent hominum turbam cogere, & hospitia omnia vrbium occupare, quô faciliùs hac ratione suas illas præclaras prædas nocte vna, absque ciuium prohibitione, possent agere. Interim iactabatur ab illis, si quod animo destinârant, re ipsa possent consequi, ante Maium mensem haud obscurè ipsorum pium propositum & consilium perspectum iri. Sed vt sunt versuta hæreticorum ingenia, erant inter eos qui callidè cogitarent, si Senatus iniussu hæc sacrilegia & templorum

Spargitur virus inter aulicos.

Versutiæ hæreticorum.

rum

1562 rum direptiones fierent, alias nationes id illis probro daturas & pessimè interpretaturas, neque plerosque Galliæ proceres & homines eas rapinas toleraturos: præstare igitur, vt res differatur, atque intereà ratio ineatur Regis & Senatûs eius fallendi, atque hac via alicuius mandati conflandi, vndè Regis voluntate & consensu hoc negocium agi appareat. Hoc quidem sic nonnullis visum tum fuit, sed plerique Aquitani huius moræ impatientes, magno impetu in sua regione omnia comminuerunt.

Furor hæreticus.

Est enim in hoc nouo Euangelio spiritus quidam vehemens, qui miseros homines agit præcipites ad audenda ea, quæ sani homines nunquam auderent. Cùm enim malè persuasi sint ab impostoribus pseudoprophetis, hactenùs ipsos ambulâsse in tenebris, iam demùm veram appræhendisse lucem, non sobrietatis, sed amentiæ musto ebrij, ruunt in facinora, & cùm multa agant, non verbis, sed flammis vindicanda, tamen se putant rectè & religiosè agere: quæ persuasio falsa addit vires temeritati, vt tanto res nefarias ausint liberius, quanto eas arbitrantur magìs Deo gratas. Et hæc quidem de imperita multitudine dici possint: nam multi etiàm non errore, sed malitia peccant.

Parisijs hæretici insolescunt.

Porrò autem etiàm Parisijs visebantur plures solito homines armati ad conciones procedere duobus in locis, nec obscurè licebat animaduerti, non nisi pessima quæque istos machinari. Nam & minas vulgo intentabant, & verberabant obuios, nemine ferè contradicente: eoque planè spectabant, vt cuius causa eò venerant, id quamprimùm exequerentur: at tamen reformidabant populi frequentiam, licèt inarmati. Si quis enim ciuium, ab Hugonistarum (sic vocabantur socij Caluiniani) factione alienus, gladium gestâsset, is vt seditiosus compræhendebatur, cùm tamen isti Hugonistæ omne genus armorum circunferrent. Ipsis Iohannis Euangelistæ ferijs, cùm Hugonistæ frequentes admodùm ad concionem iuissent, & ea absoluta Catholici ad preces vespertinas in sancti Medardi æde campanas pulsarent, Hugonistæ eam pulsationem iniquo tulêre animo, eaque verbi Dei prædicationem interturbari querebantur.

Templum S. Medardi inuadunt.

Indè igitur arrepta occasione, in ædem necdùm benè exædificatam armati impetum fecerunt, vna manu gladium, alia sclopettum gestantes, effractisque valuis omnibus, miseram plebem inuaserunt haud alitèr, quàm si bellum denunciatum esset. Erat ibi cum plebe concionator Catholicus, quem

isti

isti viri Euangelici ità tractârunt parùm Euangelicè, vt illeiam procumbens in genua, capitis sui sectionem expectârit: sed ictus illi intentatus, tunicam scidit, & carni non leue inflixit vulnus, nec tamen caput penitùs amputauit, deindè ense, quoàd collibitum est, illum egregiè verberârunt. Quosdam etiàm alios enecârunt, nec paucos sauciârunt. Ipsam verò sacrosanctam Eucharistiam, quod sinè horrore dici vix potest, homines emotæ mentis confregerunt, & humì abiectam pedibus proculcârunt. Tam verò atrox bellum statuis indixerunt, vt ne vna quidem superfuisse feratur, cui non amputârint caput, haud alitèr quàm si vitali illæ spiritu animatæ fuissent: nec fenestræ vitreæ huius furoris expertes esse potuêre, è quibus multas comminuerunt, atque etiàm aras non paucas demoliti sunt, calices, reliquias, vestes sacras & quicquid absportari potuit, abstulerunt. Horum dux quidam ad summam vsque aram adequitās, clamitabat, **Pilla tout/ Pilla tout/** id est, Diripiatis omnia, Diripiatis omnia. Iam qui omnium fuisset audacissimus & flagitiosissimus, is præ omnibus palmam referebat. Intereà luctus & lachrymæ obtinebant catholicos Parisienses, tum Deo, tum regi suo fideles, cùm cernerent binos & binos tum presbyteros, tum alios vtriusque sexûs homines vulneratos, in puteos sinè vlla misericordia detrudi, atque ità crudelitèr enecari: nec tamen quisquam ausus erat tam barbaricā miserorum necem vel lachrymis vel gemitu prosequi. Si quis è catholicis vel suspexisset tantùm, haud secùs, atque seditionis studiosus, verberabatur.

1562

Eucharistia conculcatur.

Catholici aliquot in puteos demergūtur.

Miseram quandam mulierculam capillis apprehensam, per plateas raptabant & immanitèr percutiebant, eam vnam ob causam, quòd plorabunda dixisset, En quibus premimur angustijs, num perpetuò tam miseri futuri sumus?

Ibant autem Hugonistæ per vrbem Parisiensem instructa acie equites iuxtà àc pedites, districtis gladijs, alta voce clamantes, Euangelium Euangelium: non Christi vtiquè, qui non sic suum annunciauit Euangelium, sed Caluini & Bezæ, insignium Antichristi anteambulonum, qui ei amplissima prǫparârunt itinera. Addebant etiàm: Vbinàm sunt idololatræ Papistæ? & id genus multa alia digna talibus viris & tali euangelio. Nec verò occurrebat populo catholico, quid ad hæc respondevet, aut quò se verteret.

Mense

1562 Conuentus Senatûs regij.

Mense Ianuario conuentus egit Senatus regius, vt statuerent, tolerarine deberet in Gallijs gemina religio, & Hugonistis templa permitti. Tandem, vt quidam scribunt, permissum est Caluinistis impunè concionari, baptizare, sacramenta contemnere, sed extra tamen vrbium mœnia. Vt verò animi Parisiensium lenirẽtur, multa ipsorum causa facta dicebantur, quandoquidem in hoc edicto id quoquè haberetur, nefas esse Caluinistis intra vrbes templa erigere, vel concionari, tametsi non vetabantur in vrbibus commorari & degere. Hoc autem edicto Caluinistæ se mirificè tuebantur posteà, nec dubitabant dicere, proceres illorum approbâsse religionem, cùm tamen disertis verbis in eo edicto haberetur, nolle ipsos duas approbare religiones. Iam porrò sectarij confidentiùs quàm antè suis se induebant armis, idque sub specioso edicti huius exequendi prætextu. Rex etiamnùm admodùm puer erat, nec poterat rebus afflictis Galliæ in hoc miserabili tumultu ità facilè opem ferre, erantque etiàm quidam magni nominis, qui Caluinianis concionatoribus non obscurè fauerent: quod idcircò dixerim, nè quis temerè hanc rerum confusionem in illo florentissimo regno regi puero longè optimo & summæ spei adscribat. Si regi Francisco, huius regis Caroli fratri, diuturnior vita contigisset, hæreticorum conatus non illos fortaßis progressus habuissent. Sed propter peccata hominum permisit Deus aliquid posse impium Bezam cum suis socijs apostatis monachis, rursùs vbi immensæ eius bonitati visum erit, regnum illud Christianissimum ab omni hæreticorum fermento repurgaturus. Cùm autem hæc ità gererentur, vt paulò antè dixi, Senatus Parisiensis, quem Parlamentum vocant, disertis verbis ad ea sic respondit: Nec possumus, nec volumus, nec debemus. Quibus verbis satis declarârunt, quàm essent plerique animis alieni ab istorum hominum conatibus & machinamentis. At tamen ob armatæ multitudinis metum, posteà nonnihil mutata sententia, edictum illud paßi sunt certa quadam ratione non aboleri. Iam enim Caluinianorum ingens erat numerus, & armis perstrepebant. Verùm nec sic quidem satisfactum sibi putabant Caluinistæ, quippe qui non hoc vnum spectarent, vt illis suo more concinere & concionari liceret, licèt plurimùm id se obtinuisse lætarentur, quòd hac ratione populum in suam nassam possent pertrahere.

Quandò

Quandò verò poteſtas illis facta non fuit noua tem- 1562
pla conſtruendi, miniſtri ſeu buccinatores Caluiniani à rege impetrare molíti ſunt, vt liceret ipſis in Catholicorum templis ſua agere miniſteria: qua in re mirabili vſi ſunt vafricie. Simulabant enim ſe cum Catholicis in ipſorum velle redire Eccleſias, modò quædam remouerentur, quæ ipſi cenſerent diuino repugnare honori: atque de his cupiebant audiri contra Theologos & eos omnes, qui ipſis id negandum putarent. Hæc autem illi ſic petebant, vt ſuarum rerum incrementa indè oritura non ambigerent. Tandèm definitum eſt, vt cum Caluinianis miniſtris Catholici Theologi de religione coram Regina diſputarent: & miſſæ ſunt ilicò literæ ad facultatem Theologicam Pariſienſem, vt quatuor aut quinque è ſuis mitterent reſponſuros ad ea, quæ ipſis eſſent proponenda.

Simulatio Caluiniſtarum.

In hac diſputatione à parte Caluinianorum princeps erat Theodorus Beza, qui, vt ait inſignis quidam Theologus, multa nouit adferre in medium, ſi habeat obſequentes auditores, qui nihil illi opponant. Socius illi aderat quidam apoſtata Franciſcanus. Commodùm ſanè iſtis hæreticis euenerat, quòd huic diſputationi intereſſe non potuit ampliſſimus & doctiſſimus Lotaringiæ Cardinalis, alibì tum grauibus negocijs occupatus, qui aliâs in Poſſiaca diſputatione os impurum iſtius Thraſonici Bezæ oppreſſerat, præſente Regina & multis regni proceribus. Intereà ciuibus Pariſienſibus glorioſi Euangelici fratres perſuadere nitebantur, ea quæ Catholici docent, hominum inuenta eſſe, & pugnare cum ſcripturis ſacris, victoſque à Caluinianis eſſe Theologos Catholicos. At Pariſienſes illis reſpondebant, maiores & præpoſitos ſuos non minorem agere curam ſalutis ſuæ, quàm Caluinianos: porrò ab illis ſuis maioribus & præpoſitis habere ſe doctrinam ſuam velut per manus traditam, in qua illi haud alitèr atquè in fide Ieſu Chriſti, & in regis ſui, tanquàm legitimi principis & domini ſui obedientia, potiùs mortem eſſent oppetituri, quàm vnquàm tranſituri in caſtra frementium belluarum atque ferarum, nouorum ſcilicet Euangelicorum hominum, qui cælum terræ miſcerent, & ordines omnes perturbarent. Quòd ſi verò omninò oporteat ipſos rationem reddere religionis ſuæ, miſſuros ſe eò aliquot homines doctos ſuis ſumptibus. Denique vrgebant ſummoperè Theologos

Diſputatur coram regina cũ hæreticis.

logos

1562 logos aliquot, vt ad diſputationis locum celeritèr proficiſcerentur. Nauabant id temporis ſtrenuam operam Catholicæ tuendæ religioni præter alios etiam Guiſij principes, Magiſter equitum, Mareſchallus ſancti Andreæ, & ciues atque mercatores Pariſienſes, qui ſe primos oppoſuerunt Caluinianis, multumque poſuêre ſtudij, operæ & diligentiæ in obſecrandis, adhortandis & extimulandis proceribus, vt Caluinianorum conſilia & machinationes impedirentur.

Defenſores Catholicæ religionis.

Primum autem diſputationis caput fuit, quòd Caluiniſtæ concionatores cuperent ſtatuas, imagines, reliquias, templorum ornamenta deſtruere, confringere & eliminare: aiebantque non ſe redituros ad religionem noſtram, niſi priùs hæc & alia pleraque ipſis moleſta profligarentur: ſcilicèt in gratiam apoſtatarum recedendum eſt ab Eccleſiæ Catholicæ inſtitutis, & illorum impijs dogmatibus & Turcicæ iconomachiæ ſubſcribendum. Fuit autem reſponſum illis abundè à Theologis Catholicis, ſed illi ab hac ſua ſententia diſcedere noluerunt. Erant tum quidam miniſtrorum Caluinianorum fautores, qui vt illos in ſuo propoſito confirmarent, hac moderatione vtendum aiebant, vt imagines omnes exploderentur, dempta Chriſti crucifixi. Sed id miniſtri ferre noluerunt, nihilo magìs propitios erga Chriſti, quàm Diuorum imagines, ſeſe declarantes. Sed neque Catholici eos audiendos dicebant. Si enim Chriſti imago veneranda eſt Chriſti cauſa, quem repræſentat, itidèm Sanctorum imaginibus honor habendus eſt propter eos, quorum ſunt imagines. Non deerant verò, qui hanc controuerſiam ad Romanum Pontificem vel Synodum œcumenicam referendam ſtatuerent: verùm ità fiebat, vt quod apud Catholicos ſempèr in vſu & more poſitum fuerat, iam in dubium verteretur. Et Caluiniani quidem hinc anſam arripuêre ſuis ſacrilegijs & templorum expilationibus fucum quendam prætexendi. Et eſt tunc quoddam ab eis ſcriptum editum, in quo illi affirmare non dubitârunt, ſe plena regis authoritate imagines confregiſſe, vt ſuam impietatem in regem reijcerent, & ſceleratiſſimè illum apud omnes traducerent. Sed & ſermone paſsim apud omnes iactabant, ſe diſputatione obtinuiſſe, vt cum imaginibus bellum gererent, theologicamque facultatem & Epiſcopos ab ipſis ſtare: nec talium mendaciorum pudebat belliſſimos Caluini diſcipulos. Iam quidam proceres Caluiniani clàm

Vanitas Caluinianorum.

clàm militem conſcribebant, alij eorum ſocij parùm humanitèr clerum tractare cœperunt. In pagis multi paſtores vel parochi occidebantur, quibuſdam ſacerdotibus præcidebant auriculas, easq́ue ſuis affigebant pileis. Duces & ſigniferi ſectarij non deerant ſuis machinationibus promouendis: neque ignorabant quanti ipſorum intereſſet, ſi Lutetiam ſibi poſſent ſubigere: ea enim in poteſtatem redacta, reliqua oppida nullo negocio poſſe opprimi. Viſi tunc ſunt quandoquè Pariſijs in concione ſeptingenti vel octingenti homines in equis, præter ingentem peditum multitudinem. Inuaſerat indè timor ciues Pariſienſes, nec immeritò haud vulgaritèr commouebantur, quòd præcipui è ſectarijs ad nongentas prope domos inſignes eius ampliſſimæ vrbis, prædæ deſtinâſſent. Opportunè autem ſuperuenit clariſſimus princeps Guiſius, cuius præſentia ciuium animi recreati & confirmati ſunt, & impedita conſilia hominum factioſorum, qui iam ſpe deuorauerant facultates optimorum ciuium. Sic non deeſt præpotens Deus ſpem ſuam in ipſum collocantibus. Tum verò fremere ſpe ſua fruſtrati ſectarij, quòd talem bolum ſibi præreptum cernerent. Porrò ex vrbe excedentes, aliò commigrârunt, vbi habita conſultatione, cùm intellexiſſent abeſſe præter alios etiam Guiſium principem, altero Paſchatis die ad portam Pariſienſem redierunt vrbem occupandi animo. At poſtquam præmoniti ſunt nè ad vrbem propiùs accederent, ni cæſos ſe vellent, actutùm Aureliam omnes profugerunt, vbì facilis eis paruit aditus. Aiebant enim ſe mandato regis eò venire, vt oppidum illud conſeruarent, nec vlli damnum darent, cuique libera relicta facultate viuendi pro ſuo arbitratu, quemadmodùm haberet edictum in Ianuario propoſitum, quo cautum eſſet, nè qua templa vexarentur aut ſpoliarentur. Sed belli homines hac ratione aditum in oppidum quærebant, eaq́ue fide hæc dicebant, qua vti ſolent hæretici omnes & perfidioſi ac ſimulati Chriſtiani, apud quos nullus eſt Dei timor, & honeſtum eſt propemodùm mentiri, fallere, periurare, nullis ſtare promiſſis. Admiſſi igitur intra vrbem Aurelienſem, in dies magis ac magis templa vaſtanda & expilanda ſuſceperunt, idq́ue planè contra edictum, cuius ſe volebant videri patronos & conſeruatores. Et primò quidem libuit illis impetum facere in Abbatiam quandam, cuius templum vaſtauerunt, imagines confregerunt, ſepulcra & feneſtras vitreas diſſipârunt,

1562

Periculū Pariſienſium.

Hæretici profugiūt Aureliam

Tēpla Aureliæ vaſtantur.

1562 pârunt, ſedilia & quicquid ex ligno fabrefactũ erat, Vulcano conſecrârunt, & in eundem ignem coniecerunt libros ſacros in Abbatia repertos, multis interìm vſi petulantiſſimis ſermonibus. Deindè ſuos eò equos introduxerunt ſtabulatum, tantaque barbarie in illud monaſterium ſæuiêrunt, vt nullum eius murum integrum reliquerint. Quoſdam etiàm ex monachis, qui illic remanſerant, ceperunt, coniectosque in carcerem vi eò adigere voluerunt, vt ipſis indicarẽt ſacras reliquias quas abſconderant. Erant in ijs iuuenes quidam, qui magnis pollicitationibus ineſcati, ſacra oſſa prodiderunt: quę illi ſcelerati & nefarij homines flammis exuſſerunt, vt quantùm in illis erat, rursùs beatiſſimos martyres ſemèl pro Chriſto cæſos, ad carnificinam reuocarent.

Erãt in monaſterio illo duo iam affecta ætate ſenes, non ferè minores octogenarijs. Ex his alter in quodam peſtilentis domûs ſolario ſedebat incluſus ad mẽſes quatuor, clàm illi victum ſuppeditante quodam eius amico. Orabat verò diù noctuq; Dominũ, illud mortis expectãs genus, quod Dominus ipſi vellet euenire. Alter paſtoris functus officio in illa parœcia, per id tẽpus itidèm à monaſterio clàm receſſerat, latitaturus in exiguo quodã loco, ad quem non diù pòſt iſti ſacrilegi Aurelia profecti,

Summa crudelitas in moribundum ſenem.

cùm ęgrotum & miſerum hunc ſenem, qui iam Euchariſtiam ceu breuì moriturus acceperat, inueniſſent, percontati ex eo ſunt, eſſẽtne monachus & ſacerdos certi cuiuſdam monaſterij. Illo id minimè negante, reſtim in collũ & ſubter brachia eius iniecerunt, ſicque nudum deorsùm pertraxerunt. Vt autem viderunt iam ferè extremum illum ducere ſpiritum, cruẽtiſſimi carnifices lœtifero ictu caput eius pulsârunt, atq; ità animam exhalauit. Nec hoc contenti, homines omnis humanitatis & pudoris expertes, ad arborem cadauer alligârunt, & pro animi voluptate ſclopettis illud traiecerũt. Poſtquàm verò iam dictum monaſteriũ vaſtauerunt, ad alias Eccleſias progreſſi ſunt, ſed multa cum ſimulatione, vt eſt ſolenne apud hæreticos.

Simulatio Caluiniſtarum.

Proclamatum fuit Aureliæ, nulli poſthàc templo quicquam detrimenti allatum iri: ſed hoc eum habuit euentum, quòd reliquis Eccleſijs non alitèr accidit, atquè illi de qua iam diximus. Sanctiſſimi Aniani, eius vrbis antiqui Epiſcopi, ſacra oſſa immaniſſimè tractârunt & exuſſerunt. Conculcabant homines impijſſimi conſceleratis pedibus ſacroſanctam Euchariſtiam, vel etiàm ſclopettorum globulis traijciebant.

Fabricæ

1562

Fabricæ & reliquiarum curatores, rationem harum reddere cogebantur: quòd si non satìs exactè quiuissent, in custodias ducebantur, & interdùm grauissimè torquebantur, nisì pecunia se redemissent. Summā sanctæ Crucis ædem incendere cùm cœpissent, populus ea re permotus clamabat, Quid isthuc rei est Domine Deus? Iam enim sibi perijsse videbantur, cernentes ardere templum suum. Res preciosas templorum ex auro & argēto fabrefactas, siue clinodia sub eo prætextu auferebant, quòd dicerent se ea velle seruare regi, cùm indè posteà nummos cuderint, nulla regi reddita ratione. Vestes sacræ omnes prædæ cesserunt, quibus ad magnum ludibrium abutebantur, non temperantes interìm sibi ab immanibus blasphemijs in Deum & cultum illius. Interdùm sese oblectandi causa vnum aliquem è suo grege sacerdotalibus induebant vestimentis, tanquàm iam iturum ad sacrificandum: cumque cum ingenti triumpho per totam vrbem circunducentes, ludibrij causa cantabant, Te Deum laudamus, vel, Requiem æternam &c. multaque fœda & abominanda designabant, indigna planè quæ apud Christianos referantur. In templis & sacerdotum domibus nihil relinquebant integrum: libros & imagines omnes dilacerabant & exurebant: demptis tamen deæ Veneris & id genus prophanis imaginibus, quibus ea hominum fex non paulo plùs delectatur, quàm Christi crucifixi aut sanctorum eius. Monumenta omnia eleuatiora perfregerunt, & in plerisque ossa recondita combusserunt. Ipsum quoquè cadauer regis Francisci eius nominis 2. qui frater fuit Christianissimus æquè Christianissimi regis Caroli, iam in Gallia regnantis, in æde sanctæ Crucis conditum combusserunt, animi crudelitatem in extinctum declarantes, quam in viuum non poterant. Is enim pius adolescens Aureliæ decesserat, cùm illic ageret consultandi causa, quibus rationibus regni sui calamitatibus posset mederi.

Nota impiam petulātiam.

Comburitur corpus Francisci 2. regis.

Campanas & candelabra templorum bellissimi Caluinistæ in bombardas transformare instituerunt: valuas destruxerunt, libros exusserunt, atque templa deformârunt, vt speciem templorum omnem amisisse viderentur. Baptisteria cloacarum loco habuêre. Quasdam Ecclesias in cellaria mutârunt & armamentaria. In templo Franciscanorum reposuerant puluerem tormentarium, in quem posteà ignis incidit, & cōsumpsit omnia. Clerus & religiosi tot malis circundati, pro se quisque

1562 ſuæ ſaluti conſulere compulſi, ex vrbe illa euadere, ſeq́ue clàm ſubducere conati ſunt. Nam ſi quos compræhendiſſent, eos inſimulabant furti, quòd templorum clinodia ſurripuiſſent. Faciebant hoc illi fratres euangelici, vt occaſionem haberent eos tormentis excarnificandi, adeò vt in ea vrbe nemo ab his tormentis ſe poſſet eximere, nisì ſacrum Baptiſma & Confirmationem abiurâſſet.

Nota facinus euāgelicum.

Accidit vt quodam die inueni rēt ſacerdotem in ſolario Miſſæ ſacrificium offerentem, & Catholicos confirmantem atque conſolantem. Illum ſic vt erat ſacris veſtibus indutum per plateas duxerunt vſque ad portæ excubitores, vbì capiti eius impoſita galea, & haſta in humeros iniecta, totum diem compulerunt ieiunum perſtare inter illos perditos nebulones, qui excubias agebāt, à quibus benè liberalitèr fuit irriſus, & conuicijs atque ludibrijs exagitatus.

Parochus quidam vexatur ab hæreticis.

Parochum S. Paterni, virum grandæuum, putà ſeptuagenarium, nolentem deſerere ouiculas ſuas, ſed eas quotidianis ſermonibus confirmantem, & de Dei benignitate ac miſericordia benè ſperare iubentem, cùm poſt menſes quatuor eis tandèm proditus fuiſſet, captus & præſidi cuidam traditus eſt. Is præſes iampridèm hoſtili in eum erat animo, quòd permultis annis contra Hugoniſtas, & hunc præſertìm præſidem alioſq́ue nonnullos iudices, Catholicam religionem Aureliæ propugnâſſet, crebroq́ue eos malè adminiſtratæ iuſtitiæ accuſâſſet, adeò, vt eo nomine delirus, imperitus & ſeditioſus quoquè habitus fuerit. Ità enim ſolent iſti euangelici homines infamare eos, quos cupiunt extinctos. Et tamen, vt ſcribunt graues viri, ſi in illo Galliæ Chriſtianiſſimo regno, immò etiàm apud alias nationes, pauci quidam nouandarum rerum cupidi, à locorum præſidibus initiò mox oppreſſi fuiſſent, & ex iuris præſcripto in eos eſſet animaduerſum, non tot millia poſteà perijſſent. Habet enim hoc hæreſis omnis & falſa doctrina innatum ſibi, vt nisì in ipſis ſuis initijs radicitùs extirpetur, paulatìm creſcat in immenſum, & longè lateq́ue omnia horrendum in modúm depaſcat & depopuletur. Vidimus proh dolor eius rei in diebus noſtris exempla multa nimìs, quæ abundè, quod dicimus, teſtari queant, etiamſi vetera nulla ſuppeterent. Sed ad rem. Cùm ſic, vt diximus, venerandum hunc parochum Caluinianì captum tenerent, haud ſecùs eum tractabant, atquè

olim

olìm Christum satellites Herodis, illudentes & menda-
cijs studio effictis virum bonum onerantes, inter alia hoc 1562
etiàm illi affingentes, quòd voluërit regem Christianis-
simum prodere: tum etiàm quòd adulterinos nummos *Nota figmenta*
cudisset. Hoc illis bonis viris sic visum tum fuit illi pio *Hæreticorum.*
sacerdoti imponere, quòd ipsi essent id temporis occupa-
tissimi multifarijs cudendis numismatîs ex illa præclara
immanium sacrilegiorum præda. Ad extremum libe-
ram se illi abscedendi potestatem facturos dictitabant, si
abiurata religione Catholica, ipsorum teterrimis para-
doxis assentiret. Atque eius gratia crebrò ad illum mit-
tebant suos ministros, qui cum illo disputarent, & eum
euerterent. Sed ille vir pius, in Christo benè firmatus,
quo plùs ab istis molestiæ pertulit, eo factus est robustior,
& in recta fide constantior. Tandèm multò etiàm acri-
ùs eum infestare cœperunt, vt à fide deficeret: cumque
interrogatus ab illis, velletne ab animi sui proposito dis-
cedere, prorsùs pernegaret, optatiusque sibi esse diceret
vitam perdere, quàm vel suos parochianos deserere, vel
tam nefarium illis de se exemplum præbere, suspendio
eum adiudicârunt. Itaque ad illud supplicium profici- *Adiudica-*
scens, inter eundum loquebatur de Christi passione, ora- *tur suspen-*
bat pro ouiculis suis & pro vrbe illa. Cùm verò iam sca- *dio.*
lam ascendisset, multas fecit optimas adhortationes ad
dominos, ad illorum ministros seu concionatores, & ad
populum, ostenditque illis ipsorum aduersùm Deum, re-
ligionem & regem Christianissimum pessimi exempli
rebellionem, simul Deum laudans pro hac ipsi collata
gratia, quòd posset pro fide occumbere, populumque ad-
monens nè cuiusquam periculi causa ab auita religione
se abduci paterentur. Hac verò eius dicendi libertate &
constantia excanduerũt tum domini quidam, tum con-
cionatores Caluiniani: porrò è plebe plerique ingemi-
scentes lachrymabantur, quòd ille tam affecta ætate se-
nex, ea animi fortitudine mortem exciperet religionis
ergô. Vt autem Caluiniani suæ causæ patrocinarentur,
rursùs per concionatorem quendam eum compellârunt,
si quidem à sua religione discedere vellet, licere ipsi inco-
lumem abire. Verùm illo talia impiorum hominum
promissa fortitèr contemnente, ab illis peremptus est.

Postquàm autem intra Aureliam nihil reliqui sibi
fecerant Caluinistæ, in quod suam tyrannidem exerce-
rent, præter ciues Catholicos, quibus non parùm infesti
fuêre, magno numero profecti sunt in pagos, vbì suo mo-

1562 re templa egregiè expilârunt. Quòd si in illorum manus incidisset sacerdos aliquis, illum ad equos suos alligatum cogebant post ipsos aliquandiù cursitare: ea voluptate exatiati, vel oculos ei eruerunt, vel nares & aures, interdùm etiàm virilia præciderunt, ac postremò ad arbores alligatum bombardarum globulis confecerunt. Quorundam secârunt capita, alijs è facie cutem detraxerunt, & primores digitos amputârunt. Quibusdam in locis fœdissima edidêre latrocinia & cædes omnis generis hominum, ne ipsis quidem paruulis parcentes. In pago quodam haud ità procùl ab Aurelia plùs minùs 25. homines compræhenderunt, in quibus erant aliquot pusiones. Sperabant ij pueri se horum cruentas manus, cōscensa ædis sacræ turri, posse euadere. Verùm in ipsam turrem ab illis coniecto igni, duo paruuli è fenestra suî seruandi causa exiliêrunt, quos nefarij homines excipientes, rursùs in ignem deportârunt, & miserandum in modum concremârunt.

Immanis barbaries in Clerū.

Quodam in templo alio cùm nulla clinodia reperissent, statuā Ludouici xj. Gallorum regis, brachijs & cruribus amputatis, fœdissimè truncârunt, mox etiàm præsecto capite abiecerunt. Pòst effracto eius mausoleo, cadauer ad cineres vsque combusserunt. Putantur in illo rege ea causa tantam exercuisse immanitatem, quòd ille hæreticos solitus fuerit seueritèr castigare. Eadem barbarie vsi sunt in sacello Longauillano, vbì conditi erant magnates plerique omnes è regio stemmate oriūdi: quorum corpora conuulserunt, & membra cæsa canibus proiecerunt. Porrò verò cùm non inuenissent optatam prædam, neque etiàm Canonicos, qui eis illam indicarent, palàm proclamari iusserunt, vt intra triduum Aureliæ comparerent, responsuri ad ea quæ ipsis essent proponenda: quod si non facerent, vbicunquè posteà reperirentur, laqueo se scirent enecandos. Et eò sanè rem tandèm perduxerunt, vt in ipsorum manus thesauri peruenerint, quibus suo more vsi sunt. Posteà ad Nauarræ reginam profecti, ea inspectante id genus alia Euangelica facinora designârunt, proiectis & exustis cadaueribus parentum & cognatorum regis Nauarræ. Quodam in loco destruxerunt sepulcrum cuiusdam ducis Iohannis, qui sanctus habetur, itemque omnium successorum eius, quorum omnia corpora in cineres redegerunt.

Facinus sacrilegū in Ludouicū regem.

Theodorus Beza concionator & dux istorum, non exigua è tot sacrilegijs conflata pecunia, consultius sibi fore

Beza vult ire in Germaniam.

bi fore putauit, si ab Aurelia discederet, procùl à periculo 1562
abfuturus. Metuebat enim sibi à Rege, qui magno conscripto exercitu hæreticis imminebat. Persuasit autem bellissimus Beza suis hominibus se iturum in Germaniam, & indè copias auxiliares adducturum. Intereà bìs térve quadam in regione Galliæ concionatus, cùm se ab eius incolis cerneret negligi, duros & ceruicosos eos vocauit: vt verò ab eis præclarè & inprimìs Euangelicè se vlcisceretur, omnes illorum parochos & sacerdotes iussit trucidari, cùm iam anteà sæpè eos numerata pecunia se redimere compulisset.

Crudelitas Bezæ.

Inter alias ab ipsis occupatas vrbes, etiàm Turones obtinuerunt: qua in ciuitate è tribus templis ingentem auri & argenti vim rapuerunt, præter gemmas: fuit id damnum propè irreparabile. Aliud quoddam oppidum præcipuo quodam festo die cùm ingressi essent, sub finem sacrificij cùm Agnus Dei caneretur, in ecclesiam armati irruerunt, contentisque vocibus clamârunt, Apagite perfidi sacerdotes, priùs quàm frustatim concidamini. Ex præcipuis quidam dictitabant: Eià nos hîc iam sacrificemus, nam isti posthàc suas hîc Missas non facient. Profugiebant tum vt poterant Canonici, haud immeritò animis consternati, sed ab illis sicarijs capiebantur, & ad suas ædes raptabantur, daturi quicquid haberent. Interìm his minis illorum circunsonabant aures, quòd eorum sanguinem canibus hauriendum præbituri essent. Erat in ijs Canonicus paulò commotior, qui istos prædones ad eius ædes adducentem iussit abscedere, quòd regis iniussu nihil haberet in ipsius domo negocij. At ille nolens cedere, & impressionem faciens in ædes, ab illo Canonico gladium corripiente & eius caput secante peremptus est. Eo viso, alij facto impetu eum vinctum tradiderunt præsidi, qui eum laqueo adiudicauit præter ius fasque.

Turonum direptio.

Est verò & aliud quiddam ab eis designatum planè tragicum, & omnem vincẽs modum immanissimæ crudelitatis. Grandæuus monachus ab eis interceptus est. Huic primò virilia amputârunt, mox ea cocta illum edere compulerunt. Indè verò mirificè eum excruciârunt, & adhuc spirãti ventriculũ seu stomachum è corpore euulserunt, perscrutaturi homines mortalium omniũ perditissimi, vbinàm illud edulium hæreret. Quid hac fœdissima barbarie vel ab ipsis feris belluis, vel immanissimis Scytharum populis possit attentari flagitiosius, & ab

Flagitiosissimum hæreticorum facinus.

1562 omni humanitate remotius? Hæc nimirùm disciplina hauritur è scholis quinti Euãgelij, cuius author Luterus, insignis verò præter alios promotor Caluinus fuit.

Hæretici mirè sæuiunt in Nortmãnia. Rothomagi & per totam Nortmanniam templa inflammârunt, exustis vnà rebus sacris: qua in re eam illi adhibuêre obstinati animi peruicaciam, vt ipsos cineres, ex his incendijs remanentes, non modò vendere noluërint, sed etiàm penitùs dissipârint & aboleuerint.

Item in Aquitania. In Aquitania crudelissimè grassaturi erant, nî maturè conatibus illorum esset itum obuiam. Nam quodam loco Catholicos viuos in puteos demerserunt, paruulos medios dissecârunt, sacerdotum ventres sciderunt, & intestina lignis quibusdam glomeratìm illigata extraxerunt.

Inter omnia verò summę impietatis facinora id vel maximè deplorandum videtur, quòd sacrosanctam Eucharistiam indignissimè tractârunt, pedibus eam conculcantes, canibus proijcientes, ignibus concremantes, & sclopettorum globulis traijcientes. Quid hæc autem portendant, quáve tandèm ratione præpotens Deus has suas iniurias, quas non ibì tantùm, sed alijs etiàm Europæ locis perpessus est, vlturus sit, ipse nouit: quem vtinàm maturè agenda modis omnibus pœnitentia ità nobis reddatmus propitium, vt auertatur ab ira furoris sui. Insani mortales non pensant illos æternos gehennæ ignes, quibus in omnem æternitatem pro tantis sceleribus atrocissimè cruciabuntur: vt interim sileamus præsentis vitæ vltiones acerbissimas.

Itidem Pictauij. Pictauij quoquè suæ atrocitatis exempla insignia isti perditi & miseri ediderunt. Grassatum est illic quoquè ab istis horrendum in modum in templa & ędes Canonicorum. Asseruabantur ibì ossa Hilarij sanctissimi Pōtificis, quem D. Hieronymus non immeritò vocat tubam Latini sermonis contra Arrianos, atque etiàm Radegundis reginæ Franciæ, cuius fuit eximia in Deum pietas & vita sanctissima: aliorum quoquè sanctorum. Hæc ossa & sacratas reliquias illi impuri nebulones proiecerunt, & more suo combusserunt, vnà quoquè bibliothecas inflammantes. Nolunt enim extare patrum monumenta, quibus eorum possint impia commenta facilè confutari.

Irenæi ossa cremãtur. Lugduni quoquè præter alia facinora euangelica, illius antiquissimi & sanctissimi martyris Irenæi ossa concremârunt, & in templa mirum in modum sæuierunt, nè haberent Catholici vbì sacrificarent.

Apud

Apud Turones illius itidèm incomparabilis ſanctitatis 1562
Epiſcopi Martini ſacras reliquias in ignem proiecerunt, *Item S.*
& cineres in aërem diſperſerunt. Huiuſmodi, inquam, *Martini.*
diſciplina proficiſcitur ex Caluini & Bezę ſchola, & tam præclara facinora edere docet nouum euangelium. Et nondùm volunt intelligere miſeri mortales, quos duces præceptoresque ſequantur? Si Turcæ & Tartari hæc feciſſent, omnem impietatis & crudelitatis modum exceſſiſſe dicerentur: Iam verò ab illis hæc perpetrata ſunt, qui ſe euangelicos iactitant, cùm ſint quibuſuis Turcis & Tartaris longè immaniores. Aberat aliquandiù à Galliæ regno illuſtriſſimus ille princeps Franciſcus Guiſius, ſed hæreticorum graſſantibus tumultibus, à matre Regina & regis Senatu in regnum è Lotharingia reuocatus eſt, qui ſanè & Chriſtianiſſimo regi, & illi ampliſſimo regno fidiſſimam nauauit operam. Conſcripſit enim exercitum iuſſu regis, & iam multi erant cum rege, ità vt diuerſi exercitus ad diuerſas ab hæreticis occupatas vrbes mitterentur: at tamen quòd tardiùs illæ copiæ conuenirent, non potuit primis hæreticorum conatibus obſiſti.
Vbi ad Turones ventum eſt, ea vrbs hæreticis erepta eſt *Eripiuntur vrbes*
cum alijs minoribus oppidis ad Ligerim fluuium poſitis. *hæreticis.*
Ereptum eſt etiàm Andegauum. Iam enim plerique pertæſi erant tanti barbaræ immanitatis & ſacrilegæ direptionis templorum: ità factum eſt, vt non minori facilitate ad regis ſui obedientiam ſe reciperent, quàm ab illa dudùm diſceſſerant. In Aquitania multi à regis exercitu cæſi ſunt ſectarij, duce quodam inſigni, qui aliquotiès feliciter cum illis congreſſus, non paruam ſtragem edidit. Intra Tholoſam aliquot continuis diebus certamen acre erat Catholicis cum Caluinianis: ſed hoc ipſo duce opportunè ſuperueniente, Caluiniani fuſi fugatique ſunt. Indè verò ad obſidionem montis Albani, vrbis munitiſſimæ, in quam magnæ hæreticorum copiæ ſeſe abdiderant, profectus eſt. Longum eſſet ſingula perſequi, neque id in præſens commodè poſſem, quòd necdùm certam omninò rerum omnium eo tempore in Gallijs geſtarum notitiam contraxerim. Pictauium quidem venit *Pictauium*
Mareſcallus S. Andreæ, qui in 4. Mareſcallis facilè pri- *recipitur.*
mus eſt. In eius exercitu erant ad decem hominum millia, aut circitèr. Venit ante vrbem 8. Calend. Auguſti. Exhibuit illis, qui erant intùs, regis literas, vt ſe dederent, nihil neque in rebus aut corporibus, neque in religione ſua paſſuri detrimenti, modò agnoſcerent Regem ſuum.

1562 Hocquidem ſic illis crebrò propoſitum eſt, ſed nihil effectum, illis reſpondentibus ſe agnoſcere ſuum regem, & illi parere ſe velle: ſed illum non habere quicquam in mandatis à rege contra ipſos. Literas etſi oſtentaret, tamen eas non eſſe regis: & ſi maximè eſſent, regem eſſe puerum, ignorare quid fieret, impelli illum tranſuerſum à duce Guiſio. Hanc cantionem plerique omnes Caluiniſtæ cantillabant in Gallijs, cùm ad Regis obedientiam reuocarentur. Intereà extra vrbem cum exercitu manente Mareſcallo, leuibus vtrinquè prælijs ſubindè certatum eſt, donèc à Turonibus aduecta ſunt tormenta. Tum verò ipſis Auguſti Calendis vrbs tormentorum ictibus validè quaſſata, & eodem die proditione capta & direpta eſt. Cæſi ſunt initiò non pauci hæretici, ſed maxima pars & quidem ſeditionis capita, in pedes ſe coniecerunt. Tandèm tota vis belli ad Aureliam obſidendam conuerſa eſt. Accidit autem, vt Caluiniani illi cum Catholicis confligerent accerrimè: & quidem Caluiniſtæ primùm aliquandiù rem proſperè gerunt, cæſo ſummo Franciæ Mareſcallo S. Andreæ, quem infenſiſſimè oderant, capto etiàm ipſo Coneſtabile, & multis primæ nobilitatis viris. At vbì Guiſius cum extremo agmine ſuperuenit, victoria ex eorum manibus extorquetur, & ipſe Condæus Caluinianorum caput capitur, & totus peditatus ad internecionem deletur. Feruntur ex Condæi partibus cecidiſſe eo prælio ad ſexdecim millia. Ex regijs quoquè permulti ceciderunt, & in ijs nobiles & egregij duces. Condæus in cuſtodiam ducitur, & qui ab eius grege capti erant ex regijs, Aureliam abducuntur. Ammiralius ſecundus à Condæo, ab hac pugna redit Aureliam, vrbemque mirificè communit. At Guiſius ad obſidendam vrbem cum omni exercitu reuertitur.

Prælium funeſtum.

Abdyſu Patriarcha Aſſyrius venit Romam.

Hoc ferè tempore Abdyſu Aſſyriorum Orientalium Patriarcha, venit Romam longiſſimo itinere, vt Pontificem inuiſeret, atque ab eo confirmaretur: ad cuius etiàm genua prouolutus, obedientiam promiſit: iurauit etiàm ſe Conciliorum Oecumenicorum & ſpeciatim Tridentini ſtatuta atque decreta omnia ſuſcepturum, ſeruaturum, & ſuos omnes docturum. Habet autem multos ſub ſe Epiſcopos, & ingenuè faſſus eſt, ſe de Synodi Tridentinæ legitima congregatione nihil ambigere. Ipſe quoquè ad Synodum illam acceſſiſſet, niſi eum neceſſaria negocia in patriam reuocâſſent. Et quia in itinere à Turcis ſpoliatus erat, Pontifex eum eiuſque presbyteros & dia-

& diaconum, vestimentis & rebus omnibus ad eius sacer- 1562
dotium pertinentibus, & viatico donauit. Fidem suam
in Concilio Tridentino die 7. Septembris anno 1562.
hunc in modum absens professus est: Confessus sum puro corde & fide non ficta coram Reuerendissimis & illustrissimis D. Michaele tituli S. Sabinæ Alexandrino, & M. Antonio tituli S. Marcelli Amulio, S.R.E. presbyteris Cardinalibus, in hanc formã: Ego Abdysu filius Ioannis de domo Martia, ex ciuitate Geziræ in Tigri flumine, olim monachus S. Antonij monasterij sanctorũ Rochæ & Iohannis fratrum, electus Primâs siue Patriarcha ciuitatis Muzal in Assyria Oriẽtali: Iuro quòd ità corde credo & ore confiteor Sanctæ Romanæ Ecclesiæ fidem, approbatis omnibus & singulis illis, quæ ipsa approbat: & dãnatis similitèr omnibus, quę ipsa dãnat: Amplector & perpetuò me amplexurũ & retenturum esse profiteor & promitto, & omnes fratres meos Metropolitas siue Episcopos ac diœcesanos, quouis modo meæ iurisdictioni subiectos ità credendum & tenendũ esse docebo, & modis omnibus quibus potero, persuadere conabor. Ità me Deus adiuuet, & hæc sancta Dei Euangelia. In quorum omnium fidem, hanc meam fidei professionẽ & attestationem manu mea scripsi &c. Romæ die 7. Martij, Anno 1562.

Professio fidei patriarchæ Abdysu.

Cùm vrbe excederet rediturus ad suos, petijt studiosissime, vt Tridentini concilij Canones & decreta ad ipsum perferri curarentur: se enim omnia seruaturum. De sacris literis sæpè interrogatus, grauitèr & copiosè respondit. Nominabat etiàm & se habere dixit libros omnes veteris & noui Testamenti, etiàm quos Hebræi & hæretici ex Canone reijciunt. Antiquos doctores Græcos & Latinos, eosdem ferè quibus nos vtimur, Chaldaicè, Syriacè aut Arabicè versos diligenter se legisse: nonnullos etiàm, quorum nomina nobis sunt incognita. Sacramentis vti se ac populos illos ijsdem ferè quibus nos: Confessione auriculari, precatione pro salute mortuorum, Canone ijsdem ferè verbis in celebranda Missa, consecratione prorsùs eadem. Imagines diuorum pijs precibus venerari. Fidem ab Apostolis Thoma & Thaddæo, eorumque discipulo Marco olìm accepisse, hodieque retinere ea loca, vbi ipse degeret. Ità Ecclesiæ dignitas & salutaris doctrina per 1500. annos in tam longinquis gentibus inter tot perpetuas infidelium vexationes, eadem in hunc vsque diem permanet, quam apud nos Euangelici præcones oppugnant & lacerant.

Apud Assyrios quæ scripta diuina & Patrum habeãtur.

Sacramenta.

Cõfessio.

Canon Missæ.

Anni

1562 Anni huius mense Nouembri Francofurti in Romanorum regem communibus omnium Electorum Principum suffragijs eligitur Maximilianus Boëmiæ rex, Cæsaris Ferdinandi filius, multis egregijs corporis ac animi dotibus insignis, de quo omnes boni sibi pollicentur, eum in seruanda ac tuenda Catholica religione, patrui Caroli V. & parentis Ferdinandi sanctissimorum & pientissimorum Cæsarum constantiam & integritatem præstiturum, sicut etiàm iam non semèl præclarè præstitit. Temporis angustia non patitur rem totam accuratiùs & prolixiùs commemorare, & quæ illic gesta sint, omnia ordine describere.

Maximilianus fit Romanorum rex.

Turcici Imperatoris Legatus venit Francofurtum, præter literas ad Cæsarem Ferdinandum datas à Turca Solimanno, etiàm equum gradarium & quatuor Camelos munera Solimanni offerens. Ait etiàm Solimannum misisse Cæsari dono captiuos Christianos, quos nullo nec precio, nec muneribus, nec intercessione principum quorumcunque redimi passus esset: petere autem, vt & ipse Cæsar captiuos Turcas dimittat.

Legatus Turcæ cũ muneribus.

Mense Maio Lunæburgi Conuentus fuit Principum & Ordinum Imperij, Circuli, vt vocant, inferioris Saxoniæ, in quo præcipuè actum est de Bremensibus Caluinizantibus, & decretum factum de Sacramentarijs. Iam enim metus erat, nè sensìm Caluinus etiàm in Saxonia nidificaret, & Luterani precones cogerentur solum vertere. Tilmannus Heshusius scribit piam defensionem præsentiæ corporis Christi contra Caluini, Boquini, Bezæ & Clebitij cauillos & calumnias. In diuersum scribit Thomas Erastus Medicus, abutens Christi, Pauli & Patrum testimonijs. Porrò Bullingerus egregiè se tuetur contra Brentium. Tristissimum fuit, quòd Illyricus, Viandus & Matthæus Iudex scriberent se à Saxoniæ Principibus è Schola Ienensi dimissos eo quoquè nomine, quòd Sacramentarijs se opposuerint. Et quidem, nisì fallor, hodieque miserè exulat Illyricus insignis Luteranus. Deniquè Brentius de vera præsentia corporis & sanguinis Christi in Cœna, librum edit contra Martyrem & Bullingerum. Hoc scriptum dum ille Martyr impugnare statuit, magno Brentij commodo exhalat spiritum Nouembris die 12. Pro talibus non est orandum, quia immunes sunt à Purgatorio.

Cõuentus Lunæburgensis.

Calamitas Illyrici & sociorum.

ANNO

1563

ANNO 1563. Bullingerus Brentio respondet. Ità est inter Luteranos & Zuinglianos rixa implacabilis, cùm vtrinquè puram doctrinam iactitent. Mirum est, Principes & reliquos magistratus non aduertere istorum dogmatistarum vanitatem, & quanto cum periculo coniunctum sit, talibus fidem commodare. Quidam Zuinglianus veretur, nè hæc euangelicorum controuersia tandèm funestum & lamentabilem exitum habeat. Et quid mirum, si funestum habeat exitum quintum isthuc Euangelion, cùm non ferè nisi turbulentum & seditiosum habeat initium, vbicunquè recipitur? Valdè offenduntur isti puri Euangelici impura vita quorundam in Clero Catholico, & eam vehementèr traducunt apud indoctum vulgus: sed sunt ex nostris, qui quandoquè in Tabulas quasdam visitatorias istorum Euangelicorum Visitatorum inciderint, in ijsque plura & deteriora à coniugatis cōcionatoribus adulteria perpetrata legerint, quàm possint apud Catholicos in tàm augusto orbe scortationes reperiri. Quidam Luteranicus sacerdos mirabili fraude adeptus parochiam, quãdam, vxorem duxit. Ea cùm nouello marito iam minùs arrideret, toxico ab illo perimitur, vt nouis nuptijs via sterneretur. Interrogatus cur tantum admisisset facinus, respondit coniugium in Luteranis sacerdotibus non restinguere vagas libidines. Innumeris id posset exemplis doceri, vt maximè quoquè reprehendendi videantur, qui hodiè Catholicis volunt permitti coniugia sacerdotibus, contra omnia omnium seculorum & ætatum exempla. Non frenatur libido libidini indulgendo, sed gnauitèr potiùs reluctando, & pijs studijs perpetim vacando.

Adulteria Euangelicorũ concionatorum.

Mense Martio anni huius in suburbio Augustæ Vindelicorum apud S. Georgium, textor quidam filiam habuit annorum viginti, à malo dæmone obsessam & dirissimè vexatam, adeò vt parentes eius tantam calamitatem cernere ampliùs non sustinentes, Augustanæ Confessionis Luteranos concionatores eiusdem vrbis (erant enim ipsi quoquè Luterani) consilij & opis petendæ causa adierint. Et venerunt quidem nonnulli ex illis Euangelicis præconibus ad puellam dæmoniacam, arbitrati se virtute & efficacia Luterici euangelij satanam illum expulsuros: sed satanas satanam non eijcit. Conati tamen sunt aliquid facere, sed securus eos contempsit

Dæmoniaca puella non potest liberari ab euangelicis.

teter

1563 teter ſpiritus, quippe qui Luteri carnale euangelium floccipendat. Nè tamen nihil feciſſe putarentur, iuſſerunt parentes diligentem habere puellæ curam: poſſe enim Deum facilè rursùs liberare puellam, ſi eius permiſſu id illi acciderit. Porrò virgo quædam Matthiæ iurati eius vrbis quondàm chirurgi filia, Anna nomine, cum famula Magdalena ex pia quadam Chriſtianæ charitatis commiſeratione ad eandem puellam inuiſendi gratia in hypocauſtum venit, perſpectaque eius miſeria, cùm exiſtimaret non poſſe eam vel vnum superuiuere diem, ægrè tandèm parentes puellæ permouere potuit, vt accerſitum mitterent D.Simonem ſacræ Theologiæ doctorem, & apud D.Mauritium Auguſtæ catholicum eccleſiaſten. Rogatus ille, vt laboranti puellæ & ſummis angoribus compræhenſæ ſuam præſentiam non negaret, ad iter ſe accinxit: cumque haud ita procul ab ædibus dæmoniacæ abeſſet, illa miſerandum in modum clamitare, minitari ſuî præfocationem, nî dimittatur, ſimul etiàm magno impetu velut è lecto ſe præcipitare velle. Sciſcitante verò Anna, quam diximus, ecquid ſibi vellet, dicit potum ipſam petere.

Tum illa in poculo obtulit illi aquam luſtralem ſiue benedictam: qua hauſta, mox cœpit miſerabilitèr ſeſe agitare, & ſursùm deorsùm mouere, adeò vt caput inter pedes adigeretur. Quo viſo, ij qui circunſtabant, cernere & re ipſa comperire ſe dicebant vim quandam ſacratæ illi aquæ ineſſe. Nulla enim deincèps requie potita eſt puella, tantamque vim patiebatur ab illo immundo dæmone, qui aquam illam ferre non potuit, vt vnus è viris quatuor, qui eam ſeruabant, teſtatus ſit ſe ne vnam quidem noctem apud illam porrò excubare velle, etiamſi vrbem Auguſtam lucraturum ſe ſciret ea opera, niſi parentes illi actutùm remedium adferri curarent. Adeò nanque tetrum ex ore ſuo exhalâſſe fœtorem, vt omnes ſibi pereundum exiſtimârint.

Vis aquæ ſacratæ.

Cùm ſic illa igitur magìs magiſque exagitata ſæuiret & tumultuaretur, memoratus D.Simon Theologus ad limen domûs, vbi ea iacebat, acceſſit. Tum verò illa barbaricum in morem immanitèr vociferari, furere, bacchari, Theologo atrocitèr maledicere. Miſſum me facito, inquit, ſacrifice, probè equidem te ſentio, præfocare me vis, furcifer, ſcelus, nequam perditiſſimè. Ijs auditis, Theologus dixit patri puellæ, vt eam liberā ire ſinerent. Sed cùm immodicè ſæuiret ac ferociret, clamaretque ſe

anima

anima & corpore cessisse in ius & dominium mali dæ- 1563
monis, idem Theologus petijt, vt pedibus eius vincula
inijcerentur. Itaque ipsus eius parens mantili eius colli-
gauit pedes, percontans interim ex Theologo, velletne
eam duritèr ligari. Cui ille, Minimè, inquit. siquidem
frustrà à te vincietur, nisì Deus eam vinctam tenuerit.
Tum illa misera horrendum in modum ad tabulatum
vsque sese efferatè intendens, constrictosque pedes supra
caput adducens, se expoliauit, tantamque vim præ se tu-
lit, vt quatuor illi viri, de quibus antè diximus, alios du-
os sibi adiungere cogerentur, quòd non possent soli eam
tenere. Qui simul omnes clamabant, IESVS, IESVS:
malus dæmon eam absportat. Postquàm verò Theolo-
gus sæpè dictus Dei cœpit implorare opem, teter spiritus
ad quartam ferè horæ partem continentèr in puella
mirè furere & maledicere, tum quoquè crassa admo-
dùm viri voce multa & sciscitari & respondere diser-
tis verbis non cessauit. Initiò his vsus vocibus est: Ha,
ha, he, equidem sacrifice non migro ex hoc domici-
lio. Simulatquè verò à Theologo dictum est, Præcipio
tibi &c. aliquantò pòst respondit: Compellórne igitur
hinc egredi? Ait Theologus: In nomine Iesu regis glo-
riæ præcipio tibi. Tum aliqua interiecta mora, multa ne-
quam spiritus lugubri voce locutus est, & modò superi-
us, modò inferiùs emigrare voluit, donèc tandèm per-
missum est illi per fenestrā abscedere. Anteà verò quàm
id fieret, puella in grabato se pronam inuertit, ducensque
rhonchos cœpit tumultuari & ferocire, tanquàm vomi- *Lingua*
tura: atque interim ex eius ore prælonga, immanis, atra *atra &*
lingua longissimè protensa est, osque carbonum instàr *immanis.*
nigrefactum est, & collum in capitis amplitudinem in-
tumuit, idque sic aliquandiù perdurauit. Deindè sursùm *Liberatur*
mox erectis luminibus, complosisque manibus, Deo *dæmonia-*
laudes gratesque agens, ità ait: Iam nunc ego agnosco *ca.*
& video Deum meum. Multas quoquè Theologo gra-
tias egit: à quo creberrimè interrogata, num se senti-
ret liberatam, sempèr illi respondit, Liberata sum, Deo
gratia. sed video quendam rubicundo capite, tetro vul-
tu, protensa lingua, mihi perpetim innuentem, vt ad
ipsum veniam. Itaque docuit eam Theologus, vt tèr sibi
imprimens crucis signum, diceret, Iesus Nazarenus rex
Iudæorum. Cui illa morem gerens, rursùs ab illo inter- *Nota vim*
rogata, respondit: Quotiès crucem exprimo, dæmon eua- *Crucis.*
nescit, sed mox reuertitur. Deindè in multis Theologus
eam

1563 eam piè & Catholicè instituit, vtque abrenunciaret satanæ, & totam se Deo ac Domino suo addiceret: quæ omnia illa se facturam bona fide recepit, & sacrosanctam Eucharistiam accipiens, paulatim integræ sanitati restituta est. Hanc historiam quisquis syncero perlegit animo, facilè videt, apud sectarios nullam esse dæmonum expellendorum potestatem, eamque apud Catholicos in hunc vsque diem permanere. Nec erit quisquam tam impudens, qui rei huius veritatem negare ausus sit, cùm graues viri eam apud Augustanos compertissimam esse testentur.

Princeps Guisius à sicario perimitur

Hoc anno cùm princeps Guisius fortissimè Aureliam obsideret regis Galliarum nomine, & quodam die ad vesperum nauigio Ligerim traijceret, domum iturus, in ipso itinere à quodam sceleratissimo proditore, quem hostes prece & precio ad tantum facinus impulerant, tribus sclopetti globulis in humero dextro lœtaliter vulneratur, nec multis pòst diebus superuixit, magno quidem Caluinianorum Aurelianensium commodo, qui propediem in eius manus venturi putabantur, si paululùm ei diuturnior contigisset vita. Eius obitus regno Franciæ longè infaustissimus fuit. Ante mortem aliquot diebus superuiuens, omnes suos grauissima oratione admodum piè & religiosè instituit, & tandem Catholicæ religionis ergò tam proditoriè occisus, Christo spiritum reddidit. Eo mortuo, Condæus liberatur è custodia, nec diù pòst Lugdunenses hactenus refractarij, regi se dedunt, & Catholica apud illos religio restituitur. Porrò rex necessitate adactus, cum Caluinianis pacem fecit.

Religio Lugduni restituitur.

Mense Decembri finis optatus impositus est Synodo Tridentinæ, in qua multa sanctissimè & saluberrimè decreta sunt: sed Euangelici dogmatistæ in suis fæcibus hærent, pergüntque suos & tueri & propagare errores. Fuerunt in ea Synodo multi Cardinales, Archiepiscopi, Episcopi, & viri complures longè doctissimi. Multos in eam Synodum sumptus fecit Romanus Pontifex Pius IIII. Itemque Ferdinandus Imperator religiosissimus.

Maximilianus coronatur Hũgariæ rex.

Hoc anno Presburgi in Hungariæ regem cum multa celebritate & solitis cæremonijs coronatus est Maximilianus, Romanorum & Boemiæ rex prudentissimus.

COMMENTARIVS BREVIS RERVM IN ORBE GESTARVM, AB ANNO Salutis M. D. LXIIII. vsque in annum LXXXV. ex optimis quibusque authoribus congestus, &c.



NNO 1564. Rex Daniæ & Lubecenses bellum, quod superiori anno in regem Suediæ susceperant, continuant maximis impendijs, multis vtrinquè & datis & acceptis incommodis.

Hoc anno, 5. die Martij, Ingolstadij obijt vir doctissimus Fridericus Staphylus, ætatis suæ anno 51. Hic annis decem vixerat Vuittenbergæ familiaritèr cum Lutero & Melanchthone, sed tandèm magna Dei benignitate conuersus ad Catholicam fidem, hæreticorum fraudes & mendacia atque fœdissimas antilogias ità cœpit proferre in publicum, vt omnium illorum in se plus quàm Vatinianum concitârit odium. Fuit is vir Græcè Latineque doctissimus, & hæreticorum mysteria nouit ad vnguem, quæ paulatìm statuerat ad omnium notitiam perferre, nisì eum mors impediuisset. Anno 1558. Coloniæ typis excusa est theologiæ Luteranæ trimembris Epitome, ipso Staphylo authore. Is libellus mirabilitèr offendit hereticos omnes, & cùm non essent inter se concordes, hoc tanto oblato aduersario ad syncretismum constituendum se mutuò hortati sunt, quò communibus armis Staphylum oppugnarent: quod & factum est. Sed ille acritèr eis respondit, adeò vt posteà quidam Luteranus eum magnum diabolum vocârit, quandoquidem infestissimis eos, & propè ipsorum telis & armis oppugnabat, luculentèr eorum ostendens fœdissimas antilogias, & mutuas dissensiones, idque ex proprijs illorum scriptis. Erat inter alios eius hostes quidam Goppingensis præco, Iacobus Smidelinus. Is incredibili stultitia & impudentia ausus est asserere, nullam inter Euangelicos esse in doctrinæ fundamento discordiam,

Fridericus Staphylus pdit fraudes hæreticorum.

Impudētia Smidelini.

1564 cordiam, cùm tamen non solùm à Staphylo, sed etiàm ab ipsis Luteranis diuersum ostenderetur. Sed quid non audet hæreticorum perfricta frons? Cum hoc Smidelino præcipuum fuit Staphylo certamen, non quòd dignus esset cuius ineptijs & calumnijs responderetur, sed ob hominis contundendam impudentiam, & Catholicam fidem ab illius calumnijs vindicandam. In Apologia sua idem Staphylus de quodam iuuene concionatore Luterano commemorat historiam lectu dignam, quam hoc loco inserere paraphrasticôs non grauabor, vt nôrit posteritas, quàm monstrosos ediderit dogmatistas ætas nostra.

Exemplū memorabile.

Iuuenis quidam concionator Misnensis (Est autem Misnia pars Saxoniæ) cùm esset aliquandiù concionatus in Misnia, voluit in Saxoniam proficisci, (ampla est enim Saxonia, & latè patet) idque spe obtinendi alicuius ministerij Euangelici. Erat autem ipse quidem Adiaphorista, id est, Melanchthonicus: porrò ea Saxoniæ regio, quò se contulit, Illyricanum habuit superintendentem. Quanuis autem Matthias Illyricus discipulus fuerit Melanchthonis, tamen in quibusdam acerrimè dissidet à suo præceptore, sicut & Melanchthon à suo magistro Lutero. Interrogatus igitur hic iuuenis ab Illyricano superintendente, quam religionem profiteretur, respondit, se sentire cum Melanchthone & Georgio Maiore. Ergò, inquit superintendens, mammaluca es tu & apostata hæreticus. Tantum iam intererat inter Luteri & Melanchthonis doctrinam.

Melanchthonicus repellitur ab Illyricanis.

Porrò sciscitanti superintendenti, num crederet bona opera esse perniciosa saluti, ille quidem respondit, non se id credere, sed potiùs prodesse ea saluti: mox verò tanquàm Euangelij hæreticus iussus est ex ea vrbe totaque regione discedere. Iam enim Melanchthonis discipulus Illyricus, Melanchthonis discipulum ferre non poterat. Passus igitur miser hìc repulsam, è Saxonia se transtulit in Prussiam, opulentam & vberem regionem. Ibì tum regnabat Osiandrinum Euangelium. Petijt verò ab Osiandrino quodam Ecclesiasticum ministerium: sed illo percontante, num crederet hominem essentiali Dei iustitia iustum fieri oportere, & num eos qui diuersum sentiant, non alio quàm hæreticorum loco haberet, istoque respondente alitèr docere Melanchthonem, atque etiàm Illyricum, nec se ità posse de hominis Iustificatione sentire: ilicò ceu hæreticus reiectus est, & ex Pruteni principis ditione profligatus. Venit igitur in Poloniam ad

Item ab Osiandrinis.

Caluinianos, sed cùm nollet eandem cum eis cantilenam canere, nec à Luteri Euangelio deficere ad Zuinglianiſmum, ab illis itidèm haud ſecùs atquè hæreticus repulſus eſt. Itaque excluſus à Caluiniſtis, ad Picardos ſe contulit, ſperans ab illo hominum genere ſe in eorum ſectam & contubernium receptum iri. At illi volebant, vt reliquis ſectis omnibus abiuratis, vnicam Picardorum doctrinam tanquàm optimam complecteretur. Quod cùm illi non eſſet integrum, miſer ab illis perindè vt à ſuperioribus compulſus eſt fugæ ſe committere. Indè ad Sileſianum quendam nobilem venit, à quo interrogatus, ecquidnam de Suencfeldij Euangelio ſtatueret, an crederet externum miniſterium eſſe ſuperuacaneum, internum verbum, ſeu verbi prædicati energiam, eſſe ipſum Dei filium, reſpondit ſibi eam videri antiquam hæreſin, quæ ab Illyrico, Philippo, Caluino & alijs multis palàm editis ſcriptis oppugnata ſit. Quod reſponſum moleſtè ferens nobilis Suencfeldianus, hominem à ſe repulit: atque ità rursùs ille in pedes ſe conijcere compulſus eſt. Tot igitur locis repulſam paſſus, ad Anabaptiſtas in Morauia non infrequentes profugit, non tamen apud eos permanendi animo, ſed vt eorum myſteria & inſtitutum exploraret. Verùm ab illis callidè ſanè præuentus, fidem eis ſuam exponere iuſſus eſt. Quæ cùm illorum placitis non valdè concordaret, nihil morati, quòd ille longos ſuos circuitus prætexeret, non alitèr quàm hæreticum eum à ſe eiecerunt. Et tamen hæ ſectæ omnes ſingulatim ſibi vendicant puram Euangelij doctrinam, eamque cæteris omnibus detrahunt. In tanta autem doctrinæ varietate fieri quî poteſt, vt vera ſint quæ docentur ab illis? Quid (oro) tandèm facient miſeri mortales, qui in hos errorum Labyrinthos præcipitantur, vel potiùs ſua leuitate induci ſe ſinunt? Tam diuerſis ex orbis noſtri angulis clamant certatim pugnantiſſimi dogmatiſtæ, noui Euangelij buccinatores, Eccè hîc eſt Chriſtus: & tamen ſimul mentiuntur omnes, cùm non poſſit eſſe Chriſtus, niſi in vna ſancta Catholica & Apoſtolica Eccleſia, à qua iſti omnes turpitèr defecerunt. Sed vt ad noſtrum iuuenem concionatorem redeamus, venit ille tandèm Viennam Auſtriæ, vbi in Catholicum quendam incidēs, ſuas illi moleſtiſſimas peregrinationes & aduerſos caſus, & in quibus verſatus eſſet hæreſibus, enarrauit, ſimul obnixè orans, vt ad obtinendam ſolidam certamque doctrinam, & ſcri-

1564

A Caluiniſtis.

A Picardis.

A Suencfeldianis.

Ab Anabaptiſtis.

1564 scripturæ diuinæ genuinam interpretationem, auxilio sibi esset. Fuit hoc proculdubiò diuinæ gratiæ opus, vt homo tot exagitatus difficultatibus, tandem quandoquè rediret ad se, & perspecta falsitate, quam hactenùs pro Euangelij luce esset amplexus, in viam reduceretur. Possunt enim hæreses de se polliceri veritatem, sed exhibere non possunt. Est verò ab illo Catholico hoc ei datum consilij, vt eum scripturæ sensum, qui sempèr & vbiquè receptus fuit, amplecteretur, porrò priuatos omnes & singulares sensus repudiaret. Fieri enim non potest, inquit idem, vt priuatæ opiniones Catholicum scripturæ sensum ferant, multò etiàm minùs, vt inter se consentiant, sibiquè constent. Cùm enim non sint isti in eo corpore, quod viuit de spiritu Christi, & eius perpetuo ductu ac moderamine gubernatur, sed ceu aridi palmites à vite Christo præcisi, foràs proiecti sint, spiritu vertiginis huc illucque impelluntur, & sua commenta venditant cæcis & incautis mortalibus pro verbo Dei. Ità quod singulis visum est, hoc pro Euangelio obtruditur: cùm autem alijs alia magis placeant, nec alij alijs velint cedere, nascuntur dogmata mirè diuersa, & singula tamen pro veris defenduntur, & ab euersis hominibus recipiuntur. Accidit autem hoc iusta quidem, sed nimiùm formidanda ira Dei, vt in istos laqueos incidant homines, & pro veritate recipiant mendacium, dum nolunt audire Ecclesiam Dei, & ijs viuunt moribus, qui talem vindictam mereantur. Est autem certè doctrinæ veritas non apud hæreticos, sed in Ecclesia quærenda, de qua præclarè dictum est ab Irenæo: Tantæ ostensiones cùm sint hæc, non oportet adhuc apud alios quærere veritatem, quam facile est ab Ecclesia sumere, cùm Apostoli, quasi in depositorium diues, plenissimè in eam contulerint omnia, quæ sint veritatis, vti omnis quicunque velit, sumat ex ea potum vitæ. Hæc est enim vitæ introitus: omnes autem reliqui, fures sunt & latrones. Propter quod oportet deuitare quidem illos, quæ autem sunt Ecclesiæ, cum magna diligentia diligere, & appræhendere veritatis traditionem. Quid enim, etsi quæ de aliqua modica quæstione disceptatio esset, nónne oporteret in antiquissimas recurrere Ecclesias, in quibus Apostoli conuersati sunt, & ab eis de præsenti quæstione sumere, quod certum & re liquidum est? Quid autem si neque Apostoli quidem scri-

A Catholico reducitur in viam.

Iohan.15.

Aduersus hæreses lib.3.capite 4.

Iohan.10.

scripturas reliquissent nobis? nónne oportebat ordinem 1564
sequi traditionis, quam tradiderunt ijs, quibus committebant Ecclesias? cui ordinationi assentiunt multæ gentes barbarorum, eorum qui in Christum credunt, sinè charactere vel atramento scriptam habentes per spiritum in cordibus suis salutem, & veterem traditionem diligentèr custodientes. Hæc Irenæus martyr & Episcopus ante mille trecentos & eo ampliùs annos. Vt autem ad Staphylum redeamus, scribit ille quodam loco se de nostrorum hæreticorum imposturis, corruptelis, fraudulentis machinationibus habere cistas aliquot libris & epistolis plenas, quæ etiàm venissent in lucem, nisì mors eum abstulisset.

Nota de Traditione.

Mense Iulio ipsis ferijs D. Iacobi Apostoli, diem suum obiit sanctissimus & omnibus modis Catholicus Princeps Ferdinandus Romanorum Imperator, de cuius integritate, pietate, & in Catholica fide constantia multa dici possent. Etsi verò turbulentissima fuit nostra ætas, tamen non immeritò gratulari sibi potest, de duobus sanctissimis & religiosissimis, & Catholicæ religionis obseruantissimis Imperatoribus Carolo V. & Ferdinando eius germano fratre, quorum ad omnem posteritatem sacrosancta & celeberrima erit memoria. Insistit eorum vestigijs Maximilianus 2. Ferdinandi filius, qui hodiè gratulante Ecclesia Dei, Romani Imperij habenas moderatur.

Obitus Ferdinandi Cæsaris.

Hoc anno Philippus rex Hispaniarum Garsiam à Toleto, regiarum triremium & maris ducem suum generalem, cum ingenti classe misit ad expugnandam arcem munitissimam, *del Peuol di Velez* appellatam, sub dominio Turcarum ad Africæ oram sitam, vndè frequentèr impij piratæ in mare Hispanicum incursiones facientes, prædas agebant, quod rex Catholicus minimè sibi ferendum existimabat. Vbì classis vniuersa, centum videlicet triremium, absque alijs nauibus, quarum certum non habemus numerum, Malacam vrbem appulit, magnam illic peditum & equitum tormentorumque bellicorum & commeatûs copiam accepit, atque indè soluens vltimo Augusti mensis die, tranquillissimo mari & secundo flatu ad arcem memoratam incolumis peruenit, expositoque in terram milite, oppugnari cœpta est arx ipsa inter abruptissimas petras sita, & mari vndiquè septa, difficilimum aditum non solùm hominibus, sed ipsis etiàm ibicibus prębens. Cùm autem per singula momenta vali-

Classis Philippi regis.

1564 ta validis tormentorum ictibus verberaretur, ecce præter omnium expectationem 6. die Septembris Turcæ milites, qui eam custodiebant, intempestæ noctis silentio turpiter inde aufugiunt. Manserunt autem trigintaquinque Turcæ, quòd fortaßis ob natandi imperitiam fugæ se mandare non possent: ijque viui in Hispanorum potestatem venêre. Dici verò non potest, quanto gaudio ea insperata & incruenta victoria omnium animos perfuderit. Fatebatur Dux ipse illustrissimus, & totus exercitus magno clamore testabatur, à Deo exercituum immissum hostibus terrorem, vt ex ea arce turpiter abscederent, quæ vix multo tempore & multo sanguine potuisset obtineri. Impositum inde est fortissimum illi arci præsidium contra barbarorum incursiones. Cùm autem milites sese ad classem reciperent, Saraceni ingenti numero & magnis clamoribus multoque impetu, vt apud illos moris est, eos aggressi, partim cæsi, partim vsque ad 5. vel 6. millia vulnerati sunt. Erant in hac expeditione aliquot viri doctrina & pietate insignes, qui rogatu illustrissimi Ducis Garsiæ eò se contulerant, vt exercitui, si res posceret, Sacramenta ministrarent. Ijs verò tum Dux ipse generalis, tum multi alij primarij Duces, & alij nobilissimi & illustres viri peccata sua confeßi fuêre, & sanctissimam Eucharistiam ab ijs accepêre. Sic nimirùm promerenda est superni Numinis clementia, cuius ope & auxilio freti Hispani, arcem penè insuperabilem intra paucos dies, nullo suorum fuso sanguine, in Catholici & optimi regis Philippi ditionem redegerunt. Scripta sunt hæc à quodam viro graui & fide digno, qui huic expeditioni præsens interfuit.

Arx Turcica expugnatur.

Præsidiũ Hispanicum.

Huius anni 1564. mense Septembri literæ venerunt ex Iaponum & Sinarum regionibus, vbi iam sunt aliquot Patres Societatis Iesu, quos vulgò Iesuitas vocant, quibus significabatur, magnum illorum infidelium numerum, ad octo millia, in quibus sunt reges & principes, permultique proceres & optimates gentilium, relicto dæmonum cultu, Christi Iesu fidem esse cõplexum. Accedit huc miraculum, quod in cuiusdam Sinæ conuersione operatus est Dominus. Est ea Sinarum natio innumerabilis, & auri atque ingeniorum ditissima. Dormiebat ille, & vidit in somnijs tanquàm vnum ex Patribus Societatis Iesu, qui eum vt Christianus fieret hortabatur, comminatus, ni consentiret, incisurum se forfice, quam in manu gestabat, capillos eius capitis: quod est igno-

Sinenses multi ad Christum conuertũtur.

ignominiosum & infame apud eos: & eo renuente, ab- *1564*
scidit aliquot. Idipsum vidit per tres continuas noctes, sed in postrema abradebantur ei omnes capilli capitis. Tum ille mox adijt Patres illos Societatis Iesu, & petijt baptizari: qui hominem complexi, docent eum quæ sunt religionis nostræ, ac deindè baptizant. Porrò isthæc visio non dubiam illis spem fecit totius gentis illius ad Christi fidem traducendæ. Benedictus Deus, qui illis longinquissimis & ab orbe nostro remotissimis nationibus, fidei suæ & gratiæ lucem impertit. Sunt enim Sinarum populi ad extremos Orientis fines longissimò à nobis interuallo dissiti.

Colloquium Mulbrunense.

Mense Aprili anni huius, Mulbrunnæ habitum est aliquammultis diebus Colloquium inter Luteranos & Zuinglianos vel Caluinistas. Interfuêre Colloquio Principes duo, Palatinus Elector, & Dux Vuirtebergicus. Theologi vtriusque Principis diù multumque inter se disceptârunt, sed nulla ratione, neutris alteri parti cedere volentibus, vllam concordiam inire & conciliare potuerunt. Defendebant Vuirtebergici Theologi, quorum principes facilè erant Brentius & Iacobus Smidelinus, vnà cum pane & vino in cœna Domini (sic enim illi loquuntur) adesse substantialitèr & realitèr corpus & sanguinem Domini, & nedùm à bonis, sed etiàm à malis ore percipi vtrunque: contrà Palatini tam corporalem præsentiam, quàm quòd ab impijs sumeretur Eucharistia, pernegârunt. Ibì tum multùm sudatum est à Smidelino, vt persuaderet Christi corpus perindè atquè diuinitatem, non modò in cœna, sed etiàm locis omnibus, id est, vbiquè præsens adesse. Eam stultissimam & hactenus inauditam opinionē hausisse videtur ex Brentio symmysta vel potiùs præceptore suo. Nam isti homunciones dum suis fidunt ingenijs, ex alijs in alios labuntur errores, quantoque acriùs in id incumbunt, vt Ecclesiam Catholicam oppugnent, eo deteriùs occæcantur, longiùsque à luce veritatis in inexplicabilium errorum tenebras recedunt. Nituntur quidem Brentius & Smidelinus docere, Christum corporalitèr in Eucharistia præsentem: sed cùm id compræhendi nulla ingenij vi possit, sed simplicitèr & incunctantèr credi oporteat, sub panis & vini speciebus reuerà Christi corpus & sanguinē adesse, isti prodigiosum dogma confingunt, Christi corpus tam esse vbiquè præsens, quàm est diuinitas. Sed humanæ cæcitatis figmentum est, non doctrina Chri-

Prodigiosum dogma Brētij &c.

1564 sti, neque Catholicæ Ecclesiæ. Porrò Caluinistæ vel Zuingliani dum nullo pacto suis imbecillis ingeniolis consequi possunt, vt se Christus corporalitèr præsentem in Eucharistia exhibere queat, instàr Capernaitarum dicunt: Quomodò potest hic carnem suam dare ad manducandum? itaque ad tropos confugiunt, & euidentissima ac luculentissima Christi verba, quibus hoc & ipse instituit, & in Ecclesia conficitur Sacramentum, sæua & impia interpretatione ad figuratam locutionem detorquent. Sed audiunt vtrique, & Luterani & Zuingliani: Nisi credideritis, non intelligetis. Si dicis, Quomodò potest fieri? audis ab Ecclesia, Deus omnipotens id pollicetur & facit, & tu dicis, Quomodò potest fieri? Porrò incredibilem & execrandam habet impudentiam, quòd cùm tam Luterani quàm Zuingliani toto cælo à Catholica veritate aberrent, tamen incunctantèr & crebrò asseuerant, ab ipsis stare veteres Patres omnes. Et hoc quidem imperitis, & in Patrum monumētis parùm versatis, perniciosissimè illi persuadent: sed qui vel vtcunquè Patrum scripta nôrunt, illorum satis mirari non possunt improbitatem & impudentiam. Interìm Ecclesiam Catholicam vtrique insimulant idololatriæ, propterea quòd Christum in Eucharistia adoramus: sed absit vt illorum blasphemiæ nos ab hac adoratione absterreant. Immò verò audient, velint nolint, ex Augustino in Psal. 98. Quia Christus in ipsa carne hîc ambulauit, & ipsam carnem nobis manducandam ad salutem dedit: nemo autem illam carnem manducat, nisi priùs adorauerit: inuentum est, quemadmodùm adoretur tale scabellum pedum Domini, & non solùm non peccemus adorando, sed peccemus non adorando. Ità Augustinus. Verùm his obitèr dictis, ad Colloquium Mulbrunnense redeamus. Longa sanè (vt dixi) disputatione præclari illi Theologi frustrà tempus triuerunt, & non solùm nulla inter eos constituta pax est, sed simultas & odium acrius exarsit. Nam eodem anno Vuirtenbergici de actis eius Colloquij scriptum Germanicè ediderunt, cui Brentij præfixa est Latina epistola, qua inter cætera insignem impudentiam & vanitatem Palatinis Theologis impingit. Contrà verò Palatini non diù pòst grande opus Germanicum euulgârunt, quo totius Colloquij acta explicantur, & scriptum Vuirtenbergensium mendacij crebrò insimulatur, atque prolixè confutatur. Certè verum dicit Sapiens: Inter super-

Iohan. 6. — *Esa. 7.* — *Sectariorum vanitas.* — *Eucharistia adoranda.* — *Sectarij mutuis se scriptis lacerant.* — *Prou. 13.*

perbos sempèr sunt iurgia. Est autem hoc cumprimìs admiratione dignum, quòd Smidelinus, qui palàm ausus est scribere, inter Euangelicos præcones nullam esse in doctrina pugnantiam, iam longissima disputatione, in qua solus ipse loco Vuirtenbergensium loquebatur, Brentio se intra silentium tenente, perpetuò contra Caluinistas contẽdit, & quàm fœdè in rebus grauissimis inter se dissideant, toti orbi luculentèr ostendit. Sed hanc deplorati hominis vanitatem & versutiam misera plebs non aduertit. Si qui verò aduertunt, & tamen id genus hominibus in religionis rebus, vndè salus sempiterna pendet, fidem adhibent, illis ego nihil sentio esse deploratius atque infelicius. Scilicèt nulla est inter istos præclaros insignium blasphemiarum buccinatores discordia, cùm nullam vnquàm possint conficere concordiam, nec desinant palàm editis libris alij alios oppugnare perpetuò. In hoc ipso Colloquio Vuirtebergici Palatinos vocant sectarios, (sic enim Palatini interpretantur) porrò Vuirtebergenses Palatini aiunt noua, falsa & inaudita dogmata proferre. An non præclarè inter se consentiunt, qui id genus elogijs sese inuicèm ornant? Non debent iam isti ægrè ferre, si à Catholicis tales appellantur, quales ipsi se inuicèm salutant. Inter colloquendum Boquinus Zuinglianus dicebat, non de scriptura, sed de eius intelligentia inter ipsos quæri: ibì Smidelinus egregiè prodidit versutiam suam & omnium istorum sectariorum, dicens Boquinum hoc ipso sibi arma eripere, quibus communitèr vtantur contra Papistas. Hoc enim certissimum est, non propterea ad scripturas prouocari ab istis infidis hominibus, quòd scripturæ pro ipsis faciant, sed quòd facilimè possint scripturas ad sua in speciem adstruenda mendacia detorquere. Itaque si adigas illos ad scripturarum intelligentiam, quæ non ab hæreticis, sed ex perpetuo Catholicæ Ecclesiæ Doctorum consensu petenda est, iam planè iacent omnia hæreticorum commenta. Hoc cùm ipsi non ignorent, vsqueadeò solas crepant scripturas perperàm intellectas & impiè detortas, vt Patres simul omnes & Concilia omnia prorsùs reijciant, vbicunquè ab illis dissentiunt. Itaque Luterus ipse quodam loco scribere ausus est, sacra Biblia esse hæreticorum librum. Huc igitur & Luterus & sectarij omnes impudentèr prouocant, hæc sola valere volunt: & tamen res ipsa loquitur, quòd ea alitèr Luterani, alitèr Zuingliani, alitèr alij sectarij interpretantur. Ità cogunt sin-

1564

Smidelini impudentissima vanitas.

Sectarij mutuis se ornant elogijs.

Sectariorum versutia.

1564 guli illam veracissimam sacrorum Bibliorum scripturam suis mendacijs seruire & adstipulari, non absque summa incommutabilis veritatis Dei contumelia & blasphemia.

Fuit hoc apud hæreticos ferè omnes in more positum, vt scripturas suis commētis prætexerent, & ità scripturas scripturis oppugnarent. Nec defuerunt, sicut nec hodiè desunt, qui scripturas deprauare & corrumpere non dubitarent. Immò verò etiàm Vuirtebergici Palatinos vocant falsarios, qui corruperint Lucæ Euangelistæ verba: contrà Palatini asserunt, Vuirtebergicos suis somnijs scripturam peruertere.

Præclara encomia sectariorum.

Quis igitur istis fidem commodet, qui tam egregia de se mutuò testimonia dicunt? Addunt Palatini, Vuirtebergicos de vna eademque re & affirmatiuè & negatiuè solere respondere. Nec hoc mirum: permittit id enim Luteri Euangelium, quem hominem etiàm ipsi Palatini Zuingliani in multis sibijpsi contrarium ostendunt, vt meritò pudere debeat, eius commenta tantum habuisse pondus apud plerosque.

Atqui verò è diuerso & Luterus, & Ioachimus Vuestphalus Luteranus, id obijciunt Zuinglianis, quòd inter se pugnent. Nos hæc testimonia aliorum de alijs libentèr amplectimur, & à toto eiusmodi dogmatistarū grege, toto pectore & animo nos separamus & secedimus. Quod vtinàm etiàm illi facerent, qui ab istis infaustis & nimiùm ab omni vera luce alienis, in fraudem impelli, & ab Ecclesia catholica diuelli se passi sunt. Verùm dabit quandoquè benignus Deus gratiam suam, vt videant homines quod hactenùs magno suo malo videre noluerunt, quàm infidis non Euangelij, sed portentosæ vanitatis buccinatoribus, animas suas crediderint. Ridiculum verò est, quòd quidam ex Zuinglianis obijcit Luteranis, quos nouos vocat suffraganeos, quòd necdùm inter se concordent, quínam sint veri Tomi operum Luteri. Alij enim alijs obijciunt, quòd Luteri scripta deprauârint. Adijcit etiàm, Luteranos voluisse Luterum nouum efficere Papam, vt ipsi eius Cardinales, & temporis successu etiàm successores esse queant. Dij prohibeant, nè talem Papam & tales Cardinales habeamus, quos nec fratres Euangelici, qui ad se eam dignitatem deriuare mâlint, recipere velint. Quis iam nobis inuideat Papam nostrum Romanum Pōtificem, eiusque Cardinales, quandò etiàm sectarij suos volunt habere

Luterani noui suffraganei.

Antipapas & Pseudocardinales? Sed hæc quidē de Colloquio Mulbrunnensi annotâsse breuitèr satis sit, de quo ingens scriptum, vt dixi, Palatini, & aliud Vuirtebergici ediderunt, vt totus orbis sciret quàm præclarè inter se consentiant fratres Euangelici, & vel manibus palpare possint qui velint, quàm nihil cum illis commercij habeat spiritus Christi, qui facit vt sit credētium cor vnum & anima vna in Domino. 1565 *Acto.4.*

ANNO 1565. immane facinus perpetratum est Leodij. Abbas quidam Præmonstratensis ordinis famulum habuit, quem certa de causa iussit à se discedere, & alium sibi dominum quærere. Tulit hoc ægrè famulus, & interim hæret ad aliquot dies apud Abbatem, atque, vt priùs, cubicularij fungitur officio. Paucis autem elapsis diebus, Abbate è quodam conuiuio iam serò cubitum abeunte, homo crudelis nihil tale suspicantem fera & plusquàm barbara crudelitate in ipso cubiculo iugulat, multamque secum pecuniam è cubiculo eodem auferens, equum Abbatis sternit & abscedit, cùm priùs nescio quæ mendacia de Abbate ad familiam retulisset. Hoc quidem teterrimum exemplum admonere mortales omnes meritò & potest & debet, vtì sic vitam instituant suam, nè imparati hinc exeant. Nam propter eiusmodi dubios vitæ casus & mille pericula, inter quæ quotidiè versamur, Christus Dominus in Euangelio crebrò nos admonet vt vigilemus. Horrendum sanè fuit itâ subitò ac improuisè necari, idque à famulo, cui iamdiù non dubitâsset Abbas vitam suam committere: sed tamen si animus fuit pius & diuinæ voluntati religiosè subditus, nihil quidem Abbati nocitum est: sed crudelissimum facinus sceleratum homicidam & temporarijs & æternis supplicijs, nisi dignam agat tanti sceleris pœnitentiam, reddidit obnoxium. *Immane latrocinium.* *Matt.24. 25. Marc.13. Luc.12.*

Prodijt hoc anno scriptum benè longum Iohannis Marbachij superintendentis Argentoratensis cōtra Caluinistas & Zuinglianos, cui mox certatìm, sed breuitèr ab istis responsum est, adeò vt etiàm medicus quidam Zuinglianus, postpositis interim pharmacis & potionibus, aculeatè in illum scripserit. Videtur autem etiàm iste Marbachius Brentianam vbiquitatem docere. Caluinistę eum tanquàm ineptum & indignum responso contemptìm perstringunt. Habet certè in suo libro ineptias multas, & tantum tribuit Lutero, vt eum omnibus *Marbachius Vbiquetarius Brentianus.*

1565 bus etiàm veteribus Patribus non dubitet anteferre: egregieque eum commendat ob exagitatum & oppugnatum Papatum: quodque nimis est intolerabile, ait se & suos Luteri doctrinam haud secùs, atquè ipsius Christi verba & doctrinam, accipere, cùm tamen luce meridiana clarius sit, Luterum sæpè pugnantia scripsisse, & certè nulla ratione dignum fuisse, cui id tribueretur, quòd errare non potuerit, cùm multos nefandos & pudendos errores ab inferis excitârit. O prodigiosam huius seculi cæcitatem, quòd videre non potest, quàm nihil videant, qui se veram demùm Euangelij lucem in orbem inuexisse gloriantur. Piget & pudet tam cæcis Doctoribus confutandis tempus terere, præsertìm cùm nec huic instituto magnoperè conueniat. Id verò admiratione plenum est, quòd iste Marbachius scribit, se suosque adiutores Ecclesiæ Argentinensis iam idem docere Argentinæ, quod Luterus & Saxonicæ Ecclesiæ de Eucharistia doceant. Cùm enim Argentinæ Zuinglij dogma diù receptum fuerit, iste iam Argentinensibus apud omnes leuitatis & incõstantiæ notam inurit, tanquàm qui Zuingliano reiecto dogmate, Luteranum complexi sint, quod fortassis Argentinenses non æquo sint animo laturi. Est quidem mirabilis in Germania rerum confusio, dum videmus alios à Luterismo ad Zuinglianismum, & rursùs alios à Zuinglianismo ad Luteri placita desciscere, vt interim alias innumeras sectas taceam. Nec erit certè vnquàm ab alijs ad alias sectas deficiendi finis, propter dogmatum incredibilem varietatem & inconstantiam, nisi redeant ad vnitatem Catholicæ Ecclesiæ, cui & rector & protector adest spiritus veritatis, quem hæretici habere non possunt. Hoc quidem certo certius est, multùm conniti istos insignes Euangelicos dogmatistas omnes, vt authoritatem Romani Pontificis prorsùs euertant: sed tanta est eius authoritatis vis & pondus, vt etiamsi illis rumpantur ilia, nihil tamen sint relaturi aliud, quàm summum dedecus & ignominiam sempiternam. Perstitit hactenùs Romanæ Ecclesiæ sedes annis mille quingentis contra omnes tyrannorum & hæreticorum omnium insultus, perstabit etiàm hauddubiò vsque in mundi finem. Decessit nonnihil in Europæ aliquot angulis illius sedis authoritati, sed longè plus accessit in amplissimis noui orbis atque remotissimarum gentium vastissimis regionibus. Et vt tabescat liuor improbus & amens furor vilissimorum homuncionum,

Sectarij oppugnãt Romanã sedem.

num, qui prauis confingendis dogmatibus & contume- 1565
liosis edendis scriptis, eius sedis ex professo hostes se declarant, libet hîc inserere pauca quædam de rege Lusitaniæ longè potentissimo, qui hoc anno literas scripsit Patribus Societatis Iesu Romæ congregatis, in hunc modum: Patres Societatis Iesu, qui nunc estis Romæ in congregatione generali, rogo vos vt petatis à Deo, vt faciat me verum filium & defensorem Ecclesiæ Romanæ, sicut confido me futurum auxilio Dei. O quantùm desidero osculari pedes sanctissimi patris. Hęc ille inuictissimus Lusitaniæ rex. Fuit verò etiàm hoc ipso anno Co- *Legatus*
loniæ vir quidam grandæuus & venerabilis, missus ex *patriar-*
Thebaide ab Alexandrino Aegypti patriarcha, qui eius- *chæ Ale-*
ipsius patriarchæ nomine Romano Pontifici obedien- *xandrini.*
tiam promitteret, vel potiùs scriptum adferret, quo is patriarcha obedientiam promittebat. Ità irridet præpotens Deus miserrimorum homuncionum impotentiam, qui se putant illam sedem posse destruere, quam nulli hactenùs neque ethnici Imperatores, neque subdoli hæretici euertere potuerunt. Elidant igitur insana licèt capita sua in parietes, salua manebit sua authoritas Romano Pontifici: atque ea ipsa hæresum architecti & buccinatores omnes pessùm prementur, & penitùs opprimentur.

Idem Lusitaniæ rex Christianissimus petijt à summo Pontifice, vt duo Episcopi mitterentur in Iapponam remotissimam à nostro orbe insulam, vbi mirè increscit religio Christiana, & obseruantia erga Romanum Pontificem. Porrò feruntur illic esse homines acuti & insignes philosophi, quibus conuertendis non deerunt etiam Catholici Doctores, multa eruditione & vera pietate suffulti. Quæ quidem libentèr nos commemoramus, vt pudefiant insolentes & miseri homunciones, qui se putãt magnam cladem attulisse Romanæ sedi, dum tam varijs, impijs & inter se mirè pugnantibus doctrinis Europæ regiones quasdam perdiderunt & corruperunt. Veniunt ad fidem barbaræ nationes, dæmonum cultrices: Aethiopiæ rex longè potentissimus, quem vulgò Prætoianum vocant, cuiusq; est amplissimum imperium, iam Lusitanis magna iunctus est amicitia, & per eos hauddubiè in dies magis ac magis vera fide Aethiopes imbuentur: Multæ quoquè Indorum insulæ & regiones auidè *Indi con-*
doctrinam Christi amplectuntur, & sæpè integræ ciuita- *uertuntur*
tes sacro ablutæ sunt Baptismate. Habet harum rerum *ad fidem.*
com-

1565 commemoratio mirificam iocunditatem: itaque non pigebit paululùm ijs immorari. Postquàm reges Lusitani longissima nauigatione in Indiæ vsque & orbis extremos fines aditum sibi fecerunt, eam in curam summoperè sibi incumbendum putârunt, vt miseros homines dæmonum teterrimo cultui addictos, ad Christi religionem traducerent. Ea in re longè pijssima, & quæ illis regibus cedet in gloriam sempiternam, vsi sunt opera Patrum Societatis nominis Iesu, qui iam passim Iesuitæ vocantur. Ex ijs plerique apud illas barbaras & feras nationes ea vitæ sanctimonia, eo animas Christo lucrifaciendi ardore emicuerunt, vt non facilè fidem habiturus sit Lector, si singula referre velimus. Sed non est abbreuiata manus Domini, vt non possit etiam hodiè innouare signa, & immutare mirabilia. Inter hos Patres facile primus fuit Franciscus Xauier, ex primis socijs celeberrimi Patris Ignatij, à quo hoc institutum cepit initium. Is Franciscus incredibili charitatis feruore succensus, discurrit per Indiæ regiones, & iam in Sinarum vsque regionem penetrare gestiebat, tametsi id sinè summo vitæ discrimine fieri non posset, cùm lege prorsùs barbara apud illam gentem cautum sit, nè quis peregrinum hominem eò adducat: eius legis transgressori capitis supplicium constitutum est. Sed perfecta charitas foràs mittit timorem, & iam Franciscus cum mercatore quodam transegerat, oblato ei pro naulo 300. aureorum pipere, quod eleemosynę nomine datum illi erat, vt in Sinarum regionem eum inueheret. Verùm non diù pòst superuixit, maximis exantlatis laboribus. Vt autem Christus ostenderet, quàm illi charus esset vir ille æterna memoria dignus, post eius obitum corpus illius vltra menses 15. ità seruauit integrum & illæsum, vt recèns mortuum putaretur, & suauissimum spiraret odorem, tametsi aliquandiù & calce fuisset obrutum, quæ etiàm ossa consumit, & humo opertum, vbì humana corpora facilè putrescunt. Ità voluit præpotens Deus honorare eum, qui illam fidem annunciâsset cæcis gentibus, quam sectarij horum temporum Papisticam vocant. Non patitur hic locus commemorare huius Francisci gesta omnia, prophetiæ gratiam, & miraculorum efficaciam. De regione Sinarum iam antè diximus. Est ampla admodùm, homines habet acuto ingenio, & discendi auidos, ac benè eruditos. Qui inter illos plurimùm eruditione pollet, nobilissimus habetur, & authoritate cæteros antecellit: & tamen

Esa. 59.

Frãciscus Xauier.

1. Iohã. 4.

Corpus exanime manet incorruptũ.

Sinenses populi.

men etiàm ex ijs iam multa millia Christo nomen 1565
dederunt. In regione Maluccarum iam perplures in *Malucca.*
Christum crediderant. Inuidit hoc malus dæmon, & regum duorum opera vsus, partìm blanditijs, partìm terroribus illos ad pristinam stultitiam retraxit. Sed non *Vltio diuina in apostatas.*
defuit vltio diuina tam fœdæ apostasiæ. Ager anteà fertilissimus repentè sterilis factus est, vt toto eo tempore, quo in apostasia perdurârunt, quanuìs crebrò sererent, nullos fructus attulerit, oriza semēti seruata computruerit, aquæ dulces nunquàm illic comperto miraculo in salsas versæ sint. Et quanuìs ea calamitate multi interiērint, non tamen flecti potuit dura ceruix Mahometanæ superstitioni deditorum, quin pergerent à Christi fide abducere quos possent. Tandèm ingens barbarorum manus collecta est, vt armis rem gererent, & Lusitanis vi resisterent. Sed eccè subitò corripiuntur terrore & tremore, arma è manibus excutiuntur, humì omnes prosternuntur: sol propè meridianus adeò obscuratur, vt alij ab alijs minimè cernerentur: terra tremuit, igniti lapides ruunt è cælo, & dæmonum delubra aliaque omnia ædificia prosternunt: arbores ità euertuntur, vt radices sursùm, rami deorsùm spectarent. Pauci deindè Lusitani, cessante hac tempestate, innumeram illam turbam aggressi, multos ex illis cædunt, nihil ipsi prorsùs læsi. Redeunt tandèm ad sanitatem homines perfidi, & tum ipsi, tum alij multi, ethnicismi erroribus implicati, ingenti numero fidem complectuntur, adeò vt intra vnam hebdomadam supra 15. hominum millia Christianismo adiungerentur, quin & ex alijs insulis permulti eò confluebant, vt Christiana religione initiarentur. Nec defuit diuina clementia resipiscentibus. Nam agris reddita fertilitas est, aquis dulcedo pristina. Hæ Maluccarum gentes longissimo à nobis interuallo separantur. Crescit apud illas garyophyllum, & plura illic locis munitissimis habentur Christianorum propugnacula: nam à Mauris & Indis non parùm infestantur. Est Indiæ regnum quoddam Bisnagæ vocabulo. In eo vrbs Chiromandel est, vbì Apostolus Thomas & *Thomas Apostolus vbì conditus.*
viuus annunciâsse Christi Euangelium, & mortuus conditus fuisse, hodieque totus illic asseruari confirmatur totius gentis eius testimonio. Est sepulcrum in rupe excisum, in quo visitur corpus satis amplum & procerum, suauissimum spirans odorem, quod in hunc vsque diem tanquàm Thomæ Apostoli, in multa apud

1565 apud omnes eius loci homines veneratione habetur. Sunt illic quoquè Christiani, & plures fiunt. Cùm primùm annis superioribus apud Indos Franciscus Xauier, cuius suprà meminimus, Christum prædicaret, ad illos homines conuertendos non parùm illi contulêre pueri idololatrarum: quippe qui mirabili zelo & feruore parentes idololatras repræhenderent, atque etiàm accusarent, & missi ab eodem venerabili Patre in loca vbì parentes dæmonibus sacrificâssent, idola per præceps in cautes deturbarent, aut flammis exurerent, alijsque multis modis eis illuderent: adeò vt parentes non nisi clàm admodùm eiusmodi nefanda sacrificia exercere ausi fuerint. Eosdem pueros, cùm omnibus ipse coràm adesse non posset, qui eius operam efflagitabant, ad ægrotantes mittere solebat, qui conuocatis vicinis & domesticis, symbolum cum precibus quibusdam crebrò recitabant, asserentes fore vt sanitati restituerentur, si crederent in Christum: Ità factum est, vt non pauci & corporis & animi morbis liberati, Dei erga se misericordiam experirentur. Huiusmodi miracula permulta in ijs regionibus Catholici edidêre, cùm in nostro orbe fratres Euangelici tam longè sint alieni ab edendis miraculis, quàm nihil habent veræ fidei, licèt nihil perindè atquè fidem iactitare videantur. Viuunt genialiter: absque fœminis cubare nimìs molestum est: vigiliæ, preces, ieiunia, execrationi illis sunt tanquàm Papistica commenta: & quid mirum, si tales nulla signa faciant? Longè alio gradiuntur itinere, qui apud Indos miraculis clarent, & innumeras Christo animas lucrifaciunt. Certis constat grauium virorū testimonijs, Franciscum illum Xauier, in cuius libentes recidimus mentionem, longissimis sæpè etiàm nocte tota precibus incubuisse, attentissimis meditationibus mirificè animū occupâsse, parcissimo plerunquè cibo contentum fuisse, labores incredibiles libentissimè, & quidem non sinè diuinarum affluentia consolationum, quas isti carnales & pseudoeuangelici buccinatores nesciunt, noctesque diesque pertulisse, non semèl præsentissima mortis discrimina adijsse, quæ illi à barbarorum persecutionibus imminebant, deniquè totum se Deo & lucrandis animabus impendisse. Nec mirum, si talem vitam consecuta sunt insignia miracula, & inexpertis vix credibiles diuinæ consolationes, quibus vsqueadeò sæpè inter tot labores & pericula recreabatur, vt non rarò inter orandum

Pueri persequuntur idola & eorum cultores.

Miracula apud Indos.

Francisci Xauier vita.

excla-

exclamârit: Domine, plus satìs animi voluptatum. Sæpè etiàm inter dormiendum auditæ sunt eiusmodi ex eius ore voces, O bone Iesu, ô Domine, ô Creator mi, & id genus alia multa. Aerumnarum & laborum longè fuit appetentior, quàm quantumlibèt auarus auri vel argenti, quod sanè est haud vulgaris sanctitatis perspicuum argumentum: neque se eripi volebat diuinitùs, si quæ incidissent res difficiles & molestæ: adeò iam didicerat cum Apostolo gloriari in tribulationibus: & certè præstitit ei Deus quod appetebat, vt innumeris subiudè calamitatibus premeretur, quæ illi amplissima in cælis præmia conciliabant, insignesque coronas. Obijt tandèm Cantanæ in regione Sinarum, mirabili ante mortem feruens desiderio videndi Saluatoris. Is Pater primus, vt iam antè dixi, nostra ætate Indis Christum prædicauit, & innumeros ad fidem traduxit, quem deindè plures âlij secuti sunt Societatis Iesu Patres, qui hodieque immensos proferunt fructus apud Indos & vicinas insulas, è quibus vnus in quibusdam literis suis scribit in hunc modum: Cùm venit in mentem laborum, quos olim impigrè alacriterque nescio qua de causa stultè suscipiebam ac sustinebam, pudeat nunc in difficultatibus periculisque pro Christi religione adeundis defatigari. In prætoritorum verò peccatorum memoriam dum redeo, nunquàm diuinis rebus tractandis, Christique cultu conseruando & longè lateque disseminando satiari possum, cùm mihi videatur, quod verissimum est, nihil omninò esse quod facio præ eo quod debeo, quia seruus inutilis sum. Ità ille, qui triennio mansit Ormutij, quæ insignis Persici sinûs vrbs est, adeò solis ardoribus exposita, vt homines in aqua viuere cogantur: quique tres duntaxàt horas plerunquè somno indulgebat, & supra naturæ vsum duobus integris mensibus quotidiè vnius horæ somno contentus vixit, charitatisque & pietatis officijs mirum in modum addictus sempèr fuit, ac tandèm intra paucos annos nimijs confectus laboribus, magno suî apud omnes desiderio relicto, Christo spiritum reddidit.

1565 — *Rom. 5.* — *Obitus.* — *Luc. 7.* — *Ormutiũ.*

In Promõtorio Commorino iampridèm vltra trecenta Christianorum millia fuisse feruntur: nec dubium quin interìm plures accesserint. Erat in ea prouincia quidam Societatis Iesu Pater, Criminalis nomine, qui singulis mensibus totam perambulans, curam omnium singularem gerebat: cumque hostes barbari eum perdi-

Promõtoriũ Commorinum.

1565 turi aduentarent, possetque facilè eorum iniuriam omnem conscensa naui declinare, è naui exilijt, & tum pueros tum alios multos in littore consistentes Christianos, nè Maurorum minis & iniurijs ad abiurandam fidem adigerentur, quotquot potuit ad naues adduxit. Sed tandem barbarorum militum lancea confixus, ad templum quò multi Christiani confluxerant, abijt, ibique ante altare orans, cæso capite, Christo se martyrem consecrauit. Fuit eius vita admodùm pia & religiosa, digna quæ martyrio clauderetur. Mos illi erat quotidianus, trigesiès ad orandum in genua recumbere. Socij eius alij in vincula coniecti, alij barbaris venditi, alij verberibus affecti sunt. Successit illi Henricus Henriquez, qui strenuam inprimis operam in illo Promontorio animabus lucrandis nauauit, vir multa virtute conspicuus, cui socius adiunctus erat Paulus Valleus magnæ perfectionis & sanctimoniæ, qui toto mense in carcere detentus, nihil in cibum sumpsit neque etiàm petijt aliud, nisi orizam aridam & aquam. Non est operis huius omnes commemorare, qui in illis remotissimis Indorum populis & regionibus innumeros nostræ religioni adiunxerunt, in quibus nouis Christianis viget feruor fidei Christianæ, cùm hoc in orbe miserè tepescamus, & errores impios Euangelij nomine complectamur. Accidit quodam tempore vt nauim Turcæ caperent, & in ea præter Lusitanos plurimos, etiàm 30. pueros Indorum, ætate quidem teneros omnes, sed adeò animi virtute robustos, vt cùm grauissimis supplicijs à Turcis cogerentur Christo nuncium remittere, vinci nulla ratione potuerint. Est insula versùs Septentrionem haud procùl à Sinarum siue Chinarum amplissima regione, quam Giapan vel Iapaniam vocant, ante hos paucos annos à Lusitanis mercatoribus inuenta, in longum obtinens sexcenta vel plura etiàm milliaria. Sunt in ea reges & principes, è quibus rex Bonganus facilè omnium eius insulæ opulentissimus, iampridèm significauit Proregi, qui nomine Lusitaniæ regis Indiæ præfectus fuit, se nostræ religionis esse cupidum. Laboratum est apud illas gentes, & Domino suam gratiam largitèr adspirante, iam ante aliquot annos supra quadraginta millia Christianæ fidei iugum mansuetis humeris acceperunt, nec dubium, quin aucto operariorum numero & labore, auctus plurimùm sit ille numerus. Sunt homines eius insulæ

Criminalis martyrium.

Constantia 30. puerorum.

Giapa Insula.

ſulæ rationi obſequentiſſimi, & bona cumprimìs indo- 1565
le atque ingenio. Ità fit, vt nec in gratiam, nec metu cuiuſquam, ſed rectâ incitati ratione, & Chriſto ſuam illis gratiam liberalitèr impertiente, alacres accedant ad fidem: & quia perſpicaci ſunt ingenio, rationes & argumenta probè aſſequuntur, & acutè ad interrogata reſpondent: ſi qua in re hæſitant, modeſtè petunt adiunctis rationibus ſeſe inſtitui. Poſtquàm ſalutaribus vndis tincti ſunt, cum multo ſpiritûs feruore diſputant aduersùs parentes & familiaritate coniunctos, eoſque erroris conuincunt: porrò noſtram fidem egregiè propugnant. Tanta in illis animi conſtantia appáret, vt citiùs vitam quàm fidem ſint deſerturi. Plerique nobiles & viri primarij magno numero in Chriſtum credunt, & quo quiſque eſt perſpicacior, eo minori negocio fit Chriſtianus, quippe qui cernant noſtram legem vſqueadeò rationi eſſe conſentaneam. Ità nimirùm præpotens & bonus Deus habet ſempèr, qui eius ſanctiſſimam fidem & religionem cupiant amplecti, dum ea ab ingratis & iam inueteratis atque in hæreſes erroreſque auidis faſtiditur. Atque vt alibì iam dixi, etiàm Sinarum populi, *Sinarum ditio ampliſſima.* quos alij Chinenſes vocant, ad Chriſti ſanctiſſimam fidem traducuntur, quorum ditio tam vaſta & ingens eſt, vt ſua magnitudine ſuperet orbem Chriſtianum. Porrò verò apud has Iapaniæ & Sinarum præclaras & inſignes nationes nulla hactenùs extitit memoria Chriſti. Quid nos hîc dicturi ſumus, qui eam religionem, quam tot ſeculis noſtri coluêre Maiores, homines graues & conſtantes, quamque modò illæ à Chriſto hactenùs alienæ nationes cupidè complectuntur, ità leuitèr & inſipientèr, nè quid duriùs dicam, deſeruimus, & fanaticis ingenijs in tot ſectas nos diſtrahendos & ſeducendos tradidimus? Vtinàm vel ſerò tantæ leuitatis nos pœniteat. Eſt inſula Seilam in illis longinquis locis ſi- *Seilam inſula.* ta, ambitu ſuo trecenta complectens milliaria, cinnamomo, mális aureis & rebus alijs abundans, tanta aëris ſalubritate & loci amœnitate, vt incolæ perſuaſum habeant, paradiſum nuſquàm alibì fuiſſe. In ea inſula Luſitaniæ rex non pauca habet caſtella, præſidijs impoſitis munita, nec deſunt homines pij, qui illic quoquè Chriſtum annuncient. Eius inſulæ rex iamdiù baptizatus eſt. Eſt in regno Malagiorum vrbs populoſa valdè Malacca, *Malacca vrbs.* quæ cum toto regno Imperatori Xantanæ páret, cuius etiàm alia tria regna agno-

1565 scunt imperium. In hac vrbe Malacca arcem habent Lusitani, & est ibì quoquè Collegium Patrum Societatis Iesu, sicut & permultis alijs Indiæ locis, non absque ingenti incolarum fructu. Fiunt igitur apud barbaras nationes plurimi Christiani, & veniunt, posthabito cultu dæmonum, ad agnitionem & cultum vnius viui & veri Dei, homines à Christo & vera luce alieni, aut etiàm multis erroribus implicati, vt si omnia exactè prosequi velimus, longè ab instituta nobis breuitate recedendum fit. Est verò ea insignis Christi clementia, quòd plerique ex ijs, qui recentes ad fidem veniunt, nullam dant requiem sibi, donèc etiàm alios ad vnius Dei cognitionem perducant. Quæ quidem omnia paucis in gratiam Lectoris huc adscribere libuit, vt desinant homines importuni gratulari sibi de oppugnato Papatu & Romani Pontificis authoritate: quandoquidem vident feros & barbaros populos amplecti fidem Romanæ Ecclesiæ, quam ipsi oppugnant, & reuerentèr suscipere totius Ecclesiæ patrem & pastorem, Christi in terris Vicarium. Doleant potiùs se vera Christianæ fidei luce destitutos errare turpitèr, & alios quoquè in errorem inducere. Resipiscant maturè & agant pœnitentiam, quia bonus est Dominus, nec vult mortem peccatoris, sed vt conuertatur & viuat. Quòd si in sua duritia & improbis conatibus pertinaci animo persistere perrexerint, nihil quidem nocebunt Romano Pontifici, sed seipsos potiùs malis dæmonibus effusè irridendos propinabunt, ac paulò pòst vnà cum illis, quos seduxerint, in ignem præcipitabunt pice & sulphure sempèr arsurum. Christus in euangelio dicit ad Petrum: Ego pro te rogaui, vt non deficiat fides tua. Ea precatio & promissio, ad Petri illam Romanam sedem pertinet, in qua hodieque perseuerat fides vera, quæque est magistra omnium Ecclesiarum. Quòd si hoc non vult credere superbus hæreticus, habet Christus apud extremos Indos, habet apud Antipodes populos innumeros, qui id libentèr sibi persuaderi patiantur. Faxit pius & misericos Deus, vt in viam redeant, qui ab huius Sedis obedientia discesserunt: quia certè non est ouis Christi, qui non vult illi obedire, cui Christus commisit pascendas oues suas. Sed de his satis.

Feruor nouorum Christianorum.

Ezech. 18.

Luc. 22.

Frigus.

Sub finem anni 1564. & initio anni sequentis tanta fuit hyemis asperitas & sæuitia, vt multis locis vites ad solum vsque planè interierint, & grandes quoquè arbo-

arbores exaruerint. Secuta est posteà mira aquarum inundatio, quæ locis non paucis, præsertim Danubio & Rheno propinquis, incredibilem agris & ædificijs cladem intulit. Sæuissima quoquè pestis aliquot his annis continuis innumeram hominum multitudinem tulit è medio: & vt intelligerent mortales irati Numinis iram planè effusam esse, etiàm horrenda annonæ caritas dirè afflixit multas Europæ regiones, adeò vt non pauci homines ob famis immanitatem & sibi & alijs manus attulisse ferantur. *In Liguria haud procùl à Nicea* vetusta vrbe aliquot vici ità repentino terræ hiatu absorpti sunt, vt nulla eorum vestigia superesse ferantur. Atque vtinàm hæc flagella duras ceruices nostras vel tandèm inflecterent ac edomarent. Percutit nos omnipotens Deus, vt agnoscamus scelera nostra, & desinamus impiè agere. Non delectatur ille calamitatibus nostris, sed vult vt flagellis castigati, emendationem meditemur, nè pœnæ temporales mutentur in æternas. Volumus hodiè sub prætextu Euangelij nouas subindè hæreses amplecti, fastidimus Patrum nostrorum tot seculis ad nos vsque religiosè cultam fidem, votifragos & impuros monachos incestis nuptijs pollutos, aliosque importunos tenebriones, qui vel ante mille annos sepultas hæreses iam ab inferis excitant, non alio quàm Apostolorum Christi loco habemus, eorum blasphemias & impia commenta pro luce Euangelij recipimus & adoramus, & interìm non videmus noua in dies diuinæ iræ grassari flagella, nouas inauditasque clades existere, omnem ab hominibus mutuam fidem, charitatem, beneuolentiam prorsùs exulare: quæ omnia necesse est euenire, cùm hæreses & sectæ vigent. Vbi enim vera & Catholica fides deficit, ibi pariter corruere necesse est pietatem & virtutem omnem: porrò è diuerso emergere vitia & flagitia omnia, quæ deindè non potest non consequi & persequi diuinæ iustitiæ seueritudo, multis ijsque horrendis flagellis in ea animaduertens. Non admodùm multi elapsi sunt menses, quòd in cuiusdam regni Comitijs publicè disputatum fuit, num Christus sit Deus. Tales impietatis progressus faciunt, qui à Catholicæ Ecclesiæ, quam ipsi Papisticam vocant, contubernio sibi discedendum statuerunt. Quid illic ad Mahometanam superstitionem reliqui est, nisi vt circuncidantur, & Christum abiurent? Quid isti sentiant de totius nostræ religionis Sacramentis, institutis ac legibus,

1565
Aquarum inũdatio.
Pestis.
Fames.

1565 qui Christum negant esse Deum? Certè non est quòd miremur ab istis & alijs sectarum architectis ac præconibus tot blasphemias & contumelias iactari in Sacramenta, in ritus & cæremonias, in omnia deniquè sacra & instituta Christianismi. Sed non dormitat sempèr Christus. Expergiscitur quandoquè, & vlciscitur iniurias suas: quanquàm, vt non semèl dictum est in superioribus, hæc ipsa est grauissima & vel maximè horrenda Dei ira & vindicta, quòd sinit homines ad tantam impietatem & amentiam deuolui, quibus satiùs esset vel mille pestes sano animo in corpore pertulisse, aut certè nunquàm natos fuisse. Verùm de his aliâs.

Melitæ oppugnatio. Hoc anno Turcarum tyrannus Solimannus Meliten insulam magnis viribus sibi sumpsit oppugnandam. Ea insula milliaribus sexaginta separatur à Sicilia: ambitus eius est millium passuum sexaginta, longitudo 22. latitudo 12. Sunt in ea loca munita & pagi quadragintaquinque. Hanc insulam si cepisset Turca, non dubitabat se in Siciliam & Italiam facili compendio traiecturum. Classem igitur ingentem, milite & armis instructissimam, mittit, quæ ità prorsùs sese comparauit, tanquàm Melitam in Turcici Imperatoris ditionem redactura. Sed rectè dictum est à Sapiente: Non est consilium contra Dominum. *Prou. 21.* Noluit benignus Deus, vt immanis barbaries sæuissimi hostis illud sibi munitissimum Italiæ propugnaculum vendicaret. Est autem ille truculentus Christianorum omnium hostis vel maximè infensus Rhodiensibus militibus, quos hodiè Melitenses vocamus, quòd non ignoret illos ex professo inexpiabiles gerere inimicitias contra ipsum & eius similes Christianismi oppugnatores. Et olìm quidem ante annos non adeò multos expulit illos è Rhodo, omni ferè Christianorum aliorum ope destitutos: sed pari apud Melitam conatui non idem adfuit successus. Apparabàtur Byzantij ingens nauium vis, & rès omnes ad oppugnationem necessariæ: neque id latuit Valettanum militiæ Melitensis magistrum, quippe qui suos haberet Byzantij homines, è quibus de rebus omnibus certior fieret. Itaque habito suorum concilio, ad resistendum se comparat: insulam, vbicunquè visum est opportunum, egregiè munit, resque necessarias conquirit. Erant in Turcica classe præter alias naues tum onerarias, tum mahonas commeatui conuehendo accommodas, tum liburnicas, hemiolias & scaphas, centum & sexa-

sexagintaocto triremes munitissimæ, porrò nauigia simul omnia ad 240. Ea classis partim primò in Marsasiroccum portum appulit: sed non satis illi fidens, in alium, quem maiorem vocant, sese transtulit. Habebant Melitenses milites in insula non contemnendas vires, magnisque animis hostem excipiebant. Erant Turcici exercitus principes duo, alter terrestribus copijs, alter vniuersæ classi præfectus, ille Mustapha, hic verò Pialis dictus. Ijs nonnunquàm in administrando bello non satis conueniebat. Nam cùm Mustapha ante Draguti aduentum tormenta è nauibus extrahenda censeret, Pialis planè voluit rem ad Draguti accessum differendam. Erat enim Dragutus rei militaris peritissimus, & ad difficilia obeunda vir strenuus, adeò vt Solimannus iusserit, nè quid eo inconsulto in castris fieret. Aduehebat is triremes tredecim, & in ijs sexcentos pedites. Sed iam antè cùm vniuersa classis Marsasiroccum portum attigisset, milites ad viginti millia in terram expositi, fossas, tuguria, tentoria, stationes apparare cœperant. X. Calendas Iunij Pialis Bassa cum 7. millibus peditum ad Sancti Michaëlis oppidum explorandum se confert, sed quòd frequentes indè pilæ volitarent, propiùs accedere non potuit. Inito verò peracri prælio, aliquot è Turcis cæsi sunt, signumque militare eis ereptum. Consultatione indè habita, num arcem Sancti Elmi, vel Burgum priùs obsiderent, vbi arx visa est primo loco obsidenda, eamque hostes è monte accuratè specularentur, rursùs ad pugnam ventum est vel leue certamen, in quo complures Turcæ, pauci Christiani periêrunt. Iam agger ab illis instituebatur ad Sancti Elmi arcem, vt indè eam acritèr pulsarent, in eandem curam etiàm aliquot triremibus incumbentibus. Verùm ille agger non potuit esse diuturnus ob fulmina arcis creberrima, quibus hostes sternebantur quotidiè, & agger prosternebatur. Sub his autem augebantur in dies hostium copiæ, ab ipsa etiàm Alexandria missis sex triremibus cum peditibus nongentis. Porrò Valettanus in Sancti Elmi arcem misit Hispanos 400. qui rebus sæpè præclarè gestis, non paruas hostium strages edidêre, paucis suorum desideratis. Miserat autem ex Insula Valettanus quendam ad Toletanum Siciliæ Proregem, qui eum certiorem redderet de Turcica obsidione: idemque à Toletano in Insulam remissus, magna animi tum industria, tum virtute, quamuis non sinè ingenti periculo,

1565

Triremes 168.

Turcæ exeunt in insulam.

1565 culo, tandèm ad Valettanum rediјt, & ab eo iussus nocte eadem iterùm proficisci ad Toletanum, se dat itineri, significaturus Toletano Insulam maioribus egere præsidijs. Iam illucescebat dies S. Elmo sacra, & ecce mirabili impetu, ceu œstro quodam perciti, permulti Turcæ ad vallum terraceum oppugnandum accurrunt, & licèt vi quandoquè repellerentur, tamen multitudine freti, tandèm propugnaculum quoddam obtinuerunt, vbi se contra nostros communiêrunt. Sed cùm fossam illam, quæ ducta fuerat è regione valli editioris, replere conarentur, cæsi sunt illic octingenti, ijque ex illorum numero, qui cæteris fortiores habebantur: plurimi quoquè vulnerati, posteà in fossis spiritum exhalârunt. Sunt autem & ex Christianis cæsi 45. & nonnulli sauciati. In eorum locum, vt arx tutior esset ab hoste, Valettanus misit pedites ducentos cum aliquot equitibus. Is verò, quem paulò antè diximus remissum in Siciliam, Syracusas veniens, duas illic Melitenses triremes offendit, quas priùs edoctas quà deberent proficisci in Insulam, eò pergere iussit cum peditibus quadringentis. Ipse Messanæ Toletanum adijt, suaque illi mandata exposuit, hortans ad ferendum suppetias obsessis. Id temporis Toletanus classem habebat necdùm satis instructam. Intereà Melitenses dum sustinent Toletani aduentum, sese egregiè aduersùs importunissimum hostem tuentur: Valettanus inprimis sedulò suum facit officium, ad labores impiger, ad pericula imperterritus. Illæ autem duæ supradictæ triremes non eum tenuêre cursum quem erant edoctæ: itaque res ea admodùm incommodè ceciderat Melitensibus, quorum arx in magno discrimine versabatur.

Turcarũ impetus.

Dum his rerum difficultatibus laborat Melita, Pius 4. Romanus Pontifex, omni qua potuit ratione illi mox opem tulit, conscripto milite & certa pecunia constituta in illud bellum, adiuncta etiàm pulueris tormentarij magna vi. Et ipsa sanè periculi magnitudo poterat meritò permouere omnes, vti Melitensibus nè deessent: quos si Turcicus tyrannus sibi subiugâsset, dubium non erat, quin de tota Italia, immò vniuersa Repub. Christiana idem ille fuerit cogitaturus. Missi sunt igitur cum Pompeio Columna sexcenti pedites Neapolim, simulque plerique viri illustres sua sponte eò seculi sunt, præclaram suo sumptu Reip. Christianæ in tanta necessitate operam nauaturi. Erant tum aliquammultæ trire-

Pius Pontifex mittit subsidia Melitensibus.

triremes Neapoli, quæ cum his cohortibus profectæ 1565 sunt Messanam, vbi classis Philippi regis Hispaniarum instruebatur. Nec latebat Turcas augescere vires & classem Christianorum: itaque sibi maturandum rati, statuunt totis viribus & continenti labore oppugnare arcem, donec ea potiantur. ea enim occupata, videbant facilem sibi aditum fore ad reliqua Insulæ præsidia occupanda. quod si æstate non succederet, tamen in ea arce & portu Marsamusetto decreuerant esse in hybernis. Summa igitur animi & corporum contentione oppugnationem adoriuntur, & perpetuo triduo assiduis propè pilarum verberationibus mœnia deijciunt. Quarto die cùm nonnihil remisissent ea horrenda tormentorum tonitrua, commissum est leue certamen, Turcasque eos præsertim qui cum Draguto recens venerant, insolentius sese ingerentes, fortissimè nostri represserunt, seque, multis occidione deletis, in fugam conijcere compulerunt, septem aut ad summum octo duntaxat cæsis è nostris. At verò Turcæ magis etiam iritati, proxima nocte totis viribus rursus arcem inuadunt, nostris interim ad arma conclamantibus. Initum est vtrinque trium ferè horarum certamen acerrimum, cuius tandem hic fuit euentus, vt Turcæ omni sua spe frustrati, plurimis quoque è suis amissis, per ruinas præcipites detrusi sint. Inde verò ad quatiendos muros redeunt, & cùm sex diebus continuis propè assiduè eo in opere versati essent, cum toto exercitu arcem inuadunt, certam sibi victoriam pollicentes, quòd ad tredecim globorum ferreorum millia in eam contorsissent. Irruunt in nostros ferociter, & erat sanè aliquandiu anceps victoria, tanta multitudine barbarorum paucos circunsistente. Erat tum inter Melitenses equites Baraganus quidam vir strenuus. Eius eximia virtute primum nonnihil repressi hostes simul & exterriti, multis deinde è nostris ad illum confluentibus, non pauci occisi sunt. At Turcis recentiora semper auxilia capientibus, Valettanus suis trecentos subsidio misit, qui Turcarum pontem ex triremium antennis fabrefactum inflammârunt, quo collabente, plures 800. Turcis extincti sunt, & sexcenti vulnerati. In hac pugna ê præstantioribus Turcis ad duo millia cæsi sunt: alij volunt, ad quatuor millia cecidisse: è nostris centum cæsi, totidemque vulnerati. Verum Turcæ nihil hac suorum amissione retardati, nouis tormentorum ictibus arcem concutiunt, atque muris

Oppugnatur arx S. Elmi.

Turcarũ pertinacia.

1565 muris disiectis tanta vi nostros adoriuntur, vt propè re desperata in fugam versi sint. At tamen cùm antè decreuissent fortitèr pro religione occumbere, hostibus se opponunt: pugnatur horis quinque atrocitèr, è nostris cadunt ducenti, ex hostium numero permulti. Dragutus in eo prælio ictus in capite, biduo pòst moritur. Nocte sequenti perpetuò cum hostibus dimicatum est, muros scandere molientibus, sed sempèr fortissimè repulsis. Hanc tam crebram suorum cladem indignè ferebant Bassæ. Itaque classe tota ad arcem adducta, vires omnes periclitari statuunt, & vel abire victores, vel victi succumbere. Sed antè quàm isthuc attentarent, pontes & scalas cæteraque opportuna & necessaria præparabant. Valettanus his animaduersis, metuens suis qui erant in arce, suorum priùs habito consilio, mittit ad obsessos tres insignes viros è suo ordine, qui arcem inspiciant, & de relinquenda ea hostibus, quippe cuius iam muri deiecti essent, quæque ab hostibus defendi ampliùs non posset, cum illis agant. Ibant illi tres non absque præsentissimo vitæ periculo, multis in eos displosis sclopettis: cumque arcem contemplati essent, ac summæ constantiæ & præclaræ spei responsa à præsidiarijs militibus accepissent, ad Valettanum redeunt, & duo quidem ex ijs confirmabant posse arcem defendi, sed tertius pernegabat, maximè cùm propugnacula omnia prorsùs subruta cernerentur.

Dragutus perit.

Obtinuit autem eorum sententia, qui locum minimè deserendum censebant, in eamque à cæteris itum est: sed ea infaustum habuit euentum. Turcę enim omnes rebus necessarijs celeritèr comparatis, arcem terra marique inuadũt, duobus & triginta Canonibus terribilitèr quatiunt. Certatum est à noctis medio in horam vsque diei tertiam, nec tamen nostri tam pauci vlla re illa ingenti hominum multitudine visi sunt inferiores, multosque fortissimè arcem propugnando Turcas cecíderunt, parati pro Christiana religione se totos præpotenti Deo sacrificare. Verùm nimia erat tormentorum ingentium vis, quibus mœnia ad solum vsque radebantur, cecideruntque ex illis egregijs viris quadringenti. At nec sic reliquis quicquam de animi magnitudine decessit, sed incredibili virtute defixa iam hostium signa lacerârunt, centuriones, signiferos & multos cohortium præfectos trucidârunt.

Porrò

1565

Melitenses in arce S. Elmi cædũtur.

Porrò tandèm non mediocritèr sole incalescente, perpetuo labore nimiùm fatigati, (sempèr enim fessis Turcis recentes submittebantur, quæ res nostrorum vires exhausit) cæduntur à barbaris hostibus milites Christiani ad vnum omnes, sed non inulti, quippe qui ferè toti Turcico erant adspersi sanguine. In ea pugna è nostris desiderati sunt 1300. in quibus equites erant 130. Nemo Christianus ambigit, tam constantèr & fortitèr pro religione & Reipub. Christianæ defensione oppetitam mortem, immortali memoria, summisque præconijs esse dignissimam. Turcæ occupata arce, singulari quodam immanissimæ crudelitatis genere seuiêrunt in milites triginta, etiamnùm semiuiuos repertos. Primùm singulis pectus ferro scindunt, cor vi extrahunt, deindè caput amputant. Corpora postremò tam fœde truncata, vbi à nostris spectari possent, exponunt. Nec his contentus Mustapha, ea vestibus cruce candida signatis induta iubet in mare iactari, vt Melitensibus insultaret. Eius rei indignitate permotus Valettanus, Turcas captiuos omnes iubet perimi, nec vllos deincèps captiuos fieri, sed captos mox iugulari. Cæsorum capita versùs hostium castra iactata sunt. Misit deindè Mustapha ad Valettanum, qui ex eo percontaretur, num quam accepturus esset deditionis conditionem.

Lascaris transfugit ad Melitenses.

Illos verò Valettanus magna ira permotus, è suo conspectu quàmprimùm iussit abscedere. Id tulit indignissimè Bassa, multaque dirissima Christianis minitatus est. Erat in Turcicis equitibus Philippus Lascaris, è nobili inprimìs Græcorum familia, propenso in Christianos animo. Is vbì persensit Bassæ commotum animum in Melitenses, ad Valettanum transfugit, eique hostium consilia explicauit, neque segnem posteà in Turcis propulsandis operam nauauit. Eum, cùm Romam post Turcarum decessum venisset, Rom. Pontifex liberalitèr pro ea in Christianos fide & beneuolentia muneratus est. Porrò verò dum in his angustijs res essent Melitensium, commodum illis è Sicilia superuênere, licèt tardiusculè ob maris tempestatem, octoginta equites Melitensis ordinis & sexcenti pedites. Horum aduentus mirificè eorum recreauit animos, qui etiàm à Valettano contenderunt, ipsis vt permitteret defendendum S. Michaëlis oppidum, cui iam Turcę primas erant admoturi manus: tanta erat horum militum alacritas.

Per-

1565 Permiſit id Valettanus, ſed nullo tamen è prioribus eius loci defenſoribus indè reuocato. Ab his nouis militibus paulò pòſt è Turcis cæſi ſunt 160. & non pauci vulnerati. Hoc tempore caſtra Turcarum laborare cœperunt dyſenteria, Deo contra illos pro Chriſtianis pugnante. At illi de ſuo conatu nihil remittebant, ſed ſeptuaginta canonibus, in quibus erant tres maximi baſiliſci, permultis locis ſimul oppidum S. Michaëlis & Burgum verberabant ac perfringebant, atque in eum vſum aliquot ſibi aggeres extruxêre, putà nouem, quibus ſingulis ſena impoſita erant tormenta, quæ nullo neque noctis, neque diei tempore ab oppidi & Burgi quaſſatione ceſſabant. Iam verò è Sicilia ſexcenti Hiſpani, & equites Melitenſis ordinis atque à Pontifice Max. miſſi milites trecenti, duce Pompeio Columna, Melitam ſe conferebant: ſed ijs ex Melita ſignum diſcedendi datum eſt, cùm adhuc procùl abeſſent, quòd Valettanus neque magnoperè fortaſsis tum illis haberet opus, neque eos vellet in præſens periculum venire, Turcis omnes Inſulæ aditus accuratè obſeruantibus.

Algerij rex iungitur Turcis.

Tertio Idus Iulij regulus Algerij cum 27. triremibus & bis mille ducentis peditibus ad Turcicam claſſem acceſſit. Is inſigne aliquod facinus deſignaturus, petit à Baſſa copiam oppidi à mari oppugnandi, eamque facilè impetrat, additis illi duobus millibus recentium Turcarum. Intereà Valettanus catenam quandam opportuniſſimè pertendit eo in loco, vbi erant Turcæ oppidum inuaſuri, quæ illis non paruo ad exponendum militem fuit impedimento. At nihilo minùs Idibus Iulij terra marique oppidum infeſtant, ſed tormentorum ictibus, quæ in vrbe diſplodebantur, 12. depreſſa ſunt nauigia, & ad duo Turcarum millia ſubmerſa. Qui verò à terra oppidum oppugnabant, cùm ad quinque horas cum noſtris conflixiſſent, multis è ſuis interfectis, è noſtris ducentos occiderunt. Erant ſanè Melitenſes ob perpetuam cum hoſtibus tam atrocibus tamque multis conflictationem in magno periculo, coëgitque ea res Valettanum rurſus ſcribere Toletano Siciliæ proregi de mittendis auxilijs. Et is tum quidem miſit nonnihil ſubſidij, plus miſſurus, niſi res ſummi fuiſſet periculi propter Turcas itinera omnia obſidentes, qui etiam interceperunt celocem vnam, miſſam à Toletano, qua multa pharmaca ægrotantibus aduehebantur. Fit verò rurſus ab hoſtibus noua oppidi diuerberatio,

eaque tam perpes & vehemens, vt ægrè nostri potuerint 1565 dissipata mœnia vtcunquè communire. Simul etiàm pons ab illis construitur, quem cùm è nostris quidam immisso igni inflammare instituerent, infecto negocio, plerique omnes ceciderunt, & in ijs Nicolaus Parisottus, Valettani nepos. Indè cùm diù satis mœnia verberâssent, ter repetito insultu, pertinacissimè in oppidum Turcæ multis in locis contendunt, & iam vrbe potituri videbantur, sed multis suorum amissis, nostrisque fortissimè & constantissimè resistentibus, coacti sunt redire in castra. Post illud acre certamen vires hostium nostri contemnere cœperunt. Et illi quidem tum ad ducendos cuniculos sese conuertunt, sed nostrorum prudentia is quoquè labor nullos habuit successus. Calendis Augusti concrematus est à nostris hostium pons, quem in mœnium fossa fecerant. Paucis pòst diebus rursùs barbari in oppidum irruunt, sed frustrà, suorum trecentis desideratis. Arctissimè tum temporis obsidebatur oppidum à Turcis, ità vt nostri vix vnquàm tutò vel respicere extra muros possent, nedùm pedem extra oppidum efferre. Habent enim Turcæ magnam displodendorum sclopettorum peritiam, quibus nostros continentèr impetebant. Per id tempus cùm adeò & oppidi & Burgi tormentorum pilis essent muri prostrati, vt vel plaustris peruium esset iter, vtrunque locum summa vi Turcæ inuadunt, tantusque erat ab vtraque parte tormentorum, sclopettorum, armorum, clamorum sonitus, vt insula omnis corruere videretur. Eo tumultu excitatis oppidanis, equites omnes ex vrbe egressi, in fugam compulerunt hostes qui aquam seruabant, quibus vt auxiliarentur, reliqui ab oppido inuadendo se reuocant, properantque ad suos, sed vtrobiquè succumbunt. In eo prælio è nostris centum ceciderunt, & totidem vulnerati sunt: Turcæ ampliùs mille & quingenti interfecti sunt. Ea oppugnatio durauit horis quinque, & quia non sinè magno Dei beneficio ea erat parta ex hostibus victoria, Valettanus cum omni populo solenniter templum adijt, Deo laudes gratesque acturus. Eodem autem die, vt nostri lassitudine frangerentur, rursùs Bassa suos iubet in oppidum facere impetum, sed repulsus est æquè vt antè, magna suorum strage edita. Et quanuis victoriam iam desperaret, tamen nè apud Solimannum sæuissimum tyrannum ignauiæ vel negligentiæ accerseretur, crebras in oppidum irruptio-

Turcæ irrumpere nituntur in vrbem.

Immanis Turcarũ impetus.

1565 ptiones casso labore faciebat. Erant iam admodùm accisæ Turcarum vires & copiæ, permultis occidione deletis, plurimis vulneratis: quibus de rebus per quendam è Melita profectum certior factus Toletanus, decreuit cum septuaginta triremibus adire Syracusas, & decem millia peditum Melitam adducere. Dum hæc fiunt, ex oppido S. Michaelis quidam ad Bassam Turcicum transfugit, ostendit nulla interposita mora oppidum inuadi oportere, solos quadringentos superesse oppidi propugnatores. Eius fuga nostros incitauit ad muniendum oppidum sanè quàm diligentèr, licèt ingens esset murorum interruptio. Hostes occultissimè rursùs cuniculum agunt, in eoque spes omnis muri subruendi collocata erat: sed is quoquè cuniculus à nostris & depræhensus, & frustratus est. Itum porrò in concilium est à Turcis, hærendúmne sit diutiùs in insula, an indè recedendum. Maior pars censuit, relicta Melita, domum abeundum. At summus dux maluit expectandum Solimanni responsum. Dum igitur manent in insula, nihil relinquunt intentatum: sempèr aliquid militaris exercent operæ, suntque seduli in instituendis pontibus, agendis cuniculis, fossisque implendis. Iam penè consumptus erat puluis tormentarius, & tamen rursùs & oppidum & Burgum maiori quàm antè contentione pilarum ictibus verberant, murosque solo æquant. Habebant præter alia tormenta tres basiliscos, quorum pilæ ad ducenta pondo accederent. Ijs admirabilitèr mœnia perfregerunt. Deindè tèr repetito conatu horrendum in modum in vrbem impressionem faciunt, sed egregiè contusi & conscissi, nostrorum inuicto robore repulsi tandèm retrocedere coguntur. Eo in certamine oppidani omnes fortissimam propugnandæ vrbi operam nauârunt, adeò vt etiàm adolescentuli arma in hostes inferre, & virili constantia fœminæ armatæ, ad arcendos à mœnibus hostes accedere non dubitârint. Igitur plurimos è suis Turcæ perdiderunt, è nostris 60. desiderati sunt. Erant tum, qui rebus suis metuentes hortarentur Valettanum, vt lautiorem maiorisque precij supellectilem in S. Angeli castellum transferri iuberet, vbi ab hostibus tutior foret. Tulit id indignè Valettanus, tanquàm pluris facienda esset substantia, quàm ipsa corporum vita & ciuium salus. Itaque nè plùs illi castello, quàm pugnantium virtuti & fortitudini tribuere viderentur, voluit vt demptis tormento-

Turcarũ sedulitas.

Ciuium Melitensium magnanimitas.

rum ministris, præsidiarij omnes ex illo castello in Bur- 1563
gum dimicaturi accederent. Nec diù pòst iterùm magnis viribus Turcæ oppidum adoriuntur, sed frustrà, non paucis suorum trucidatis. Redeunt igitur ad castra, moxque incredibili furore mœnia concutiunt, accurritque ad Valettanum quidam clamans, Omnes periuimus. Iam enim tria signa in vrbem Turcæ intulerant. Tum verò Valettanus repentè sumpta galea & *Periculum*
hasta, suos hortatus vt imbelles Turcas fortitèr cæde- *Melitensium.*
rent, diuina freti benignitate, quæ ipsis hactenùs semper adfuisset, in hostes facit impetum. Eum verò mox secuti equites Melitenses, tum etiam adolescentes & fœminæ, Turcas omnes intra mœnia ingressos conficiunt, ingredi conantes vi repellunt. Ea pugna ad occidentem vsque solem perducta, etsi hostibus maximè calamitosa fuit, tamen etiàm è nostris ampliùs ducentos abstulit. Turcæ tandèm cum ignominia ad sua castra recedunt. Iam Toletanus instructam habebat classem, cumque lectissimis triremibus septuagintaduabus, quibus decem millia peditum, & ducenti equites Melitenses, & quadraginta equites S.Stephani vehebantur, Syracusas versùs iter intendit, missa interìm triremi & naue speculatoria, quæ apud Melitam res Turcarum exploraret. Nostri autem in Insula loca à Turcis deiecta gnauiter instaurant, vt redituros hostes fortiùs sustinere, & acriùs reprimere possint. Turcæ eo die supremam collocaturi operam oppido & Burgo expugnandis, egregiè se communiunt, duobus quibusdam confectis ad tabulati formam operimentis, quæ à nostris igni missili concremata sunt: hostesque & ab oppido & à Burgo repelluntur. Nocte sequenti Turcæ octoginta cæduntur. Porrò Toletanus iam Melitam *Nauis o-*
aditurus, obuiam habuit nauem onerariam è Syria ad *neraria*
Turcas missam cum magna panis nautici copia, sex *capitur à*
millibus cadorum pulueris tormentarij, multisque *Toletano.*
globis ferreis. Eam, exemptis priùs sexaginta Turcis, Syracusas misit. Erant intereà Melitenses perpetuò in opere, nullam obtinendi oppidi rationem & conatum Turcis prætermittentibus: qui etiàm paulò pòst cum toto exercitu oppidum inuadunt tanta vi, vt planè victores abituri viderentur. At hîc quoquè bis insultantes, bis æquè à nostris reijciuntur. Die sequenti magnis propositis præmijs & opum & honorum, in diem tertium iubet eos Mustapha paratos esse ad inuadendum oppidum.

1565 pidum. Deindè septimo Calend. Septembris terribilis redintegrata est pugna, per murorum ruinas summa vi intrò contendentibus Turcis, periculaque omnia fortitèr contemnentibus. Tum quidem diù ancipiti belli euentu vtrinquè atrocitèr pugnatum est: sed ad extremum cùm è nostris 113. è Turcis ampliùs mille ducenti cecidissent, hostes re infecta abscedere coguntur. Erat sanè in nostris tanta animi magnitudo, eaque virium strenuitas, vt propè incredibilis videatur. Calendis Septembris literæ veniunt à Toletano, quibus significabatur breuì adfuturam classem Christianorum. Nec desistebant Turcæ nostris facessere negocium, nec nostri aut illis parcere, aut sibi deesse visi sunt. Quodam die è nostris vigintiquinque Turcas trecentos inuasêre, & in fugam verterunt. Nonis Septembris Christianorum classis ad Sacrum Iunonis, quæ est insula perexigua non longè à Melita, applicuit. E transfugis quidam per id tempus indicauit Valettano, Turcas sequenti die decreuisse omnibus copijs oppugnare oppidum, & nisì eo potiantur, ab insula recedere: multa etiàm amplissima esse proposita præmia egregiam operam nauaturis in expugnanda vrbe. Et certè non erat ille supremus barbarorum conatus absque ingenti nostrorum periculo futurus. Verùm præpotens Deus non passus est viros fortissimos & de Repub. Christiana præclarè meritos, illis sæuissimis & immanissimis belluis obijci trucidandos. Itaque illo benè iuuante, è classe Toletani principis expositi sunt in insulam Melitam ad octo millia & trecenti milites.

Terribilis Turcarũ irruptio.

Exponuntur 8000 militum Christianorum.

Porrò Toletanus, dum isti ad Valettanum se conferunt, triremem ingressus, Orientem versùs nauigat cum vniuersa classe. Quæ vbì à Melitensibus ciuibus conspecta est, tormenta & sclopettos omnes gratulationis ergô displodunt: itemque Toletanus suarum triremium tormenta omnia semèl atque iterùm exonerari iubet. Mox redit in Siciliam, reliquas copias adducturus, vt maturè Turcica præda potiretur. Iam hostes quatriduò suas res in naues inferre cœperant: cumque iam extremam oppidi oppugnationem instituerent, Turca quidam citato equo aduolat, refert magna Christianis venisse auxilia. Mox à Turcis classicum canitur, impedimenta reliqua colliguntur, tormenta in naues inuehuntur, aggeres inflammantur. Ex omnibus tormentis vnus solus regius Canon in Insula reli-

relictus est, qui pilam vomeret pondo centum vi- *1565*
ginti.

Sunt qui putent magnam tormentorum partem Turcis eripi illo die potuisse, si nostri in illos impetum facere voluissent. Ad extremum cùm Turcæ cum recentibus Christianis pugnam conserere instituerent, supra mille quingenti, & eo ampliùs à nostris cæsi sunt. Deniquè à Melita immanes illi barbari recesse- *Turcæ*
runt, relictis illic suorum cadaueribus ad vigintitria *Melitam*
millia: & præterquàm quòd illam insulam horren- *relinquũt*
dum in modum ferro & igni vastatam, domos quassatas, vrbium mœnia disiecta reliquerunt, etiàm hominum non paruam edidêre stragem, ità vt ad quinque millia è nostris desiderati ferantur, & in ijs equites Rhodienses vel Melitenses 240. Habebunt illi insignes viri sempiternam apud omnem posteritatem eximiæ virtutis suæ laudem, quòd pro Deo, pro religione, pro Rep. Christiana tam fortitèr & constantèr seipsos totiès ad præsentissima mortis discrimina offerre non dubitârunt. Annotârunt quidam, à barbaro hoste ad septua- *78000.*
gintaocto millia pilarum in insulam coniecta. Faten- *pilarum.*
tur autem etiàm ipsi equites Melitenses, non tam humanis viribus, quàm Dei virtute se esse seruatos. Et est sanè etiàm plurimùm laudanda Pij IIII. Pontificis Maximi erga Rempub. Christianam paterna solicitudo, qui amplissimas toto orbe diuulgauit condonationes, quas Indulgentias vocamus, vt ijs inuitaret Christianos omnes ad precandum Deum pro salute Melitensium & totius Ecclesiæ. Nec dubitandum est, eas Christianorum preces ferocissimi hostis truculentos conatus vel maximè eneruâsse. Postremò etiàm Catholico & inuictissimo Hispaniarum regi Philippo maximæ ab omnibus habendæ sunt gratiæ, quòd Melitensibus in tanta rerum difficultate non sinè magnis impendijs opem tulit. Hæc fusiùs multò quàm anteà scripsi, posteaquàm prolixior ad me totius belli narratio peruenit.

Eodeo anno etiàm felicitèr in Hungaria res gessit *Maximi-*
Maximilianus Cæsar contra Turcas & alios quosdam, *lianus Cæ-*
duce fortissimo & clarissimo Lazaro Schuendio, viro *sar contra*
rei militaris peritissimo, nec minùs optimis literis in- *Turcas.*
structo, atque insupèr Catholicæ religioni addictissimo. Multa illius egregia facinora referuntur, & erunt hauddubiò, qui ea literis commendent: mihi necdùm

1566 omnia ſatìs aſſecuto, nè parùm certa pro certis commemorem, aut multa etiàm præclarè geſta ob eorum ignorationem prætermittam, id impræſentiarùm præſtare non licet.

Hoc anno prodijt Vuittēbergę liber quintus Chronici Carionis, expoſitus & auctus à Caſparo Peucero. Is Peucerus gener eſt Philippi Melanchthonis. Is bonus & Lutericè euangelicus vir, pro modeſtia quinti huius Euangelij, incredibili furore exagitat in hoc Chronico ſummos Pontifices, quos cupit Imperatoribus, regibus & principibus Chriſtianis reddere vel maximè inuiſos. Ego pauca huius Chronici legi: (quid enim attinet, talium hominum furioſa & maledica ſcripta legendo, bonas horas malè perdere?) ſed in ijs paucis tam multa inueni, quæ hominis in Pontifices & Catholicam Eccleſiam pluſquàm Vatinianum odium ità perſpicuè declarent, vt vel ex ijs ſolis de tota eius hiſtoria ſatìs ſuperque poſſit ſtatui & pronunciari. Quis verò illum hominem in narrandis rebus putet in fidi hiſtorici officio permanere, qui ad eaſipſas animum adfert odio & liuore cæcatum, & prauis de religione opinionibus deprauatum? Ait hic noſter quodam lo-

Fol.41. co: Vt præcedens, ità tota ſequens hiſtoria euidentèr teſtatur, verè fuiſſe Pontifices ἀλάστορας Eccleſiæ & Im-

Peucerus ardet odio Pontificũ.

perij, & flagellum Dei, vt de Attila vetuſtas prodidit. Quid, obſecro, his dici poſſit atrociùs, cùm tamen certò conſtet, permultos ex Pontificibus fuiſſe viros ſanctiſſimos, quibus etiàm maximi & potentiſſimi Imperatores, reges & principes tantum detulerint, quantum nunquàm detrahere poterit iſta progenies viperarum? Sed ad tempus habent iſti, permittente Deo, facultatem quandam illos Eccleſiæ paſtores, non ab homine, ſed ab ipſo Chriſto, velint nolint hæretici, inſtitutos, ipſamque Catholicam Chriſti Eccleſiam infeſtandi & proſcindendi: paulò pòſt obſtruetur os loquentium iniqua, & ſempiternis inextinguibilis gehennæ flammis exurentur viri deſertores, qui cùm deberent in cinere & cilicio pœnitentiam agere tam immanium blaſphemiarum, errorum, contumeliarum, mendaciorum, quibus planè cooperti ſunt, tamen non ſolùm hoc non faciunt, ſed etiàm gloriantur in ſuis maleficijs, & in plùs quàm Cimmerijs tenebris haud alitèr, atquè in ipſa meridiana luce, ſeſe impotentèr & impudentèr efferunt.

Alibì

Alibì quoquè habet hic noster, nè solos Romanos 1565
Pontifices oppugnâsse videatur: Vetera Burggrauio- Fol.56.
rum iura multis in locis paulatìm fregerunt Episco-
pi, cùm impatientia alterius imperij potestatem politi- Nota Peu-
cæ gubernationis rapuerunt, vsi occasionibus supersti- ceri calu-
tionis, qua fascinatæ tenebantur mentes omnium or- mniam
dinum. O os impurum. Itáne superstitiosi fuerunt insignem.
hactenùs omnes ordines Imperij, & Luterus demùm
cum Peucero cæterisque id genus præclaris scilicèt vi-
ris, veram nobis religionem attulit? An non hoc est
intolerabili iniuria & contumelia afficere Imperato-
res, Reges, Principes, & tot sanctissimos atque religio-
sissimos maiores nostros? Si ego aut Catholicus ali-
quis sic scriberet, quàm atrocitèr in nos debacchare-
tur Peuceri stylus? Non hîc iam persequar, qua mode-
stia quáve fide scribat, Episcopos potestatem politicæ
gubernationis rapuisse, vsos occasionibus superstitio-
nis. Pertinet hic Peuceri morsus ad tam multos po-
tentissimos Episcopos, & Imperij Principes, qui facilè
eam Peuceri à se calumniam depellent. Quòd si ve-
rò aut tempus, aut huius scripti ratio pateretur, quàm
multa id genus ego possem ex hoc præclaro Chroni-
co excerpere. Sed nolim ego tempus tam malè col-
locare.

Quàm autem ridiculum est, ne quid grauius di-
cam, quòd idem noster Peucerus socerum suum Phi-
lippum Melanchthonem, quem omnes boni execran-
tur, quique à Lutero ad Zuinglij vel Caluini castra de-
fecisse, à Caluinianis palàm asseritur, audet appellare Fol.24.
hominem sanctissimæ memoriæ. Longè alitèr de illa
atra tellure scribit Illyricus eius discipulus cum so-
cijs suis, disertis verbis illum affirmans & Confessio- Melan-
nem Augustanam, & libros Luteri plurimis in locis chthon
adulterâsse: Quod crimen falsi non cadit in homi- falsarius.
nem sanctissimæ memoriæ, maximè cùm Luterani
tam pertinacitèr iactitent, Confessionem Augustanam
& Luteri scripta puram putam habere Euangelij do-
ctrinam. Quid verò possit esse sceleratius, quàm Euan-
gelium adulterare? Verùm hoc non Melanchthon
modò, sed & Luterus & totus nouorum dogmatista-
rum grex & fecit sempèr hactenùs, & adhuc facere per- Peuceri
git. Obitèr hæc tantùm attingo. nam accuratiùs ea excu- calumnia
tere iam non libet. Hoc quidē in Peucero notatu dignum in Grego-
est, quòd Gregorium Magnum Romanum Pontificem rium I.

1565 eius nominis primum, virum summa doctrina & incomparabili vitæ sanctimonia, totoque orbe longè celeberrimum, audet appellare superstitionum architectum. Nisi planè fallor, potest hæc vna tam atrox & impia in tantum Pontificem contumelia, totum Peuceri pectus nobis penitùs inspiciendum exhibere. Ego certè non video, quid de eiusmodi hominibus aliter sentiendum sit, nisi planè venisse eos in profundum malorum, totosque datos in reprobum sensum. Atque vtinàm soli perirent, & non tam multos secum in gehennam pertraherent. Sed certè stabunt quandoque illi beatissimi Pontifices contra istos miseros & deploratos homunciones, & suas de illis iniurias egregiè vlciscentur.

Fol. 16. Peucerus scholasticos exagitat.

Iam verò etiàm scholasticos Theologos noster Peucerus prorsùs Euangelicè scilicèt exagitat. Ait enim: Sunt in manibus scripta Scholasticorum, qui in vno Magistro Sententiarum, velut canone & norma fidei explicando occupati, nè terram amittant, cælo bellum inferunt, preferentes sententijs diuinis Romana decreta, & testimonia sacra, sicubì possunt, ad decreta Pontificum, non è diuerso hæc ad illa, inflectentes &c. Quàm multa in his paucissimis verbis insunt, quæ hominis impotentem obtrectandi, criminandi, mentiendi libidinem prodant euidentissimè? Nec opùs est his respondere, cùm ipsa se destruant tam impudenti vanitate, & cæca impudentia. Et fortasis Peucerus noster nunquàm vel à limine salutauit scholasticos Theologos, sed à suo illo sanctissimæ memoriæ socero Melanchthone hanc præclaram hausit doctrinam, vt tam luculentèr calumnietur Theologos scholasticos.

Melanchthon flagellat Patres.

Sed quid Melanchthon parceret scholasticis, qui nec veteribus illis sanctissimis patribus parcit in suo illo libello de Ecclesia, in quo homo arrogantia ebrius, velut è sublimi loco pronunciat de illis Ecclesiæ luminibus, cogitque tot Patres ferre hæretici censuram? Eat igitur Peucerus cum illa atra tellure, quò dignus est. Sed quid me necessè est persequi omnes Peuceri in tam exiguo opere calumnias & blasphemias? In præfatione sanè vel epistola liminari eius scripti, quædam insupèr habet non prorsùs negligenda: ea vbi paucis excussero, hominem iubebo ire, si volet, ad solas terras, nihil cum eo penitùs commercij habiturus vnquàm.

quàm. Sed hæc interim Lector ſciat eo animo hîc mihi commemorari, vt nôrint omnes, etiàm qui poſt nos futuri ſunt, quales viri illi fuerint, qui noſtra ætate bellum aduersùs Eccleſiam Dei ſuſceperunt. Nec dubito, quin poſteritas omnis non alio eos loco habitura ſit, quàm quo nos hodiè habemus Simones Magos, Marciones, Cerdones, Valentinos, Manichæos, Arrios, Neſtorios, Vigilantios, & id genus diras peſtes orbis terrarum. In præfatione igitur ſua Peucerus, vt è pluribus pauca tantùm annotem, ait extare ſapientum querelas & commonefactiones, quibus præcipitur, nè qui ſapientiæ laudem quærunt, ſtrepitu applauſuque vulgi capi ſe ſinant. Hoc quidem ſi cauiſſet Luterus, non eas hodiè turbas in Eccleſia videremus: immò verò nisì Luterus totus eò incubuiſſet, populo vt placerent quas feciſſet fabulas, nunquàm eius iam olìm damnata paradoxa tantos progreſſus habuiſſent. Tum verò etiàm in ſcribendis hiſtorijs plurimùm tribuit Peucerus iudicio ſcriptoris, cùm ab hiſtorico id potiſſimùm exigatur, vt rem geſtam non pro ſuo vel affectu vel iudicio, ſed quemadmodùm habet veritas, ſimplicitèr exponat. Quòd ſi variant de vna re ſcriptores ſuperiorum temporum, non dubium quin eorum præferenda ſit ſententia, quorum probatior eſt fides & authoritas. Sed hæc ideò dicuntur Peucero, vt liceat ei liberè debacchari in Pontifices, de quibus ipſe nihil poteſt pro ſuo iudicio ſtatuere aliud, quàm fuiſſe & eſſe Antichriſtos, vt eos vocat ſuus Luterus. Atque ſi quid de Pontificibus ſcribendum ſit, eos potiùs ſequendos ſibi ſtatuit, qui eos acerbiſſimè exagitent, vt fecit noſtra ætate Sebaſtianus Francus, & partìm etiàm Sleidanus, quàm qui eos commendent. Hinc illa huius generis hiſtoricorum temulenta rabies in Gregorium VII, (vt alios Pontifices omittam) quem tamen grauiſſimi authores teſtantur virum inculpatum, immò ſanctiſſimum fuiſſe, eumque non immeritò laudibus efferunt. Addit poſteà Peucerus, Henricum IIII, Fredericum II, & Ludouicum Bauarum rabiosè exagitare ſcriptores Pontificios, veras cauſas & ſceleratas molitiones Pontificum prorsùs diſſimulâſſe. Hoc ſic viſum eſt ſcribere Peucero, nullo allato ſuæ affirmationis teſtimonio, tanquàm nobis ſufficere debeat, ἀυτὸς ἔφα. Hoc iacto fundamento, pergit Peucerus, & quidem rabiosè: Ex vna falſa hypotheſi

1565

Rabies Peuceri in Pontifices.

1565 pothesi detexi Pontificia omnia, scilicet Pontificem iure diuino armatum esse vtroque gladio, & caput esse ac dominum Ecclesiæ & regnorum mundi. Puto sanè aduertere Lectorem, hæc non nisi rabiosè posse dici. Quid enim sibi vendicat Pontifex in regnis mundi, nisi vt pro officio suo, quo vniuersus Christi grex, ad quem pertinent etiam reges, ipsi pascendus incumbit, admoneat omnes, & si quem videat suam potestatem vertere in tyrannidem, omnibus modis det operam, id vt emendetur? Hoc fecêre semper etiam sanctissimi Pontifices, & certè licet inuidia crepet Peucerus, adeò non vsurpârunt sibi regna aliena Pontifices, vt ea quæ obtinent, Christianissimorum ac potentissimorum Imperatorum & regum ferè liberali donatione obtineant. Multa deindè furiosè iactat Peucerus contra Pontificum authoritatem: sed non est opus, eius ineptijs & calumnijs omnibus respondendo tempus amittere. Qui in historijs fide dignis versati sunt, hominis commenta facilè & aduertent & contemnent. Addit verò etiam hoc: Pontifex Romanus prærogatiuam in Ecclesia Christi nullam habet præ alijs vllo iure, sed sola consuetudine introductæ tyrannidis. Nec hic vllum adfert scripturæ locum, sed satis habet pro sua insigni authoritate id affirmâsse. Quàm sit autem hæc vana & temeraria assertio, nihil attinet indicare, cùm sit totiès à nostris ex ipsis etiam scripturæ diuinæ clarissimis sententijs ostensum. Verùm iam etiàm plus quàm Imperatores ipsi ausi sint, sibi vsurpat Peucerus, cùm subiungit, se non facultates eripere Ecclesiæ, sed regna, quæ Christus non contulit aut commendauit Ecclesiæ. Iam scripserat paulò superius, Episcopos tenere regna. Hæc ergò eis eripit: sed benè habet, quòd Peuceri verba non nisi aërem verberant. Nam Episcopis Peuceri authoritas nec pilum quidem auferet. An non verò hoc est cuiusdam intolerabilis arrogantiæ, vt homo priuatus tantum sibi sumat in Episcopos, qui sunt etiam Principes Imperij? Sed non se discruciet his curis Peucerus. Manebunt Deo benè propitio Episcopis ditiones suæ, etiàm vbi Peucerus computruerit. Sed hoc scilicet est classicum canere ad inuadendas Episcoporum ditiones. Quid si verò catholicus aliquis talia scriberet contra politicos principes, an non cælum terræ misceri Peucerus ante omnes vociferaretur? Ait etiàm Peucerus noster, vt obitèr lectori offeram occasionem admirandi

Nota impudens mendacium Peuceri.

Peucerus vult Episcopis eripere regna sua.

randi peritiam illius in rebus geographicis & historicis, 1565
Cathaynæ regnum se extendere vsque ad sinum Persicum, & ante Tartarorum irruptionem, in Europa ferè dominatos esse Rossos, cùm Rossi nō adeò magnam Europæ partem tunc occupârint, & sinus Persicus à Cathaynæ regno plurimùm distet. Sed hęc fortè leuicula sunt: illud prodigiosum est, quòd ait certamina, quæ Lutero oppugnante mendacia eorum, qui Indulgentias impudentèr circunferebant, extiterunt, regno Pontificio primò inclinationem, mox ruinam attulisse, cùm hodieque Pontifici maneat sua dignitas, crescatque multis locis apud remotissimas à nostro orbe nationes. Sed ea fide solent versari fratres Euangelici in rebus narrandis, vt iam non immeritò contemnamus, quòd mox subiungit se historica & religiosa fide vsurum.

Fides euangelicorum fratrum.

Tum porrò accedit ad Appendicem Chronicorum Naucleri. Sed eam Appendicem sanè non nisi aut nimia potione aut furore ebrius primùm inspexisse videtur. Nam pro Surio legit Surrianum, & è Surriano mox pro Euangelica modestia efficit scurram, perindè ác si quis pro culice legat cuculum, & repentè cuculum transformet in crocodilum. Deindè plenis velis in hunc miserum Surium, ne verbo quidem vnquàm ab eo læsus, incurrit: ait eum impudentèr res manifestè veras calumniari & deprauare. Scilicèt putabat me esse similem sui Melanchthonis, (vt alios omittam) quem, vt antè dixi, Illyricus eius discipulus falsi reum agit, & peragit. Iam verò in totum monachorum chorum rabidè desæuiens, vocat eos deploratum profligatumque hominum genus, quorum plusquàm caninam impudentiam, & audaciam plusquàm diabolicam, iam multis seculis orbis Christianus sit detestatus. Qui vnus locus satìs superque sufficit ad detrahendum fidem omnem toti historiæ Peucerianæ, cùm certissimè constet, monachos cunctis retrò seculis, & ab ipsis adeò Ecclesiæ nascentis initijs, in magna apud Christianos omnes existimatione fuisse. Quòd verò subiicit distichon Pij II. hoc nos libentèr amplectimur, sed hactenùs, vt ostendamus illud in neminem magis, quàm in ipsum Luterum, posse quadrare. Est autem eiusmodi distichon:

Non audet Stygius Pluto tentare, quod audent
Effrenis monachus, plenaq; fraudesanus.

Reuerà enim iste effrenis & dissolutus apostata talia *Luterus*

1565 attentauit, qualia fortaſsis nec ipſe ſatanas auderet, ità vt nos non inuideamus Peucero tam inſignem magiſtrum. De effreni enim monacho, qualis fuit Luterus, non de illo, qui intra ſui monaſterij ſepta degens, vitam viuit monaſticæ profeſſioni congruentem, hoc diſtichon loquitur. Porrò verò etiàm modeſtiſſimus vir Surio id videtur tribuere, quòd in ſcribenda hiſtoria vſus ſit præceptore diabolo. Nam etſi Peucerus maledicentiam vocat, tamen Surius ſatis ſibi benè conſcius eſt, nihil ſe cuiuſquam hominis odio ſcripſiſſe, multò verò minùs vſum eſſe præceptore diabolo, cum quo familiaritèr ſanè verſatum ſe eſſe, & ab eo didiciſſe, quæ contra Miſſæ ſacrificium euomeret, Luterus apertè fatetur, vt talis præceptoris meritò pudere debeat Peucerum. Nec tamen his contentus vir optimus, & planè Lutericè Euangelicus, vocat Surium blaſphemum filij Dei hoſtem, & mox dira ei imprecatur, his vtens verſibus:

effrenis apoſtata.

Vtq; repertori nocuit pugnacis Iambi,
Sic ſit in exitium lingua proterua tuum.

Dolet optimo viro, quòd Surius duriuſculè tractat inclytæ Germaniæ noſtræ proditores & perditores, Luterum & cæteros prauorum dogmatum architectos, qui ex illo vno homine ceu equo Troiano cateruatim prodiérunt, quòd illorum mutuas easque acerbiſſimas altercationes, odia, conuicia, quibus ſe inuicèm egregiè proſcindunt, traducit, fœdiſſimas antilogias oſtendit, & pleraque alia illorum myſteria profert in lucem: quæ quidem omnia cùm ex ipſorum ſcriptis euidentiſſimè doceri queant, tamen non pudet Peucerum in eadem ſua liminari epiſtola ſcribere, doctrinam Eccleſiarum Lutericarum irrefragabili authoritate, perſpicuitate quanta nullius ſit doctrinæ, certitudine immota verbi cæleſtis ſe ſuosque inſtauratores & propagatores tueri: ſcilicèt præclarè ſe ſuosque tuetur, quæ totiès in alias mutata eſt formas, cuiusque propagatores inter ſe odioſiſſimè digladiantur. Putat Peucerus omnes homines aut fungos, aut talpas eſſe, vt nihil porrò cernemines queant. Adijcit verò etiàm, viros bonos reſtinguere calumnias meritis & innocentia ſua. Nos verò palam teſtamur, Luterum, Bugenhagium, Bucerum, & cæteros deſertores monachos, huius quinti Euangelij propagatores, vel eo ſolo nomine, quòd auſi ſunt poſt ſolennem perpetuæ continentiæ profeſſionem ad inceſtas

nuptias

nuptias transire, esse perpetuò execrabiles & infames, 1565
qui fidem Deo datam irritam fecerint: cui immani flagitio si addas tot impios iam olìm damnatos errores & hæreses, tot nefanda sacrilegia, sacramentorum prophanationes, multaque alia ab istis designata, facilè constabit, quàm nihil sint dicendi minùs, quàm viri boni tum ipsi, tum Melanchthon quoquè & alij omnes noui dogmatistæ, qui quidem monachi non fuêre, sed tamen apostatarum istorum blasphemias editis libris defenderunt, aut nouas hæreses condiderunt. Quòd si verò Peucerus ferre non vult hos à nobis hæreticos dici, nunquàm certè negare ausus erit & Zuinglianos à Luteranis, & Luteranos à Zuinglianis hæreticos propalàm vocari, atque etiàm à plerisque Luteranis prorsùs damnari & reijci Melanchthonicos & Adiaphoristas. Hæc cùm sint toti orbi testatissima, tamen iactat Peucerus doctrinam ecclesiarum suarum, eamque ait vocem esse filij Dei, perindè ac si mortales omnes lethargo correpti sint, nihilque prorsùs oculis quanuìs apertis videant. Quæ verò possit esse atrocior in Dei filium blasphemia, quàm eius vocem dicere eam doctrinam, quam ipsi quoquè Luterani in mutua lite ponunt, atque alij in alijs execrantur, nisi fortè ipse Dei filius, qui est incommutabilis veritas, sibijpsi contrarius est, & pugnantia docet? Quòd si ad Ecclesiæ Catholicæ sententiam respicias, quæ quinti euangelij doctrinam ceu hæreticam condemnat, quæ aures ferre sustineant, à Peucero impias hęreses dici vocem filij Dei? Sed his ego nimiùm immorór. Potest iam Lector intelligere, quæ sit horum temporum labes, in quibus id genus perniciosa scripta innumera ab importunis ingenijs in lucem edita sunt, nec adhuc edi cessant.

Euangelici inuicèm se hæreticos vocãt.

Nam hoc ipso quoquè anno prodijt Latinè scriptum aliud benè magnum aduersùs Synodum Tridentinam, à Pio 4. indictam, cuius architectos fuisse liquidò appáret precones quosdam noui euangelij, cum quibus solis mihi hîc res est. In eo certè scripto tanta acerbitate præter alia inuehuntur in Romanos Pontifices, vt etiam ipsis sectarijs possint meritò de odij & liuoris nimia immanitate suspecti haberi. Sic sensim proficiũt in peius, & profundiùs ruunt, qui semèl ab Ecclesia discesserunt. Reuerà terribilis Deus in consilijs super filios hominum, qui occulto quidem, sed iusto tamen iudicio permittit imperitam & miseram plebeculam ab istis im-

Scriptum aduersùs Synodum Tridentinam.

Psal. 65.

 manifsi-

1565 manifestimis lupis, qui nullum faciunt perdendarum animarum finem, tam atrocitèr in fraudem impelli, & in horrendos errores induci, idque sub specie eximiæ pietatis & prætextu verbi Dei. Sed non est hoc nouum: fuit id apud hæreticos omnes superiorum ætatum semper in more positum, vt mendacijs niterentur, & ementita quadam veri specie incautos fallerent. Hoc præclarè fecerunt, & faciunt nostræ ætatis noui dogmatistæ, quorum certè incredibilem versutiam si principes & populi Germaniæ aliarumque nationum videre potuissent, puro equidem nunquàm in eorum dogmata consensissent, neque illos apud se vlla ratione tolerâssent. In hunc quidem scopum omnes isti mirabili vafricie collimant, vt Romani Pontificis & Conciliorum labefactent authoritatem. Quod vbi semèl obtinuerunt, iam illis salua sunt omnia. Quòd enim scripturam iactant, fraudulentèr & falsò id faciunt, non scriptura, sed scripturæ praua interpretatione nitentes. Itaque in hoc prolixo opere neruis omnibus contendunt euertere omnem Pontificum & Conciliorum etiàm vetustissimorum authoritatem, adeò vt & ipsam quoquè Nicenam primam & Chalcedonensem longè amplissimas Synodos carpere non vereantur: & sanè confidentèr de omnibus in vniuersum ità illi pronunciant: Hominũ traditiones, Concilia, Synodi, congregationes, & harum decreta profectò multiplicitèr labi, errare, decipi, falli possunt, & multis modis à verbo Dei ac veritate in omnem partem discedere. Id posteà docere conantur allatis aliquam-multis Concilijs: qua in re certè luculentèr produnt nequissimam animi sui calliditatem, vel potiùs malignitatem, quòd Synodos partìm prouinciales, partìm ab Ecclesia damnatas, paritèr permiscent, & imperito lectori intolerabilem fraudem imponunt, qui alias ab alijs secernere non potest. Itaque primo loco collocant Synodum Carthaginensem sub Cypriano, quæ ab hæreticis baptizatos censuerit rebaptizandos, quasi nesciant eam Synodum nunquàm receptam ab Ecclesia, tum vero non œcumenicam, sed prouincialem fuisse. Nos verò non negamus prouinciales Synodos errare posse, sed de œcumenicis legitimè celebratis, id planè pernegamus. Eæ nanque repræsentant Ecclesiam, quæ est columna & firmamentum veritatis. Mox subiungunt illam sacrosanctam Nicenam primam, quam aiunt de militibus statuisse Canonem, qui Iohannis Baptistæ

Nota hæreticorum de Concilijs omnibus sententiã & versutiã.

Baptiſtæ ſententiæ contrarius ſit : tum etiàm feciſſe 1565
pœnitentiæ Canones, è quibus multum ſuperſtitionis *Synodus*
irrepſerit poſteà in Eccleſiam. Obſecro, quid iſtis ad *Nicena*
ſummam, immò plùs quàm ſatanicam arrogantiam *carpitur*
reliqui eſſe poteſt, qui tam nefariè lacerant illam ſan- *ab hære-*
ctiſſimorum patrum, quibus hauddubiè adfuit, ſicut *ticis.*
promiſit Chriſtus, ipſe ſpiritusſanctus, Synodum lon-
gè celeberrimam? Et reuerà calumnia hæc non in illos
patres magis, quàm in ipſum redundat ſpiritumſanctum.
Sed benè habet, quòd ità perſpicuè ſe nobis totos inſpi-
ciendos exhibent. Iam enim quandò illi tantæ Synodi
decreta impia vocare non dubitant, nihil prorsùs am-
bigere poſſumus, quin ad illorum numerum pertine-
ant, de quibus Chriſtus ait : Si Eccleſiam non audiërit, *Matt.18.*
ſit tibi ſicut ethnicus & publicanus. Et eſt profectò iſto-
rum planè deplorata & inſanabilis malitia, cum qui-
bus etiàm iam eam ob cauſam nemo Catholicorum
vnquàm facilè vel tria commutaret verba, niſi cogeret
ſalus miſeræ & imperitæ plebis, quam iſti horrendum
in modum vnà ſecum perdunt. Si ſic enim liceat Con-
ciliorum etiàm grauiſſimorum decreta non modò ele-
uare, ſed per ſummam contumeliam impia dicere : quid,
quæſo, ſupereſt nobis ad immanem quendā atheiſmum,
quò certè iſti nos adducere moliuntur? Non eſt huius
loci, iſtorum fraudes omnes perſequi : nam longum eſt,
& ab inſtituto meo alienum, præſertìm cùm illi plera-
que adferant, quibus lectorem incautum fallere ſe poſ-
ſe non dubitant, quæ ſi ſingulatìm fuſiùs explicare ve-
limus, lectori ſtomachum mouebimus. Certè eodem *Itẽ Chal-*
loco aiunt, Chalcedonenſe Concilium tetro errore mo- *cedonenſis*
nachis & monialibus virginibus coniugij vſum inter-
dixiſſe. Qua vna ſententia ſimul damnant veteres ſan-
ctiſſimos patres omnes & vniuerſam Chriſti Eccleſiam,
quæ idem ſempèr ſenſit : immò & ipſam ſcripturam di-
uinam, quæ grauiſſimè præcipit vota Deo reddere. Et
ſufficeret quidem hominibus, in quibus non prorsùs lu-
men omne tum fidei, tum rectæ rationis extinctum ſit,
ad iſtorum amentiam & tetram impietatem liquidò co-
gnoſcendam, hanc eorum tam prophanam & ab omni
Chriſtiana pietate prorsùs abhorrentem ſententiam
didiciſſe : at ſit tamen neſcio quo tremendo Dei iudi-
cio, vt cùm iſti non ſinè magno ſcelere & ſumma im-
pudentia, tum Chalcedonenſis Concilij ſanctiſſimum
decretum lacerent, tum monachis & monialibus
coniu-

1565 coniugia permittant contra fidem Deo datam, tamen habeant permultos, qui illis potiùs accedant, quàm amplissimæ Synodi Chalcedonensis & vniuersæ Catholicæ Christi Ecclesiæ sententiæ & authoritati. O cæcas hominum mentes, ô pectora cæca. Itáne plùs apud nos ponderis habet impurissimorum apostatarum prodigiosus incestæ libidinis appetitus, quàm grauissima totius orbis Christiani, quē vel maximè Synodus illa Chalcedonensis repræsentat, sententia & authoritas? Vtinàm verò suam intelligerent turpitudinem eiusmodi non coniugiorum, sed incestarum libidinum assertores, & quantam sibiipsis apud bonos omnes & posteritatem omnem fœdissimæ ignominiæ notam inurant. Sed fronte sunt plerique omnes plùs quàm meretricia, & nesciunt erubescere. Dabit autem quandoquè benignus Deus, vt vulgus miserè ab eis dementatum, & alij malè ab eis persuasi, cognoscant eius sceleris immanitatem, quo se obstringunt apostatæ monachi, cum fœminis sub honesta coniugij specie sacrilegè cubantes, & eos profectò toto pectore detestabuntur. Et reuerà si legissent plerique veterum sanctissimorum Patrum scripta, pessimè istos impuros apostatas acciperent. Quandò igitur isti hucusquè impietatis progressi sunt, vt tam execrabilem concubitum palàm doceant sanctum esse matrimonium, frustrà sanè cum illis agitur de rebus nostræ religionis. Itaque nolim tempus terere commemorandis alijs, quæ in memorato scripto ab istis adferuntur: nam & multa sunt, & partim impudētissimæ calumniæ, partim iam olìm damnatæ hæreses. Hoc tamen certum est, in hoc opere conflando nihil eos diligentiæ, nihil acerbitatis prætermisisse, vt semèl omnem pectoris sui aterrimam bilem in Romanos Pontifices & Christi Catholicam Ecclesiam euomerent. Interim non vident, quàm sint ipsi egregij viri, qui tam multos iam olìm ante mille annos partìm damnatos errores & hæreses in vulgus spargant, qui inter se atrocissimè de ipsis turpissimis erroribus suis digladientur, atque mutuò palàm se hæreseos condemnent, falsi reos agant, & liberalitèr atque prorsùs suo more euangelicè se immanibus conuicijs proscindant, atque eiusmodi emblematis ornent, quibus nemo rectiùs, quàm flagitiosissimi nebulones, ornari mereatur. Quæ cùm ex ipsorum libris certissimè ostendantur, nihilominùs viros se dici & haberi volunt pios & euangelicos, Ecclesiæ repurgandæ studiosos,

Turpitudo apostatarū cum fœminis cubantiū.

fos, & nescio quid non. Sumunt sibi authoritatem in 1565
Pontifices, in Concilia, in Patres omnes, in totam deni-
què Ecclesiam. O plùs quàm caninam impudentiam,
plùs quàm satanicam arrogantiam. Sed valeant putidi
& deplorati hæretici, vt etiàm ipsi se inuicèm salutant.
Ego satis habeo annotâsse, his infelicissimis temporibus
eiusmodi scripta ab istis importunis dogmatistis esse
sparsa in vulgus, quod sub Euangelij prætextu miserè
perdunt. Hoc quidem certissimum est, huiusmodi scri-
ptis euulgandis nihil se consecuturos aliud, quàm vt
apud cordatos lectores omnes, totamque posteritatem
non alio quàm insignium hæreticorum loco habean-
tur, sensimque eorum malus animus & fraudulentæ
machinationes in principum aliorumque notitiam per-
ducantur: tum verò actutùm actum erit de illis, sicut &
de omnibus superiorum ætatum omnium hæreticis, qui
ad tempus diuina permittente iustitia Ecclesiam diue-
xârunt, sed tandem vt fumus cum sempiterna sui nomi-
nis ignominia euanuerunt. Vnum hoc loco paucis ex
suprà dicto contra Synodum Tridentinam scripto adij-
ciam, vndè certo certiùs colligat Lector non hæc teme-
rè à me dici. Aiunt supradicti vsque eò auctas fuisse su- *Pagina 10*
perstitione & barbara inscitia tenebras in doctrina eius *Nota in-*
temporis, vt & ipsi Theologiæ & sacrarũ literarum stu- *tolerabi-*
diosi, qui superiore seculo, & ante annos 40. scholasti- *lem ca-*
cam Theologiam didicerãt, confessi sint lectionem qui- *lumniã.*
dem se frequentâsse diligentèr, & tempora studijs The-
ologicis perdiscendis constituta compleuisse sedulò, ve-
rè tamen affirmare posse, se toto illo quinquennio aut
sexennio, quo in scholis didicissent, nullam de filio Dei
vel nominis saltem mentionem à præceptoribus factam
audiuisse: atque ità occupatos fuisse homines miseros
ineptissimis libris Magistri Sententiarum, Scoti, Bona-
uenturæ, Alexandri de Ales, Thomæ Aquinatis, & si-
milium eius farinæ Scholasticorum, vt Prophetarum &
Apostolorum scriptis legendis nullus omninò relictus
esset locus, ac ne quidem vlla de his in Schola mentio
fuerit reliqua, nedùm vt his aliquid serij studij attribu-
eretur. Hæc illi. Quæso te Lector, quid his fingi possit
vel ab ipso malo dæmone aut vanius, aut impudentius,
aut contumeliosius? Quis credat quinque vel sex annis
nullam in Scholis habitam mentionem filij Dei, cùm
ipsimet fateantur occupatos fuisse in libris Magistri
Sententiarum, cuius tertij libri bona pars de Christo
pro-

1566 prolixè agit? O portentosam, & non tam verbis quàm verberibus & flagris vindicandam mentiēdi libidinem. Iam quòd Magistri Sententiarum, Scoti, Bonauenturæ, Alexandri de Ales, Thomæ Aquinatis, & similium libros vocant ineptissimos, non certè facerent, si non ipsi essent omnium ineptissimi, & indigni prorsùs qui iis viris vlla ex parte comparentur. Scioli isti grādes sibi sophi videntur, quòd bilingues, vel etiàm vtcunquè trilingues interdùm sint, nôrintque scribere Latiniùs quàm illi patres, quos sanè preter alios nostrę ætatis doctissimos viros, Christophorus Longolius & multijuga rerum cognitione, & insigni eloquentia celeberrimus, summa vitæ integritate, & admirabili quadam diuinarum humanarumque rerum cognitione, optimi cuiusque iudicio scribit esse commendatos.

Conuiciū in Scholasticos.

Deniquè, quòd asserere non verentur, nullam in scholis prophetarum & Apostolorum quinque vel sex annis habitam fuisse mentionem, intolerabilem itidèm habet calumniam & impudentissimam vanitatem. Nam idem Sententiarum Magister, quo eos totos fuisse occupatos aiunt, plurima è scriptis diuinis loca commemorat.

Alia calumnia.

Hinc igitur colligat Lector, quæ istorum hominum religio, quę animi pietas, quis pudor, quæ verecundia sit, qui talia scribere non dubitent. Et hi nimirùm sunt, qui Concilium Tridentinum contumeliosè lacerant, se verò Ecclesiæ reformatores iactitant. Sed tamen, vt dixi, quandoquè sentient homines, quibus præstigijs orbi ab istis illudatur.

Obijt hoc anno mense, nì fallor, Decembri Pius 4. Romanus Pontifex, qui sanè Ecclesiæ Dei, maximè in absoluendo Concilio Tridentino, tanto pastore dignam nauauit operam.

Pius V. fit Pontifex.

ANNO 1566. die 7. Ianuarij in Romanum Pontificem electus est Michaël Giselerius Dominicanus, Cardinalis Alexandrinus, & dictus est Pius V. Eodem die summo manè de alio quodam actum fuit, cui etiàm ad Pontificatum pauca suffragia deerant: à prandio autem inter primarios quosdam sermo habitus est de Cardinali Alexandrino, & paulò pòst omnibus Cardinalibus in eius electionem mirè & præter omnium expectationem consentientibus, ille eductus è cella, Pontifex maximus salutatus est. Nemo erat qui ambigeret

bigeret à Domino isthuc factum esse: tanta erat etiàm 1566
absque scrutinio votorum concordia. Et sanè quæ eius electionem adhuc secuta est in Pontificatu vita, nihil clamat aliud, nisi eum diuinitùs ad hoc amplissimum munus esse vocatum. Ante coronationem, quæ celebrata est, nisi fallor, 17. Ianuarij, habuit Cardinalium congregationem: (consistorium enim, vt vocant, ante coronationem haberi non solet) ea peracta, quidam ex insigni familia petijt Episcopatum quendam. Respondit Pontifex, se quidem illi cupere summoperè gratificari, nec defuturum, si alia in re prodesse ei possit: sed Episcopatum tamen minimè collaturum, quòd ad tantam functionem parùm idoneus esse videretur, non satis literis & eruditione instructus. Cùm autem ille suæ eruditionis testimonium proferret, Ego, inquit Pontifex, hac in re, quæ mihi satis cognita est, testes minimè requiro. Ità ille in ea petitione repulsam passus est. Porrò ad Cardinales adhuc præsentes conuersus Pontifex, hortatus est, nè quicquam ab ipso peterent, quod vel contra diuinum obsequium, vel contra Concilium Tridentinum, vel contra ordinem & rem Ecclesiæ facere videretur. Addidit etiàm, se quidem in rebus licitis & honestis Christianos principes iuuare constituisse: contrà verò, si quid præter fas & decorum peterent, nulla se ratione illis daturum.

Episcopatũ petens reijcitur.

Extant præclara de eo testimonia, quòd ità se prorsùs comparet, vita illius vt quandam referat imaginem priscorum illorum Pontificum, quorum sanctitatem veneramur. Familiam se dixit eiusmodi habere velle, quæ & vita & habitu cæteris exemplo sit: nec tam ministrorum numerum aut cultum corporis, quàm virtutem & integritatem sibi spectandam cõstituit. Magnum se ostendit fore iustitię patronum & vindicem. Melitensibus Turcicam denuò obsidionem expectantibus liberalitèr sanè vniuersas Pontificatûs maximi opes pollicitus est, & iam missurus erat subsidio tria millia peditum, nisi posteà cognouisset frustrà Turcarum aduentum formidari. In consanguineos suos mirabili vsus est frugalitate, adeò vt tres è sorore nepotes non solùm nullis auxerit vel opibus vel honoribus, sed etiàm ægrè adduci potuerit maximorum hominum precibus, vt vnum ex eis, doctrina & pietate conspicuum, tandèm in Cardinalium senatum cooptaret. Fidei catholicæ conseruandæ ac propugnandæ perquàm studiosus est:

Familia Pij V.

preci-

1566 precibus assiduis feruentèr incumbit, quas dicit esse Pontificum præsidia. Statuas Vaticanorum hortorum, à quibusdam eius decessoribus magno sumptu & studio ibì collocatas, Populo Romano ad Capitolij ornamentum largitus est. Ad mensam sedens, vt est in sumendo cibo potuque parcissimus, ità in adhibendis precibus & gratiarum actione plurimus. Episcopos non patitur abesse diù à grege suo. Est quædam sanè in eo seueritudo, sed eam incredibili humanitate ità temperare nouit, vt omnibus charus sit. Possunt ab eo boni sperare virtutis præmium, mali formidare supplicium aut pœnam, quæ ab illo iam non leuis constituta est in blasphemos, nefariæ libidini & id genus flagitijs addictos. Reformationem tanto Pontifice dignam & instituit, & porrò in rem conferre pergit: & domesticæ quidem familiæ numero permultùm detraxit, vt possit Ecclesiæ rebus necessarijs largiùs opitulari. Catholicis quibusdam longè ab Italia degentibus, sed vel penuria, vel carceris molestia laborantibus, partìm mittenda pecunia, partìm scribendis literis humanitèr opem tulit, & ferre decreuit. Quàm prorsùs absit ab omni auaritia, satis declarat, quòd pleraque à Romana curia iussit exulare, quæ magnam vim pecuniæ conflare possent: & certè difficilimo quodam tempore cùm illi dispensationis cuiusdam obtinendæ causa, quæ aliòquì concedi soleret, multa essent oblata aureorum millia, prorsùs ea accipere recusauit: idque illi perpetuum est: nec enim tam id spectat, quid possit ex re qualibet obuenire compendij, quàm quid iustitia & æquitas reposcat. In resignatione beneficiorum ecclesiasticorum simplici, multa sæpè admittuntur parùm ad ecclesiæ leges & vtilitates accommodata: eam igitur statuit deinceps non temerè admittere, nè hac occasione res Ecclesiæ velut iure quodam hæreditario ad posteros transmittantur, aut etiàm indignis, aut parùm idoneis ecclesiastica beneficia conferantur.

Preces ad mensam.

Reformatio instituta.

Pius V. quàm alienus ab auaritia.

Simplex beneficiorum resignatio.

Oblatus ei quandoquè fuit à quodam magno principe annuus triginta millium aureorum prouentus, sed eum ille magno animo recusauit. Vir quidam illustris nepoti Pontificis filiam suam vxorem obtulit cum dote egregia, vt posset Pontifici sanguinis affinitate coniungi. Eius verò erga se beneuolentiæ Pontifex gratias quidem egit, sed neque Ducis, neque Marchionis, neque Baronis titulis suam se velle ornari familiam ait, quibus ea hactenùs caruisset.

Erat

Erat Iudæus quidam Elias nomine, multa & eruditione, & prudentia, & opibus inter ſuos inſignis, & quidem Synagogæ iam præfectus, & ſacerdos maximus. Is Pontifici, cùm adhuc Cardinalis eſſet, & de noſtra complectenda religione multùm cum eo egiſſet, pollicitus erat, ſe tum Chriſtianæ religioni ſuſcepto baptiſmo velle accedere, cùm ipſe Romanus Pontifex crearetur. Huic igitur, iam ad Pontificatum præter illius omnem, vt appáret, exiſtimationem promotus, ità ait: En cernis me renunciatum Pontificem: fac igitur quod pollicitus es. interim verò curabat pro illo preces Deo offerri. Paulò pòſt Iudæus ad Pontificem redit, & ſe velle Chriſto nomen dare affirmat. Monet verò Pontifex, vt maturè ſecum deliberet, & ſi ex animo cupiat fieri Chriſtianus, ſibi ſignificet. Non multa interiecta morula, indicat ille Pontifici, ſe diutiùs veritati & ſpirituiſancto obluctari non poſſe: prorsusq́ue ſe conſtituiſſe cum tribus filijs & nepote tranſire ad caſtra Chriſtianorum. Ea res ſummo Pontificem affecit gaudio, hominemq́ue complexus, & gratias Deo agens, tertio Pẽtecoſtes die in præſentia Cardinalium ferè omnium, magnaq́ue populi mirificè gratulantis præſentia, ſuis eum & alios manibus baptizauit, multisq́ue eis conceſſis priuilegijs, vnum è filijs ferè ſeptennem ſibi in filium adoptauit, atq; in Collegio Germanico cum ſuis nepotibus curauit educandum. 1566

Iudæus conuertitur à Pontifice.

Porrò Michaël (ſic enim à baptiſmo Elias dictus eſt) multam nauat operam Iudæis ad fidei lumen à Iudaica cæcitate pertrahendis: neque id ſanè fruſtrà, paulò pòſt triginta ex ijs ad Catechiſmum perductis. In feſto ſacroſanctæ Euchariſtiæ, licèt fractis eſſet viribus, & medicorum opera vteretur, attamen verè pius Pontifex non ſella pro more geſtatus, nec corona Pontificia ornatus, ſed cum maxima populi ędificatione pedibus ingrediens, illud præſtantiſſimum corporis Chriſti voluit circunferre ſacramentum.

Circũfert Euchariſtiam Pontifex.

In Tridentina Synodo ad Pontificem reiecta fuit cura edendi Catechiſmi, Breuiarij, & Miſſalis. Catechiſmum iam curauit Latinè edendum, idemq́ue eius iuſſu in Gallicam, Germanicam, & Polonicã linguam transfertur.

Catechiſmus editus.

Maximiliano ſereniſſimo Cæſari noſtro cõtra Turcas dimicaturo pijſſimus Pontifex opem laturus, tres ſupplicationes indixit, quibus ipſe quoquè intereſſe voluit, vniuerſum iter iam ętate grauis & affecto corpuſcu-

1566 lo, pedibus conficiens, & Deum aperto capite iunctisque manibus attentissimè deprecans. Aderant & plerique Cardinales & prælati, nobiliumque & vtriusque sexus ingens multitudo. In prima supplicatione mulier dæmoniaca horridos & immanes edens clamores, ad Pontificem adducta est: quę licèt à pluribus teneri vix posset, mox tamen vbi à Pontifice benedictione tertiò repetita cõsignata est, in terram mortuę similis corruit: sed postcà incolumis surrexit. In secunda supplicatione tres aliæ à dæmone occupatæ, ad Pontificem adductæ, & triplici benedictione accepta sanatæ sunt, è quibus vna nõ ignobilis, anteà à nemine curata fuit, licèt sæpiùs tentatum id esset. In tertia quoquè supplicatione alia quoquè à dæmone vexata, Pontificis precibus restituta est. Ea Pontificis pietate, & erga expellendos dæmones comperta virtute, animi hominum mirè accensi videntur: tanta erat ob promerendam Iubilei gratiam sua peccata confitentium multitudo.

Dæmoniaca curatur.

Itẽ 3. aliæ.

Item alia.

Capta fuit per hos dies nauis longa insignis cuiusdam piratæ, in qua Christiani octoginta captiui visebantur, qui decem & eo ampliùs annis miserrimam pertulerant seruitutem. Eos, cùm Romam venissent, Pontifex humanissimè accepit, & vestibus atque pecunia donauit. Exemplo integerrimæ vitæ illius permulti ad meliorem frugem se recipiunt, adeò vt etiàm ex Iudæis ampliùs centum, doctrina & opibus præstantes, ad Christianam religionem accesserint. Porrò in vsum catechumenorum emit Pontifex magnificentissimas ædes, quibus etiàm suos reditus haud contemnendos attribuit.

Iudæi ad fidem veniunt.

Huius anni Augusto mense morbus periculosus vrbem inuasit, ità vt plurimi cum tota familia decumberent pessimè affecti. Ibì sanè videre erat Pij Pontificis singularem pietatem. Nam singulis misit pecuniam, omnibus decem medicos adhibuit, multaque alia solatia insigni liberalitate impertiuit, adiunctis etiàm religiosis viris, qui animarum curam gererent. Dici facilè non queat, quanta iam in Clero & populo cernatur sub hoc Pontifice Romæ morum reformatio: & licèt iam senio affectus sit, at tamen ipse vult audire, videre, cognoscere controuersias plerasque omnes: assiduis incumbit precibus, multùm ieiunat, in victu summa vtitur temperãtia, quotidieque rem diuinam facit, quod profectò mirum videri queat in tanta ætate. Sed vt ipse quoquè fatetur, inter hæc tot tantaque negocia, quibus continen-

Liberalitas Pontificis in ægrotos.

tèr

tèr occupatur, tam prospera aliquandiù vsus est valetudine, vt vix vnquàm rectiùs valuerit. 1566

A piratis redimi curauit nepotem suum exigua quidem pecunia, fortasse Turcis nescientibus quòd esset Pontificis nepos. Hunc ad se accitum, non alio habitu videre voluit, quàm quo fuerat vsus dum sederet ad remos captiuus, qui vilis erat. Admonuit autem eum sanè grauitèr, vt ex anteacta miserrimè in ea seruitute vita, disceret ad bonam frugem se recipere, & Deo seruire. Deindè equo & equestri officio, vndè centum aureos annuos habeat, donatum, ad suos remisit. Hoc & pleraque alia facilè testantur, quàm non sit studiosus cognatos & propinquos suos ad opes & honores prouehendi.

Nepos Pontificis redimitur à piratis.

Solebant adhiberi instrumenta musica, quotiès Pontificis & cardinalium habebatur consistorium. Eam consuetudinem voluit sublatam. Crebrò vrbis Ecclesias visitat, & ad Clerum concionatur. Familiam suam magno studio reformat, quòd sciat indè exempla manare ad Ecclesiasticos omnes, vt ipsi quoquè se suosque ad ipsius exemplum componant. Initio mensis Octobris familiares suos omnes conuocauit, concionem ad eos habuit, & inter alia, quæ ijs obseruanda præscripsit, voluit vt singuli suum indicarent nomen, ordinem & sacerdotia. Sacerdotes vt minimùm tèr in hebdomada sacrificium faciant, cæteri, præsertìm diaconi & subdiaconi, saltem quintodecimo quoque die communicent, edixit. Sacris ordinibus initiatos, aut Ecclesiæ prouentus percipientes, habitum iussit ferre clericalem atque tonsuram, nec vestes habere nisì ex lana simplici absque vllo serico. Turgida femoralia pati non vult. Aulicos suos omnes, nè ocio tempus malè perdant, iussit sacrę lectioni, quam tèr in hebdomada sacri Palatij Magister habet, interesse: Fiunt etiàm in aula prelectiones Philosophicæ. Porrò non paucos suis libros Ecclesiasticorum scriptorum dedit, vt ijs legendis, dum Pontificem vicissim obseruant, tempus vtilitèr transigant. Nihil in suorum moribus, habitu, colloquijs, & tota deniquè viuendi ratione vitiosum, & quod praui sit exempli, tolerat. Præfecto custodiæ corporis sui mandauit, det operam, vt milites sui tranquillè & sinè insolentia viuant.

Familiæ reformatio.

Prælectiones in aula Pontificiæ.

Impudicas mulieres, publico proposito edicto, ab vrbe expelli iussit. Erant tum Romanorum plerique, qui se vehementèr opponerent, dicerentque, si meretrices ab vrbe excluderentur, magnum id Reipub. annui

Meretrices proscribũtur.

1566 quæstûs dispendium allaturum: Pontifex tandèm ità eis silentium imposuit, vt asseueraret se cum tota Curia sua aliò migraturum, nisi illa hominum fæx profligaretur. Ità illæ coactæ sunt discedere, interim tamen nonnullæ in vicis ignobilibus ob peiora vitanda relictæ sunt, cùm priùs in vijs publicis & splendidis ædibus magno numero habitarent. Quædam ex ijs, quæ præ cæteris maiorem infirmis animis tentationum & ruinarum materiam prębituræ videbantur, à tota ditione Ecclesiastica nominatim relegatæ sunt.

Alio quoquè edicto vetuit, nè quis ex ijs qui Romæ degunt, hospitia publica & cauponas Vrbis conuiuandi & compotandi gratia adeat, nec quisquam in ijs ludere sinatur. Eo edicto multa flagitia & peccata resecata sunt, effectumque vt hospitia aduenarum commoditati seruiant. Nebulo quidam obscurus maledico quodam Pasquillo vel famoso carmine Pontificem contumeliosè proscidit. Is tandèm compræhensus, & Pontifici oblatus, cùm ab omnibus diceretur seuerissimè plectendus, iussus est à Pontifice carmen suum recitare, tum exponere, cuius vel consilio vel voluntate id scripsisset. Dicente eo se non nisi mali demonis id instinctu composuisse, Pontifex respondit: Si tu mihi vt summo Pontifici maledixisses, non ferres impunè. At nunc quia in fratrem Michaëlem, in monachum scarponem, in Cardinalem Alexandrinum conuicia iactâsti, abi liber quò vis. Ego verò humilitatem generis mei, vitæ & habitûs, semper & animo retinebo, & libens confitebor, & ero vilis & abiectus in oculis meis.

Clemētia in maledicum.

2. Reg. 6.

Tuta itinera.

In tota Ecclesiæ ditione accuratissimè edixit, vt itinera à latronibus tuta seruentur: si quis à latronibus cædatur, ait se pœnam exacturum ab illis, in quorum vicinia id accidisset. Nobiles quidam Poloni ab hæresi Dei benignitate ad fidem sanam Catholicæ Ecclesiæ reuertisse ferebantur. Id vbi Pontifex resciuit, mirificè gauisus est, datisque ad illos humanissimis literis hortatus est ad perseuerantiam. Mirum enim in modum lætatur resipiscentia eorum, qui fraude diaboli in hæresin prolapsi sint. Cognatos suos & consanguineos omnes iussit ab vrbe abscedere, præter nepotem Cardinalem, & alterum in Collegio Germanico literis incumbentem: in quo appáret animus ab omni immoderata erga suos affectione prorsùs liber. Cardinalibus quoquè grauitèr mandauit, vt familiam suam ad habitûs & morum hone-

honeſtatem informent. *1566*

Euocauit quandoquè ad ſe Cardinales, qui præſunt inquiſitioni, itemq́ue Rotæ auditores, (quod iudicium eſt in vrbe exactiſſimum atque præcipuum) reliquosq́ue qui Romæ iudicijs præſunt, doctiſſimaq́ue oratione hortatus eſt omnes, vt in exercendis iudicijs ſynceros & integros ſe præbeant, minas etiàm intentans ijs, qui ſecùs facerent. Meretricibus, quas in vnum vrbis angulum reiecit, ſeueritèr præcepit, nè per vrbem vagentur: contrà facientes, iuſſit publicè flagellari. Duo verò aut tria illis deſignauit templa, quæ ſacrificij & Concionis auſcultandæ cauſa petant. Ex ijs pleræque nupſerunt, aliȩ complures cupiunt, honeſta reperta conditione, ex ea ſe turpitudine extrahere: nec Pontifex ſe defuturum illis dixit, quas paupertas à ſectanda pietate remoraretur. Eas autem, quæ ſine ſacramentis in ijs ſordibus decederent, in ſterquilinio vult ſepeliri, quod multis calcar addet ad meditandam reſipiſcentiam. Eſt Romæ Academia, quam vulgò Sapientiam vocant. Ea iam collapſa erat, & eius liberales annuos prouentus quidam ſibi vendicârant. At Pontifex eos iuſſit reſtitui, vt ijs alantur ſcientiarũ omnium egregij profeſſores.

Oratio ad Iudices.

Meretrices redeũt ad bonam frugem.

Academiæ reſtituta.

Iuſſit etiàm, quod ante eum fecerat Pius II. vt qui Magiſtratu defuncti ſint, adminiſtrationis ſuæ totius rationem exigantur. Decreuit etiàm per totam Italiam mittere Viſitatores, qui ab Epiſcopis, Collegijs Canonicorum & Monaſterijs rationẽ gubernationis repoſcant. Monaſticam diſciplinam, quæ multis locis proh dolor nimium laxata, immò collapſa eſt, ſummoperè curat reſtituendam, atque inprimis apoſtatas omnes ſeueriſſimo anathemate percuſſit: nè qui tamen ex ijs animum deſpondeant, hortatus eſt primarios monachorum præfectos, quos Generales vocant, vt ſuos ſinguli apoſtatas requirant, eosq́ue piè & humanitèr tractent. Verùm ex ijs plerique attrita ſunt fronte & indomabili corde, qui ſeipſos deſperantes, tradiderunt impudicitiæ, ſecumq́ue alios, quoſcunque poſſunt, trahere conantur in puteum abyſſi: qui vtinàm per principes arcerentur vbiquè à docendi functione, quia reuerà longè omnium pernicioſiſſimi ſunt id genus deplorati apoſtatæ, poſteaquàm in hæreſin prolapſi ſunt: id quod tum in noſtra Germania, tum vicinis regnis & prouincijs res ipſa plùs ſatìs declarauit. Sed ijs omiſſis, ad Pontificem redeamus. Is ſanè huius anni ſacrum illud tempus, quod aduentum Domini

Pontifex vt Aduentum exegerit.

1566 mini vocamus, tametsi senilis ætas à ieiunijs illum facilè eximeret, quotidianis ieiunijs, crebrioribus precibus, largioribus eleemosynis religiosissimè voluit obseruare, libenterque sacris concionibus adfuit: quo exemplo permulti ad illos sacros dies piè transigendos incitati sunt: nec interim tamen optimus Pontifex quicquam de ijs, quæ ad suum officium pertinerent, prætermisit, nec detrectauit solito more priuatis personis humanitèr præbere aures.

Fit nonnunquàm, vt ære grauentur alieno etiàm Cardinales, quorum cùm sit excellens dignitas, nemo eos facilè vel in ius vocare, aut contra illos ferre sententiam, vel latam exequi audebat. Id sentiens Pontifex, grauissimè edixit, vti nec ipsis Cardinalibus, si sint de ære alieno delati, parcatur, sed contra eos iudices liberè pronuncient, pignora quoquè ab eis auferantur, domus ipsa diripiatur, donèc creditoribus sit satisfactum. Atque interim erga illum mira est Cardinalium obseruantia & reuerentia.

Non vult parci Cardinalibus.

Vt coluerit festa Natalitia

Festa Natalitia huius anni magna deuotione coluit, adeò vt in ipsa nati Saluatoris sacratissima solennitate horam circiter decimam nocturnis precibus & primæ Missæ interesse curârit, deindè in domestico sacello primam & secundam Missam deuotissimè fecerit, cunctis familiæ suæ hominibus sua manu Eucharistiam præbuerit, & tandèm apud D. Petrum tertiam Missam solenni ritu celebrârit, porrò etiàm pomeridianæ concioni interfuerit. Possunt multa alia de hoc dignissimo Pontifice commemorari, sed hæc in præsens sufficiant pro hoc anno. Vident, nisì fallor, nostri Euangelici præcones, hæc quæ diximus, eiusmodi esse, vt non possint meritò non laudari. Desinant igitur carpere & proscindere Romanos Pontifices, imitentur huius Pij V. virtutes. Sed sat scio, progenies ista viperarum hæc quoquè præclarè gesta dente canino arrodet, & pessimè interpretabitur. Hoc enim apud illos in more positum est, vt si videant Catholicos, præsertìm Pontifices & qui in Clero sunt, piè & religiose viuere, eos vocent hypocritas, & qui suis meritis in gloriæ Christi derogationem fidant: sin autem malos in ijs mores quosdam cernant, eos ad vulgus odiosissimè traducant: nec dubitem dicere, si è cælis ad nos descendant Petrus & Paulus sanctissimi Apostoli, & ità viuant vt olìm in terris vixerūt, istos nostros portentosos noui Euangelij buccinatores

permulta habituros, quæ in illis atrocissimè lacerent & proscindant. 1566

Et quid mirum est, eos etiàm optimos quosque & Catholicæ religioni addictos rodere, conuiciari, proscindere, cùm etiàm mutuò sese, vt sæpè dixi, tam hostilitèr insectentur? Est hæc quædam pœna gigantææ arrogantiæ, qua isti tument, ponuntque etiàm in cælum os suum. Vt enim homines possint intelligere, quàm nihil tutum sit eorũ sequi doctrinam, misit inter eos Deus dissensionis spiritum, quo mirabilitèr exagitati, non desinunt publicè editis libris innumeris mutuò se horrendum in modum conspuere & lacerare. Ostensum est hoc iam crebrò locis superioribus, nec tamen vnquàm satis ostendi potest: adeò illi semper manent suî similes. Sunt inter Zuinglianos & Luteranos perpetuæ contentiones, eduntúrque identidèm ab vtraque parte scripta plurima, quibus alij alios oppugnant. Est inter Zuinglianos è præcipuis vnus Henricus Bullingerus, inter Luteranos Iohannes Brentius, vterque iam grandæuus. Isti pro more sui Euangelij se honorificè inuicèm tractant, sed tamen Bullingerus astutè nonnihil se premere conatur, & miscet mella piperi, nec potest tamen imperare sibi, quin subindè egregiè perstringat aduersarium Brentium. Scripserat Brentius de maiestate Christi librum contra Petrum Martyrem apostatam Franciscanum & istum Bullingerum. Huic libro respondit Bullingerus. Rursùs adfert suum scriptum contrarium Brentius, quem Bullingerus vocat Arabium tibicinem, & scriptum eius acerbissimum & caliginosissimum. Adeò verò prolixum quoquè fuit, vt Bullingerus arbitretur annum propè integrum in eo Brentium consumpsisse. Et quanuis non sinè magno tædio, vt ipse scribit, librum hunc nebularum vastum inspexerit & euoluerit Bullingerus, obitèr duntaxàt perstringendum duxit: sed hoc ità tamen facit obitèr, vt Brentius se sentiat non valdè molliter acceptum: nec mirum, cùm ipse, si Bullingero fides habenda est, longè sit maledicentissimus. Et vt Lector nôrit, quo de scripto Bullingeri agam, nouerit anno 1564. edidisse eum Repetitionem & dilucidiorem explicationem quandam, eique ceu coronidem apologeticam addidisse, quà perstringit Brentij recognitionem. (sic enim est titulus libri Brentiani) In hac Coronide apologetica dicit pios omnes concorditèr censere, Brentium peccare enormitèr edendis libris suis maledicis, &c.

Spiritus dissensionis inter hæreticos.

Contentiones inter Brentium & Bullingerum.

Bullingeri de Brentio testimonia.

1566 eum petulantissimè conculcare fidem & doctrinam Ecclesiarum, nempè Zuinglianarum, quarum dogmata vocet Brentius calumniator cacodoxa. Dicit, Brentium nullo Dei spiritu bono doctum, iudicare ipsum Bullingerum inanes & sinè fide profundere voces, & ceu aprum Calydonium vineam Domini euertere. Dicit, quisquis Brentij reliqua his coniuncta inspexerit propiùs, illum visurum apertè virulentis redundare edacissimi liuoris morsibus. Non sic scriberet Bullingerus de Brentio, si is in Romanos Pontifices aut monachos ea scripsisset, quæ scripsit in hæreticum Bullingerum. Sed qui nunquàm desinunt lacerare Pontifices, debent nonnunquàm id genus atrocissimos morsus mutuos sentire. Sed pergamus videre alia multa in tam breui Coronide. Petrus Martyr iam obierat: eum Bullingerus vocat beatæ memoriæ, sicut & Melanchthonem, cuius quidem Melanchthonis etiàm testimonium profert contra Brentium, quòd scripserit, vt transsubstantiationem, ità & vbiquitatem corporis Christi excogitatam esse non ità pridèm, & portentosam. Et verum quidem scripsit Melanchthon, doctrinam vbiquitatis corporis Christi non ità pridèm excogitatam esse: sed quòd idem de transsubstantiatione asserit, suo more mentitur, cùm ipse quoquè non neget, D. Ambrosium sensisse panis naturam mutari in Eucharistia, idemque sentiant veteres sancti patres omnes. Nec tamen negat Bullingerus, ipsum Melanchthonem vnà cum Brentio fuisse Zuinglianis infensum, adeò vt existimauerit se bona conscientia illos pro fratribus agnoscere non posse, sed tamen tandèm factum esse illorum summum amicum & fratrem intimum. Hoc verò tametsi pertinacitèr de Melanchthone negent Luterani quidam, quòd ad Zuinglianos defecerit, nec careat nota turpissimæ leuitatis & inconstantiæ, tam varias vna eademque de re amplecti opiniones: at vult nihilo minùs Bullingerus plurimas, quibus id probetur, Melanchthonis manu scriptas Epistolas posse proferri, neque id leuitati aut inconstantiæ, sed saluberrimo eius profectui esse tribuendum. Scilicèt egregius profectus est, ex Luterano transformari in Zuinglianum. Vellet autem Bullingerus etiàm Brentium ità proficere, quem, quia id non vult, vocat ceruicosum, irreconciliabilem, & Iohannem in eodem. Præclara sunt hæc hæretici de hæreticis testimonia: pergamus ad reliqua. Ait Bullingerus, Bren-

Melanchthon olim hostis Zuinglianorũ, pòst summus amicus.

Brentium abuti veterum teſtimonijs ad ſuum inſtitu- 1566
tum commonſtrandum : quaſi verò non idem faciat
etiàm Bullingerus, & deſertores omnes Catholicæ Ec-
cleſiæ. Quàm autem abſurda eſt Bullingeri doctrina,
quandò ipſe quidem Brentium ait verborum ludere
præſtigijs, cùm id faciat ipſe Bullingerus, ſimul aſſe-
rens & Chriſtum ſe è cælo non detrahere, vtiquè ſecun-
dùm humanitatem, & tamen eum vera ſua carne fide-
les ſuos in Cœna paſcere. Sed talibus præſtigijs illu- *Præſtigiæ*
dunt iſti indoctæ multitudini, atque vtinàm vel tan- *hæretico-*
dèm reſipiſcant. Et hoc quidem loco vult Bullingerus *rum.*
longè tutiùs fidem commodari patribus, quàm Brentio,
quem dicit nupèr natum, nec ſemèl depræhenſum lolio
victitare & ſtrychnum bibere. Sed ſi patrum authori-
tas apud iſtos hæreticos, tam Brentium quàm Bullin-
gerum, eorumque ſimiles valeret, iampridèm eſſet pax
reddita Eccleſiæ, & profligati eſſent errores omnes,
quos iſti ab inferis excitârunt, aut è ſuis cerebris par-
tim effinxerunt. Verùm tanti illi faciunt tum Patres,
tum Concilia omnia, quanti volunt, immò ſanè pror-
sùs nihili, vbicunquè ab ipſorum impijs commentis &
prauis dogmatîs diſcrepant. Pergit Bullingerus contra
Brentium, eumque dicit tergiuerſari, ſuffugia latibula-
que quærere, ſeſe implicare, & quid dicat ignorare, de-
niquè ſimplices circumagere, & naribus trahere. Et
hoc quidem verè dicit Bullingerus, ſed homo verſutus
ſeipſum ſuo ſibi enſe iugulat. Nam idem præclarè faci- *Nota.*
unt etiàm ipſi Zuingliani, dum negant Chriſti corpus
haberi ſubſtantialitèr in Euchariſtia, & tamen affir-
mant vera nos eius carne veſci. Itaque vbiquitatem
Brentij meritò ridet Bullingerus, ſed non minùs ipſe me-
ritò ridetur à Brentio, dum negat corporalem Chriſti
in Euchariſtia præſentiam. Atque vtinàm contenti il-
li eſſent, in ſuas iſtas inextricabiles incidiſſe perplexita-
tes & labyrinthos, nec miſerrimam plebeculam ſecum
eò pertraherent. Sed ad rem. Adijcit porrò Bullinge- *Nota te-*
rus, Brentium vociferari, negocium ſibi eſſe cum viru- *ſtimoniū*
lenta excetra, & cum ſcorpionibus venenatiſſimis, de- *Brentij de*
niquè cum homine effronte, cum ſophiſta, omniumque *Bullinge-*
mortalium nequiſſimo, & quidem his emblematîs per- *ro.*
frequentèr ornare Bullingerum. Quis non credat vera
dicere Brentium, tantum Luteri diſcipulum?' Sed iam
Bullingerus eò ſe confert, vt doceat Brentium, qua ra-
tione de vbiquitate agere debeat. Nam ità diceret, in-

1566 quit: Vbiquè gentium in Ecclesia ingrauescit fastus, superbia, auaritia, vsura, blasphemia, calumnia, spurciloquentia, ebrietas, crapula, luxus, libido, incestus, ira, cædes, contentio & inuidia. En hi sunt fructus istius noui Euangelij, quos etiàm ipsi eius præcones fateri coguntur. Nos his addere possumus, vbiquè ingrauescere incestas libidines apostatarum. Sed his tot malis an non illi præclaram obtulêre occasionem, qui solam fidem crepant, Ecclesiæ sacramenta conuellant, instituta Ecclesiastica exibilant, carnis libertatem prædicant, & iam olìm condemnatos errores pro verbo Dei imperitis venditant? O vtinàm quandoquè videant homines, quæ hominum commenta pro verbo Dei amplexi sint. Poterat his flagitijs fieri medicina, si non esset explosa ab istis infaustis dogmatistis disciplina Ecclesiastica: quæ etsi etiàm apud Catholicos multis locis proh dolor elanguit, non tamen docetur vulgus impiè sentire de Canonibus pœnitentiæ, quemadmodùm hæretici isti faciunt, quos non pudet palàm scribere, in illa sanctissima Nicena prima Synodo factos esse pœnitentiæ Canones, ex quibus posteà multùm superstitionis irrepsit in Ecclesiam, vt meritum Christi non parùm hac ratione obscuraretur paulatìm.

Nota fructus noui Euãgelij.

In libro contra Synodum Tridentinam.

Isti enim tenebriones laxant miseris habenas, nec vident, immò videre nolunt, huiusmodi pœnitentiæ Canones non solùm non obscurare, sed illustrare etiàm meritum Christi, dum homines hac ratione retrahuntur à vitijs, monenturque sic viuere, vt merita Christi ipsis bono esse queant. At postquàm Luterus cum suo satellitio docere cœpit, Solam fidem iustificare, & tollere peccata, Confessionem peccatorum non esse necessariam, Liberum arbitrium rem esse de solo titulo, & dum facit quod in se est, peccare mortalitèr: Docendos esse Christianos plùs diligere excommunicationem quàm timere, Papam vel Ecclesiam non posse condere leges morum seu bonorum operum, & id genus alia portentosa & impia paradoxa, indè nimirùm ea in hominibus nata est vitæ dissolutio, vt ipse quoquè Luterus posteà fassus sit sui Euangelij homines decuplo peiores euasisse Sodomitis. Arripuerunt enim improuidi mortales ab istis seductoribus sub specioso libertatis Euangelicæ prætextu oblatam ipsis teterrimam carnis & vitiorum seruitutem, & certè nulla his malis potest vnquàm sperari medicina, nisì profligatis istorum hominum

Luterus in Assertionibus suis.

impijs

1566

impijs dogmatîs redeatur ad vnitatem Catholicæ Ecclesiæ, & in ea instauretur collapsa multis locis Ecclesiastica disciplina, id quod modernus Pontifex Pius V. admodùm seriò conatur, nec infeliciter ea in re progreditur. Donèc autem erunt homines in tot sectas inter se dissectas & procacitèr corrixantes distracti, hæc quæ Bullingerus commemorat, scelera & peccata non poterunt non in dies magìs magisque augeri, quandoquidem sectarum istarum signiferi & buccinatores, hominum animos omni ferè religione soluunt, prauisque erroribus imbuunt, abstractosque à Christi corpore, quod est Catholica Ecclesia, malis dæmonibus illudendos, & in quæuis flagitia nullo negocio impellendos obijciunt. Quorum enim in cordibus fides corrupta est, in ijs Christus habitare non potest: vbì autem ille non habitat, dubium non est, illic sibi domicilium constituere tartareos spiritus. Sed ad Bullingeri Coronidem redeamus.

Ait Brentium scribere de se, nempè Bullingero, quòd atram in se bilem releuet, meraque & pura mendacia proferat. E diuerso probat Bullingerus, Brentium bellè consentire cum doctrina Suencfeldiana, cùm tamen id Brentius perneget. Pæclara sunt, vt dixi, hæc emblemata, quibus isti gigantes se mutuò ornant: & tamen hi sunt capita Luteranorum & Zuinglianorum. O miseram plebem, quæ tales habet dogmatistas. Audiamus & alia: Dicit Bullingerus, Brentium Vatiniano in Zuinglium feruere odio, & Adria iracundiorem atræ bilis nimbos, æstus, tempestatesque, ante multos nimirùm annos conceptos, impetuosè effundere, & Zuinglium omnigenis conuicijs perfundere, atque ex vera filij Dei Ecclesia illum excludere, doctrinamque Zuinglianam vocare impiam, atque inter cætera obijcere Zuinglianis iconomachiam, quam sanè vsqueadeò non negat de se suisque Bullingerus, vt apertè fateatur se suosque & dici & esse malle iconoclastas, quàm iconoplastas. Itaque & hac in parte videmus diuersa Luteranos & Zuinglianos sentire, Luteranos iconomachiam damnare, Zuinglianos amplecti. Hoc autem à Brentio grauitèr obijcitur Bullingero, quòd ab irato & furioso Lutero, ad placidum & extra contentionem loquentem, se scripserit appellare. Eccè videmus etiàm hæ-

Brentius Suencfeldianus.

Brentius ardet odio Zuinglij &c.

Obijcit Zuinglianis iconomachiam.

reti-

1566 reticos in Lutero aduertisse furorem: & fuit ille sanè impotens & rabiosus homo: cur igitur non pudet talem furiam sequi? Sed Luterum Luterani tertium volunt esse Eliam, & Bullingerus quoquè in hac Coronide ait se dona in Lutero & multa & magna libentèr agnoscere. Sed in religionis negocio furiosum esse, quis quæso inter Dei vel infima dona numeret? O cæcos doctores, cæci, immò furiosi, doctoris asseclas. Addit autem Bullingerus, Luteri adulatores, immodestiam hominis excusantes, dixisse palàm, heroica ingenia non raró corripi furote, non poëtico quidem illo, sed planè Diuino aut Theologico.

Ità habuit Luterus suos adulatores, qui eius furorem, diuinum dicerent. Quid hîc possumus aliud, quàm lugere hominum ætatis nostræ cæcitatem, qui ista tam absurda sibi sinunt persuaderi? Pergit Bullingerus, & ait satìs hîc apparére, quàm anhela mente Brentius in ipsius inhiet exitium. Deindè commemorat quasdam Brentij antilogías pugnantesque sententias, vt qui quandoquè scripserit, verbum ad panem ferre id quod continet, nempè corpus Christi: nunc autem scribat, non posse crimen Papisticæ magiæ effugere, qui recitatis in Cœna Domini verbis putet corpus Christi adduci: cùm tamen & Luterus multis locis scribat, teste Bullingero, verba Cœnæ conficere corpus & sanguinem Christi: ità vt iam ipsius Brentij iudicio non ipse duntaxàt, sed & tertius Elias Luterus, magus sit appellandus. An non hæc sunt eximia præconia? Ità cæcus Brentius dum sibijpsi contraria scribit, sua ipsius sententia fit magus. Sed absit, vt Christi sermonem, quo sacrosancta Eucharistia conficitur, ad magiam pertinere credamus. Dicat hoc & sentiat Brentius cum suî similibus, daturus quandoquè pœnas æternas tam nefariæ blasphemiæ. Ait porrò Bullingerus, tantùm non rumpi Brentium præ nimia ira, obijcientem Zuinglianis malitiam fingendi, mentiendi, rectè dicta calumniandi, deprauandi, inuertendi, & quid non? adijcientem etiàm, sibi cum Luciano (Bullingerum dicit) in schola Epicurea negocium fore. Egregia sunt hæc: sed necdùm satis multa Brentio. Rursus autem nè Bullingerus taceat Brentio, ait illum summis viribus contendere, cælum, in quod ascendit Christus, nec locum esse, nec loci quidem nomen. O insaniam. Pergit Brentius, referente Bullingero, & dicit Zuinglianos veritatem ab

Brentij antilogiæ.

alijs

alijs manifeſtatam oppugnare : ſed rurſùs à Bullinge- 1566
ro egregiè irridetur ob ineptiſſimas & ſtultiſſimas quaſdam delirationes, cogiturque ferre Bullingerum iſta palàm ſcribentem : Ità ineptè & perplexè illum Diuina loqui voluit prouidentia, vt vel hinc pij & curabiles lectores intelligerent, refugiendum ſibi eſſe à doctore, qui poſtquàm Archytæ crepitaculum diù & abundè pulſauit, tandèm ſe ignorare fatetur quid dicat, aut de quibus aſſeueret. Hæc de Brentio Bullingerus, ſed quæ in ipſum quoquè Bullingerum pulchrè quadrent : ſicut & illud, quod ait Brentium ſcripturæ Diuinæ & etiàm Auguſtini ſententijs abuti : quod certum eſt omnes iſtius infauſti Euangelij buccinatores & feciſſe hactenùs, & facere. Abſit enim, vt vel ſcriptura Diuina, vel ſancti Patres illorum teterrimis erroribus vlla ex parte faueant, tametſi non pudet eos pro ſe ſacra Biblia Patreſque citare. Habet deindè Bullingerus etiàm fœdiſſimum Brentij de inferno errorem, fatentis infernum quidem eſſe, negantis verò locum eſſe. Ità Brentius cælum tollit pariter & infernum : nec minùs impiè Bullingerus tollit è Sacramento ſubſtantialem corporis Chriſti præſentiam. Non poteſt, inquit porrò Bullingerus, in Brentio probari nimia eius licentia in ſcripturis detorquendis, & quòd nulla neceſſitate recedit à receptis concordi in Eccleſia conſenſu expoſitionibus, immò & doctrinis. Certè non debent hæc in Brentio tolerari : ſed neque in Bullingero, in quem hæc non minùs quadrant quàm in Brentium, à quo ſe Bullingerus ſcribit eiectum ex Eccleſia Chriſti, ſed contemnit æquè Brentij vt Romani Pontificis excommunicationem. Ait enim ſe brutum iudicare Brentij fulmen. Meritò ſanè contemnuntur eorum fulmina, qui ſummi Pontificis anathemata contemnunt, & fit iſtis quod Eſaias ait, vt qui ſpernunt, ipſi quoquè ſpernantur. Hoc tandèm certo certiùs eueniet omnibus iſtis ſuperbis gigantibus, qui Eccleſiæ paſtores in ſummum contemptum apud ſuos adduxerunt, & iuſto Dei iudicio à ſe inuicèm intolerabili contemptu afficiuntur : id quod Bullingerus ſatis prodit in hac ſua breui Coronide, dum addit, Brentium per prolixum & impexum librum ſuum, nempè recognitionem, omnes propè paginas adſperſiſſe contumelijs atque conuicijs, porrò ſub finem libri furioſo curſu ruere in portum, clamareque Zuinglianorum dogmata eſſe diabolica & impietatis plena,

Bullingerus de Brentio.

Brentij de inferno error.

Eſa. 33.

Nota.

1566 na, redundare illorum omnia deprauationibus, strophis atque calumnijs: errorem illorum de Cœna Dominica non esse leuem, sed pro sua fœcunditate alios atque alios magis sacrilegos secum trahere, satanam per illos sibi viam præstruere ad omnes iniquitates: breuì futurum, vt per illos reducatur in Ecclesiam hæresis Nestorij, & nihil deniquè maneat reliquum de articulis nostræ religionis, sed inducatur in Ecclesiam ethnicismus, Thalmudismus & Mahumetismus. Hæc sunt sanè luculenta de Zuinglianis Brentij Luteranorum hodiè Coryphei testimonia & encomia. Porrò de Brentio è diuerso testatur Bullingerus sub finem huius coronidis, illum propter singulares suas opiniones furere, tumultuari, ad arma conclamare, & omnem bipenni amicitiam dissecare. Hæc ego sanè ex breui illa Bullingeri Coronide breuitèr huc adscribere volui, vt videant tamen vel tandèm miseri mortales, quos duces in rebus grauissimis sequantur, qui tam atrocitèr inter se dissentiunt, tam immanitèr se mutuò proscindunt. Quòd si vel meum institutum pateretur, vel mihi studio esset omnia illorum scripta excutere, quàm multos ego Codices conficerem solis eorum contentionibus & conuicijs mutuis referendis? Vtinàm verò cunctantiùs illi principiò admissi essent, nec tam facilè fides habita foret noua paradoxa sub specie verbi Dei proferentibus. Quid verò de nobis dicturi sunt posteri nostri, cùm hæc & id genus permulta alia didicerint, viderintque illos nos homines haud secùs atquè Christi Apostolos & nuncios accepisse, qui non nisi tetros in orbem errores inuexerint, & præter hoc etiàm inter se odiosissimè & pertinacissimè dissenserint? Faxit præpotens Deus, vt vel serò videamus.

Non mihi hoc propositum est, vt istorum hominum absurditates & mutuas acerbitates omnes commemorem, nec tamen possum committere, quin vel aliquas annotem. Habet enim earum cognitio suas non mediocres vtilitates, & possunt illæ certè mouere homines, vt ab illorum contubernio celerrimè se expediant. Excusa hoc anno est mense Ianuario De bonis & malis Germaniæ admonitio Iohannis Vuigandi, qui (nisì tamen fallor) vnus est ex præclaris illis Centuriarum Magdeburgensium architectis. Est is egregius & quidem Stoicus Luteranus, vt & Matthias Illyricus. In

Liber de bonis & malis Germaniæ.

In hac admonitione ille primò se pollicetur explica- 1566
turum præcipua Dei beneficia, Germaniæ potissimùm
ab anno 1517. collata, putà Ecclesiastica, Politica, œco-
nomica, & communia quædam. Primum beneficium
vocat Biblia sacra in clarissimam lucem producta, quæ
multis seculis pro obscuro libro vbiquè locorum sint
habita, peneque situ & squalore interierint: laicos pu-
blicè tantùm audiuisse Legendas Sanctorum: Theolo-
giæ studiosos in scholis ad scholasticorum disputatio-
nes & Summas tantùm assuefactos. Ità ille Vuigan-
dus in hoc primo referendo beneficio tam multa benè
luculenta habet mendacia. Simul verò etiàm nostram
Bibliorum Latinam versionem carpit, & Luteri Ger-
manicam vsqueadeò prædicat, vt non dubitet eam tri-
buere dictanti Spirituisancto, & omnium aliarum gen-
tium versionibus illam anteponat. Sed ostensum est
à viris doctis, permulta loca sua non versione, sed per-
uersione, Luterum corrupisse: & sanè vsqueadeò non
satisfecit Germanis Luteri versio, vt posteà nouam cu-
derint Tigurini. Videt Lector quàm sint veritatis stu-
diosi homines isti, cuius gustum quendam hæc paucis-
sima præbent. Proh dolor, tam malè collocare bonas
horas & scribendis & legendis id genus fœdis & per-
niciosis mendacijs. Addit mox, pueros & puellas iam
Biblia Germanica legentes, proprium ac genuinum
sensum absque longis commentarijs ob oculos vide-
re. Certè didicit Germania nunquàm præstando da-
mno suo, quàm bellum sensum è scripturis diuinis tot
insana capita elicuerint, dum certatìm aliæ super ali-
as emergunt hæreses, singulis sua fœda commenta sa-
crarum literarum authoritate confirmare nitentibus.
O quanta est horum impudentia, qui cùm videant eti-
àm ipsos Luteri discipulos inter se atrocitèr digladia-
ri; & singulos crepare scripturas, non dubitant ta-
men scribere, tam clara & lucida nunc prodijsse Bi-
blia Germanica, vt pueri & puellæ genuinum sen-
sum facilè assequantur. Nam si hoc verum est, cur
etiàm grandes isti sophi inter se tam turpitèr corri-
xantur?

Alterum Germaniæ à Deo impensum beneficium *Nota in-*
est, inquit Vuigandus noster, præcipuorum articulo- *saniam.*
rum fidei illustratio, qualis ab Apostolorum tempori-
bus hucusquè in hoc mundo non est cognita. Quis du-
bitet hunc hominem lethargo correptum, aut nescio
qui-

1566 quibus f. rijs agitatum, præ insania non videre quid dicat? Proh scelus. tam densas tenebras, quas isti, Argi scilicèt, in orbem inuexerunt, etiàm fidei illustrationem eximiam dici.

Calũnia in S. Patres.

Deindè etiàm tam priscos illos quàm scholasticos patres hic insignis tenebrio calumniatur : aitque discrimen legis & euangelij prorsùs obliteratum fuisse post Apostolorum tempora, sed per Luteri ministerium dilucidè explicatum. O portentum in solas terras relegandum. Talibus flosculis scatet hic Vuigandi libellus. Addit verò, in Papatu inuocationem à Deo irà auersam, atque ad mortuas creaturas (sic vocat sanctos cum Christo in cælo vitam beatam viuentes) conuersam, vt nulla inter gentes fœdior vnquàm idololatria extiterit. Agnoscit Lector Stoicum Luteri discipulum, nouumque Vigilantium. Isti impij homines ferre non possunt inuocationem sanctorum, quam etiàm se gloriantur profligâsse, sed certè magno miserorum hominum malo, qui solebant ab omni antiquitate non sinè fructu ambire diuorum suffragia, quos scirent iam Christo coniunctissimos, pro ardentissimo illorum erga nos amore, plurimùm sibi præstare posse. Verùm isti miseri & cæci vt alieni sunt ab illo corpore, cuius caput Christus est, & cuius omnes sancti membra sunt, ità quoquè nullo eius spiritu vegetantur, sed traditi satanæ, vnà cum illo sanctos insectantur, nec eos à nobis inuocari volunt. Sed audiunt illi à nobis ex Augustino: Populus Christianus memorias martyrum religiosa solennitate concelebrat, & ad excitandam imitationem, & vt meritis eorum consocietur, atque orationibus adiuuetur. Sufficit hoc contra istos. Quæ verò Vuigandus porrò habet iactabundus de superstitiosis ritibus à baptismo amotis, (sic enim ille impius vocat tam antiquas baptismi cæremonias) de integra cœna reddita, de clauibus non ampliùs raso & inuncto hominum generi (putà sacerdotibus) seruientibus, & id genus alia purè Luterica, id est, verè impia, nolo hic commemorare. Nam apparet hominem nihil habere hominis, sed totum obsessum à dæmone. Ait enim inter cætera, totum corpus doctrinæ cælestis simplicitèr, dilucidè, propriè, dextrè erutum & traditum esse à theologis Germaniæ, quale in omnium patrum scriptis post Apostolos nullum inuenitur. Et tamen isti theologi tam bellè inter se consentiunt, quàm olìm

Contra Faustum, libro 20. cap. 21.

Cadmæi

Cadmæi fratres. O infelices Germanos, qui isthæc monstra apud se ferre queunt. 1566

Quid verò possit his dici monstrosius? En qui noluimus audire sanctos patres, iam istos cogimur audire insanos tenebriones, qui reuerà præ insania nesciunt quid dicant. Nanque addit hic noster: Plus rerum in vno aliquo scripto exegetico Luteri in prophetam aut psalmum inuenias, quàm in multis libris Patrum. O nugatorem. Certè blasphemijs & maledictis egregiè scatent libri Luteri, digni qui flammis exurantur.

Deindè tertium vocat beneficium, quòd Antichristus Papa à Lutero spiritu oris Christi interfectus est. Hoc quidem Luterus summis viribus conatus est, vt Christi in terris vicarium Romanum Pontificem penitùs profligaret, sed frustrà. In eo autem scelere etiàm laudare illum, hominis est penitùs perditi & profligati, qualis certè est Vuigandus iste, cuius valdè execrabiles voces puto nec ipsis suis symmystis probari: qualis est etiàm illa, asinum Cumanum Romanum Pontificem sibi armis cruentis niti vsurpare potestatem articulos fidei destruendi ac erigendi pro arbitrio: quod dici non potest, nisi à sceleratissimo & deploratissimo nebulone. Certè quandoquè aduertent homines istorum virus aterrimum & intolerandam animi malignitatem, odiumque in Pontificem & Catholicam Ecclesiam plùs quàm Vatinianum.

Calumnia in Pontificem.

Alia deindè recenset Vuigandus Dei beneficia, de profligatis monachis, de exclusa idololatria, id est, inuocatione & veneratione defunctarum creaturarum, vt ipse vocat, de egregiè oppugnato & expugnato Antichristo Romano Pontifice, de copia doctissimorum virorum & salutarium Ecclesiæ ministrorum, (per quos vtiquè non nisi Stoicos Luteranos intelligit) de copia item innumerabilium librorum à Germanis theologis, Lutero & similibus, editorum: quæ quidem eiusmodi sunt omnia, vt nemo nisi Germaniæ proditor & hostis, ea possit beneficia vocare. Nam vt alia omittam, cùm fateatur iste Vuigandus tot libros ab istis Luteranis scriptos, vt in mundo nunquàm plures in lucem venerint, (quod tamen est putidum & crassum mendacium) potest hinc sanè liquidò colligi, quàm immanes sumptus in eos libros impensi sint, non solùm nullo Germaniæ fructu, sed etiàm damno illius inæstimabili. Nam

Tt cùm

1566 cùm pecunia ea omnis, quæ in hos libros scribendos, excudendos, emendos collata est, & infinita propè sit, & non nisi in Germaniæ & multorum aliorum certissimam perniciem cesserit, quantùm quidem ad eos attinet, qui talium librorum lectione vel cognitione in hæresin pellecti sunt: quis vnquàm verbis vllis possit consequi, quantùm & Reipub. vtilitatibus, & animarum saluti tot perditissima & pestilentissima scripta nocuerint: Et interìm tamen solent isti mirum in modum exaggerare pecuniam, quæ Romam exportetur è Germania: nec volunt videre se proditores & perditores esse Germaniæ, dum pro verbo Dei impias hæreses venditant incautis, & immensam pecuniæ vim exhauriunt suis pestilentissimis scriptis euulgandis, quæ vulgus imperitum auidè emit, sed nec precio exiguo, nec paruo salutis suæ detrimento.

Hæretici qui sint Vuigando. Septimum beneficium vocat Vuigandus, repressionem hæreticorum, in quibus ille numerat Anabaptistas, Sacramentarios, Antinomos, Enthusiastas, Cothurnifices seu concionatores Christi & Antichristi, per quos intelligit haud obscurè Melanchthonicos & Adiaphoristas, quæ nostra, vt ipse dicit, luce & potentia verbi sui Deus profligauit. Hîc iam videt lector hominis egregij Luterani censuram non modò de Sacramentarijs, quos illi ex professo oderunt, sed etiàm symmystis suis Melanchthonicis & Adiaphoristis. Qui enim Luteri doctrinam omnem mordicus retinent, Melanchthonem & Adiaphoristas, qui in quibusdam à Lutero deflexisse videntur, ferre non possunt. Ità fit, vt Luterani Luteranos quoquè persequantur, & quidem valdè acerbè, vt est hæreticorum genus maledictione & amaritudine plenum: quod quidem iam sæpè dixi, & est crebrò dicendum, dum isti noua sempèr acerbitatis suæ argumenta in lucem edunt, quæ tamen ab illis miserè euersi non aduertunt. Verùm obseruatu dignum est, quòd porrò adijcit Vuigandus, suam & suorum esse, confiteri & statuere aliquam saltem Ecclesiam, licèt exiguam, permansuram vsque ad extremum diem. Iam enim Stoici isti Luterani in eas rediguntur angustias etiàm à sectarijs alijs, vt propemodùm suæ doctrinæ successum desperare videantur. Et certè in eas angustias sensìm redigentur omnes horum temporum hæretici, & tandèm veritas, aliquandiù ab istis oppressa eluctabitur.

Transit

Transit deindè Vuigandus ad beneficia politica, & 1566
ibì splendidè adulatur magistratibus, & mentitur tur-
pissimè, ab Apostolorum temporibus neminem æquè
ac Luterum illustrâsse doctrinam de authoritate & of-
ficio Magistratuum. Tandèm stultissimus homo do-
ctrinæ Lutericæ oblitus, postquàm multus fuit in Pon-
tificibus & monachorum operibus proscindendis, ait
magistratus pro suis multiplicibus laboribus æterna
præmia consecuturos esse. Vbì igitur nunc est illud Lu- *In Aßertionibus, art*
teri, Opus bonum optimè factum, veniale peccatum
esse secundùm misericordiam Dei, sed mortale pecca-
tum secundùm iudicium Dei? item illud, Nemo non
certissimus esse debet, se sempèr mortalitèr peccare, si
sua vita ad iudicium Dei iustissimum comparetur?
Num peccatis vel venialibus vel mortalibus ætern
præmia debentur? Ità isti cæci doctores dum veritatem
oppugnant, sæpè pugnantia docent: id quod Lutero
quoquè accidit in doctrina meritorum, & alijs pleris-
que. Tertium bonum politicum dicit esse, quòd sub-
diti magistratui promptiùs nunc obtemperant: quod
quàm sit vanum & commentitium, res ipsa loquitur, &
tumultus Rusticorum, multaque id genus alia satìs su-
perque declarârunt: & nisì Deus Luteri conatibus ob-
stitisset, cerneremus profectò quæ hodiè magistratûs
esset authoritas. Reliqua beneficia politica, œconomi-
ca, communia, nè sim Lectori onerosus, ineptienti Vui-
gando relinquo, nec ijs commemorandis tempus perde-
re volo.

Accedit deindè Vuigandus noster ad mala Germa- *Schismatum duo genera.*
niæ enume[illegible]da. Hìc principiò duo schismatum genera
ponit, vnum à Sacramentarijs, alterum ab Interimistis
excitatum. Sacramentarios dicit, superstite Lutero,
Helueticos tantùm quosdam montes fuisse tenere co-
actos: illo extincto, seminatores istorum zizaniorum
longè lateque esse progressos. Putabant Sacramentarij
se præclarum qui piam præ Lutero vidisse, sed vident
suam doctrinam à Vuigando zizania vocari. Et quan-
uis hodiè multùm iastitent se quoquè esse Augustanæ
Confessionis, at disertis verbis dicit Vuigandus, eos nec
partem fuisse eius Confessionis, cùm ea Augustæ Caro-
lo V. exhiberetur, nec deincèps sese eidem adiunxisse. Et
verum diceret Vuigandus, si non Melanchthon illam
confessionem subindè recoxisset, atque tandèm ad ca-
stra Sacramentariorum deflexisset. Addit autem Vui-

1566 gandus, non in re ſacramentaria tantùm, ſed in alijs quoquè articulis non poſtremis publicè ſacramentarios impingere.

Interimiſtæ.

Accedit deindè Vuigandus ad alterum ſchiſmatum genus, ipſis planè, vt dicit, inteſtinum, eoque longè perniciosius. Sub hoc compræhendit Melanchthonicos & Maioriſtas, tametſi nominatìm non exprimit. Iſtis [illegible] buit perplexas, ambiguas, flexiloquas, vafras, & aſtutas locutiones, eoſque, licèt impium, vt ipſe vocat, dogma illud, Bona opera ad ſalutem eſſe neceſſaria, & pleraque alia mendacijs & fucis ſtabiliant, tamen ſinè omni fronte ſcriptitare, ſeſe à ſyncera Dei & Luteri doctrina ne pilum quidem declinâſſe. Non enim patitur Vuigandus operum & pœnitentiæ concionem, ſed [illegible] fide cum Lutero ſuo rectà euolat in cælum [illegible] [illegible]is.

[illegible] tanicam malignitatem.

Tertium malum vult eſſe Vuigandus, quòd remiſſiùs iam Lutero mortuo impetitur & laceratur Romanus Pontifex. Eccè tibi hominis deploratiſſimam amentiam & aterrimam cæcitatem, qui hoc ipſum pro magno malo numeret, quòd abſtinetur à iactandis conuicijs & contumelijs in Pontificem. O plùs quàm Cimmerias inſani pectoris tenebras. Ait enim: Neceſsè eſt, ſi Eccleſia Chriſti iterùm purganda eſt, vt alacri pectore, & coniunctis vocibus atque ſtylis ardentiùs ac luculentiùs Antichriſtus oppugnetur, quàm aliquot annis factum eſt. O quas dabunt iſti olìm pœnas tantæ peruerſitatis: ſed homines impij, qui iam in profundum venerunt malorum, contemnunt donèc in illum abyſſi puteum detrudantur. Non vident iſti miſeri & omni lachrymarum fonte plangendi, quàm nihil minùs deceat hominem è religione Chriſtianum, quàm iſta teterrima maledicendi petulantia, præſertìm paſtori Eccleſiæ, cui, velit nolit Vuigandus, Chriſtus commiſit paſcendas oues ſuas, omnemque illi illatam iniuriam & contumeliam, ſibi factam ducit. Sunt hęc profectò eiuſmodi, vt pijs animis vberrimam ſuppeditent plorandi materiam, quòd populus Chriſtianus precioſiſſimo Chriſti Ieſu ſanguine redemptus, ab iſtis immaniſſimis lupis & ſceleratiſſimis nebulonibus tam miſere ſeducitur, & ad proſcindendum & conſpuendum Pontificem etiam incitatur. Sic Chriſtus non docuit, neque Apoſtoli eius: ſed hanc doctrinam hauſit à Lutero Vuigandus, & ab ipſo ſatana Luterus.

Quar-

Quartum malum Vuigandus iste ait esse ignauiam 1566
vigilum Ecclesiæ Dei (sic vocat illum Luteri cœtum, qui rigidos habet Luteranos) in refutandis erroribus, putà Sacramentariorum &c. Sunt sanè, qui putent inter Luteranos & Zuinglianos solam esse de Eucharistia controuersiam. Sed cùm plerique alij Sectarij, tum hoc loco etiam Vuigandus disertis verbis testatur, non de rebus friuolis & ineptis, sed de summis capitibus doctrinæ cælestis esse inter ipsos disceptationem. Quin & inter ipsos Lu[illegible]os non leues [illegible]tiones su[illegible], vocátque hic noster Vuigandus quosdam nostræ ætatis Pelagianos, haud obscurè significans Lipsenses dogmatistas, quos etiam impostores appellat. De nouis Sacramentarijs, nempè Caluinianis, id affirmat, eos versutè habere tali stratagemate adornata, vt pro libitu eis vti queant. Deindè adijcit, explodenda esse tam fraudulenta spectra orationum, quibus ad fallendum imperitiores vtantur Pelagiani & noui Sacramẽtarij. Sed & Vuigandus cum sua teterrima maledicentia pariter profligandus est.

Luterani & Zuinglìani de quibus inter se dißentiant.

Sextum Ecclesię malum Vuigandus vult esse intempestiuam & perniciosam philosophiæ cum Theologia permixtionem. Hoc loco rursùs, nõ tamen nominatim, Vuittenbergenses & Lipsenses dogmatistas perstringit, porrò Sacramentarios apertè: nec dubitat dicere, lupos miseras ouiculas crudelissimè diripere ac deglutire. Multa hîc enumerat, quæ ex Philosophia contra veritatem Euangelij habeant isti, quos modò dixi, Vuittenbergenses, Lipsenses, & Sacramentarij. Refert ibi, se audiente quendam præconem (intellige quinti euangelij) de coniugio ad populum declamantem, plùs quàm viginti carmina ex Ouidio de arte amandi protulisse. Et hoc quidem Vuigandus se detestari indicat, quasi verò, suus Luterus non planè amatorium & Venereum nobis euangelium protulerit, omnibus etiàm & monachis & monialibus laxans turpitudinis habenas, & in cõiugio quoquè degentibus permittens dicere, Si non vult vxor, veniat ancilla.

Septimum malum est Vuigando προσωπολατρεία, qua viri eruditione excellentes, incipiunt veluti idola coli. Melanchthonem & quosdam alios molles Confessionistas, qui in nonnullis à Lutero discesserunt, videtur hîc quoquè carpere. Enatum enim fuit non leue dissidium inter Melanchthonicos & Illyricanos, hoc

Tt 3 est,

1566 est, molles & rigidos Confessionistas, nec res adhuc sopita est. scripsit Melanchthon acerbè in Illyricanos, cùm tamen eius discipulus fuerit Illyricus, & ab Illyricanis damnatus est Melanchthon cum suis.

Iuuentus à quibus corrumpatur.

Octauum malum dicit, quòd isti prosopolatræ in multis magnis & paruis scholis iuuentutem virulenter inficiunt. Dolet Vuigando, quòd Luteri dogmata quædam euanescunt, & veretur plurimùm, nè tandèm ille cum suis è tota Europa proscribatur. Eccè verò iam ab ipsis quoquè Luteri discipulis dicit Vuigandus infici miseram iuuentutem. Cur tandèm non euigilant homines, & se totos ab omni istorum hominum commercio semèl expediunt? Satis superque à Catholica Christi Ecclesia admoniti sunt, à Lutero & eius symmystis buccinatoribus reliquisque noui euangelij pseudoprophetis perdi iuuentutem, & tetros in orbem errores spargi, nec fidem tamen sanissimis admonitionibus habere voluerunt. En iam ipsi Luteri discipuli suos condiscipulos palàm affirmant corrumpere iuuentutem: vel illis tandèm credant, & profligatis simul omnibus, redeant ad Catholicæ Ecclesiæ vnicum ouile, nec sibi sempèr ab istis tenebrionibus tam turpitèr illudi patiantur.

Iuuentus petulans & maledica.

Nonum malum est, vt ait Vuigandus, effrenis & inaudita petulantia & maledicentia stolidæ iuuentutis, quam malè imbutam à prosopolatris dicit furere, tantùm non dira conuicia euomere in pios Ecclesiæ doctores, (se suosque intelligit) fœda, obscœna, crudelia, impia & scelerata scripta, pasquillos & picturas effundere, certare inter se impudentissimis mendacijs confingendis, qualia diabolos propemodùm ipsos puderet proferre, & vt quisque in his artibus magis excellit, ità suis esse præceptoribus gratiorem, & ad maiores honores euehi. Quæ omnia dicuntur de Melanchthonicis, Vuittenbergensibus & Lipsensibus. Aduertit hinc Lector, quàm sint vera & iusta præpotentis Dei iudicia. En isti miseri nullum faciunt finem maledicendi summo Pontifici: tam multis supra modum contumeliosis scriptis, pasquillis & picturis in illum Christi vicarium petulantissimè incurrerunt, & eccè ex ipsis Lutericis scholis prodeunt discipuli, qui, qua mensura ipsi mensi sunt Pontifici, illis copiosissimè remetiantur. Quis hîc non manibus ipsis & pedibus palpet, vlcisci Christum iniurias Vicarij sui? Et sunt hæc tantùm

tùm initia quædam iustissimæ vltionis, quæ, nisi resipuerint, apud inferos crescet in immensum, & puniet blasphemos & maledicos Pōtificum calumniatores & conuiciatores in æuum sempiternum. Taceo hîc de conuicijs in Episcopos, sacerdotes & monachos iactatis ab istis, quibus isti Euangelici satiari nunquàm possunt. Sed Christus suo tempore non deerit officio iustissimi Iudicis, cuius vtinàm illi seueritatem agenda, dum adhuc licet, pœnitentia anteuertant. 1566

Decimum malum noster Vuigandus id ait esse, quòd typographiæ omnes latissimè patent illis, nempè Vuittenbergensibus & Lipsensibus, qui non erubescant falsas doctrinas tueri & profiteri, dirisque conuicijs in probos ac fideles Dei seruos (Vuigandum scilicet, Illyricum, &c.) inuehi : contrà verò, qui errores ingruentes (putà Vuittenbergensium & Lipsensium) indicare vel Apologias opponere pro se student, ijs prœla arctissimè occluduntur. Eccè rursùs euidentissimum Dei iudicium in Luteri rigidos sectatores, & hostes Ecclesiæ Catholicæ. Iam longè suprà dixi, cùm Luterus & sui primùm inciperent noua dogmata spargere, typographos illorum lucubrationes suis impensis politè & emendatè admodùm, porrò Catholicorum malignè & deprauatissimè alienisque sumptibus excudisse. At nunc Luteri fidissimis discipulis & symmystis etiàm apud Luteranos prœla arctissimè occluduntur, & vt addit Vuigandus, isti Luterici Pontifices territant typographos suis fulminibus, nè quicquam contra se suáve dogmata patiantur in suis officinis imprimi, in quos prorsùs nihil potestatis habent. Quis hîc non & miretur & laudet diuini iudicij æquissimam censuram ? Volebat Luterus cum suis prorsùs profligare Romanum Pontificem, at nunc ille cum suis profligatur à suis : quique contemnebat adeò Romani Pontificis excommunicationem, vt scribere non dubitârit, docendos esse Christianos plùs diligere excommunicationem, quàm timere, iam in suis discipulis tales cogitur pati pontifices, vt ipsi quidem per summam arrogantiam dici volunt, qui sinè vlla authoritate excommunicent typograhos, si illorum scripta excudant, qui puras putas ipsius blasphemias mordicùs tuentur. Hoc idem cæteris omnibus Pontificis & Catholicæ Ecclesiæ oppugnatoribus tandèm eueniet. Addit autem Vuigandus, hac ratione

Præla non patēt Lutericis.

Nota.

In assertionibus.

1566 tione solos illos regnare, solos triumphare, & tranquillam sedem sibi parare. Vellent certè plerique Luterici superintendentes Papalem sibi, si possent, parare sedem: quę si illis contingeret, sentiremus mox quantam illi sibi sumerent authoritatem, cùm interim miseri non cessent Pontificem calumniari, quòd is sibi ius vsurpet, etiàm vbi nullum habeat. Certè Melanchthon quodam loco, vt suprà quoquè retuli, de discipulis suis, Lutero quàm ipsi addictioribus, ità scribit: Cogunt concilia, quandò & vbi ipsis placet, atque vendicant sibi maiorem, magis intolerabilem, & minùs excusabilem authoritatem ac potestatem, quàm Papa Romanus vnquàm. Hæc Melanchthon. Sed non multùm dissimilitèr conqueritur Vuigandus de Melanchthonicis Vuittenbergicis & Lipsensibus.

Nota.

Vndecimum malum Ecclesiæ, Vuigandus dicit Ecclesiasticæ disciplinæ laxationem. Spectatum admissi, risum teneatis amici? Planè Vuigandus iam vult Papista fieri. Ait politicos nolle pati, vt notorij, scandalosi & impœnitentes peccatores, Ecclesiæ Christi publicè indicentur, & pro publicanis & ethnicis habeantur, donèc pœnitentiam agere discant. Eccè tibi Vuigandum publicè agendæ pœnitentiæ præconem. Adijcit porrò: Blasphemare veritatem, ignominia afficere ministros verbi Dei, rapere Ecclesiastica bona, (nota Lector) scortari, inebriari, rapere, vsuras exercere, homicidia, aliaque eius generis innumera peccata eò magis inualescunt quotidiè, quia libertatem crescendi habent. En quanta est vis veritatis, vt eam plerunquè etiàm ipsius atrocissimi hostes fateri cogantur. Certè autem si restituatur vbiquè Ecclesiastica disciplina, etiàm Vuigandus ipse cum toto grege apostatarum monachorum & pseudoprophetarum, publicam debebit agere pœnitentiam. Quàm autem ridiculum est, quòd homo perditus inter alia flagitia, quæ sub istis infaustis carnalis libertatis præconibus in immensum excrescunt, etiàm bonorum Ecclesiasticorum rapinam commemorat, cùm vix vllo vnquàm seculo tot sint perpetrata sacrilegia & bona Ecclesiastica direpta, quot sub Luteri euangelio, qui sanè nouas euulgauit quandoquè Indulgentias vel Condonationes cunctis illis, qui sese facultatesque suas & existimationem in hoc expenderent, vt Episcopatus, Collegia & Monasteria funditùs delerentur: aitque, eos qui hoc facerent, tam præclaro

Vuigandus Papista.

Indulgentia Luteri

claro facinore verorum Christianorum & charorum 1566
Dei filiorum nomen promerituros. Atque ijs teterrimis vocibus primò inflammati rustici in Germania, maxima rebus Ecclesiasticis diripiendis damna dedêre, vt alibì dictum est. Voluit Luterus iustis possessoribus auferri bona Ecclesiæ: at nunc Vuigandus quiritatur rapi bona Ecclesiastica, quasi ipse cum suis symmystis pseudoprophetis quicquam habeat iuris in Ecclesiasticis bonis, & non potiùs in ipsum sociosque suos quadret sacrilegij crimen, si res Ecclesiasticas veris possessoribus ablatas sibi vsurpant, vt sanè faciunt multi. Catholici potiùs conquerantur, Luterum cum suis pseudoprophetis docuisse homines rapere bona Ecclesiarum & monachorum. Quòd verò nunc etiam Vuigando & suî similibus auferuntur ipsorum res, manifesta est vltio Diuina, reddens eis in caput illorum, quod ipsi alijs faciendum docuerunt.

Duodecimum malũ Ecclesiam perdens, vult noster Vuigandus illud esse, quòd nullæ legitimæ Synodi obseruantur. Porrò nihil hîc agi dicit de Romani Antichristi, sed de Ecclesiæ Synodis, quæ Confessionem Augustæ exhibitam retinet. Vbi sanè & à Romano Pontifice, & à Zuinglianis, & à Vuittenbergensibus & Lipsensibus Luteranis indictas Synodos damnat.

Itaque illa sola rata & legitima erunt Concilia, quæ vel Vuigandus noster, vel Illyricus, vel Cyriacus Spangebergius, aut id genus Stoicus aliquis Luteranus præco indixerit. Sed benè habet, quòd vnà cum Romano Pontifice etiàm Luterani molles & Zuingliani reijciuntur. Eccè quò proruit cæcus hæreticorum furor. Eodem modo Zuingliani & Melanchthonici, & Anabaptistę & innumeri alij sectarij non ferent nisì suæ sectæ Synodos. Quis verò istis prodigiosis teterrimorum errorum buccinatoribus authoritatem contulit Synodos conuocandi? Quid non sibi sumit deplorata istorum arrogantia? Nolunt Romano Pontifici vllum esse ius conuocandi Synodos, & illud tamen sibi arrogant, qui nec id quidem merentur, vt inter infima Ecclesiæ membra numerentur. Obitèr obseruandum est, esse quosdam Luteranos Vuittenbergæ, qui doceant opera bona ad salutem esse necessaria: at hos Vuigandus vocat pseudoapostolos. Vuigandus enim cum suî similibus sola fide beatus est, modò sempèr crumena nummis turgeat, & Dalila foueat cubantem. Extat Erasmi non minùs verè quàm

1566 falsè dictum: Duo, inquit, quærunt Luterani, censum & vxores: reliqua omnia præstat illis Euangelium.

Luterani quid quærant.

Conqueritur etiàm Vuigandus, Synodos Euangelicorum iuxta arbitrium potentum aut affectus hominum gubernari. Quod si diceret Papista, esset peccatum plus quàm mortale.

Synodi Euangelicorum.

Redeat ergò Vuigandus cum suis ad Catholicam Ecclesiã, cui adest doctor & rector Spiritussanctus. Nam extra illam conciliabula cogi possunt, legitima Concilia nulla ratione haberi possunt. Pergit verò Vuigandus, & dicit: Donèc Synodi vel impediuntur vel differuntur, varia Zizania augmenta sumunt & dominantur, & plurimi istis erroribus suffocati intereunt. En importunissimus homo Synodos vrget, cùm ille cum suo Lutero omnes Ecclesiæ Catholicæ superiores Synodos, vbicunquè libitum est, reijciat. Si vult audire Synodos, habet & sanctissimas, & plurimas intra Catholicam Ecclesiam celebratas: illas audiat. Quòd si illas audire non vult, quæ insania est, vt nos putet sua conciliabula vel pili facere debere? Dolet autem illi, quòd plurimi deficiunt à quibusdam Luteri placitis, quodque hac occasione ipse cum suis in contemptum venit: & non dolet illi, quòd Lutero authore tam multi à Catholica Ecclesia ad fœdissimas hæreses defecerunt. Sed paulatim non Luteri tantùm, sed aliorum quoquè nostræ ætatis hæreticorum praua dogmata vt fumus euanescent, & veritas triumphabit. Rectè enim à Cicerone dictum est: Opinionum commenta delet dies. Laborauit iam aliquot annis veritas, sed quandoquè eluctabitur.

Cæsareopapatus.

Tertiumdecimum malum est Vuigando Cæsareopapatus, quo dicit destrui Christi vineam. Hìc primò Lutericè inuehitur in Papæ dominium, & more suo egregiè mentiens, inter cætera ait Pontificem Cæsaribus diademata pro arbitrio imposuisse vel deposuisse, & pleraque alia, quæ vel mediocritèr eruditi nôrunt esse meras calumnias. Deindè ad politicos dominos accedit, ex ijs nonnullos suis terminis excedentes, ait pedem alterum superbè in Ecclesiam collocare, eam pro suo arbitrio regere, ministros verbi non tantùm osculatores, sed merа scabella suorum pedum esse velle, religionum formulas seu cothurnos gignere, articulos doctrinæ cudere, eosque posteà cum imperio & armatis minis doctoribus ærumnosæ Ecclesiæ Christi (putà rigidorum Luteranorum) obtrudere, vt citra omnem contradictionem

Politici Domini carpuntur à Vuigando.

amplectantur: mandata affigere atque exhibere, quibus 1566
præſcribitur, quomodò & quatenùs miniſtri verbi Dei
errores & peccata repræhendere debeant, nempè, vt errores
grasſantes (Vuittēbergenſium & Lipſenſium &c.)
non refutent, falſos doctores non indicent, nec moneant
eos cauendos eſſe: peccata hominum, quantunuìs in hoc
mundi fine atrocia, tantùm in genere ſtringant, nè quis
animaduertere queat ſe peti, ſibi ſcilicet agendam eſſe
pœnitentiam. Neminem eſſe excommunicandum, nisì
de ſententia politicorum: Nemini eſſe denegandum
vſum ſacramētorum, nisì ex arbitrio aularum vel curialium,
quęcunque tandèm illa cauſa ſit. Quemadmodùm
autem, inquit porrò Vuigandus, Papa excommunicationis
fulmen ſuæ tyrannidi adhibuit: ità illi politici ſuas
minas de expulſionibus, de carceribus, de gladijs audaciſſimè
ſubijciunt. Sic igitur exurgit & in dies incrementa
ſumit Cæſareopapatus, & verſa vice eccleſiaſticus Antichriſtus *Antichristus*
in politicum degenerat. Hæc omnia noſter *Politicus.*
habet Vuigandus, qui poſtquàm delaſſatus ferè eſt Romanum
Pontificem Antichriſtum per calumniā appellando,
iam idem nominis tribuit etiàm Luteranis politicis
dominis & magiſtratibus. Quis verò etiàm in his
non miretur & prędicet diuini iuris æquitatem? Noluerunt
iſti euangelici dogmatiſtæ Romani Pōtificis agnoſcere
authoritatem, iam cogūtur ferre politici magiſtratûs
lōgè grauius (vt ipſi indicant) iugum. Sed nunquàm
ſibi politici magiſtratus tātum in res Eccleſiaſticas sumpſiſſent,
nisì Luterus cum ſuo dogmatiſtarum grege ad
hoc eos incitâſſet.

Decimumquartum malum, inquit Vuigandus, eſt
odium & profligatio ſeriorum & ſalutárium verbi Dei
doctorum, & ſubſtitutio ac copioſus numerus molligradorum
ac placentia dicentium. Hoc verò longè iuſtiùs
conqueri Catholica Chriſti Eccleſia poſſet, dum
profligatis Catholicis concionatoribus, ſubſtituti ſunt
quinti Euangelij buccinatores blandiſſimi, necnisì placentia
loquentes, qui miſeræ multitudini ſolam fidem
ad ſalutem ſufficere perſuadent. Sed tamen audiamus,
quid de ſe & ſuis ſymmyſtis porrò dicat Vuigandus:
Traducuntur, inquit, ſynceri & fideles verbi Dei mini- *Nota.*
ſtri odioſiſſimis titulis horridorum Stoicorum, intractabilium,
ſeditioſorum, turbulentorum hominum: muti
verò canes & palpatores (Vuittenbergicos & Lipſicos
Adiaphoriſtas &c. dicit) ornātur encomio pulcherrimo

mo

1566 mo pacificorum, placidorum, salutariũ Doctorum. Addit adhuc miser Vuigandus: Reperiuntur non pauci inter ministros verbi Eceboli & Gnathones, qui peccata potentum contra ipsorum dicta factaque, mira fraudulentia excusare atque ornare, carbonesque ignitos supponere non verentur, vt magis accensi politici, in doctores synceros (Vuigandum, Illyricum, Spangebergium &c.) audentius sæuiant, eosque è suis locis exturbent, ità vt iam etiàm plerique ex illis parturientium dolores sustineant. Hæc omnia Vuigandus Stoicè Luteranus, contra molles Luteranos concionatur: nec aduertit cæcus homo, sic se iam tractari à suis condiscipulis, vt ipse cum suis tractare solet Catholicos, præsertim clericos & monachos. Quis pro dignitate exprimere sufficiat, quàm multi Catholici intra hos quinquaginta annos ab istis neochristianis non mediocritèr diuexati, & in summas angustias sæpè redacti sint? Reddit Deus paria Vuigando & socijs Lutericis, idque ità tamen, vt hæc omnia ferant à Luteranis. Non dormitat sempèr vltio diuina: lento gradu procedit, sed tarditatem suplicij grauitate compensat.

Luterani parturiũt.

Animorũ inter principes dissociatio.

Iam verò etiàm ad politica mala se confert noster Vuigãdus. In ijs primum locum tribuit Gubernatorum dissociationi, & non firmæ inter eos animorum cõglutinationi. Hanc certè animorum dissociationem nulli magis acceptam ferre potest nostra inclyta Germania, quàm Lutero & asseclis illius, qui dum nouas opiniones in religionem inuehunt, homines in diuersas sententias trahunt: & reuerà nisì data fuerit opera, vt isti à Lutero & socijs eius alijsque pseudoprophetis intra hos quinquaginta annos disseminati errores, funditùs extirpentur, & ad pristinam religionis concordiam redeatur, non possumus non pessima quæque timere & expectare. Itaque si vult Vuigandus cum suis symmystis fungi officio boni viri, palàm confiteatur se turpitèr errâsse, se cum suis socijs pro puro verbo Dei non nisì è malo cerebro enatas prauas opiniones miseræ plebeculæ venditâsse, agat publicam pœnitentiam, volutetur in sacco & cinere: & qui cum suo Lutero tam multis fuit author ad amplectendos errores, etiàm multis suo exemplo præeat ad agendam pœnitentiam, & complectẽdam catholicæ doctrinæ veritatem.

Non libet hìc omnia Vuigandi abscribere, nè sim longior, sed non est tamen omittendum sextum malum politi-

politicum, quod ille vocat rapinam & abusum bono- 1566
rum ecclesiasticorum. Nam sacra bona, prouentus & re- *Rapina*
ditus dicit multos politicos nimis rapacitèr contrecta- *bonorum*
re, immò per fas nefasque suæ profanæ possessioni subij- *ecclesia-*
cere. Sed quis hoc faciendum docuit, nisi Luterus & *sticorum.*
sui discipuli? At verò Vuigandus dicit, hanc ecclesia-
sticorum bonorum direptionem aurum Tholosanum
& pennas aquilinas rectè appellari, & cum copia bono-
rum Ecclesiasticorum summam inopiam rapi. Obsecro
te Lector, perpende quid iste miser dicat, & inuenies
quantumuis vanos, fallaces & impios homines, tamen
vi veritatis adactos, interdùm vel inuitos verum dicere.
Quis dubitet, non posse cuiquam bono esse carũ rerum,
quæ Deo semèl dicatæ sint, direptionem? Et tamen sub
Luteri Euangelio quàm multa Ecclesijs erepta sint, &
quidem non solùm nullo commodo, sed multiplici eti-
am Germaniæ & aliarum regionum detrimento, ni-
mis in aperto est. Pudeat hæc dicere Vuigandum, qui
cum suo Lutero & socijs ad hæc designanda præclara fa-
cinora facem hominibus prætulit, dignus sanè qui vel
ob id solum & præsentis & futuræ vitæ pœnas luat. Li-
bentèr autem commemorat Vuigandus illud Esaiæ, E- *Esa.49.*
runt reges nutricij tui, quia perquàm vellet suauitèr per-
cipere largos Ecclesiæ prouentus, & foueri munusculis
principum, cùm interim nihil illi minùs, quàm reditus
Ecclesiastici debeātur. Multis quidem locis Ecclesiarum
& monasteriorum bona conuersa sunt partim in vsus
id genus ministrorum euangelicorum: sed veniet ille
dies, quandò ab æquissimo iudice ad vltimum vsque te-
runcium omnia ab illis in gehennæ tormentis repeten-
tur.

Octauum malum politicum est Vuigando luxuria, *Luxuria*
quæ iam omnes, vt ipse dicit, verecundiæ fines perrupit *sub nouo*
atque excessit. Sed talem prolem edidit nobis Luteri *Euãgelio.*
prorsùs Sardanapalica doctrina. An non ille scripsit pa- *De vita*
làm, minùs virum fœmina, & fœminã viro carere pos- *coniugali.*
se, quàm cibo, potu, somno? Pudeat Vuigandum & sui
similes horum vel meminisse, nec dubitent se suo hoc
blandissimo propagando euangelio mortalibus omni-
bus ad omnem turpitudinẽ laxâsse habenas. Cùm enim
Luterus ipse continentiam professus, virginem Deo sa-
cratam sibi iungere non dubitârit, quod nihil erat aliud,
quàm spurcissimam doctrinam suam sacrilegæ libidinis
fœdissimo exemplo adstruere, nemo iam ambigere po-
test,

1566 teſt, illum & doctrina & moribus inuitâſſe mortales omnes, etiàm illos qui ſolenni voto ſe Deo dedicârunt, ad explendas ſtrenuè carnis voluptates: hincque factum eſſe, vt luxuria omnes verecundiæ, immò & diuinarum & humanarũ legum, fines perruperit. Adijcit verò Vuigandus, luxuriam inter ſummos, mediocres & infimos impunè excreſcere: vbi ſanè etiàm principes perſtringit. Sed quicquid huius eſt, nulli magis quàm Luterico euangelio debetur.

Inter communia mala Vuigandus etiàm illud habet, quòd non eſt numerus neque finis, vt ipſe ait, claudicantium & inclinantium denuò ad Antichriſti præſtigias. (ſic vocat doctrinam Catholicæ Eccleſiæ, cuius Paſtor eſt Romanus Pontifex, qui Vuigando eſt Antichriſtus.) Atque vtinàm faxit benignus Deus, vt videãt tandem homines iſtorum ſuauium euangelij noui buccinatorum præſtigias, pro verbo Dei ipſis obtruſas: ità enim fiet, vt ocyſſimè ſeſe ad Catholicam Chriſti Eccleſiam recipiant, & ab iſtis impoſtoribus toto pectore ſeſe quàm longiſſimè ſubducant.

Iuuentus fit deterior.

Quin illud quoquè adijcit Vuigandus, iuuentutem ſubindè fieri deteriorem, intractabiliorem, eaque vitia audere perpetrare, quibus olìm adulti vix erant obnoxij: reſonare triſtes querelas paſsìm de iuuentutis petulantia & malitia, quæ incorrigibilis planè videatur. Hæc quidem veriſſimè dicuntur à Vuigando, ſed non vult fateri homo improbus, his tot iuuentutis ſceleribus ampliſſimas feneſtras aperuiſſe doctrinam Luteri, quemadmodùm facilè intelligi poteſt ex ijs, quæ ſuprà non vno loco memorauimus. Luterus & pueris & puellis, & viris & fœminis, & monachis & monialibus, & infimis & ſummis licere voluit penè quicquid liberet, dum multa palàm ſcribit, quæ non ſtylo, ſed laqueo & flàmmis vindicanda ſint. An non hominis planè perditi, & dominæ Veneri deuotiſſimi eſt, quòd in libro de vita coniugali ſcribit, non eſſe libertatis vel conſilij, ſed neceſſitatis & naturæ, vt quilibet vir habeat mulierem, & quælibet mulier virum? magìs hoc eſſe neceſſarium, quàm edere, bibere, excreare, dormire, vigilare? atque ea cauſa teneri ſacerdotes, monachos & moniales, poſthabitis votis ſuis, liberis operam dare? Proh ſcelus. Et miratur adhuc Vuigandus, cùm talia pleraque alia docuerit Luterus, iuuentutem prorsùs effrenem exiſtere? Hæc quidem ex Vuigandi exiguo libello in Catholici Lectoris

ris

ris gratiam strictim annotare volui, vt videat istorum 1566
euangelicorum hominum mutuas dissensiones, & se gratuletur illorum insidiosissimis laqueis non esse irretitum: simul etiam agnoscat fructus noui huius euangelij, quos nec ipsi tacere possunt. Mihi quidem non parum molestiæ adfert, ex illorum maledicis & impijs scriptis hæc aliaque excerpere: sed tamen vt tum præsentes, tum posteri videant istorum cæcitatem, impietatem, impudentiam, fraudes & dolos, odiosissimeque dissentientes aliorum ab alijs animos, tametsi pro se singuli certatim vociferentur, se purum docere euangelium, non volui subterfugere laborem, qui possit cordato Lectori non mediocrem adferre fructum, tum ad euitandas istorum hominum sectas, tam miserè dissectas, tum ad constantiùs permanendum in vnius sanctæ Catholicæ & Apostolicæ Ecclesiæ sana, & syncera, ac stabili doctrina.

Exijt etiam hoc ipso anno scriptum valdè acerbum cuiusdam Christophori Vualtheri Vuittenbergæ demorantis, aduersùs Iohannem Aurifabrum Vinariensem, eiusque primum & secundum operum Luteri Tomum Islebiensem. In hoc breui libello mirè iste Christophorus rixatur cum Aurifabro concionatore de corruptis Luteri operibus, tractatque hominem Luteranum Luteranus planè Lutericè. Obijcit illi, quòd Luteri Conciones deprauatè & truncatim ediderit: ait hominem contra suam conscientiam palàm mentiri, conuicia probraque iactare, suumque isthuc satanicum propositum & iniquitatem tueri. Ornat miserum concionatorem multis bellè Lutericis elogijs & emblematis, quibus istorum scatent libri.

Tomi operum Luteri corrupti.

Adfert quoquè ipsius Luteri verba, conquerentis plerosque ex liuore vel auaritia malè deprauatas ipsius conciones edere sub ipsius nomine. Et cur non pateretur suarum Luterus blasphemiarum deprauatores, cùm ille non sit veritus sacras literas corrumpere? Interim tamen dolendum est, tantam esse hæreticorum audaciam, vt nihil vereantur corrumpere aliorum libros. Cùm enim istud faciant libris Luteri hæretici, quis dubitet eos idem audere in libros sacræ scripturæ & sanctorum Patrum? Hîc verò nisi legum vigilet seueritas, quod tandem doctrinæ chaos habituri sumus? Non desunt sanè, qui etiam veteribus illis præcipuis Ecclesiæ doctoribus manus impuras admotas esse conquerantur. Verùm hoc nouum non est apud hæreticos. Id quidem

1566 dem omnem vincit admirationem, quòd iste Christophorus Vualtherus, quem appáret hominem esse valdè insulsum, non dubitat scribere, multos è præcipuis Patribus à Papistis & monachis esse vitiatos & deprauatos. Scilicèt toto orbe inter se conspirârunt Papistæ & monachi, vt omnes patrum libros adulterarent. Sed hóc dicunt isti belli euangelici homunciones, vt impunè liceat ipsis Patres vel ad Luteri, vel Zuinglij, vel aliorum hæreticorum impia commenta per summum scelus accommodare. Scire autem debebat rudis iste & impolitus Vualtherus, veritatem fidei Catholicæ non indigere patrum deprauationibus: sed eiusmodi adminiculis sese fulcire mendacia, quæ salua esse non possunt, nisì malis artibus id efficiant, vt veritas ab ipsis stare videatur. Eat Vualtherus, & respondeat latiùs præfationi Nicolai Amsdorffij insignis Luterani, in primum operum Luteri Tomum Ienæ editum, vbì propalàm asseritur, in Tomis Vuittenbergensibus multa omissa esse: respondeat etiàm suo Aurifabro, & desinat ore impuro & maledico tot seculorum carpere monachos & Papistas.

Insignis calumnia.

Extant hodieque vetustissima sanctorum patrum manuscripta exemplaria, nihil discrepantia ab ea Catholicæ Ecclesiæ doctrina, quam hodieque Papistæ profitentur, vt meritò istum insulsum officinæ typographicæ correctorem Vualtherum, pudere debeat tam petulantis in monachos & Papistas calumniæ. Commemorat autem Vualtherus iste, Sebastianum Munsterum apostatam monachum, repræhendisse Luteri versionem in 2. capite Ionæ prophetæ, quòd aliter verterit locum quendam Luterus, quàm habeat Hebraismus, vel Hebræorum expositores: at Luterum sic illi respondisse, Non esse curandos Hebraistas Grammatistas, qui in sensu scripturæ sint Rabinistæ, id est, animal sinè intellectu. Hoc quidem pulchrum est Luericæ modestiæ exemplum. nam sic ille suos tractare solet aduersarios, conuicijs scilicet & contumelijs in eos iactandis. Porrò Luteri hanc modestiam etiàm Vualtherus iste non segnitèr æmulatur. Idem autem ipse in hoc suo libello obijcit Aurifabro, quòd falsò affirmet infantes necdùm baptizatos etiàm actualia habere peccata. Verùm abeant isti cum suis mutuis emblematis quò digni sunt: mihi satis est, indicâsse etiàm Luteri opera hodiè ab ipsius amiculis & discipulis deprauari, & hoc nomine etiàm illos inter se atrocitèr digladiari: à qua contentione etiàm

Luterus à Munstero reprehensus.

Matthias Illyricus non est alienus. 1566

Multa hoc anno alia sectariorum scripta typis excusa sunt, quibus, illi euangelici fratres inter se contendunt benè largitèr. Vuirtebergici Luterani vel Brentiani suam contra Heydelbergenses Caluinistas tuentur Vbiquitatem: contrà verò Heydelbergenses eam oppugnare pergunt. Accedit huc Iohannes Marbachius præco Argentoratensis, & valdè prolixo scripto contra Caluinistas vel Zuinglianos defendit Luteri de Eucharistia doctrinam. Scripserat ille etiàm tres Conciones, sed eas Iohannes Syluanus tam egregiè proscindit, vt in ipsa opusculi inscriptione non vereatur scribere, eas plenas esse erroris Eutychiani. Est nanque etiàm Marbachius vbiquitatis Brentianæ non instrenuus propugnator. Et nè desint hominibus miseris libri, quibus & legendis tempus pessimè amittant, & emendis nummos perdant, edidit etiàm Iacobus Smidelinus conciones non paucas, in quibus suo more pergit Lutericum confirmare & propagare Euangelium. Porrò etiàm Iacobus Schegkius Schorndorffensis libello euulgato vbiquitatem suo modo videtur velle defendere. O quot immanes impensæ collocantur in perniciosos libros, nec est eiusmodi conscribendarum & in miserrimum vulgus disseminandarum nugarum, errorum, hæresum finis vllus. Nec hîc tamen quisquam conqueritur exhauriri homines perditissimis sumptibus, quos in eiusmodi scriptis comparandis ponunt: taceo quòd interìm miseri in varias de religione sententias magìs magisque distrahuntur, & quemadmodùm religione, sic etiàm animis inter se dissentire docētur. Verùm hæc pestis iam eò vsquè progressa est, vt haud facilis appareat medicina, meritoque supplicitèr rogandus sit Deus, vt maturè tandèm Christiano orbi opem ferre velit.

Hoc ipso anno 1566. cùm Christianissimus Imperator Maximilianus II. non obscurè cognouisset, Turcarum tyrannum Solimannum ingentem belli apparatum instituisse, atque tum Hungariæ, tum Germaniæ atrocitèr imminere, in Comitijs Augustanis egit cum Imperij Ordinibus de conscribendo milite aduersùs sæuissimi hostis impendentem vim & tyrannidem. Itaque tum peditum, tum equitum instructissimus coactus est exercitus. Porrò Solimannus Turca nihil de suo in Christianos odio & acerbitate remittens, cum maximis copijs venit ad oppugnandum Sigethum, locum sanè & natura

Solimannus imminet Christianis.

Nicolaus Serinus Comes.

1566 & arte valdè munitum. Vndiquè enim paluſtrem habet aditum, poſitumque eſt in Sclauoniæ finibus. De aduentu Solimanni certior factus Comes Nicolaus Serinus ex ſpeculatore quodam decimaquinta Iunij, qui bona fide diceret Turcarum copias duo milliaria occupare in longum, eaſque Sigethum vel Egar petituras: quem pòſt etiàm alij ſpeculatores ſecuti, aduentum Turcarum indicârunt: nec tamen vllus certò affirmare potuit, quò Turcæ iter ſuum intenderent: His, inquam, Comes Serinus 17. Iunij cognitis, mille pedites & equites quingentos mittit, qui periculum faciant, manusq; cum Turcis obuijs conſerant: aut certè illis non inuentis, oppidum Siclouſchum expugnent. Ij cùm Siclouſcho appropinquâſſent, præmittunt ducentos pedites & equites centum: qui cùm ad Turcarum caſtra perueniſſent, in eos impetum faciunt, eoſque diſijciunt, cæſis nō paucis, multis propè nudis fuga ſibi conſulentibus. Ipſe quoquè belli præfectus, quem Vuegum illi vocant, graui accepto vulnere, in paludibus perijt. Porrò filius eius cū tribus Turcis captus eſt ab illis. Deniquè Turcicis rebus præſtantiſſimis & pecunia, octo camelos, ſexaginta equos, & quinquaginta mulos onuſtos, ſex quoquè plauſtra ſpolijs omniuarijs impleta, ſecum ad arcem Sigethanam reportârunt, prętér veſtes magni precij, quibus nobiles induti, in Sigeth reuerſi ſunt: itemque duo rubri coloris ingentia ſigna. Fuit ea ſanè præclara victoria.

Turcæ cæduntur à noſtris.

Ingens præda.

Drauus ponte conſternitur.

Menſe Iulio ſæuiſſimi tyranni iuſſu pons ſtratus eſt per Drauum, paludes, prata & ſtagna vnius milliaris longitudine. Iam antè tertiò id fruſtrà tentauerat præfectus Hamſam, cui Solimannus id negocij dederat: ſed tandèm cùm ei ſuſpendium minatus eſſet, omni vi contendit ad Drauum flumen. naues omnes & illi vſui ligna opportuna comportat, infra Eſſecum opus inchoat, non modò ruſticos Turcæ tributum perſoluentes, ſed etiàm nobiles cogit operi manus admouere, neque vllam interdiù neque noctù ſibi dat requiem, donèc pons ille confectus eſſet, idque ſpatio dierum decem. Animaduerti indè poteſt, qua ſeueritate vtatur in ſuos homines barbarus ille tyrannus, vt mirum non ſit tam magnos illum habere progreſſus, quandò imperij ſæua vis nihil non extorquet à ſubditis. Nam & pauloantè iuſſerat Solimannus, vt per pagos & paſsìm palus ſanguine tinctus circunferretur. Per eum verò pontem poſt alios etiàm ipſe Solimānus Drauum tranſmiſit, venitque in agrum Mu-

hatſch,

hatſch, atq; illic caſtra metatus, aliquot dies hæſit, donèc exercitus omnis tranſiret. Prima die Auguſti indè Sigethum contendit: tertia die Oroſlanum Budæ Baſſam capite plectit: quinta die non longè à Sigetho caſtra ponit. 1566

Eius copioſiſſimum militem cernens aduentare Nicolaus Comes Serinus, omnes, qui tum in arce & oppido Sigetho erant, nobiles & ciues in arcem interiorem conuocat, ſtansque in medio illorum in platea minoris arcis, eorum animos confirmat, hortatur, nè frangantur tanta hoſtium multitudine, nec dubitent Deum Opt. Max. ſi veris precibus ab ipſis inuocetur, minimè eis defuturum: vtque ſummoperè dent operam, nè qua inter ipſos ſit animorum diſſenſio, ſed honeſti memores, mutua inter ſe beneuolentia & concordia iungantur. Præſtitit deindè primus ipſe iuramentum Deo, & Cæſareæ Maieſtati, illi afflictæ prouinciæ atque militibus: atque vt idem alij quoquè facerent perſuaſit. Aliquot etiàm ſanciuit leges, vt omnia rectè atque ordine gererentur. Iuſſit præthereà maius oppidum dirui: in noua vrbe ſtramen à tectis in ædes transferri, vt faciliùs flammis abſumi poſſet, quandoquidèm non niſì lignis & ſepibus cincta erat. Fuère tum Sigethi, qui arma tractarent, ad duo millia, trecenti.

Comes Serinus confirmat Sigethanos.

XXXI. Iulij milliari vno à Sigetho conſederũt Turcarum nonaginta millia: quos ex caſtris ſecuta ſunt centum Turcarum millia. Aliquot diebus pugnabant cum illis, qui erant in arce, nec paucos è ſuis Turcæ amiſerũt, pilis tormẽtorum extinctos, donèc ſexta Auguſti die ipſe Solimannus in caſtra venit, cuius tentoria in colle quodam fixa ſunt, cui vineæ adiacent. Ad ſolis occubitum tormenta omnia, atque etiàm Ianizarorum bombardæ manuariæ diſploſæ ſunt tanto cæli fremitu & fragore, vt tonitrua cælo deſcendere viderentur. Indè immani vociferatione ab omnibus ter exclamatum eſt, Halla, id eſt, Deus: à Sigethanis contrà Ieſus acclamatum. Septima Auguſti die à Turcis iactus eſt agger, & in eum tormenta comportata. Eodẽ die Comes Serinus ſepta omnia, hortos & arbores excindi & comburi iuſſit. Octaua Auguſti Turcæ ſummo manè tribus locis nouum oppidum tormentorũ pilis verberare incipiunt: eſtque ab illis extructus agger in ipſa palude ſeu foſſa arcis, in eumque maiora tormenta euecta: quibus nona Auguſti Sigethi arx interior vexata eſt, multumq; damni datũ turri & campanis, atq; etiàm hominibus, cùm die noctuq; continentèr

Exercitus Turcarũ.

Horriſonus tormẽtorũ ſtrepitus.

Oppugnatur noua ciuitas.

1566 tèr disploderentur. Id cõspicatus Comes Serinus, nouam vrbem inflammandam curauit à suis, veteremque occludendam. X. Augusti Turcæ vetus oppidum tribus locis maioribus tormentis oppugnant, & machinas in nouam vrbem deducunt:

Pontem faciunt Turcæ.

pontem ex lignis, ruderibus atque humo efficiunt, vt possint per loca palustria commodiùs ingredi. Huic rei Turcæ omnes, vt celeriùs conficeretur, suam compulsi sunt nauare operam, apportare ligna & arbusta, nec vnquàm ab oneribus ferendis feriari. Licebat tum syluam & agros omnes Turcis, camelis, equis & iumentis refertos intueri. Ità effecti sunt pontes ex duabus partibus ab vrbe versùs arcem, è quibus Ianizari, rebus ex saccis, lana & succidia constipatis benè muniti, densissimo glandium imbre ità à mœnibus arcis repellebant Sigethanos, vt nemo illic consistere posset.

Vrbs maior obtinetur à Turcis.

XIX. Augusti Turcæ magnam ciuitatem in suam redegêre potestatem, multis cęsis fortibus viris, qui in arcem se recipere nequiuerunt, quòd Turcæ mira celeritate eos anteuerterent. Ea clade accepta, & tot amissis rei militaris peritissimis viris, non immeritò reliquos dolor ingens obtinuit: qui quidem omnes cum Serino Comite in arce se incluserunt, Turcis oppidum iam inhabitantibus. XX. Augusti quatuor locis arcem tormentorum globis pulsant, ad eamque viam sibi duobus locis ruderibus, arbustis & terra muniunt.

Multi pereunt Turcæ.

XXVI. Augusti dum in arcem interiorem incurrunt Turcæ, multos è suis desiderant, & in ijs Miserskium Bassam. duo quoquè signa eis eripiuntur, ac tandèm summa cum ignominia recedere coguntur.

Secunda die Septembris Ianizari magno propugnaculo suffodiendo strenuam operam nauare cœperunt, triduoque tantum consecuti sunt, vt multa comportata materia, & puluere adhibito tormentario, quinta Septembris illud incenderint. Quæ res maximo Sigethanis detrimento, Turcis adiumento fuit. Indè enim sinè intermissione Cæsareæ maiestatis tormenta, quæ illic erant, in hostes exonerabantur. Porrò autem Ianizari & in propugnaculum portæ contiguum irrumpentes, & maxima vi in arcem contendentes, bis repulsi sunt, etiàm ipso Comite Serino fortissimè cum illis manus conserente. Sed iam igne nimiùm increscente, coactus est cum illis, qui supererant, in arcem interiorem se recipere, multis amissis strenuis militibus, multisque fœminis & pueris captis, qui in Turcarum castra miserando sanè spectaculo abducebantur. Dici vix queat, quanta com-

meatûs & omnium rerum ad victum necessariarum co- 1566
piam in maiori arce flamma vorax absumpserit, ità vt *Ignis ab-*
neque nostris neque Turcis vsui esse possent. Sed tamen *sumit ma-*
tormenta omnia illis cesserunt. In arce interiori non *ximā com*
nisì duo magna tormenta erant, & 14. bombardæ, nec *meatûs co*
admodùm magnus commeatus, ità vt triduo illo muli- *piam &c.*
eres & infantes fame & siti perirent. Tanta autem cele-
ritate, tantoque impetu arx exterior nostris erepta est, *Arx exte-*
vt vix daretur elabendi spatium. VII. Septembris die *rior capi-*
vesperì, & deindè manè Turcæ inijciunt ignem in arcis *tur.*
interioris loca illa, in quibus Comes Serinus morabatur: moxque summa vi conantur in arcem irrumpere. Cumque diutiùs tolerari non posset flamma nimiùm aucta, Comes Serinus indutus nouis sericis vestibus, centum ducatos & claues arcis misit in tunicam suam, aitque ad suos, dum gladio tractando manus ipsius apta foret, neminem illi centum illos ducatos & claues erepturum: se verò haudquaquàm è Sigetho abiturum, sed omnia forti animo toleraturum. Indè è suo conclaui in plateam interioris arcis procedens, omnesque illic equites & pedites districtis gladijs præsenti animo se expectare conspiciens, ità ferè ad eos locutus est: Videmus iam, quem- *Extrema*
admodùm omnipotens Deus igne in nos animaduertat, *oratio Co-*
vtque hostis igne nos superet, cuius sanè potentia non *mitis Se-*
perindè nobis noceret, atquè hic ignis. At tamen pœnam *rini ad*
hanc æquis animis perferre nos decet, qua non ob nostra *suos.*
duntaxat, sed etiàm prouinciæ huius peccata nos afficit Deus. Nôstis autem, quid anteà promiserimus: & hactenùs quidem, Deo sint gratiæ, stetimus promissis. Eadem porrò in nobis fides & constantia perseueret. Res ipsa declarat, etiamsi velimus, hoc in loco durare nos non posse, tum quòd incendio absumimur, tum quòd pauci admodùm sumus, tum etiàm, quòd victus non suppetit, vobisque infantes & fœminæ inedia pereunt. Procedamus igitur in exteriorem arcem, pugnemus cum hoste fortitèr, æternùm cum Deo hauddubiè victuri, si occubuerimus. Ego verò primus vos antecedam, vos ad meum exemplum componite. Ego profectò nunquàm vos deseram. His dictis, cùm tèr sanctissimum Iesu nomen appellâsset, vexillumque Cæsareæ maiestatis sibi præferri iussisset, nudo ense & exiguo scuto munitus, reliquis armis repudiatis, ex arcis porta progreditur, re- *Comitis*
liqui sequuntur: pugnant acritèr cum Turcis in ponte, *Serini cæ-*
tribus locis à Ianizaris glande percutitur Comes Seri- *des.*

 nus,

1566 nus, atque in terram corruit, Turcis ter Halla, id est, Deus, exclamantibus. Nostri fugiunt in arcem interiorem, cæduntur omnes à Turcis, summa vi insequentibus, paucis demptis, quos quidam pileis Turcicis tectos abduxére. Infantes & mulieres in captiuitatem trahuntur. Tanta in ipsis mœnibus interioris arcis cadauerum copia cernebatur, vt sanguis hauriri facilè posset. Tandèm verò flamma ad puluerem tormentarium, in quadam turri asseruatum perlata, aliquot domos funditùs euertit. Solo illo incendio grassante, vt Turcæ ipsi asserunt, vno illo in loco Turcarum plùs minùs tria millia extincta sunt: quæ res totis castris magnos clamores, ingentemque luctum excitauit. Eodem die præcisum est caput Serini Comitis, vt Solimanno exhiberetur. Sed ille tyrannus iam crudelem animam expirârat ante dies aliquot, mira interìm arte genero eius Mechmet Bassa id celante, adeò vt etiàm Doctorem medicum, nè per eum proderetur, clàm enecârit. Noluit Deus lętari tanta victoria teterrimum illum Christiani nominis hostem. Extinctus est 4. Septembris: moxque extitit sæuissima tempestas, adeo vt omnia Solimanni tentoria disijcerentur atque euerterentur, ex omnibus castris fœnum & palea abriperetur. Eodem ferè tempore apud Tulniam Danubius adeò turbidus & lutulentus visus est, vt per triduum nullus eius vsus fuerit. Octaua Septembris caput Serini Comitis inter alia nostrorum militum capita palo affixum est, mansitque sic toto illo die, certatim ad id contemplandum Turcis aduentantibus. Si quis Turca attulisset caput Sigethani militis ad Solimannum, vel eius generum, decem ducatos recipiebat. Vtinàm tandèm liberet Deus Christianos ab istis cruentis belluis. Liberâsset sanè iampridèm, si non obstarent mali mores Christianorum.

Magna Turcarũ clades.

Solimannus ante captũ Sigethum mortuus.

Nota.

Caput Comitis Serinensis mittitur in castra Imperatoris.

Caput Serini Comitis non diù pòst serico inuolutum, & subtili linteo tectum, à Budensi Bassa missum est per duos rusticos in castra Imperatoris Maximiliani. Indè cum multis lachrymis Tschacaturnum delatum, in monasterio S. Helenæ apud primam eius vxorem & filiam duosque filios conditum est. Non fuit autem Turcis incruenta hæc victoria. Nam, vt ipse Ianizarorum præfectus retulit, cæsa illic sunt Turcicorum equitum octodecim millia, Ianizarorum septem millia, exceptis alijs, qui in scripta relati non sunt. Periêrunt etiàm summi nominis tres vel quatuor Bassæ &c.

Hoc eodem anno 1566. cœptum est in Belgicis Catholi-

tholici Hiſpaniarũ regis Philippi ditionibus planè Tragicè tumultuari, resque ſpectare videbatur ad religionis excidium, niſi prępotentis Dei benignitate malorum hominum conatus eſſent retardati. Quę ibi tum acciderint, itemque anno ſequẽti, paucis annotabo, quemadmodùm ex fide dignorum hominũ literis & ſcriptis accepi. Anni ſuperioris menſe Octobri venerant à potentiſſimo Hiſpaniarum rege Philippo literæ ad illuſtriſſimam Belgij Gubernatricem, quibus ob fidei Catholicæ conſeruationem promouendam seriò mãdabatur, vt per omnes Belgicas ipſius ditiones executioni darentur edicta omnia Inuictiſſimi quondàm Imperatoris Caroli V. aduersùs hæreticos, quæ ab ipſo quoquè rege poſteà eſſent confirmata, itemque Tridentini Concilij decreta, quòd ad Cleri reformationem attinet, atque etiàm certa quædam capita, è quibus præcipua ſequuntur: *1566* *Tumultus Belgicus.*

Vt Parochi ſuorum parochianorũ omnium nomina, totamq; familiam deſcribãt, & qua quiſque in platea degat, & cuius ſit conditionis. In ijs ſi qui ſint, qui non ità pridèm in ipſorum parœcijs habitare cœperint, petant ab illo parocho vitæ illorum teſtimonium, ſub quo proximè morati ſint: id ſi non ſuppetat, intra certum tempus exhibere iubeant. Ab ignotis quoquè coniugatis eius ſacerdotis, qui illos coniunxit, repetant teſtimonium, ſcire vt liceat, num in contrahendo matrimonio Catholicæ Romanæ Eccleſię morem ſecuti ſint: atque tum horum, tum aliorum omnium, qui in illorum præſentia matrimonio iuncti fuerint, nomina in ſcripta redigant. *Aliquot capita ſeruanda.*

Vt non parochi duntaxàt, ſed etiàm Confeſſarij omnes ipſis confitentium nomina, cognomina, habitationem annotent.

Vt idem faciant Parochi & eorum vicarij erga conſcribenda nomina & cognomina baptizandorum infantum, eorum parentum, & ſuſceptorum.

Vt vtriuſque ſexûs didaſcalli omnes ſe ſiſtant coram Epiſcopis, expoſituri conditionem, patriam, religionem ſuam, & quos libros pueris prælegant. Porrò Epiſcopi de ijs facti certiores, vel admittant, vel reijciãt, aut certè differant illos & ſuſpendant. Si qui verò non ſe ſiſtant, aut non velint reſpondere Epiſcopis, ijs fas non ſit iuuentutem inſtituere.

Vt parochi accuratè perquirant, num illi, qui publicis victitant eleemoſynis, Catholici ſint, ſuaque peccata confiteantur, & communicent. Si qui tales non ſint,

1566 ijs à præfectis pauperum negetur eleemosyna.

Has literas illustrissima Gubernatrix huius anni 1566. mēse Ianuario, ad Episcopos & Magistratus omnes perferendas & publicandas curauit: quæ tametsi nihil habent æquitati & rationi non consentaneum, tamen à turbulentis quibusdam hominibus tumultuum Belgicorum causa omnis in eas confertur. Et quidem earum occasione in vulgus sparsi sunt rumores, deindè etiàm aliquot Belgij magistratibus persuasum est, harum literarum edictis Hispanicam introduci Inquisitionem. Voluit autem rex, vt qualis hactenùs etiàm sub Carolo V. ijs in regionibus fuisset inquisitio, talis deincèps seruaretur ob religionem conseruandam. Porrò autem & libelli supplices à quibusdam oblati sunt, quibus petebatur, nè Hispanica Inquisitio induceretur in Belgium. Est etiàm ab aliquot nobilibus hac occasione ictum fœdus, in quod initiò quidem etiàm Catholici quidam feruntur cōsensisse, quòd ad Hispanicam Inquisitionem attinet, qui tamen posteà ab illis se separârunt. In eo fœdere non absque graui iniuria Catholicus Rex acerbè & iniquè perstringitur, quòd summa vi inuehere conatus sit Inquisitionem perniciosam, & non modò alienam à ratione, Diuinisque & humanis legibus aduersam, sed quæ omnem etiàm vincat ethnicorum tyrannorum immanitatem & crudelitatem.

Rumores de Hispanica Inquisitione.

Fœdus nobilium.

Iussit autem Rex, vt Inquisitores ità suum exercerēt officium, vt hactenùs fecissent, & ad eos tum Diuino, tum humano iure pertineret. Quod igitur isthuc fœdus Regi impingit, id quidem eiusmodi est, vt non immeritò Catholici ab eo discesserint, qui tamen fortasśis hanc verborum acerbitatem minimè probârunt.

Ad eiusmodi autem acerbitates incitantur homines tum maximè, cùm se tradunt istius noui Euangelij seditiosis dogmatibus, quæ respublicas mirum in modum labefactant & euertunt, hominumque animos ad turbas & tumultus ciendos impellunt. Exempla passim extant plùs satis multa. Dum promittunt enim Sectarij præcones immodicam libertatem, animos hominum, alioquì nimiùm pronos in malum, omni religione soluunt, & laxant vitijs habenas, tametsi videri nolunt. Sed ad rem. Agitabantur interim consilia, sed valdè occultè, nec tamen ità occultè, quin interdùm nonnihil sese aperirent. Nam mense Martio quidam sectarius Brugis supplicio affectus, inter alia dixit, se quidem postremum

mum hæreſis nomine pœnas luiturum : quòd ſi verò ad menſem vſque Maium ſupereſſe liceret, nihil ſibi fore periculi. 1566

Libellus ſupplex ad Maximilianum Cæſarem.

Porrò Calendis Aprilis libellus ſupplex ad Maximilianum Cæſarem prudentiſſimum Latinè ſcriptus eſt, eidemq́ue poſteà oblatus in Comitijs Auguſtanis eiuſdem anni, idq́ue nomine illorum, qui in Belgio Euangelio filij Dei conuenientèr & credere & viuere cuperent : rectiùs dixiſſent, euangelio Caluini. In eo libello multùm conqueruntur de Inquiſitione Hiſpanica, de promulgatione Concilij Tridentini. Hortantur Cæſarem, vel potiùs obteſtantur, vt Philippo Regi ſe præbeat monitorem, nè pergat fundere piorum ſanguinem, & ea re in ſe domumq́ue Burgundicam prouocet iram Dei : tum etiàm poſtulant ab Imperatore, vt religionis negocium in Comitijs accuratè tractet, nec tamen illis ſolis fidat, qui mediam quandam fingentes religionem, vtrinquè claudicent.

Fœderati veniunt Bruxellas

V. Aprilis multi ex fœderatis nobilibus Bruxellas venerunt, illuſtriſſimæ Gubernatrici libellum ſupplicem porrexerunt, quo inter cætera volebant edictorum ad Inquiſitionem pertinentium executionem tantiſpèr prorogari, donèc ad regem Philippum quiſpiam mitteretur. Gubernatrici tum fortè aderat magni nominis eques aurei velleris, qui dixiſſe fertur ad illam : Non eſt quòd formides. Geux, id eſt, mendici ſunt iſti & nihili homines. Indè illi arrepta occaſione, ſe Geux vel Geuſeos nuncupârunt, & paulò pòſt quidam ex primarijs dicti fœderis nobilibus in publico conuiuio iam apud omnes peruulgatiſſimum illud **Viue les geux**/ Viuant Geuſei, Bruxellis proclamâſſe fertur, ſimul è vaſculo ligneo, quali vtuntur mendici, hauſto vino. Porrò etiàm veſtes ſibi ſumpſerunt coloris cinericei, & ad latus appenderunt vaſcula lignea, quorum laminis argenteis hæc inſcripſerunt : V. Aprilis 1566. **Viue les geux.**

Symbola fœderatorum.

Reſpōſum Gubernatricis.

Poſtridiè erat conuentus equitum aurei velleris, cum quibus communicato conſilio, illuſtriſſ. Gubernatrix reſpondit, ſe quidem iam concepiſſe quandam edictorum moderationem, quam mittere velit ad Philippum regem, & ſimul etiàm illorum negocium ſedulò curare apud illum : & tamen non ea ſe eſſe authoritate, vt iam olìm cœptam Inquiſitionem, edictorumq́ue

1566 rumque executionem abrogare queat: præsertim cùm non sit è re Belgicarum ditionum, nullis eas erga religionis cultum legibus teneri. Posse autem ipsos facilè coniecturam capere, quo erga cæteras Belgij prouincias sit animo, quòd Brabantiæ ordinibus iam pollicita sit, nulla illos inquisitione vexatum iri.

VIII. Aprilis fuit euulgatum responsum quoddam Equitum aurei velleris, tanquàm illi fœderatis promisissent, neminem deincèps religionis ergò pœnas daturum, nisi fortè seditionis aut magni cuiusdam offendiculi causa, donèc à Rege ex consensu Ordinum vel statuum certi quippiam decerneretur: verùm id commentitium fuisse, deindè in publico conuentu Equites illi demonstrârunt. Porrò confœderati, vt vel externo aliquo symbolo suam in regem Catholicam fidem protestarentur, ad collum suspensam ferre cœperunt illius effigiem fusilem argenteam vel auream, referentem formam numorum veterum: in cuius altera parte visebantur manus duæ se mutuò complectentes, cum apposita mantica & dictis vasculis: eiusque hæc erat vtrinque inscriptio, **Fideles au Roy iusques ala besace**: id est, Fideles Regi vsque ad manticam. Est verò etiàm in vulgus alter quidam sparsus numus æreus, in cuius vno latere hæc legebantur: NVMVS VIANENSIS: in altero verò, FLAMMA FERRÓQVE, cum insculptis symbolis domûs Burgundicæ.

Symbolũ aliud fœderatorũ.

Numus æreus.

Cõuentus Ordinum.

Mense Maio in Flandria, Arthesia, Hannonia, Hollandia, Zelandia, Phrisia, Namurco ordines tres, Ecclesiasticus, Nobilium & Magistratuum conuocati sunt, suam singuli exprompturi sententiam de regiorum edictorum moderatione, quæ quidem capita habet 54. à quibus, nihil tale sperantibus sectarijs, pleraque omnia approbata sunt, præsertìm ab Hannoniensibus, Arthesijs ac Flandris: additis tamen nonnullis capitibus.

VI. Maij cuiusdam oppidi Magistratus & ciues libello supplici apud dominum suum, vnum ex confœderatis nobilibus, egérunt, nè pateretur nouam apud ipsos religionem introduci: sed id frustrà fuit. Ego de industria abstineo nominibus. Erunt autē hauddubiò, qui omnia prolixè annotabunt & edent in lucem: mihi sufficit, pro meo instituto res breuitèr commemorâsse.

Altera Iunij missa est dicta moderatio ad Antuerpiensem Magistratum. Id vbi resciuit plebs, prætextu

textu iniuriæ ipsis ea moderatione irrogatæ, libellum 1566
supplicem quibusdam obtulêre, ij rursùs Magistratui, Libell
cuius hæc erat summa, nè illa moderatio admittere- su
tur, vtpotè à Cardinalistis confecta. Sic autem in odium illustrissimi Cardinalis Granuellani Catholicos principes appellabant. Porrò Bruxellis IX. Iunij sp
sæ sunt schedulæ, in quibus hæc ferè legebantur: (
cunque Consules, scabini, rectores primariarum
bantiæ vrbium, in moderationem edictorum
consensu nobilium confœderatorum & plebis,
tra eius priuilegia consenseritis, frustatim cæs
peribitis.

XII. Iunij eodem exemplo alter sparsus est /
Gallicus, qui quidem Belgarum omnium præ se
nomen & titulum, nec tamen esset nisì ab vnius pro
ciæ hominibus editus. Eius hæc erat ferè inscriptio Admonitio, qua boni & fideles subditi & incolæ inferioris regionis, eiusdem gubernatores & status eorum admonet, quæ ipsi in religionis negocio sentiant & postulent constituenda. In hoc libello vrgent pacem publicam inter Catholicos & Confessionistas in Comitijs anni 1555. promulgatam, vt ipsi quidem aiunt, cùm tamen nihil seruarent minùs, quàm quæ illic sancita erant. Nam tametsi illic permissum fuit Confessionis Augustanæ Ordinibus sua viuere religione, at simùl tamen disertis verbis interdictum est, nè Catholicorum Ordinum subditos ad suam cogant religionem, vel illis abstrahant, & contra superiores suos in suam fidem & clientelam recipiant, aut quouis modo tueantur. Quanto igitur minùs Catholicorum ordinum subditis, inuitis superioribus, licet mutare religionem? Eam autem pacem lingua vernacula excudi curârunt sinè priuilegio, vt plebs concitaretur: tantique eam volebant esse ponderis etiàm apud Belgas, vt tametsi initiò se videantur referre ad Belgij ordines generales in vnum coactos, tamen posteà palàm affirment, neque Duci Brabantiæ, neque ordinibus quicquam licere contra illam. At non diù pòst ea, quam diximus, moderatio à deputatis trium ordinum nedùm Brabantiæ, sed etiàm aliarum prouinciarum Belgicarum approbata est, & cum responsis omnium ordinum, ità vt se curaturam receperat illustriss. Gubernatrix, in Hispanias profecti sunt Equites aurei velleris, Marchio Bergensis, & Dominus de Montigny.

At

566 At verò ſectarij iam non contenti libellis ſupplicibus egiſſe, maiora auſi ſunt. Nam remiſſa nonnihil inquiſitione, quanuìs non expreſſo conſenſu, ſub finem Maij, & hoc ipſo quoquè Iunio menſe, cœperunt Sectarij ...a in agris habere noctis & tenebrarum conuenticula, ...quidem euocatis ad eam rem ex Germania ſuperiori, ...oniæ oppidis maritimis, ex Gallia, Anglia, Embda, ...ue locis noui euangelij tam bellè inter ſe conſenti... miniſtris & buccinatoribus, qui vel inuito rege & ...ratibus, ſuos errores & hæreſes diſſeminare non ...runt.

...VI. Iunij publico propoſito edicto id genus ...ines iuſſi ſunt è ditionibus Belgicis excedere: ...populum euerterent, iuſſi ſunt compræhendi, ...què certas daturi pœnas. Verùm id ſuam non ...uit executionem, pleriſque nobilium ſectariorum ...etu nihil attentare auſis contra tales prædicatores: quo factum eſt, vt etiam clara luce non ſint veriti palàm concionari. Ex primis ferè fuiſſe aiunt Flandros quoſdam occidentales, & Iperenſibus vicinos, quos videre licebat armatos enſibus, ſclopetris & fuſtibus ire ad conciones. Nec Antuerpienſes poſtremi eſſe voluerunt ad res nouandas. Iam anteà in ſylua quadam cœperant: porrò Dominica die ante natalem S. Ioannis Baptiſtæ in viculo Burgerholtz dicto, non longè ab vrbe, duæ habitæ ſunt conciones, vna Teutonica, Gallica altera, & quidem per viros nouo euangelio dignos, nempè tinctorem & coriarium. Secuti deindè ſunt & alij ingenti numero in Hollandia, Zelandia, Phriſia: nè qua tamen vis metuenda foret, armati concionibus intererant. Quin & in Flandria Iperenſes, Gandenſes, Hondeſcotani, Aldenardenſes, Bergenſes, Caſletani, Tornacenſes & Inſulenſes ſimilia attentârunt. Brugenſes ſanè ad duos ferè menſes reſtiterunt, hodieque conſtantes permanent, qui apud eos dicuntur Francotæ: (eſt autem magiſtratus perpetuus, quartum Flandriæ membrum referens) Egregiam quoquè Deo & regi ſuo fidem præſtiterunt Bruxellenſes, Louanienſes, Dordracenſes, atque vniuerſa ferè Artheſia & Hannonia, demptis Valencenis

Armati eunt ad conciones.

Brugenſium conſtantia.

III. Iulij illuſtriſſ. Gubernatrix grauitèr vetuit, nè qua vel priuatìm, vel publicè conuenticula fierent, concionatoribus capitis ſupplicium, alias pœnas auditoribus intentans: atque etiàm ſexcentorum aureorum præ-

Contra conuenticula.

præmium proponens, ſi quis concionatorem ſectarium compræhendiſſet. At hîc dormitante executione, nihil effectum eſt. Immò verò Antuerpienſes maiori etiàm numero ad conciones extra vrbem procedere non dubitârunt, freti partìm quorundam nobilium fauore. Miſſus eò fuerat Comes Meganus, vt de præſidio accipiendo cum illis ageret: verùm is, nè quid caperet detrimenti, coactus eſt re infecta diſcedere: porrò quidam alius vir nobilis ex confœderatis, ingenti pecu ſumma donatus eſt à ſectarijs: Cùm autem 8. Iulij noctem rumor diffunderetur, aduentare cum præſidio Comitem Arenbergium, multùm ſudat ſingulis ad ſuas fores excubias agentibus. Accid lò pòſt die quodam tres ardere ædes: tum plebs a ſcentibus animis facta iam audacior, ingentibus c citatis turbis, exclamauit: Ad cædes, Ad cædes: ſedit eſt. Et ſanè, niſì prudentia magiſtratûs itum eſſet obuiàm, actum fuiſſet de illo celeberrimo emporio. Viſebantur quoquè non ſemèl affixæ Canonicorum ædibus chartulæ, hæc verba continentes: Verbum Dei: iugulentur ſacrifici: In malam crucem ſacrificos, monachos, canonicos. Mouit ea res non immeritò tum eccleſiaſticos, tum ciues catholicos plerosque, vt indè abſcederent: ſimul etiàm theſauri infiniti ea occaſione exportati ſunt. Miſſus eò fuit à Curia ob motus ſedandos princeps Auraicus: cuius aduentu etſi pacatiora facta ſunt omnia, at tamen plebs temeraria ad conciones egredi etiàm ſolito ardentiùs viſa eſt: adeò vt 14. Iulij, quæ fuit Dominica, ſex conciones forìs habitæ ſint.

XV. Iulij conuentus fuit confœderatorum nobilium apud S. Trudonis oppidum, quò etiàm miſſi fuêre Comes Egmondanus & Dux Areſcottanus, ſed nihil egerunt. Mutata verò ſententia, colloquium indictum eſt in Duffle, ad 18. Iulij. In hoc conuentu Trudonenſi viſi ſunt confœderati habitu nigro, collo iniecta catena ferrea, cum appenſa regis effigie ac vaſculis ligneis. Oblatus eſt ibidèm confœderatis libellus ſupplex mercatorum & plebis nomine, petentium protectores, nè in ſuæ religionis exercitio impedirentur, donèc per ordines legitimè congregatos aliud ſtatueretur. Iam antè petierant ſolum conuentum ordinum, modò verò etiàm legitimè coactum adijciunt, non abſque cauillo. Porrò viua voce polliciti ſunt ſe arma poſituros. Reſpon- Cõuentus Trudonenſis.

1566 sponsum autem illis est à fœderatis, non eos ob religionem vim passuros vllam, donèc aliud ab ordinibus decerneretur, modò tamen extra modestiæ cancellos non efferantur. Interìm verò principibus Auraico & Egmondano in Dufle (qui pagus est haud procùl Antuerpia) id significandum censuerunt, se quidem velle populum continere in officio, ità tamen, si ipsi cum Gubernatrice securitatem illi præstent ad conuentum vsque generalem.

XVIII. Iulij ipsorum legati ad principes memo- venerunt in Dufle. Actum autem cum illis est potuit fieri modestissimè, nè peiora tentaren- riptoque rogati sunt, summoperè curarent im- re conciones agrarias; maximè cùm rumores fe- ntur, non postremam illorum causam fuisse libellum nobilium 5. Aprilis exhibitum : quòd si eas impediant, hoc ipso facilè se posse hanc sibi notam eximere: præsertìm cùm post duos antè dictos Legatos, etiàm veredarius ab illustriss. Gubernatrice missus sit in Hispanias ad regem, vt assensum præbeat indicendo generali ordinum conuentui, ob excludenda sæpè dicta conuenticula. Intereà autem nulla contra eos arma sumpturam Gubernatricem, si tamen etiàm ipsi armis abstineant. Ad hæc confœderatorum legati tum quidem nihil responderunt, quòd non carent is se porrigeret illis data facultas : at scripto posteà responsum est.

Gubernatrix præmonet ciuitates.

Porrò illustriss. Gubernatrix rebus volens opportunè consulere, ad vrbes omnes datis literis, hortata est vt sibi prospicerent, nè qui vel motus ciuiles existerent, vel à sectarijs inuaderentur. Ad Episcopos etiàm literæ scriptæ sunt, vt populum Catholicum crebris concionibus & morum emendatione in officio continerent, indictisque ieiunijs, eleemosynis & publicis precibus iram Dei placarent. Id quidem præter alios strenuè curauit Episcopus Brugensis, Clero ieiunare iusso die 4. & 6. & sabbato, plebeque ad preces faciendas admonita sæpiùs, & quotidiana integro mense habenda concione. Mox verò etiàm alijs literis indicatum est Brugensibus & Francotis, quibus machinationibus apud ipsos quoquè sectarij ad proximam Dominicam instituissent conciones forenses introducere: qui sanè Brugenses aliquandiù se egregiè opposuerunt. Aliæ verò vrbes cœperunt militem domesticum con-

scri-

ſcribere, vt ſi qui extarent tumultus, comprimi poſ- 156
ſent, nemine iam dubitante aliquid monſtri alere Sectarios. Antuerpienſes tamen, licèt poſtulante principe, id temporis necdùm militem conſcribere voluerunt. Per hos dies cùm apud Montenſes Hannoniæ quidam tentarent concionem inducere agrariam, illi oppido egreſſi conuentum diſſipârunt, quibuſdam verò etiàm manus iniecerunt, nec diù pòſt ſolum vertere iuſſerunt.

Sub finem Iulij iterùm Bruxellas venerunt legat confœderatorum, & ſcripto benè longo ad 9. capita i Duſle propoſita reſponderunt. Primò, gratias agı ob miſſos in Hiſpaniam legatos. Secundò, promittu ſe morigeros fore & Catholico regi & illuſtriſſ. Gub natrici. Tertiò aiunt, quòd ad Inquiſitionem attinc non eſſe ſeruatam fidem. Quartò, moram regij reſponſi, ordinum conuentum extraordinarium, minas deniquè & nobilibus & plebi intentatas, in cauſa eſſe, quòd populum à concionibus vetitis arcere nequeant. Quintò paratos ſe eſſe fatentur opponere ſe patriæ totius exteris hoſtibus: ſed regis ſubditis manum adferre, id non eſſe ſui officij ex debito præſtandi. Sextò, non poſſe doceri, ſuorum quenquam plebem ad dictas conciones incitâſſe: nec tamen ſe ire inficiàs, eſſe inter ipſos, qui, cùm ſint eiuſdem cum illis religionis, non eas improbent. Septimò, ſe quidem illas conciones hactenùs fruſtrà eſſe impedire conatos: proindè rogare ſe, ipſius Celſitudo velit opporruna adferre remedia. Octauò, ſe de regis erga ſe fide nihil ambigere, eiusque aduentum ſibi etiàm in votis eſſe: neque enim ſe quicquam deſignâſſe, cuius ille debeat obliuiſci. Quandò tamen compererint ipſius Celſitudinem ſibi non ſatìs fidere, publica etiàm fama ſe perduellionis & læſæ maieſtatis inſimulari, compulſos ſe externa ſibi auxilia comparare: at tamen mâlle ſe, vt ipſius Celſitudo cùm aurei velleris Equitibus ſecuritatem promittat. Deniquè in conuentu Trudonenſi non ſe negant mercatoribus alijsque popularibus fidem addixiſſe ſuam, ſed ea cauſa tamen id ſe feciſſe, nè illi Gallorum opem & fidem implorarent.

Calendis Auguſti rursùs alio prolixo ſcripto mentem ſuam fuſiùs explicant. Intellexerant enim illuſtriſſ. Gubernatricem id deſiderare. In hoc ſcripto inter cætera aiunt, non ſibi deeſſe iuſtas conquerendi cauſas, *Aliud ſcriptum fœderatorũ.*

quòd

1566 quòd mox post oblatum libellum supplicem quidam Equites aurei velleris se prorsùs ab ipsis tanquàm à perduellibus abalienârint, suosque consanguineos monuerint, nè aut ipsis confœderarentur, aut si id fecissent, ab ipsis recederent: multaque habent alia, quæ breuitatis studio præterimus. Porrò illustrissima Gubernatrix se illis 20. Augusti responsum reddituram dixit.

Interìm Antuerpiæ vno die supra bìs mille chartulæ distractæ sunt, quibus hæc continerentur: Permittitur libera fidei suæ professio hominibus ecclesiæ reformatæ, (ità vocant hæresibus deprauatos) modò se commodos & fidos regi subditos præstent, neque vllas turbas cieant, tum etiàm Magistratui morem gerant. Sed quanam ratione illi possint dici fideles Regis subditi, qui sectas, ipso vel maximè inuito, amplectantur & tueantur? Quàm autem fidi fuerint, ipsi mox declarârunt. Nam X. Augusti incitante turbas apostata quodam Augustiniano, ipsis D. Laurentij ferijs sacellum eius apud Casletum Flandriæ vastatum est. Post Balliolani, ac XIII. eiusdem mensis Iperenses ordinum mendicantium aliaque monasteria & templa omnia tam intra quàm extra vrbes inuaserunt, imagines omnes, Christi Crucifixi signa, altaria, baptisteria, Eucharistiæ ædiculas, organa, sedilia, sacella, suggestus, candelabra, codices confregerunt: ac deindè Casletani, Poperingani, Hondescotani, Rosbrugani, Bergenses, Armentereriani, Rotornacenses ac alij, aut saltem ab illis omnibus designati, ornamenta omnis generis, thesauros, calices, patinas, ampullas, thuribula, aut frustatim comminuêrunt & inflammârunt, aut absportârunt: & quod est sanè apud homines è religione Christianos dictu quoquè horrendum, sacrosanctam Eucharistiam homines impij & scelesti pedibus conculcârunt, confoderunt, ignibus iniecerunt: eodem modo etiàm sacras tractantes reliquias diuorum: sacro oleo & chrismate calceos inunxerunt, mirisque ludibrijs Christi à Cruce pendentis & sanctorum imagines exagitârunt, additis id genus planè barbaris vocibus: Si Christus es, si filius Dei es, si quis sanctorum es, aut aliquid potes, dicito, Viue les geux: atque ità tuam imaginem non confringemus. Iam verò etiàm vix vnquàm præstando studiosorum, & totius Ecclesiæ damno teterrimi illi nebulones multas passim insignes

[...]antur [...]esiæ, [...] monasteria.

Iniuriæ in S. Eucharistiam &c.

Bibliothecæ perduntur.

gnes bibliothecas prorsùs dissipârunt & perdiderunt. 1566
Hæc autem tot tamque atrocia mala aliquot viles homunciones, & quidem perpauci, ab Augusti die 10. vsque ad 25. eiusdem, non sinè magna ad posteritatem ignominia, per Flandriam, Hollandiam, Zelandiam & Frisiam perpetrârunt. Porrò Brugenses circa hæc tempora cùm intellexissent ingentem aduentare sectariorum turbam, putà ad 30. vel 40. millia, qui vellent armata manu apud illos hæreticas conciones inuehere, non immeritò formidare visi sunt. At pauci duntaxàt venêre, plùs minùs octingenti, sclopettis & fustibus armati, qui e regione vrbis bis concionati, nihil prætereà efficere potuerunt. Aderat enim intra vrbem Comes Egmondanus, ab eius vrbis magistratu accersitus, qui misso caduceatore, iussit homines seditiosos è Brugensium finibus excedere. Est autem certè non mediocritèr hac in parte laudandus supremus Brugarum prætor equestris ordinis dominus de Ogniez, qui xj. Augusti summo manè 50. sectarios ingredi volentes, portis obseratis exclusit, qui nihil boni animo concepisse haud iniurià videri possint. Ij ipsi autem cùm se exclusos viderent, ad mœnia vrbis suos cantillârunt psalmos, & sibi mutuò nescio quas buccellas porrexerunt. Fortassis suam illam præclaram seruâ-[cœ]nam homines prophani in loco prophano, apud quos nullus ordo, nulla religio, sed confusio plùs quàm Babylonica.

Prætor Brugensis.

XV. Augusti, ipso solenni die assumptæ in cælos [sa]cratissimæ matris Dei, rursùm Antuerpiæ tumultuari [c]œptum est. Iam suggestus positus erat, vt ex eo concionarentur in vrbe noua Caluiniani: sed impediti sunt authoritate Principis Auraici & magistratûs. Dominica proxima celebrata est non absque multorum metu solennis annua supplicatio in honorem eiusdem sacratissimæ Virginis: sed tum Antuerpia blasphemijs & contumelijs in illam tantam Virginem personabat. Cruciatur enim in impijs hominibus malus dæmon pia Virginis Matris & sanctorum veneratione: itaque quod per se non potest, per suos administros eam modis omnibus abolere & proscindere non cessat. Sed illa sacratissima Virgo conteret satanam cum omnibus satellitibus eius. Postridiè ex vrbe discessit Auraicus princeps. Rati tum Sectarij se inuenisse sui consilij & voluntatis explendæ opportunitatem, septem ea die conciones partìm à Caluinianis, partìm à Luteranis haberi

Tumultus Antuerpiæ.

1566 curârunt. Die Martis sequenti cùm vespertinas in æde Virginis matris preces persoluerent Canonici, sartor conscenso suggestu, postulatoque nouo testamento, Pastorem ad disputationem prouocauit. Cernens hoc quidam nauta Catholicus, eum è suggestu deturbauit. Mox hæreticus quidam nautæ brachium sclopetto læsit. Indè ortus tumultus, templum omne ipsamque vrbem compleuit. Erat sanè illud beatissimæ Virginis templum longè pulcherrimum, structuris & picturis eximijs, multisque maximi precij rebus ornatissimum. In hoc igitur quidam sceleratissimi & perditissimi scurræ plùs quàm Turcicam cœpêre iconomachiam, maxima vi & incredibili furore diffractis, comminutis & disiectis statuis, aris, imaginibus omnibus, ipsa quoque ædicula sacrosanctæ Eucharistiæ, cuius precium ferunt excessisse summam multorum millium aureorum. Aras è fundamentis conuulserunt & confregerunt. Indè ad monasteria & templa omnia progressi, eandem insaniam declarârunt. In monasterijs [illegible]x quicquam integrum relictum: quæ deuor[illegible] non poterant, proiecerunt, vinum & ceruisiam [illegible]ctis epistomijs effuderunt, in vasa butyri & in farinas lotium & oleum immiserunt, supellectilem diripuerunt, & vt animas quoquè perderent, monachos ad defectionem me[illegible]runt. Nemo facilè vel dicere, vel credere possit, quantum damni intra paucos dies in sola Antuerpia & locis vicinis datum sit ab istis satanicis & deploratis tenebrionibus.

Iconomachia Antuerpiensis.

Nam etiàm ex vrbe prorumpentes, non admodum multi, in pagis adiacentibus omnem insani pectoris furorem in sacras imagines & templa effuderunt. Nox ea, qua primùm cœperunt debacchari, horrida sanè fuit Catholicis, inprimìs autem ijs, qui in Clero essent & monasterijs, omnibus non frustrà summo timore correptis, atque huc illucque diffugientibus, plerisque nihil nisì præsentem mortem expectantibus. Videre tum erat, Virgines Deo sacratas è suis cœnobijs seminudas profugientes, vt sectariorum impuras manus euaderent. Deindè etiàm aliquot diebus vrbis templa omnia ab illis furiosis hominibus obserata sunt, nè liceret Missæ facere sacrificium, quod illi cane peiùs & angue oderunt, hauddubiò occupati à diabolo. Non iniuria vir quidam grauis eam vrbem id temporis appellauit nouam Babyloniam, sinè rege, sinè lege, sinè sacrificio.

Antuerpia, Babylonia.

Habe-

I

Habebant ver
& Conciones
orgium. Erat ti
mo importunus
nes natus. Is ſe pl
buit ſeditioſis co
mam vrbis cõſu
teranis intra
etiàm An
hibiti à
fierun
runt.
Lutera
fœdiſſim
moratu dig
tumque ſudat
ce Chriſti aug
nes adhuc perm
paſſi pro omni
fricari conſpecta
tem tarij ad ce
am ſane ampliſſim
turrim quoquè æ
di cauſa, nouoq
vendicare: ſed
hominum in

XXII. A
templo Diui
incredibil
nihil reli
ſtarunt
eius op
ratas in
eſt atroc
cœnobia: ta ... eſſent in
ſed tales ferre non poſſunt Eu
ctores, quòd ſciant, eorum com
ſtudijs & exercitijs, ſuos nefarios
gmata plurimùm impediri. Carthuſia quoqu
ci miſerè diſcerpta eſt: Hæc ſunt noui Euang
clara facinora, atque in ijs excelluiſſe, hoc paln
liſſe eſt.

XXIII. Auguſti Gandaui ſimile bellum indictum
ſtatuis & imaginibus: & poſtridiè apud Valencenas &

coducensibus,
Eucharistiam,
pulcra sæuitum
Et Tornaci qui-
è, nisi fallor, re-
modi flagitia de-
utantur, & qui-
tam paucos,
re potuis-
gmon-
ri scri-
oc præ-
ra, præ-
nobium
precij mar-
arum Blan-
nebatur ve-
atis dubitare
nani barba-
vt fides Ca-
am dici queat, as-
cat? Et audent ta-
ere modis omni-
suadeant fungis
ra patrum scri-
entis diffide-
olita vellent.
is, quæ dixi-
antibus dæ-
rnaci diù
uè locis
operam,
subijcere

em etiàm Me iniæ tumul-
Franciscanorum & Carmelita-
ia sumebantur confringendarum
in s ædibus: verùm ciuibus se opponen-
em die sub vesperam extra oppidum, mona-
. Hansuuicense & alia circumadiacentia templa
unt & depopulati sunt. Igitur Mechliniæ quo-
a die Martis ad Dominicum vsque, Diuina sunt in-
missa officia. Duces huius tumultûs duodecim plùs
minùs adolescentes secum habebant, ijque paulò antè
capti-

captiuum [illegible]
cere extrax[illegible]
XXII [illegible]
denardi & [illegible]
buere impi[illegible]
num pijssi[illegible]
vt & Gan[illegible]
gines ta[illegible]
sed eti[illegible]
confre[illegible]
aduen[illegible]
si resi[illegible]
ignibu[illegible]
Brugis q[illegible]
rendis imag[illegible]
rumor concitatus erat. Itaque [illegible]
uitas, totaque nocte iussu magi[illegible]
ciosiores & præstantiores imag[illegible]
templis exportatæ sunt: singulis [illegible]
hibiti custodes, qui perpetim ea ab [illegible]
rijs tuerentur. siquidem minæ in dies sua capiebant incrementa. Sed & à Comite Egmondano per magistratum celeritèr euocatus est miles præsidiarius. Erant 40. duntaxàt sclopettarij, quorum aduentu vrbs illa magno periculo liberata est. Mox etiàm conscriptus est miles domesticus sumptibus Cleri & ciuium: erantque paritèr tum domestici, tum exteri milites ducenti, qui omnem iconoclastarum conatum impediuerunt. Habebunt suæ constantiæ laudem sempiternam Brugenses: habebunt & Louanienses & Bruxellenses, qui vi ferroque sectarijs se opposuerunt: itemque in Flandria Alostani, Teneramondani, Curtracenses, Dunkercani, præsertim verò Insulenses, qui magnæ prudentiæ exemplo sectatiorum vim omnem maturè illis eripiendis armis compresserunt. Sed & reliqui omnes, qui in hoc rerum tumultu se constantes præbuerunt, digni certè sunt, qui apud omnem posteritatem multa eaque eximia laude afficiantur.

Præsidiū Brugēse.

XXV. Apud Traiectum inferius sectarij in quatuor parœciarum templa, Dominicanorumque & Franciscanorum monasteria irruperunt. Postridiè ruderibus è D. Iacobi æde exportatis, illic suo more concionati sunt diebus octo. At quinque Canonicorum Collegia, reliquaque cœnobia perpetuis excubijs vim eorum omnem

Traiectēsis tumultus.

 à se

elebrârũt.
ſuo impo-
araco, Gouda
ɔijs: multum-
abſque cæde
permiſſum

rrox Tra-
holici re-
iſti, ſe-
bilibus
ſſatio-
curitas
maieſta-
nt, turbis & tumultibus præ-
pariter incumbant, iconocla-
rogredi, immò eius ſacrilegij re-
eram, nè qua vis aut iniuria fiat
, & nobilibus Catholicis: ſummo
connitantur opere, vt plebs tantorum malorum magiſtra, confeſtìm arma ponat, & nè conciones ſectariæ fiant, vbì hactenùs habitæ non ſint: vbì verò factæ ſint, poſthàc ſinè armis, abſque ſcandalo & tumultu fiant. Ad extremum vnà reſiſtant quibuſcunque exteris hoſtibus & rebellibus, nouæque religionis hominibus perſuadeant, vt quæ à regia maieſtate ex Ordinum conſilio poſthàc decreta fuerint, ijs per omnia ſe morigeros præſtent.

Fœderati ſcribunt Sectarijs.

XXIIII. Auguſti quidam ex confœderatis nobilibus ad miniſtros, conſiſtoria & mercatores datis literis hortantur, vt modeſti ſint donèc ipſi veniant ad ſedandos tumultus, ſecuroſque iubent eſſe, nihil ipſis ob ſuæ religionis exercitia moleſtiæ illatum iri. Poſtridiè ijdem ipſi cum decem alijs, tam ſuo quàm confœderatorum omnium nomine iurant, ſe ſeruaturos omnia ab illuſtriſſ. Gubernatrice propoſita, ſuumque fœdus reſcindunt, quandiù ea ſecuritas permanebit. Itaque eodem die ad Belgij gubernatores, Equites aurei velleris, & cōcilia Ordinum, concilium quoquè priuatum, poſtero autem die ad cætera prouincialia concilia, cunctaſque primarias ciuitates literæ expeditæ ſunt, quibus & ea ſecuritas, & Inquiſitionis ceſſatio publicata eſt.

Edictum cōtra Iconoclaſtas.

Porrò XXV. Auguſti publico edicto conſtitutum eſt capitis ſupplicium & bonorum confiſcatio in omnes icono-

iconoc[illegible] monasteriorum expilato- 1566
res, inc[illegible] maleficos homines: pœ-
na [illegible] orum amissio promulga-
ta [illegible] atque in vniuersum in
[illegible] homines non arcerent:
[illegible], qui armati sua haberent
[illegible] Augusti dominus Bacquerzeli-
[illegible] ad sedendas turbas, apud Gerar-
[illegible] etiamnùm grassantes icono-
[illegible] Aldernadum inuaserant. Mox pul- Cæduntur
[illegible] conuocatis ad arma ciuibus & rusticis, Iconoclas
[illegible] ceditur: cæduntur ex illis decem aut stæ.
12. prin[illegible] postera luce in crucem tolluntur 21. cæte-
ri maximo numero flagellantur & proscribuntur. Non dissimilis strages nefariorum hominũ eodem ferè tempore edita est apud Marchenas opulentum Benedictinorum cœnobium. Fefellerant illi fidem domino de la Tour, de non vastanda Parochiana ecclesia suæ ditionis, atque etiàm SS. Eucharistiam impijssimi flagriones pedibus conculcârant. Is igitur Duaco euocat aliquot nobiles, ijsque & suis agricolis stipatus, è monasterio prodeuntes aggreditur, cædit è prophanis multos, complures vulnerat, ministrumque quendam illorũ ducem, agit in crucem. Iam in Arthesia & Lucemburgensi ditione miles conscribebatur regis nomine, vt refractarij homines sub iugum mitterentur. Tumultuabantur enim multis locis Sectarij, atque adeò etiàm Bruxellis mirè insta- Bruxellen-
bant, vt conciones permitterentur: quibus tamen por- ses instant
tis clausis obsistebant magistratus, nè possent egredi ad pro con-
conciones, consentientibus ea in re ciuibus omnibus, cionibus.
qui in consilium solent adhiberi. Redierat verò Antuerpiam princeps Auraicus, moxque maiori quàm anteà numero miles domesticus scriptus est, ad bis mille quadringentos. Eodem autem die ibidèm supplicio affectus est Anglus quidam & alij duo sacrilegi, tresque ad triremes damnati: seuerè quoquè sub graui pœna mandatum, nè sectarij Catholicis molestiam in diuinis officijs facesserent, & vt rursùs fierent conciones Catholicæ & officia Ecclesiastica. Sunt tamen & Sectarijs permissæ conciones in noua vrbe, modò nè in templis fierent. Itaque & Luteranus præco iussus est relinquere ædem S. Georgij: at non priùs ille paruit, quàm data esset Sectarijs facultas aliquot fana exædificandi, è quibus alia Caluinistæ, alia Luterani sibi vendicarent.

1566 Porrò Mechliniæ vltima A[illegible]
est de iconoclasta quodam, [illegible]
rem conijciuntur.

III. Septembris illustris [illegible] capitis vetuit, nè quis aut mil[illegible] um militiæ nomen daret. Id p[illegible] didicisset iam iconoclastas a[illegible] vt se vlciscerentur. Hoc verò me[illegible] què tractatus sunt initi cum sect[illegible] gnati, ijs in locis, vbì anteà illo[illegible]um ciones. Gandaui quidem XI. Septem[illegible] nibus actum est, Vt neque impediant, [illegible]is ser- finant catholicos, aut cultum diuinum an[illegible] uatum : Vt nec in vrbibus, nec in templis extra vrbes concionentur, sed solis diebus festis & Dominicis concionandi habituri facultatem, locis à magistratu attribuendis contenti sint : Vt nè quibus vtantur armis : Vt quatuor tantùm ministros habeant, quorum non nisì duo simul concionentur, sintque Belgæ natione sub ditione regis Catholici, neque aliundè exulare iussi : Vt ij ministri iurent Magistratui, se in politicis omnibus debitam præstituros obedientiam, nec vsuros verbis, quæ scandalum vel seditionem mouere queant : Vt sectarij vectigal & cætera onera cum alijs ciuibus pendant : quin & adsistant Magistratui in omnibus, quæ ad publicam pertineant tranquillitatem. Vt ministri alios hortentur ad præstandam Magistratui obedientiam & modestiam. Ea omnia sectariorum, quos vocant, consistoriales præstito priùs iuramento subsignârunt : alij in proximo conuentu sublatis digitis iureiurando confirmârunt : atque tum ijs eadem, quæ fœderatis Nobilibus, securitas data est. Atquì verò non alibì duntaxàt, sed etiàm Gandaui contra hanc pacem ventum est, & accersitus diuque retentus Hermannus ille seditiosus, cuius suprà mentionem habuimus.

Tractatus initi cum Sectarijs.

Erant etiàm Brugis sectarij homines. Ij ipso exaltatæ S. Crucis solenni die eundem improbum Hermannum aduocant, & in S. Crucis cœmeterio suas audiunt conciones, vt populus Catholicus sua deuotione frustraretur. Verùm à prandio partìm compulsatis campanis omnibus, partìm milite illuc misso, compulsi sunt ad eum redire locum, vbì X. Augusti primùm id fecerat. Sed illic quoquè eorum interturbata est concio à militibus & Hispanis quibusdam, quos illi iniuria affecerant.

Extra Brugas fiunt conciones à Sectarijs.

Vulner ...nificentia. ...uè vnus atq; alter: ſed planè actum 1566
fuiſſet ...eris & eger...s i tractatus cum illis initos Brugen-
ſes ref... V. Octobris Et certè die ſequenti grauitèr con-
queſt... traiectum infe...ulti numero & ſeditioſi, nec dubi-
târu... ...ij nihil d...are magiſtratui. Itaque certas ob
...ere conciones. Iuſ...entum eſſet cum illis certis condi-
...or paterent, diſplo...i, & multùm illi minitarentur, &
paucis vulneratis, n... valdè ſeditioſum exhibuiſſent, Se-
...us D... Brunſuic... eſt permittere loco iam dicto concio-
... ...eniret Comes Egmõdanus: ſimul eti-
... ...etu proponere edictum, quale iam anteà
An... ...te... ...andaui & alibì publicatum fuerat, nè Ca-
tholici ...um impedirent conciones, neque alij alios in-
iuria afficerent. Interìm tamen non deerant Catholici, qui vt illas hæreticorum conciones auerterent, multiplici fœtore locum illum complerent. Eſt verò etiàm oblatus à Catholicis libellus ſupplex magiſtratui, nè permitterentur illæ conciones: cuius rei cauſa etiàm facultates & vitam ſe libentèr profundere velle dictitabant: ſed & magiſtratus ſedulò in id incubuit, vt quantùm quidem in ipſis eſſet, homines ab adeundis illis concionibus retardarent.

Nota piũ zelum.

Extremo ferè menſe Septembri quidam non poſtremæ nobilitatis, cuius nomini parco, cum aliquot ſocijs vel aſſeclis ingreſſus in templum oppidi ſui, aras & imagines diſſipauit, exactámque ex indice vniuerſam eccleſiæ ſupellectilem, igni iniecit: & nè quid ſupereſſet, etiàm priuatorum ædes excuſſit. Idem ipſe ex pago quodam ſacroſanctam Euchariſtiam cum arcula argentea ablatam, pſittaco ſuo deuorandam tradidit. Hanc verò tam immanem nimiúmque horrendam iniuriam ſuam qua tandèm ratione vlturus ſit ille præpotentis Dei filius, ipſe nouit. Ad eiuſmodi prorsùs barbaras immanitates iſtius noui euangelij ſceleratiſſimi præcones mirificè inflammant homines: ſed deuorabunt eos illæ tartareæ aues morſu amariſſimo, & in omnem æternitatem ſingulares & exquiſitas dabunt pœnas tantis iniurijs affectæ ſacroſanctæ Euchariſtiæ, niſi dignam egerint pœnitentiam, & eos quos miſerè deceperunt, in viam reuocauerint.

Deut. 32.

Dauentrienſes permiſerunt ſuo paſtori, vt plebem ad Auguſtanæ Confeſſionis formulam doceret: at nihilo minùs Canonicis ſua omnia reliquerunt. Hollandi iterùm tumultuari cœperunt. Delphis, oppido Hollandiæ,

Tumultus Hollãdiæ.

1566 landiæ, fœminæ, vel certè viri fœ[illegible] [illegible]estibus, Franciſcanos expoliatos ex vrbe ei[illegible] [illegible]teroda-mi & Carthuſiani & Franciſcani ex [illegible] [illegible]is mo-naſterijs : idem paſſæ fuiſſent etiā[illegible] [illegible] virgi-nes, niſì ciues obſtitiſſent.

Eodem ferè tempore ſectarijs F[illegible] [illegible]uadere conantibus, egregiè reſtiter[illegible] cæſis, cæteris in fugam actis. Con[illegible] quibuſdam incolis, ſed ſcalæ ad mur[illegible] henſæ ſunt. Eodem autem menſe cùm [illegible] ſectarij Flandrenſes, exemplo Antuerpien[illegible] què Gandaui, Iperis, Aldenardi, Ballioli, A[illegible] & quibuſdam alijs locis permiſſum eſt ſua ſib[illegible] fana condere, extra muros tamen.

Fana Sectariorũ in Flandria.

IIII. Octobris Mechliniæ verſi in tumultum Sectarij, volebant iconoclaſtas è carceribus eripere. Eum tumultũ ſedauit Comes Hochſtratanus, qui iam aliquandiù illi vrbi præfectus fuerat: at tamen poſtero die coactus eſt captiuos illos dimittere. Eodem die Bruxellis rursùs nouo edicto clandeſtina intra vrbem conuenticula prohibita ſunt: miniſtro ſuſpendij, auditoribus exilij pœna conſtituta. Breuì pòſt in Hollandiam abire compulſo Principe Auraico, (erat enim generalis Burgundiæ, Hollandiæ, Zelandiæ & Traiecti inferioris præfectus) opportunè illi apud Antuerpiẽſes ſubſtituitur idem Comes Hochſtratanus.

Nam die 17. eius menſis, niſì ille præſtò fuiſſet, non templa modò, ſed etiàm mercatorum & diuitum domos expilâſſent importuni Sectarij. Sub veſperam enim illius diei denuò in primariam beatiſſimę matris Dei ędem irruperunt, duce quodam nobili Antuerpienſi, prætextu quidem iconoclaſmi ob reſtaurata ſacella quædam: re autem vera, (vt habita quæſtione faſſi ſunt eius turbæ authores vel capita) vt occupato templo & ædibus monetariorum, tanquàm munitionibus quibuſdam, ipſa nocte diuitum ædes diriperent. Verùm Comes coacto milite eos templo exegit, læſisque non paucis, factionis capita aliquot compræhendit. Quòd autem literæ minaces eo die ſparſę eſſent contra Minoritas, milites quoſdam miſit, qui illos tuerentur. Porrò altera die nobilis ille, quem diximus, media nocte appræhenſus, manè ſeptima hora in medio foro ſuſpenſus eſt. At pergebant tamen ſectarij, & quinque fana gnauitèr intra vrbẽ conſtruebant: in ijs Caluiniſtarum Gallorum cætera vin-

Tumultus nouus Antuerpiæ.

V. fana Sectariorum Antuerpiæ.

cebat magnificentia. Si illam pecuniam dediſſent homi- *1566*
nibus miſeris & egenis, rectiùs conſuluiſſent ſibi.

XXV. Octobris conuentus Ordinum habebatur apud Traiectum inferius. aderat princeps Auraicus. Ibì tum Sectarij nihil dubitârunt ad arcis portam ſuas habere conciones. Iuſſi verò à præfecto diſcedere, cùm non parérent, diſploſis tormentis in fugam acti ſunt, paucis vulneratis, nemine tamen interempto. Porrò Ericus D[illegible] Brunſuicenſis tribus indè milliaribus aliquot ped. Vale[illegible] habens cohortes, Hollandis, nè quid atten ipſa , terrori fuit: Brabantis verò, miles Bruxellis vicin[illegible]

Prima Nouembris Aloſti miniſter quidam nõ contentus loco Concionibus ipſorum attributo, cùm propiùs vrbem acceſſiſſet, cruci datus eſt. Tertia Nouembris apud Brugenſes non abſque ſeditionis periculo tertiò tumultuatum eſt. *Tumultus Brugenſis.* Sectarij enim à concione redeuntes, cùm ſolerent ad ſuas quiſque domos diuertere, multis iam introgreſſis, partìm ad portas ſubſtiterunt. Secuti ſunt illos viri 50. qui mox conſpectis mœnibus, pſalmos ſuos cantillare cœperunt alta voce. Ea re excitati nonnulli ex ijs, qui vrbem ingreſſi erant, ad portas recurrerunt. Iuſſi autem eas cantiones miſſas facere, ſimulque ità iubente Conſule, porta obſerata, tympaniſtæ manum grauiter ſauciârunt. Itaque alij milites excubias agentes, ſclopettis petunt ſectarios, duos mox interficiunt, permultos vulnerant, è quibus tres paulò pòſt expirârunt. Tum verò ſectarij arma corripiunt, ſed à milite repentè in vnum coëunte diſtinentur. Ità tum impedita ſunt conſilia & machinationes hominum malorum. Aliquot eius factionis coniecti ſunt in carcerem.

XI. Nouembris ipſis ferijs S. Martini nouus Antuerpiam terror inuaſit, dira minitantibus ſparſo rumore Sectarijs: & fuiſſet ille fortaſsìs non prorsùs vanus, nisì Comitis Hochſtratani nocturnæ atque diurnæ excubiæ obſtitiſſent.

Hoc menſe Nouembri venerũt Antuerpiam à Confeſſioniſtis euocati ſex miniſtri Luterici, quorum capita fuêre Illyricus & Spangenbergius, qui paulò pòſt *Miniſtri Luterici veniunt Antuerpiam.* Latinè & Teutonicè ſuam edidêre Confeſſionem, quam appellârunt Confeſſionem miniſtrorum Ieſu Chriſti in Eccléſia Antuerpienſi, conſentientem cum Auguſtana Confeſſione. Ediderant iam anteà ſuam quoque Caluiniſtæ Teutonicè, dictam breuem fidei Confeſſionem.

Vtraque

1566 Vtraque à Catholicis doctiſſimis & grauiſſimis viris cōfutata eſt. Porrò autem Luterici buccinatores non admodùm magnos videntur Antuerpię ſucceſſus habuiſſe, quòd Caluiniani primas ſibi facilè vendicarent. Et certè cùm poſteà indè diſceſſiſſent, & Spangenbergius Coloniam veniſſet, quodam ex illo percontante, quis rerum ſtatus eſſet Antuerpiæ, aut aliquid eiuſmodi, ille reſpondit: Antuerpiæ Chriſtus pendet inter duos latrones, Papiſtas & Caluiniſtas: ſignificare volens, vt arbit[illegible]r, Luteranis ibì non multum eſſe loci & authorit[illegible] Hoc quidem retulit mihi vir doctus, qui ſe id ex e[illegible] audiuiſſe affirmabat. Non dubium, quin in illa [illegible]enta regione libentèr nidificâſſent Illyricus, Spangenbergius & eius farinæ euangelici præcones, ſed eorum votis ſucceſſus defuit.

Nota reſponſum euangelicum.

Sectarij Brugenſes quid exegerint.

Eodem menſe non contenti Brugenſes Sectarij ſua habere conuenticula, etiàm alia ſuæ ſectæ exercitia, putà, baptiſmum, matrimonia & ſepulturas, more Antuerpienſium & Flandrorum occidentaliũ introducere moliebantur. Ea re motus Brugenſis Epiſcopus, cùm non poſſet ſolis concionibus, illis reſiſtere, apud [illegible]atum egit, vt dicta exercitia, quorum nulla facta eſſ[illegible] mentio in ſuprà memorata ſecuritate, prorsùs impedirentur. Itaque Senatus paulò pòſt ſectarium quendam, quòd prolem ſuam foris baptizari iuſſiſſet, exilio mulctauit. Sed eam ob cauſam permulti ſectarij ad curiam venerũt, expoſtulaturi de collega ſuo: atquì dilati ſunt, donèc à Gubernatrice aliquid certi ſtatueretur. Illa verò & Brugenſes rectè feciſſe reſpondit, & poſteà in alijs quoquè Flandriæ vrbibus ea exercitia fieri vetuit, quippe quæ nunquàm ipſa probâſſet.

Transigitur cum Sectarijs Traiectēſibus.

XXV. Nouembris Princeps Auraicus cum Sectarijs Traiecti inferioris eodē modo tranſegit, quo Egmondanus cum Flandris: præterquàm quòd hic adiectæ fuere conditiones iſtæ, Vt nè quis impediat compræhenſionem iconoclaſtarum aut prædonum: Vt nè quis diſtrahat, aut penes ſe ſeruet libellos famoſos in Regem, in Gubernatricem, aut alios magiſtratus: Vt nè quis famoſas cantilenas, aut quod populum ad ſeditionem commouere queat, propalàm canat: Vt nè quis vel Catholicus, vel ſectarius concionator in partem aduerſam inuehatur, aut iniurius ſit: ſi ſecùs fecerint, concione priuentur. liceat verò vitia generatim perſtringere & carpere.

Eodem

Eodem mense duo mercatores Hispani valdè opulenti, sed Caluinistę, Geneua accersiunt Antuerpiam ministrum Caluinianum, suæ nationis hominem, nempe Hispanum, qui publicè Hispanis concionaretur. Sed cæteri Hispani catholici & illi & auditoribus mortis intentârunt minas: à magistratu quoquè causa vitandi tumultûs prohibitus est. Itaque præter clancularias coitiones nihil ille bonus vir ausus est attentare. 1566

Eodem quoquè mense multùm insolescere cœperunt Valencenenses, non contenti concionibus sectæ suę intra ipsam vrbem, & quidem in æde primaria S. Gaugerici: sed etiàm quodam die cogentes clerum omnem ex vrbe discedere, magistratu nihil auso resistere ob nimiam improborum hominum multitudinem. Monebantur quidem ab illustriss. Gubernatrice, vt Catholicis suas redderent ecclesias, sed surdis ea dicebantur. Iam verò etiam per omnem ditionem illam proclamari fecerunt celebrationem cœnæ Caluinisticæ certo die in S. Gaugerici æde futuram: in qua sanè præter alia animarum pericula, vt verbis vtamur illustriss. Gubernatricis, more apud illos receptum est, vt ante omnia solenniter abiurent Romanam Catholicam Ecclesiam, polliceanturque se non redituros ad illam, simulque iureiurando confirment se eam Ecclesiam prorsus persecuturos. Hæc quidem digna est ad tam prophanam cœnam præparatio. O humanorum pectorum inexhaustam cæcitatem. Porrò illustriss. Gubernatrix huius mensis die 26. datis ad illos literis exegit, vt militem præsidiarium reciperent, præsertim cùm certò constaret, duos illorum ministros pro concione palàm dixisse, eius vrbis Caluinianum consistorium (sic enim vocant) non teneri obedientiam præstare magistratui. Addidit autem Gubernatrix, se per omnia ipsis seruaturam, quæ nobilibus fœderatis addixerat. Etsi autem magistratus initiò, & plerique ciues non se præberent refractarios, at seditiosi illi ministri plebi persuaserunt, nè præsidium vrbi imponi paterentur.

Insolescũt Valencenenses.

Nota morem cœnæ Caluinisticæ.

XIIII. Decembris iteratum est edictum de non capiendis armis contra Catholicos, adeoq; Regem ipsum. additum est autem, licere vnicuilibet id facientibus armata manu ire obuiàm, tanquàm perduellibus & hostibus patriæ, atque etiàm illorum ædes diripere, præsente tamen loci præfecto.

Eodem die Valencenenses pronunciati sunt regiæ maie- *Valences*

1566 maiestati rebelles, tum quòd nollent admittere præsidium, tum quòd primi ipsi in cohortes regias apud monasterium S.Saluij maiora torméta exonerâssent, atque cœnobium Carthusianorum & S.Vedasti ecclesiã, iam secundò vastâssent & diripuissent, cùm tamen initio mensis huius alteris Gubernatricis literis denuò moniti essent accipere præsidium. Ea autem in Valencenenses lata sententia, per omnes vrbes publicata est, similis quoquè in eos omnes, qui illis aut commeatum, aut arma apportarent. Paulò pòst facta eruptione, ad tria millia, vt fertur, egressi ex vrbe, à regio exercitu in vrbem compulsi sunt, cæsis ex illis circitèr sexaginta. Erat tum obsessum oppidum multo milite regis, qui prohiberet nè qua vel alimenta, vel auxilia obsessis importarentur. Moti ea re Sectarij, copias contraxerunt, vt suis ferrent suppetias. Scriptus autem est miles præcipuè in Flandria occidentali, vt à quibus cœpta erat imaginum oppugnatio & conciones schismaticæ, ipsi quoquè primi manifestè rebellarent. Iunxerunt se autem illis ex Tornacensibus maiori numero collectæ copiæ. Ipso verò nati Seruatoris sacratissimo die, more bellico sub suis quique signis cœpêre progredi: altero S.Stephani die ędes Tornacensis officialis inflammârunt, monasteria vicina expilârunt, atque etiàm pagorum adiacentium templa: nec parcendum putârunt ædibus domini de Vuaterlosio, quòd è templi turre vnà cum pastore templum ipsum ab illorum impetu vindicâsset. Sed tamen non prorsùs impunè tulêre suam audaciam. Nam huius Flandrorum cohortis ante alias præmissæ certior factus Dominus Rassegemius, Insulæ, Duaci & Orchesij præfectus, ipso S.Iohannis die festo misit contra illos 50.equites & 200.pedites sclopettarios: qui cum Caluinianis quadringentis conserta manu, ceciderunt ex illis 150.cæteri, qui ad dictam Vuaterlosij turrim se receperant, immisso in templum igni, vel flammis, vel fumo extincti periêrunt, nullo è regijs cohortibus desiderato.

Valencenenses decernuntur rebelles.

Nota hæreticorum facinora in tantis solennitatibus.

Cædűtur Caluinistæ.

Hoc ipso autem die socij sectariorum ex Tornacensibus collecti, monasteria Carthusianorum & monialium priùs euastata & direpta incenderunt, & incredibili contumelia eas moniales affecerunt pro noui huius euangelij pudore & verecundia. Abbatissam enim cum aliquot ex iunioribus in itinere compræhẽsam, per omnia ferè Tornaci compita irridendam circunduxerunt, alijs quibusdam vetulis miros terrores incusserunt, & per omnem

Sectarij vexant moniales.

omnem noctem benè multis ludibrijs & contumelijs miseras exagitârunt: atque ægerrimè ſanè ſtupra impiorum hominum euadere illæ potuerunt. Ea eſt diſciplina & modeſtia noui euangelij. Altero manè, feſto die SS. Innocentum, Abbatiam S. Nicolai iam antè toto triduo rebus precioſioribus, & quæ ad victum pertinent expoliatam, flammis permisêre. Indè, nondùm comperta ſtrage ſuorum, illis laturi opem, in pagum Vuaterloſium venerunt. Porrò Dominus Raſſegemius dimiſſis tota nocte nuncijs ad præſidia & nobiles vicinos Catholicos, itemque ad ruſticos in eiuſmodi euentus paulò antè in militiam adſcriptos, id ſua ſuorumque diligentia aſſecutus eſt, vt manè ſexta hora ad ipſum conuenerint duo peditum ex vicinis pagis millia, trecenti pedites ſclopettarij, & equites centum. Aduerſarij erant ad tria millia. Cœptum eſt vtrinquè leuibus quibuſdam prælijs agi, Caluinianis Tornacum ſe ſensim recipientibus. Atque eccè de improuiſo occurrit illis Dominus Norcarmius Hannoniæ præfectus, magnis inſtructus copijs, decem peditum ſignis, & equitibus ampliùs ſeptingentis. Is confeſtìm Sectariorum diſſipat copias, & circiter ſeptingentos aut octingentos interficit, ſeptem aut octo duntaxàt è ſuis amiſſis, è quibus duo equites, alter Raſſegemij, alter Norcarmij, quòd ſe mutuò non agnoſcerent, per errorem mutuis concidêre vulneribus. Atque ea res, quòd ab vtraque parte noſtri putarent ad hoſtium numerum pertinere eos, qui regi militabant, in cauſa fuit, quòd cùm inter vtroſque concluſi facilè ad internecionem omnes Caluiniani cædi potuiſſent, permulti euaſerint.

Strages Sectariorum.

Sed tamen impietatis ſuæ pœnas quaſdam luit ea hominum fæx, quæ illis quoquè ſacratiſſimis diebus tot flagitia deſignârat, & repreſſi ſunt immanes ac ſæui malorum hominum conatus, quos iam impotentèr iactabant, nempe flammis ſeſe abſumpturos monaſteria & templa omnia extra vrbes ſita, idque intra paucos dies, neque in Flandria duntaxàt, ſed etiàm per omne Belgium, cæteris euſquè necdùm prorumpere auſis.

Eodem menſe etiàm Traiectum inferius ſemèl atque iterùm occupare tentârunt Sectarij, ſed nihil conſecuti, cœperunt muris admouere ſcalas, vel etiàm ſeras portarum effringere, aut id genus alijs ſtratagematîs fruſtrà eò conniti.

Hactenùs huius anni in Belgio res geſtas ità cōmemoraui,

1566 moraui, vt tamen Geldriæ motus necdùm attigerim. Itaque hoc loco, quæ ibì quoquè acciderint, paucis annotabo: Lector dabit veniam, quòd non apto satis ordine hæc commemorantur. Nam separatim hæc ad me scripta peruenêre. Prima Augusti die huius anni Nouimagij, quæ est insignis Geldriæ ciuitas, Catholici regis mandatum publicatum est, nè quis vlli alteri, quàm Geldriæ præfecto, militaret. Is præfectus est Carolus illustris Comes Meganus & eques aurei velleris &c. cuius in hac rerum perturbatione magna in Catholicum regem fides & eximia in religione Catholica tuenda, hæreticisque profligandis virtus enituit. X. Augusti, ipsis ferijs inclyti martyris Laurentij Caluinianus quigam præco, monachus Apostata, extra mœnia Nouimagij in Iudæorum cœmeterio virus suum concionando spargere cœpit, habuitque frequens auditorium. Altero die, qui erat Dominicus, largior pluuia illum feruorem nõnihìl restinxit, homines que domi tenuit. Proximo die Dominico alio in loco concionem habuit, permultis ex plerisque oppidis ad eam confluentibus. Mirum est, ità feruere miseros homines ad audiendas seditiosorum hominum conciones, è quibus tamen nihil bonæ frugis, immò verò certam animarum perniciem reportant. Sed tenebriones isti nôrunt sua blandiloquentia inescare incautos, & mendacijs fallere. Concionator iste, vt dixi, apostata monachus fuit, Ludouicus nomine: & est notatu dignum, quòd ista præclara multiplicis noui euangelij dogmata per nullos ferè magis, quàm eiusmodi votifragos monachos disseminentur: vt quod ab apostata Lutero cœpit, apostatas quoquè habeat propagatores. Erant autem certè Nouimagij perplures Catholici, quos non parùm affligebat istius Ludouici aduentus.

Præfectus Geldriæ.

Et in ipso quidem assumptæ in cælos gloriosissimæ Virginis matris peruigilio honestiores quique ciues zelo Dei permoti, in collegio Iohannitarum conuenerunt, vt inter se consultarent de profligando lupo illo: vbi etiàm recitati sunt libelli supplices, à bonis benè confecti, quibus conabantur eius vrbis rempublicam à rebus nouandis deterrere. Sed erant quidam homines factiosi, quibus reclamantibus, re infecta discessum est.

Zelus Nouimagensium.

Porrò verò D. Bartholomæi festo die apostata ille sub horam quintam à sui studiosis in oppidum introductus est, & parùm sanè abfuit, quin importuni homines in

Cõcionator apos

in ipſam ſummam ædem mox impreſſionem facerent. *1566*
Eam ob cauſam vaſa precioſa & ſacræ veſtes veſperì clàm è templo exportatæ ſunt. Altera die, quæ erat Dominica, Caluinianus ille præco in veteri, vt vocant, cœmeterio apud arcem Falconiam ſuam habuit concionem ſub arbore: & quia metus erat, (quòd ferè ad ſeditiones ab iſtis concionibus incitari ſoleant homines) nè à peracta concione in ſummum templum impetum facerent, & ſuo noui huius euangelij more omnia diriperent, ægrè abſolutum eſt ſummæ Miſſæ ſacrificium. Nonæ preces, ſacerdotibus ſibi fuga conſulentibus, prætermiſſæ ſunt: quicquid erat ſupellectilis, quæ tolli poſſet, incredibili celeritate è monaſterijs omnibus in ciuium domos elata eſt: porrò templa clauſa ſunt. Vbicunquè enim iſtud nouum euangelium nidificat, ibì mox ſilent diuina officia omnia, vt quædam vaſtitas & horrida barbaries introduci videatur.

ſtata Nos uimagium intrat.

Die feſto decollationis S. Iohannis Baptiſtæ, à quibuſdam è Senatu deductus eſt ille concionator in templum S. Iohannis, populo licèt inuito, & certè nisì quidam è magiſtratu obſtitiſſet, hominem indè ciues expuliſſent. Erant enim in Senatu Caluiniſtico fermento deprauati, qui etiàm poſteà loco moti ſunt.

Calendas Septembris Senatus pronunciauit atque ſanciuit ſub pœna capitis, (id enim pridiè boni ciues precibus contenderant) nè quis in templis aut monaſterijs diuina officia interturbaret, vel res eccleſiaſticas diriperet: ſimul etiàm licere voluit Ludouico ſuas habere conciones, donèc eſſent finita comitia, idque in æde S. Iohannis.

Quarto Nonas Prior Prædicatorum, vir inſignitèr eruditus, cum Ludouico in diſputationem ingreſſus eſt. ſed ſectariorum frequentia & conuicijs obrutus, non potuit eam proſequi, licèt multis modis illo Ludouico eſſet ſuperior: & certè Ludouicus ad primam quæſtionem reſpondere non potuit. Vincunt autem facilè hæretici clamore & contumelijs, vbì ratione non poſſunt.

Diſputatur cum hæretico.

In ferijs S. Matthæi Apoſtoli Ludouicus in eodem templo infantem baptizauit, parentibus, vt id permitterent, pecunia corruptis. Eſt hoc quoquè facinus euangelicum, & eiuſmodi artibus promouent euangelium ſuum.

Septimo Calend. Octobris ingẽs fuit motus ciuium

1566 bonorum intra vrbem illam. Nam ea nocte vigiles, vt appáret, Geusiani vel Caluinistæ, deiecerant sepimentum ante imaginem Saluatoris à cruce pendentis in cœmeterio S. Stephani. Eius rei indignitate adeò commoti sunt catholici ciues, vt in scholam conuenerint, vbi etiàm singulis noctibus seruabātur excubiæ. Superuenerunt autem etiàm quidam primarij è Senatu, sciscitantes quid ille sibi conuentus vellet: responderunt ciues, irent visum quid in S. Stephani cœmeterio designatum esset. Illi contrà hortabantur, vt eum diem saltem sustinerent. Tum ciues: Satis, inquiebant, multi dies effluxêre: rursúsque conclamabant, Ad arma, Ad arma: neque enim diutiùs isthæc toleranda nobis sunt. Hac ipsa die, Deo benè propitio, nostra iura & priuilegia tuebimur. Itàtum repentè è Schola domum abeunt, & opinione celeriùs forum armati occupant: simul etiàm ambos consules in forum pertrahunt vnà cum labaro seu vexillo insigni, qui se à catholicis staturos iureiurando confirmârunt. Tubæ quoquè sonitu per omnem vrbem denunciatum est, vt ciues & indigenæ omnes quamprimùm ad labarum aduolent, alioquì non alio quàm Regis & vrbis hostium loco futuri. A prandio indicunt Consules silentium noui euangelij buccinatoribus, eósque in pedes se conijcere iubent. Et illi boni viri aut aufugerant, aut alicubì delitescebant. Manserunt autem ciues in armis tota nocte ad duodecimam vsque sequentis diei: quo die ante prandium quinque sectarij è Senatu eiecti sunt, & totidem catholici in eorum locum subrogati. Similitèr quinque è Magistris societatis S. Nicolai, (Sic enim appellantur) quorum octo semper assident Senatui eius vrbis, quibus alios eiusdem numeri catholicos suffecerunt. Hoc enim de constituenda porroque conseruanda Reip. pace consultantibus, magna omnium cõsensione necessarium visum est, vt zizania priùs euellerentur. Deindè ciues iam delassati, præstito priùs Senatui iuramento, dimissi sunt.

Catholici Nouimagenses non ferunt iconomachos

Eodem autem die à prandio complures fœminæ, zelo religionis incitatæ, arreptis fustibus & hastilibus in templum Iohannitarum irruerunt, vt nouum Caluinistici buccinatoris suggestum euerterent: sed quòd fores essent clausæ, nihil efficere potuerunt. Manè alterius diei ante quintam ciues impetu facto illam egregiam cathedram deiecerunt, protractamque in medium forum, luculentis ignibus exusserunt.

Nota zelũ fœminarũ

Altera Octobris allatæ sunt in Senatum Nouimagensem literæ, missæ à quibusdam primarijs fœderatis nobilibus, quibus accusabantur ciues tyrannidis in Senatum. At illi non magnoperè moti illis literis, responderunt, suo quandoque tempore declaratum atque compertum iri, rem alitèr se habere, iureque Senatores loco motos esse. 1566

XIII. Octobris etiàm Tilam, munitũ Geldriæ oppidum, quidam sectarius ecclesiastes ingressus est, sed eum Sculterus, vt vocant, mox extra portam eduxit. Incredibilis est istorum improborum hominum feruor ad corrumpendos omnes suo teterrimo fermento. *Tilam ingreditur ecclesiastes.*

XV. Octobris Geusij Nouimagij in cœmeterio S. Antonij congregati, per legatos à Senatu petierunt, restitui sibi suum concionatorem, itemque exules, seruata vtrique parti sua libertate. Non poterat tunc haberi Senatus, quòd multi abessent. Itaque die 18. Octobris redierunt Geusij in Senatum, suasque preces obtulerunt. Populus verò Catholicus, veritus nè mitiùs pro hæreticis actum esset, pertæsus tandem molestiarum quæ à Geusijs ferebantur, semèl expediri penitùs voluit. Paulò post duodecimam Geusij non absque fastu, & magnos præ se ferentes spiritus, in foro ambulabant, & in arce Falconia responsum expectabant. Ea res malè habuit ciues catholicos, rursusque è summa turri signo dato ad arma recurrunt, atque intra semihorulam forum omne complent, neque indè discedere volunt, donèc Comes Meganus Arnemio ab illis accersitus adesset. Erant etiàm nonnulli Geusij in armis, sed repentè disparuerunt. Decreuerant illi sanè occupare forum, expectabantque militem subsidiarium: sed eorum consilia irrita fuere. Altera die venit illustris Comes Meganus, atque à pijs & catholicis ciuibus amantèr & hilaritèr in vrbem introductus est. Erant ad septem circitèr millia ciuium, qui illi ierant obuiam. Porro Comes plùs minùs sexaginta equites secum adduxit, estque honorificè perductus in arcem Falconiam. Eo facto, iusserunt consules populum arma deponere, & abire domum. *Catholici non amplius ferunt Geusios.* *Comes Meganus venit Nouimagiũ.*

XXIII. Octobris, in Senatu decretum est, vt 100. pedites conscriberentur, qui cum totidem Comitis peditibus vrbem diù noctuque custodirent.

Pridiè Omnium Sanctorum, iuramentum præstitêre ciues Nouimagenses Senatui, obtemperaturos se Consulibus, non aurem præbituros peregrinis pseudoprophe- *Nouimagenses iurant Senatui.*

1567 prophetis, non illaturos damnum rebus ecclesiasticis, sed vim illis allatam, haud alitèr atquè à seipsis prohibituros, &c. Hunc quidem in modum Nouimagensium res sese habuêre: vndè potest perspicuè videri, quàm illi digni sint multa laude, quòd tanta constantia pro conseruanda Catholica religione, & fide erga catholicum regem Philippum decertârunt, nec passi sunt apud se præualere impias hæreses, quibus iam multæ prouinciæ miserabilitèr dilaceratæ sunt. Vtinàm verò eam fidem & constantiam multi alij declarâssent, nec locum vllum impijs dogmatistis præbuissent. Ruræmundenses certè aliquandiù hæreticas conciones apud se habuerunt, & erant Catholicorum res sæpè ea in vrbe admodùm afflictæ, donèc tandèm clemens & pius Dominus illam catholicæ paci & vnitati restituit, & piorum luctus conuertit in gaudium.

Coloniensis Magistratus laudatur. Intereà verò dum in Belgio isti tumultus grassarentur, & metus ingens esset, nè illa perditorum hominum fæx longiùs etiàm extra regis Philippi ditiones progrederetur, prudentissimus sanctæ Vbiorum Coloniæ Senatus, immortali ad omnem posteritatem laude dignissimus, summa cura & vigilantia tumultus omnes intra suos limites anteuertere & auertere studuit, Deoque præpotente illius optimos conatus mirabilitèr fortunante & adiuuante, in hunc vsque diem eius amplissimæ vrbis celeberrima Resp. priscum illud suum in asseruanda mordicùs semèl recepta religione singularis constantiæ nomen sibi optimo iure vendicat, nec sibi turpissimam hæreseos labem adspergi sustinet, fruitura hauddubiò eam ob causam tum Dei Opt. Max. largissima benedictione, tum apud posteros omnes laude eximia atque perenni.

Masecani rebellant. ANNO 1567. initio mensis Ianuarij, aut certè sub finem anni superioris, etiàm Traiectenses ad Mosam, atque Masecani, aduersùs dominum suum Leodiensem Episcopum cristas erexerunt, & ausi sunt etiàm illi bellum indicere statuis & imaginibus, concionesque sectarias inuehere, porrò præsidium recusare.

Eodem tempore illustriss. Belgij Gubernatrix per omnes Belgicas ditiones, & Comes Egmondanus per Flandriam ea, quæ suprà diximus, sectariorum exercitia omnibus interdixerunt: sed necdùm id temporis obtemperatum est.

VII.

1567 Phrisia pacatur.

VII. Ianuarij Comes Arenbergius Phrisiæ præfectus, eam gentem primus omnium ad tranquillitatem reuocauit, accepto à tribus oppidis Transissulanis iureiurando, nihil eos ad Regis vsque aduentum noui molituros: Leuuardia quoquè recepta sub his conditionibus, Vt intra tres aut quatuor dies ex ea ditione emigrent sub pœna capitis & bonorum omnium confiscationis ministri, apostatæ, & sacerdotes vxorij omnes: quæ pœna etiàm illorum receptatoribus constituta est: Vt templa & monasteria omnia in pristinum statum restituantur: Vt nihil in religione ab illis innouetur: Vt nulla noua feriant fœdera, icto verò renuncient: Vt regia edicta more solito publicent, tradantque tormenta & bellicas munitiones omnes.

Tornacũ occupatur

Tornacum verò etiàm mox occupatum fuit à domino Norcarmio, introductis per castrum nouem peditum signis, & paulò pòst laqueo addictis duobus ministris, & 15. alijs sectarijs è primoribus eius loci. Porrò etiàm arma omnia ciuibus erepta sunt, & tum exercitia Caluinistica, tum conciones omnes cessare iussa: qui verò cum Clero omni anteà pulsus erat, denuò restitutus est Episcopus.

Cæduntur Valencenenses.

Per id tempus misêre suos homines Valencenenses ad illustriss. Gubernatricem: sed nihil actum est: immò verò cùm paulò pòst ex vrbe pabulatum egressi essent, cæsi ex illis sunt circitèr 130. augebantur autem in dies copiæ vrbem obsidentium.

Eodem, nî fallor, mense cùm Tornaci contra prohibitionem domini Norcarmij quidam sectarius præco rursùs concionari attentaret, displosum est in eum tormentum maius, quo ictu multi adstantes vulnerati sunt. Insulenses autem matronæ die quadam in vnum coëuntes, infantes suos omnes ab hæreticis baptizatos, vi ablatos in templum apportârunt, vt quæ omissa erant, ritu Catholico supplerentur. Idem in infantibus rusticorum fieri curauit dominus Rassegemius.

Libellus supplex Sectariorum.

XIX. Ianuarij Ecclesiæ, quæ se scilicèt reformatas vocant, rursùs libellum supplicem porrexêre nobilibus fœderatis. In eo præclari illi reformatores multùm quiritantur de non seruata securitate ipsis promissa: de exercitijs suæ religionis etiàm sub capitis pœna interdictis, quæ tamen illi nobiles interpretati essent sub concionibus permissis contineri: de sociorum suæ sectæ & ministrorum persecutionibus & afflictionibus, contrà

1567 quàm polliciti essent nobiles: de infantibus quos ipsi baptizâssent, à Catholicis rebaptizatis, (quod falsò affingunt Catholicis) de multis ipsorum symmystis, qui metuentes sibi, patriam, coniuges, liberos dimiserint: de Valencenensium miseria maiori, quàm vnquàm ab hostibus passi sint: de milite totam Belgicam implente, à quo miserè ipsorum socij expolientur & opprimantur multis locis. Addunt etiàm modestissimi viri se hactenùs omnem modestiam & obedientiam præstitisse sub spe dictæ securitatis: monentque nobiles, vt cogitent an non iure de ipsis possint conqueri, quòd sub libertatis prætextu ab ipsis tanquàm ad victimam ducti sint, & ad extremum malorum peruenerint. Tum quoque orāt, perspicuè vt declarent nobiles, an reuerà Gubernatrix & Equites aurei velleris omnia suæ religionis permiserint exercitia, cùm tamen in literis non nisi concionum fit mentio facta: & si ità sit, dent operam, vt pacta conuenta vtrinquè obseruentur, liceatque ipsis securè citra vllam molestiam sua habere exercitia, (hoc est, impunè homines in errores inducere, & in clerum atque monachos, reliquosque Catholicos acuere & armare) Vtque etiàm fratres Valencenenses à suprema hac calamitate extrahantur. Hæc & pleraque alia in suo illo supplici libello habent isti optimi viri, qui cùm illas opulentas & Catholicas Catholici Regis ditiones in tumultus verterint, & innumeros pios atque Catholicos homines summo mœrore affecerint, dum nefarij ipsorum conatus reprimuntur, tam lamentabiles, tanquàm planè innoxij & iniuriam passi, querelas edunt. Sed non sempèr dormitat Diuina vindicta.

Verùm cùm insolentes & procaces Sectarij multa contra fidem datam attentâssent, atque in dies peiora molirentur, illustrissima Gubernatrix volens modis omnibus illorum conciones profligare, Calendis Februarij cuidam magnæ authoritatis viro negocium dedit, vt Mechliniæ ex ministris coram magistratu adesse iussis percontaretur, vellentne spontè suas conciones omittere.

Ibì Luteranus quidem minister ait se non fore difficilem, tantùm liceat ipsi crastino die suis valedicere: at Caluinianus respondit, se id non posse salua & integra conscientia. Eccè tibi religiosi hominis valdè arctam conscientiam. Itaque postridiè Brabantiæ Satrapa, Drossardum quem vocant, iussu illustriss. Gubernatricis sub media

media concione Caluinistarum ministrum Martinum 1567
Sinetium cum duobus alijs, qui primi eò ministros euocauerant, abripuit, itemque alium è Concione Luteranorum, secumque omnes Viluordiam abduxit. Ibi tum sanè miserè trepidatum est ab Sectarijs, equitibus per medias turbas istos absportantibus: certè plerosque videre erat vtriusque sexûs, relictis penulis suis se subducere. Atque hoc pacto Mechliniæ omnis eorum concio prohibita est.

Martinus Sinetius apprahẽditur.

Sub idem tempus venerunt Antuerpiam aliquot nobiles fœderati. Ex ijs primarius quidam vt satisfaceret precibus memoratis sectariorum, libellum supplicem oblaturus, scripsit illustriss. Gubernatrici, num gratus illi foret suus suorumque accessus ad illam. Rescripsit illa, quantùm ex literis eiusdem nobilis quidam colligunt, se nimiùm placidè accepisse libellum supplicem 5. Aprilis datum, vtpotè ex quo tot repentè mala extiterint: nolle se deincèps id genus libellis fascinari, neque ipsorum cupere aduentum. Tum etiàm die sexto mensis huius vetuit, nè certi quidam fœderati nobiles, quorum nomina mâlim ab alijs, quàm à me exprimi, nè videar eorum infelicitati insultare, intra Bruxellense oppidum admitterentur.

Itaque VIII. Februarij idem ille nobilis respondit Gubernatrici, simulque nobilium quorundam fœderatorum nomine libellum supplicem illi misit, quo se quidem purgare nituntur, aiuntque se ea fide, quæ nobiles deceat, curâsse vt tranquillitas Belgio redderetur: potuisseque omnes sopiri turbas, si quemadmodùm conuêtum erat, ità processum fuisset. At cùm in dies omnia rectiùs succederent, & ex Regis atque Ordinum communi decreto quippiam boni expectaretur, præter omnem spem mutationem accidisse insignem, planè contrariam promissis Principum, quibuscum tractatus fuerit initus. Nam extare literas, quibus nouæ religionis interdicantur exercitia, cùm tamen permissæ sint conciones, sub quibus compræhenderentur etiàm dicta exercitia. Hinc verò populum, cui securitatem ipsi promiserint, sua spe frustratum, omnia in ipsos conferre, & quòd promissis non steterint, insimulare, vti possit ipsius Celsitudo ex adiuncto ipsorum libello supplici intelligere. Addunt & alia quędam de vi illata ministris, & quòd eò tendant omnia, vt etiàm Conciones prohibeantur, quodque Gubernatrix non fidat

Libellus supplex fœderatorum.

1567 fœderatis, ipsosque à principum colloquijs & vrbibus regijs arceri velit, & vt perduelles in itineribus appræhendi, & pleraque alia. Orant etiàm velit declarare, num vnà cum concionibus exercitia quoquè permiserit nouæ religionis, vti ipsi plebi persuaserint: vt securitatem nobilibus datam stabilem & firmam seruet, atque militem, qui contra ipsos conscriptus videatur, exauthoratum dimittat, edictaque post conuentionem proposita irrita pronunciet. Hæc si fiant, omnia tranquilla fore aiunt: sin minùs, ingentia esse formidanda mala, in ijsque multam popularis sanguinis profusionem. Postremò petunt breue responsum, vt sciant quid ipsis faciendum sit. Hæc præcipua ferè sententia est eius supplicis libelli, cui quid illustrissima Gubernatrix responderit, mox subijciemus.

Martinus Sinetius suspenditur.

Eodem autem ipso die in crucem actus est supradictus Mechliniensium minister Caluinianus Martinus Sinetius, cùm priùs quidem, quantùm ex eius chirographo colligi licet, ad Catholicam Ecclesiam reuertisset. Sectarij id pernegant, eò quòd proximus morti, Psalmum quendam Dauidicum Teutonicè cantauerit. Chirographum eius tale fuit: Quinta Februarij Magister Gislenus pastor Capellæ (apud Bruxellas) cum F. Petro Luxo Priore Carmelitarum vocati fuerunt Viluordiam ad me Martinum de Sinet: qui postquàm mecum disputâssent de varijs quæstionibus, præsertìm de Baptismo & Sacramento altaris, humilem agnitionem erroris mei feci, quem pollicitus sum verbis & factis omnes dedocere, quos eundem docui: renuncians ex animo omnibus erroribus, me submittens in omnibus reliquis eorum iudicio. In argumentum veritatis hoc ipsum scripsi, & manu propria subscripsi Martinus Sinetius. Et rursum: Præscripta confirmo ego idem Martinus Sinetius hac 8. Februarij.

Eius recantatio.

Gubernatrix respondet.

XVI. Februarij illustrissima Gubernatrix ad libellum supplicem paulò antè memoratum, primario illi nobili fœderato in hanc ferè sententiam respondit: Non se assequi, qui sint illi nobiles, quíve populus, à quibus ij supplices libelli prodierint, cùm plerique nobiles fœderati sibi satisfactum putent, tum cessatione inquisitionis & edictorum, tum securitate proposita, atque adeò in dies se offerant ministerijs regiæ Maiestatis iuxta illius mentem & intentionem. Verùm satis mirari se non posse, illos sibi persuadere exercitia illa se

vnquàm

vnquàm permittere voluisse, cùm è diuerso non ob- 1567
scurè ostenderit molestum sibi esse, quosdam nobiles
populo securitatem, quo ad illa exercitia, præstitisse
mox à conuentione inita, idque contra suam mentem
& voluntatem: tum etiàm, cùm nobiles promitterent
se amoturos arma, scandala & tumultus publicos,
scandalorum nomine etiàm dicta exercitia compræhensa fuisse, quibus ipsa ne verbo quidem assensum
præbuerit. Sed & si qui attendant, quanto animi angore conciones locis solitis sinè scandalis & armis haberi permiserit, eos scire proculdubiò, quàm longè à sua
mente abfuerit ipsorum exercitijs præbere consensum, putà, vt noua ipsi sibi deligerent Consistoria vel
magistratus, collectas & onera subsidiaria regis subditis imponerent, idque, vt ipsi iactitant, ad aliquot aureorum milliones: vt sacramentorum administrationem sibi vsurparent: vt in totam politiam confusum
quoddam chaos introducerent: vt matrimonia suo ritu contraherent, vndè mira successionum confusio sequitur: vtì deniquè ea facerent, quæ sub exercitiorum
prætextu in suis concionibus non verentur attentare: è
quibus pleraque cùm sibi tum regis, tum magistratuum authoritatem vindicent, se profectò valdè suî fore
immemorem, si ijs assentiatur: cùm præsertìm sui officij sit, eam authoritatem tueri. Itaque se rectè ait magistratibus contrariam mentem suam explicuisse. Si
qui verò secùs populo persuaserint, illorum esse, se
apud illos excusare. Iam quòd ad libertatem attinet,
eam eatenùs datam, nè ipsis imputaretur libellus 5.
Aprilis oblatus, non autem quantùm ad religionem
spectat, tametsi eò illam ipsi detorserint contra animi
sui sententiam. Itaque iustam tum sibi indignationis
causam suppetere, quòd hæc tam falsò sibi affinxerint: tum regiæ Maiestati, quæ intellexerit populum
ab ipsis ità animatum eò audaciæ processisse, vt sub religionis prætextu vetita religionis exercitia inuehat,
suoque nouo magistratu regium magistratum in ordinem cogat: quod non modò non sit approbaturus vnquàm Rex, sed etiàm subditorum suorum auxilio vindicaturus. Quòd verò dicant ipsam venisse contra pacta conuenta, eius generis omnia niti falsa nimiumque
laxa verborum suorum interpretatione, recteque quarundam vrbium magistratus ea non permisisse: qui tamen si modum excesserint, oportuisse ipsos ad se quere-

Exercitia noua religionis.

1567 las deferre, vt remedium adhiberetur. Sed neque eo nomine se fecisse contra conuenta, quòd post ea quidam ob sua maleficia appræhensi sint: interim autem silentio præterire ipsos iconoclasmum & templorum vastationes, quæ post eam conuentionem facta sint, etiam à quibusdam fœderatis nobilibus, introductasque in oppida conciones, cùm anteà in agris tantùm haberentur: item Ecclesias occupatas, monachos profligatos, exteros concionatores accersitos, cùm promisissent se conciones impedituros: in loca quædam ab his nouitatibus aliena, eas introductas: plebem ab ipsis animatam, regias domos occupâsse, tormenta & bellica instrumenta cum supellectili exportare, regios præfectos & magistratus abijcere, ità vt quidam non sinè vitæ periculo euaserint: tum quoquè vrbes regias occupare, in aciem sub signis militaribus coire, minari cædem aut profligationem Ecclesiasticorum & regiorum ministrorum, in quibus etiàm ipsa non sit excepta, & Catholicorum omnium: immò etiàm re ipsa diripere, inflammare, euertere monasteria, templa, ædes nobilium & aliorum. Ex his verò omnibus, & literis ab ipsorum exercitu, ad Valencenenses quidem scriptis, sed interceptis, haud difficilem capi posse coniecturam, quò hæc euasura fuerint, nisi præpotens Deus per fidos regis ministros anteuertisset: nempè ad ipsius quoquè regis profligationem. Quòd si, vt iactant, velint regi præstare se obsequentes, eximant à vulgi animis hanc vanam de permissis exercitijs persuasionem, videantque vt regi iam aduentanti se purgare queant. Quòd verò exercitus dimitti velint, & ità gladium illi auferre, cui à Deo traditus sit, simul etiàm edicta omnia rescindi, non difficilè iudicari posse quorsùm id tendat. Hæc & pleraque alia rescripsit illi nobili illustrissima Gubernatrix, quam sanè in hoc rerum tumultu dubium non est, sæpè in maximas fuisse angustias coniectam.

Hasselleses fiunt rebelles suo domino.

Per hoc tempus seditiosus ille Hermannus, cuius anteà iam meminimus, Hassellensibus Episcopi Leodiensis subditis author fuit vel hortator, vt & conciones intra oppidum haberentur, & imagines atque statuas dissiparent & confringerent, templaque diriperent: atque adeò medio foro ille sectarius Ecclesiastica ornamenta & supellectilem omnem incendit. Idemque Hassellenses rebellare docuit aduersùs Leodiensem Episco-

Episcopum, apud quos sanè etiàm adeò ille gratiosus fu- 1567
it, vt Tungrensibus ad aliquot dies illum, vt quidā aiunt, expetentibus, hominem accommodare noluerint, nisi ipsi consules vades darentur: simul etiàm ad medium vsque iter, quo Tungrenses occurrisse ferunt, cum 300. aut 400. militibus illum deduxerint. Accidit verò apud Hasseletum res memoratu digna, & miraculi loco habita. Occupati erant iconoclastæ media nocte deturbanda crucifixi Seruatoris imagine: & eccè semèl atque iterùm, nullo vento flante, cerei & faces omnes extinguuntur. Aderat Hermannus, & nè quis eam rem alijs indicaret, omnes iurare voluit. Tandem Hasseletum ab Episcopo Leodiensi obsidetur, & præco Hermannus timens pelli suæ, relictis illis quos euerterat, callidè se subduxit, delitescens in curru fœno onusto. Pulchrum hoc fuit stratagema euangelicum.

Miraculum.

Ad Buscoducenses refractarios missus fuit quidam ex sectariorum Antuerpiensium capitibus, qui illi oppido præesset. Noluerant enim admittere regium præsidium, & multa insolentèr sanè egerant sectarij eius loci. Missus eò paulò antè fuerat Cancellarius Brabantię cum illustri Barone Merodensi & Petersseon, Comite Olensi &c. vt turbas illic sedarent: quos illi non sunt veriti ceu captiuos apud se detinere. Habebat extra vrbem Comes Meganus ad sexdecim signa peditum, vt commeatum & auxilia ab ea excluderet.

Cancellarius Brabantiæ tenetur captiuus.

XVI. Februarij Antuerpiæ sub horam decimam vespertinam arsit cœnobium Franciscanorum, & maxima ex parte conflagrauit. Sunt qui culpam conferant in sectarios: ego nihil huius affirmo, tametsi illi benè maiora ausi fuere. Data sanè opera est, vt illi patres Franciscani per calumniam tanquàm qui carnes in Quadragesima comedissent, traducerentur, eius rei persuadendæ causa iactatis in hortum illorum assis carnibus. Sed & honestæ quędam matronæ (alij dicunt meretrices à sectarijs summissas fuisse) ingressæ erant monasterium, vt sarcinas contemplarentur. Eas Sectarij, teterrimo in vulgus sparso rumore, tanquàm illorum patrum scorta compræhenderunt, cùm tamen proprij illarum mariti testarentur, eo ipso temporis momento illuc eas fuisse è suis domibus introgressas. Vsqueadeò isti Euangelici homines ardent odio monachorum: atquì vtinam arderent magno & feruenti amore Christi.

Erant Antuerpiæ è sectariorum colluuie aliquot

1567 copiæ conscriptæ. Eæ iussæ sunt ea vrbe excedere. Porrò non parùm multos extra vrbem illi sibi adsciuerunt vndiquè aduentantes. Misit autem ad eos magistratus Marggrauium cum peditibus non ampliùs sexaginta, vt quâ authoritate niterentur, ex eis perquirerent: quos illi improbi miserè irriserunt, vsque extorquere voluerunt à Marggrauio, vt clamaret, **Viue les geux.**

At tamen non diù pòst, ducibus quibusdam è nobilibus fœderatis, partìm in Hollandiam, partìm in Zelandiam nauibus profecti sunt. In itinere autem primò Flissingenses, deindè propugnaculum maritimum Rammekense inuadere conati sunt suî communiendi causa: sed neque ijs in locis, neque vspiàm alibì admissi sunt, regio milite illorum machinationes eludente. Nam & Traiectum inferius occupare nisi sunt, sed obstitit Comes Meganus cum decem peditum cohortibus: qui simul atquè oppidum illud ingressus est, mox consiluere sectariæ conciones omnes, & seditiosi se in pedes conijcere cœperunt: captus tamen est vnus atque alter, qui pertinaciores videbantur, & profugorum bona omnia in tabulas relata sunt, illi verò publico edicto citati. Vianæ erant milites sectariorum ad duo millia relicti, vt Traiectensium infestarent agros, Rheni nauigationem interturbarent, merces & naues compræhenderent. Porrò Amsterodami quidam è fœderatis primarijs nobilibus omnia perturbauit. Ciues eius opulenti emporij in varias factiones, vt est solenne in hoc nouo Euangelio, distracti, quotidiè ad aliquot horas visebantur in armis. Fuissent autem superiores Catholici, nisì Senatus peiora metuens, eos placâsset.

Traiecti silent conciones sectariæ.

Hoc ferè tempore Equites aurei velleris, ità vt Catholicus Rex postulârat, iurârunt se seruaturos fidem Catholicam Romanam, & erga Regem obedientiam. Vnus tamen, cuius nomen reticeo, ab hoc iuramento præstando se abstinuit. Idem autem iuramentum, per Flandriam præsertim, alij nobiles fœderati omnes iussu Comitis Egmondani præstitêre. Scripsit etiàm idem Comes ad omnes Flandriæ vrbes, vt darent operam, quoàd eius fieri posset, sinè vi abolendis concionibus sectarijs: atque in ipso Quadragesimæ initio per omnem Flandriam excurrens, singulis vrbibus persuadere conatus est, vt eas conciones missas facerent: sed

Iuramentum equitum aurei velleris.

ſed vix vlla obtemperauit, donèc poſteà alijs id vijs effe- 1567
ctum eſt.

XI. Martij, aut circitèr, Brugenſes, vt ſectarios miniſtros à concionando deterrerent, miſerunt certos homines ad locum concionis, qui miniſtrum iuberent craſtina luce ſe ſiſtere ad præſtandum iuramentum, quemadmodùm in alijs oppidis feciſſent: nî id faceret, ſciret ſibi concione interdictum iri. Sed ille iam ad menſes aliquot Brugenſium ſectariorum belliſſimus concionator non auſus comparére, fuga ſibi conſuluit. Itaque proxima Dominica ſiluit concio.

Brugenſis Cõcionator fugit.

Aldernadi quoquè à die nona menſis huius nulla eſt permiſſa concio, idq́ue hac occaſione: Contra iuramentum, ab ipſorum conſiſtorialibus præſtitum, altera Martij ad Concionem armati proruperant. Itaque miſſi ſunt milites præſidiarij, qui ea, quam diximus, die impedirent, nè cum armis egrederentur. Tum illi etiã iactis in milites lapidibus, duos ſauciârunt. Milites ſuî defendendi cauſa diſploſis ſclopettis, nouem è ſectarijs perimunt, permultos vulnerant, ità vt paulò pòſt octodecim extincti ſint: quodq́ue admiratione dignum eſt, vix vnus euaſit ex eius oppidi iconoclaſtis, qui non aut ibì, aut paulò poſt interierit.

Eodem ferè tempore etiàm Antuerpiæ, iuſſu illuſtriſſ. Gubernatricis, Princeps Auraicus & Comes Hochſtratanus perſuadere niſi ſunt ſectariorum capitibus, vt vel ad tres menſes omitterent conciones, & interim ipſorum fana ſigillo regio obſignarentur, ſed fruſtrà: immò paulò pòſt ingens ibì tumultus extitit, qualis alibì nuſquàm, idq́ue hac occaſione: Redierant ex Hollandia & Zelandia aliquot ſectariorum copiæ, eæq́ue nouis quotidiè acceſſionibus auctæ, valdè diuexabant agros Antuerpienſibus vicinos, agricolas exagitabant, & tum cuiuſdam officiarij regij ædem, tum templa vicina expilabant. Habebant iſti id temporis ſymboli loco caudas vulpinas, à pileis vel galeis pendentes. Ea re cognita, miſit contra illos Gubernatrix Droſſardum Brabantiæ vel Satrapam, cum aliquot equitum & peditum cohortibus, tumultuariè ex Flandriæ & Brabantiæ præſidijs accerſitis. Illi decimotertio Martij improuidos ſummo manè adoriuntur, ordines diſſipant, permultos cædunt, & quidem ſupra ducentos illo in loco, vt fertur, præter illos qui in fuga perempti ſunt. Plurimi quoquè in Scalde fluuio periérunt, plures in

Ingens tumultus Antuerpiæ.

Cæduntur Sectarij.

horreo

1567 horreo quodam exusti : cæteri pauci in oppidum euaserunt. Captus etiam in fuga est quidam non postremi nominis, qui multa Geusiorum arcana detexit, secumque habuit catalogum eorum omnium, qui nomen militiæ dederant. Volebant ijs suppetias ferre Sectarij Antuerpienses, sed à Principe Auraico & Hochstratano Comite prohibiti, portam vrbis perfregêre : at suorum accepta strage, mox vltrò in vrbem rediêrunt. Nec sanè ab iniurijs & minis in Principem abstinuêre iam regressi, viique extorserunt aliquot maiora tormenta & arma: quibus instructi, forum frumentarium occupârunt, moxque signis explicatis, recta pergunt ad occupandam curiam. Verùm Principis Auraici & Comitis Hochstratani atque magistratûs studio tandem effectum est apud quosdam Sectariorum primarios, vt ea die pax esset & concordia. Interim tamen captiuos omnes, tam æris alieni quàm criminum nomine in carcerem coniectos, mirabili audacia soluerunt atque dimiserunt.

Postridiè cùm nouam seditionem moliri viderentur, his ferè conditionibus dicta concordia confirmata est : Vt 12. cohortes sectariorum cum 8. cohortibus ciuium sempèr in excubijs sint : Vt nullus externus admittatur : Vt sectariorum in excubijs sempèr sit maior numerus, & quædam alia. Hæc si impetrarent, pollicebantur se nulla clero, templis Catholicis damna daturos. Verùm eodem ipso die fidem datam fefellerunt, cùm à meridie, duce illo Hermanno, qui se ab Hasselecto subduxerat, rursùs aggressi sunt cœnobia expilare & vastare, inprimis autem Franciscanorum, Dominicanorum & Carmelitarum. Et vt suæ indulgerent libidini, quosdam Franciscanos egregiè ludificatos in medio exercitu per totam vrbem etiàm bombardis onustos circunduxerunt : qui quidem, illo bombardarum pondere sauciatis humeris, diù postea decubuerunt. Quin & claues sibi vendicârunt, & Hermanno suo tradiderunt : mox celeres nuncios mittunt Valencenas, hortantur nè se dedant, quandoquidem etiàm Antuerpia ab ipsis stet. At tamen sedatus ea die tumultus fuit, nè quid prætereà attentarent.

Franciscani illuduntur.

Sequentis diei summo manè illi inter se conspirare cœperunt de totius ciuitatis direptione. Itaque pulsato tympano conuocant Caluinistas & Confessionistas

nistas omnes, vt ob defensionem Euangelij in antedi- 1567
ctum forum frumentarium paritèr conueniant. Res erat summi periculi, actumque fuisset de illius amplissimi emporij opibus, deque magistratu & Catholicis omnibus, nisì prudenti consilio Principis & Comitis atque magistratûs, alterius tympani pulsu ad ferendam maturè opem accersijssent ciues & nationes omnes, præconis voce addita, vt quicunque Regi & Magistratui assistere vellent, in forum se reciperent. Confestim igitur in vnum coiêrunt non modò ciues Catholici Germani, Hispani, Itali, Lusitani, sed etiàm Confessionistæ Luterani, Catholicis se iungentes aduersùs Caluinistas tanquàm seditiosos. Ibì tum clamari cœptum contra Caluinianos : Viue le Roy, id est, Viuat Rex, & Geusij expellantur ab vrbe. Et facilè tum Caluinistæ ex vrbe eiecti fuissent, nisì ob vitandam mutuam ciuium cædem, quidam se sequestros interposuissent. Itaque conuentum denuò cum illis est, sed longè alijs quàm die præcedenti conditionibus, ijs videlicet atque alijs consimilibus, vt quamprimùm omnes arma ponant, vt tormenta maiora restituant, vt nulli nisì Magistratui fas sit signa militaria erigere. Ex eo tempore fracti sunt animi Caluinianorum, nec quicquam grande deincèps eo in loco ausi sunt attentare : porrò illorum capita se sensìm subduxerunt, & inter primos Hermannus, quem hominem etiàm Sectarij execrantur. Est verò sub certis quibusdam conditionibus etiàm pax illis communis constituta.

Obsistitur Caluinistis.

Hoc ferè tempore, nempè Dominica Iudica, id est, decimasexta Martij, quidam Caluinianus præco singulari quadam audacia non longè à Colonia concionem habuit. Sperabat fortasfsis homo improbus se in ea præclara vrbe aliquem posse tumultum ciere, & homines ad res nouas moliendas incitare. Verùm neque admodùm multos habuit auditores, & nisì absens ab vrbe tum fuisset clarissimus vir Constantinus Liskyrchius eius anni consul, & alia quædam obstitissent, næ ille furcifer haud impunè tulisset tantam audaciam. Et certè non fuit ille ausus denuò illo in loco habere concionem, & si sanè fuisset ausus, sensisset Catholicum Coloniæ Agrippinæ magistratum non defuturum saluti & tranquillitati Reipub. suæ. Mox autem à prudentissimo Magistratu seueritèr prohibitum est, nè

Contio hæretica extra Coloniam.

1567 est, nè quis extra vrbem ad Conciones eiusmodi exiret. Pertinet hoc quoquè ad eximiam laudem inclytæ Coloniæ.

Legatio ad Valencenenses. Hoc mense ab illustrissima Belgij Gubernatrice ad Valencenenses missi sunt Dux Arescottanus & Comes Egmondanus. Ij die decimotertio huius mensis sub fide publica euocârunt ad se homines viginti, quos illi designarent, ad Colloquium sub horam tertiam pomeridianam. Eo quidem die nemo venit, quòd se dicerent impeditos: sed postridiè ob id tantùm missi sunt quidam, vt audirent conditiones ab illis nomine Gubernatricis offerendas, quæ quidem erant æquissimæ. At illi tunc discesserunt, & die XV. eiusdem mensis Valencenenses iam ab Antuerpiensibus animati, responsum eiusmodi reddiderunt, quod victoribus potiùs quàm victis conueniret. Itaque iam memorati Principes re infecta discesserunt, arctiusque obsessi sunt Valencenenses.

Eodem tempore ad vnum è primarijs fœderatis nobilibus, qui tum Amsterodami degebat, secundus missus est legatus Secretarius priuati Concilij regij, admoniturus eum nomine illustriss. Gubernatricis, vt ea vrbe excederet, & quædam præterea alia faceret, ni publicus hostis declarari vellet. Vbi is ad eum venit, hoc solum obtinuit responsi, non esse illum eiusmodi legatum, cui oporteat responsum reddere. Erant tum Amsterodami aliquot nobiles fœderati in eodem hospitio, ad quod se Secretarius contulerat. Ij sanè aliquot dies captiuum eum detinuerunt, nec semèl minas mortis intentârunt, literas & munimenta eius omnia abstulerunt. Magistratus, metu primarij illius nobilis, nihil se commouebat, donèc is negaret suo iussu factum. Tum verò, non recuperatis tamen suis munimentis, scapha accepta à Sculteto & Consule, solo hospite conscio, illorum euasit manus. Paulò pòst ille primarius nobilis, publicus patriæ hostis pronunciatus est.

Legatus Gubernatricis malè tractatur.

Hasseletū deditur. Sub id tempus Hasseletum se dedidit Episcopo Leodiensi his ferè conditionibus: Vt impensas obsidionis Episcopo præstent: Vt suo sumptu cœnobia & templa restaurent: Vt deinceps Catholicam fidem profiteantur. Hæc sunt lucra & compendia noui euangelij, & indè nascentis rebellionis. Est autem miles oppido sinè cæde recepto impositus.

XVI. Mar-

XVI. Martij, aut certè Dominica Lætare, Brugen- *1567*
ses Sectarij rursùs quendam sibi adsciscunt ecclesiasten, sartoris famulum, vix natum annos 22. dignum sanè tali patella operculum. Venerunt eò missi à Brugensi magistratu & à Francotis, & disertis verbis homini, nè concionaretur, interdixerũt. At ille tamen à meridie id attentans, vbi sub vesperam vrbem ingreditur, in ipsa porta compræhenditur, & in carcerem mittitur. Indè cessârunt conciones eiusmodi apud Brugenses. semèl tamen atque iterùm suos psalmos teutonicos cantillârunt, donèc vicesimasexta Martij conuenticula illis omnia publico edicto vetita sunt. *Ecclesiastes capitur.*

Sub finem Martij rursùs Antuerpiæ Sectarij sua habere conuenticula secreta, arma coëmere, & ad tumultum spectare cùm viderentur, multique mercatores exportatis indè rebus suis abscederent, Gubernatrix per Principem curauit conciones sectarias omnes prohiberi, tametsi nondùm obtemperatum fuit: voluitque constantèr militem exterum eò intromitti. Præfecto quoquè criminali, quem vulgò Roede Roede vocant, mandauit, vt authores omnes tumultûs illius Antuerpiensis, vnaque sectariorum ministros omnes compræhenderet. *Conuenticula noua Antuerpiæ.* **Rod Rüt.**

XXII. Martij Dominus Norcarmius accitis è Duaco, Tornaco, alijsque vicinis oppidis tormentis, Valencenarum mœnia tanta vi & assiduitate verberauit, vt ciues mox colloquendi facultatem petiërint. Ea sub vesperam non negata, aiebant se paratos deditionem facere eis conditionibus, quas anteà recusârant. Verùm non sunt auditi. Postridiè duobus & viginti tormentis summo manè quatiuntur mœnia, turris cuiusdam templi deijcitur, magno illato vicinis ædibus detrimento, nec cœpto absistitur, licèt horribili clamore oppidi matronæ manibus deditionem insinuarent, donèc ante meridiem ad multum spatium disiectis mœnibus, facilis militi in oppidum pateret ingressus. Iam verò summè ad inuadendum anhelante milite, ipsoque meridiano tempore sinè vlla conditione se permittunt Regis voluntati. Eodem itaque die, qui erat Palmarum Dominicus, à meridie cum maxima copiarum parte ingreditur Dominus Norcarmius, oppidumque Regi Catholico recuperat. Porrò ad aliquot dies obseratis portis Michaëlem Herlinum ditissimum mercatorem cum filio & duobus noui euangelij præconibus, totius *Valencenæ expugnantur.*

1567 rebellionis capitibus, in carcerem conijcit. Ea verò Va-
lencenarum, vrbis munitissimæ, expugnatio omnibus se-
ctarijs animum ademit. Mox autem missi sunt ex hoc
exercitu, qui Cambresium, ditionis Episcopi Camera-
censis oppidulum à sectarijs occupatum, oppugnarent.
Sed vbi eius loci incolæ acceperunt Valencenas deditio-
nem fecisse, omnes profugerunt, portisque patentibus
miles ingressus est.

Traiectenses Mosani se dedunt.

Aprilis mensis initio Traiectenses ad Mosam se Re-
gi missis Bruxellas legatis dediderunt, militemque regi-
um apud se introduci passi sunt. Fuerant illi diù rebelles,
indè persuasi à sectarijs buccinatoribus, multaque more
sectariorum egerant: sed eiusmodi conatus plerunquè
tristes habent exitus, punitque temeritas vel maximè se-
ipsam. Quanto illi rectiùs sapiunt, qui seditiosorum ho-
minum repudiatis concionibus, permanent in officio,
nouandisque rebus abstinent?

Conditiones acceptæ ab Antuerpiensibus.

VII. Aprilis illustriss. Gubernatrix cum Antuer-
piensibus, qui suos ad illam legatos miserant, his fermè
conditionibus transegit: Vt sectarij ministri & concio-
natores omnes quamprimùm Antuerpia discedant: Vt
omnes sectariorum conciones, exercitia, & quæcunque
indè pendent, putà, Consistoria, conuenticula, collectæ
pecuniariæ, & similia cessent: Vt templa direpta vel
diruta, in pristinum statum reuocentur: Vt cultus diui-
nus vbiquè restituatur, itemque conciones Catholicæ
aliæque Ecclesiasticæ cæremoniæ omnes, idque sinè vllo
impedimento vel iniuria tam in personas Ecclesiasticas,
quàm eorum res & facultates: Vt nouorũ fanorum stru-
ctura cõquiescat, cunctaque, vbì rex iusserit, subruantur:
Vt nihil interim innouetur, neq; quicquam fiat religio-
ni Catholicę contrarium: Vt ciues & incolę omnes obe-
diant Regi, cunctaque eius edicta, etiàm ab harum tur-
barum initio proposita seruent: Vt posthàc non ferant
in sua Rep. vllos exules, errones, aduersùm Regem con-
scriptos, exteros sectarios, fugitiuos, apostatas, & simi-
les: Vt Magistratui reddatur pristina authoritas, & de-
bita præstetur obedientia: Vt milites præsidiarij, donèc
illic erunt, iurent se Regi parituros & seruaturos iam
dicta. Hæc si fiant, vicissim promisit Gubernatrix, eius
vrbis ciues neque in illa, neque alia Belgij ciuitate per-
quisitum, molestatum, impeditum, persecutum iri reli-
gionis ergò, donèc Rex cum ordinum consilio aliud sta-
tuat, cui tum illi perindè vt alij Regis subditi, obtem-
perare

1567

perare debebunt. Si qui autem ad regiorum edictorum præscriptum, quòd ad religionẽ attinet, gerere se nolent, aut obediant, aut discedant, quemadmodùm Rex cum ordinibus decreuerit. At hinc excipiuntur tamen ij omnes, qui rei sint maiestatis, destructionis & direptionis templorum atque iconoclasmi, latrociniorum, rebellionis, conspirationis in regiam maiestatem, & criminum consimilium. Porrò in his omnibus regiæ maiestati consensus saluus erit, cui etiàm se scripturam pro ipsis illustriss. Gubernatrix affirmauit, modò interim sileant conciones & exercitia omnia nouę religionis. Postremò hortabatur, vti hæc omnia quàm celerrimè exequerẽtur, ità citiùs impetraturi hactenùs malè gestorum veniam. Eæ verò conditiones omnes ab Antuerpiensibus acceptæ & admissæ sunt, sicque paulatim ibi res meliùs habere cœperunt.

Tumultus Buscoducensis.

IX. Aprilis immodicus fuit tumultus Buscoducis. Cum enim iuramẽtum exigeretur ab eo, quem supra diximus missum Antuerpia esse, vt illi oppido præesset, nec id nisi sub ea forma, quam ipse conceperat, præstare vellet, Sectarij perruptis Curię foribus, Magistratũ cum ciuibus consilia communicantem inuadunt, & bonos ciues omnes in fugam compellunt. Verùm pius & clemens Deus eas turbas ità sedauit, vt sub vesperam suam quisque domum sponte repeteret. Porrò die 11. Aprilis exauthorato milite, solutis à Senatu stipendijs, Antuerpiensis ille discessit, moxque ad horam tertiam Cancellarius Bràbantiæ & Petersomius dimissi sunt, & Bruxellas vsque à 32. sagittarijs deducti. Simul etiàm conscripti à magistratu milites 400. qui excubias agerent, planeque exulare iussa omnis concio sectaria. Itaque sectarij plerique suis secum exportatis rebus, inde aufugerunt.

Cancellarius dimittitur.

X. Aprilis Antuerpia excessere nouẽ ministri sectarij eius vrbis, partim Caluinistæ, partim Luterani: mox etiam omnia illorum fana prophana, iussu Curiæ à magistratu obsignata sunt, donèc Gubernatrix eò veniret.

Eodem tempore in Flandria, iam ante Pascha sublatis iussu Comitis Egmondani agrarijs concionibus, deturbata sunt sectariorum fana, Iperis inprimis, & Balioli atque Armenteriæ, & in locis adiacentibus. Porrò Comminij, iubente Duce Arescottano, ex fani Sectariorum trabibus tria sunt structa patibula, in ijsque mox suspensi perplures. Deindè etiam Gandaui tanto militum impetu vnius horæ spatio dirutum est fanum

1567 Sectariorum, vt vendita statìm omni materia, præter stramina nihil reliqui fuerit. Cœpit quoque passim per vniuersam Flandriam de ijs, qui circa Domini natalem ad arma concurrerant, & de iconoclastis omnibus supplicium sumi, ità vt per trimestre in sola Insulensi vrbe ad octoginta in crucem sublati sint ex pagis vicinis. In Hollandia quoquè & Zelandia sensìm tranquillitas reddita est, profligatis sectariorum concionibus, & eorum fanis euersis.

XXIIII. Aprilis Antuerpiæ solennis Missa celebrata est de sacrosancta Eucharistià in templo beatissimæ semperque virginis Mariæ: & quidem iam aliquot menses illud sacrum siluerat. Adhibitus autem est solennis campanarum sonitus, iam canonicis reuersis, & mercatoribus frequentissimis eò quotidiè confluentibus, adeò vt itinera omnia omnis generis opibus & sarcinis oppleta cernerentur. Est tum illo in templo, tum in cæteris omnibus magno sudatum opere, vt ante Gubernatricis aduentum rudera omnia exportarentur. Eodem die domestici milites omnes exauthorati sunt, demptis quatuor cohortibus. Indignè id ferebant illi milites, atque sub vesperam alterius diei illis in vnum coëuntibus, & mira minantibus, res ad tumultum spectare videbatur. Verùm prudentia Magistratûs itum est obuiàm, accito milite regio iam ad vrbem aduentante. Itaque xxvj. mensis huius summo manè, duce Comite Mansfeldio, in oppidum intromissa sunt 16. peditum signa: priùs tamen curribus aliquot cum eorum impedimentis intrò receptis, & ad viarum angulos obiectis, nè quid maligni homines possent attentare contra illos.

Peditum 16. signa veniunt Antuerpiam.

XXVIII. eiusdem venit Antuerpiam illustriss. Gubernatrix cum plerisque aurei velleris Equitibus, & cum tota aula, stipata equitibus septingentis ad suum & vrbis præsidium: itemque trecẽtis alijs, qui foris inuigilarent, nè qui tumultus existerent. Ingressa vrbem, rectà contendit ad primariam sacratissimæ virginis matris ædem, vbì, omnibus anteà præparatis, mox solenne sacrum de Sanctospiritu factum est, totius vrbis campanis concrepantibus: inprimìs autem pro gratiarum actione decantato, Te Deum laudamus.

Gubernatrix intrat Antuerpiam.

Calendis Maij, aut certè pridiè eius diei sub mediam noctem Amsterodamo discessit nobilis ille primarius, cuius anteà quoquè meminimus, à multis nobilibus

bus fœderatis & cum tedis innumeris deductus ad nauem 1567
cum omni sua familia & supellectile: vbi valedicens nobilibus illis, mandauit, vt indè abscederent quãprimùm, nulla tamen cuiquam vel vi, vel iniuria illata. Illi igitur biduo pòst cum vniuersis copijs suis indè abierunt. Porrò Carthusianum cœnobiũ extra Amsterodamum situm, priùs sexaginta milites diripuerunt: ijdemque indè profecti, Abbatiam Egmondanam miris modis vastandam & expilandam sibi sumpserunt, monachis non mediocritèr diuexatis, & Priore miserrimè captiuo aliquousquè pertracto. Indè pretereuntes Alcmariam vrbem, opima præda iam dicti monasterij & multis thesauris onusti, vicinum Regularium cœnobium itidèm expilârunt. Est verò illos persecutus Comes Meganus, sed assequi non potuit, donèc suis essent coniuncti, qui erant ad quatuor millia, & eo ampliùs, armis omnis generis egregiè instructi. Prohibuerat autem Gubernatrix sub pœnis grauibus, nè illis auxilio essent certa quædam oppida. Vndè factum est, vt aliquot locis frustrà tentârint conscensis nauibus abscedere. Tandèm tamen oppiduli cuiusdam incolas vi adegerunt, vt naues concederent, quas ingressi omnes abscesserunt, exceptis centum, qui tardiùs aduenerant: qui quidem strenuè cum regijs copijs confligentes, plerique omnes ceciderunt, 20. verò cõpræhensi sunt, & 10. mox suspendio necati. Qui autem Vianæ & locis vicinis erant, suorum accepta clade, omnes mutato habitu fugerunt: si qui verò ex ijs depræhendebantur, mox suspendio addicti sunt.

Carthusia Amsterodamensis diripitur.

Sectarij succumbunt.

Porrò nobiles quidam fœderati, horum duces, in peculiarem quandam nauim se receperunt, nauta sanè inuito, qui etiàm paulò pòst Comiti Arenbergio obuiàm venienti illos prodidit. Erant enim benè poti, somnoque obruti, ità vt à militibus Arenbergianis compræhẽsi sint centum & tres, in quibus erant nobiles 63. Simul etiàm in eadem naui præda cœnobij Egmondani appræhensa est, & 30. aut 40. millia dalerorum. Nobiles capti Viluordiam iussu illustriss. Gubernatricis magna ex parte abducti sunt. Ea autem res sectariorum audaciã prorsùs contudit, maximè quòd à captiuis multa illorum arcana & machinationes detegerentur. Viana posteà occupatur ab Erico Duce Brunsuicensi, & ditio Traiectensis redit ad pacem & tranquillitatem.

Nobiles capiũtur.

X. Maij aliquot peditum signa regis nomine ingressa sunt Amsterodamũ, & paulò antè Buscũducis. Iam ferè

1567 rebellio omnis, cunctaque Sectariorum exercitia & conciones in nihilum redacta visebantur, non sinè singulari præpotentis Dei benignitate, qui etsi ad tempus permisit in illis opulentis & Catholicis regionibus aliquid posse sectarios, citò tamen illorũ conatus repressit, flexus haudubiò precibus ardentissimis & lachrymis piorum hominum vtriusque sexûs, quorum illis in locis ingens sanè copia est. Eodem autem die Antuerpiæ, præter alios multos in vicinis itineribus, duo iconoclastę & quatuor alij suspensi sunt. Porrò etiàm id temporis illustriss. Gubernatrix iussit Antuerpiæ singularum familiarum nomina & cognomina describi, itemque arma in singulis ædibus reperta. Fana autem hæreticorum donauit externis militibus, ea conditione, vt solo æquarent. Sunt qui dicant, pro quinque fanorum sectariorum materia oblata esse aureorum Rhenensium 14. millia.

XII. & XIII. Maij permulti ibidèm, iubente Gubernatrice, in carceres coniecti sunt, atque in ijs plerique iconoclastæ & templorum expilatores.

Legati principum ad Gubernatricem. Sub diem XX. eius mensis aliquot Germaniæ principum legati venerunt ad illustriss. Gubernatricem, orãtes, vt qui confessionis essent Augustanæ in Belgio, ijs libertas concederetur, neque ob priùs admissa quicquã molestiæ inferretur, & id genus alia. Responsum illis est, non posse hac de re quippiam constitui, donèc Rex suam explicet voluntatem: porrò illustrissimam Gubernatricem orare, nè se negocijs religionis in Belgio admisceant. Ità tum nihil impetratum est. Intereà verò dum illi ijs in locis essent, tam Cõfessionistarum quàm Caluinianorum fana sub hasta veniêrunt, idque in commodum militum præsidiariorum: solum fisco adiudicatum, posteà pars quibusdam militiæ ducibus permissa.

Marchio Bergensis moritur. XXII. Maij in Hispanijs obijt Marchio Bergensis. Eius coniunx necdùm comperta morte illius, hoc ferè tempore cõsulem oppidi Caluinistam iussit in carcerem includi, edixitque palàm, vt solum verterent, quicunque vel proles suas baptizari curâssent in fano sectariorum, aut eorum more iniissent coniugia, aut cœnam Caluiniano ritu celebrâssent, neque vellent resipiscere. Feruntur autem circiter 700. tum indè aufugisse.

Edictum Antuerpiæ promulgatum. XXIIII. Maij Regis nomine illustriss. Gubernatrix publicauit Antuerpiæ edictum, ob sedandas turbas omnes, quæ illic religionis causa deinceps oriri possent. In eo autem nulla fit mentio eorum, quæ hactenùs

ad-

admissa essent. Scripserat enim Rex, se sibi seruâsse eorum tum punitionem, tum condonationem, pro meritorum qualitate. Huius edicti hæc ferè summa fuit: 1567

Primò, vt iuxta edictum anni superioris, in Iulio I.
euulgatum, præter bonorum omnium confiscationem ministri sectarij & concionatores morte mulctentur, ac suspendantur. Eadem pœna plectantur, quicunque suas ædes ad habenda conuenticula commodatò dederint aut permiserint: itemque receptatores, fautores, sustentatores illorum, si tamen id pro more habeant, aut sint hæretici obstinati: Qui talia adeunt conuenticula, pœnam luant arbitrariam, ità tamen, vt inquirat iudex, num quadam ducti curiositate id fecerint, an verò armati: Concionatores sub pœna capitis solum vertant: Parentes, curatores, heri, ad iudicis arbitrium puniantur pro liberorum & familiæ suæ culpis, & pueri vel famuli flagellentur, nisì constet illos horum culpas pro viribus impediuisse: Vt citiùs prodantur conuenticula, quisquis illa detexerit, si eius sit sectæ, & ad fidem Catholicam conuertatur, hactenùs admissorum habeat veniam & impunitatem: Vt magistratus & prætores, illorum alioqui rationem reddituri, contra ea conuenticula aduigilent.

Secundò, vt iuxta aliud præcedentis anni edictum, II.
iconoclastæ omnes, & id genus templorum ac monasteriorum expilatores & inflammatores, aut ijs opem ferentes, bonorum confiscatione & laqueo plectantur: sitque cuiuis fas eos compræhendere, & Magistratui adducere. Omninò etiàm mandatur magistratibus, vt nè permittant talia facinora, immò verò modis omnibus obsistant, sub pœna arbitraria, præstandique damni, quod ecclesijs illatum sit. Idem facere teneantur, qui sint ecclesijs vicini, aut ad ecclesiarum parœciam pertineant, non modò erga parochiales ecclesias, sed etiàm alia eiusdem parœciæ sacella.

Tertiò, vt qui Sectarij sua exercitia, putà, baptismū, III.
matrimonium, cœnam, psalmodiam, publicum cantum in conuenticulis, sepulturam, & similia coluerint, in crucem agantur, aut capite plectantur: illis verò auxilio qui fuerint, pœna mulctentur arbitraria.

Quartò, vt infantes nothi mox in ecclesiam ferantur, & ritu Catholico tingantur. Habeant etiàm parochi librum, in quo annotent diem baptismi, nomen baptizati, parentumque & susceptorum: pœna arbitra- IIII.

 ria

1567 ria constituenda in parentes, qui non iusserint baptizari: Si verò sectariorum more fiat, pœna capitis & bonorum confiscationis in baptizantem, & baptizandos offerentem. Obstetrices quoquè deintegrò iurent, se indicaturas infantes magistratui, si à partu intra horas 24. non baptizentur: & si id negligant, puniantur.

V. Quintò, vt nullus ludimagister iuuentutem instituat publicè vel priuatim, nisi priùs de fide examinatus à Scholastico & duobus à Senatu deputatis, præstitoque iuramento, iuxta formam præscribendam, de non prælegendis libris aut dogmatibus ab Ecclesia Catholica damnatis. Seruent verò hæc ante decimum diem post huius edicti publicationem, idque sub pœna arbitraria: quòd si verò deinceps errores aut hereses docuerint, capite & bonorum confiscatione mulctentur: parentes autem, qui ad eiusmodi scholas suos pueros miserint, pœna arbitraria.

VI. Sextò, vt prætores & Magistratus cum Visitatoribus exactè obseruent decreta omnia de typographis & bibliopolis promulgata, & immorigeri, capitis & bonorum confiscationis pœnas luant, si sic assueuerint: alioquì pœna extraordinaria, non tamen capitis, plectantur: & qui tales emunt libros, mulcta ijs pecuniaria irrogetur.

VII. Septimò, quicunque regijs subditis collectas pecuniarias imposuerint, absque Regis iussu, authoritate, permissu vel consensu, etiamsi vltrò conferant, vt pœnam ferant arbitrariam, & ampliùs quadruplo restituant, quàm acceperint, partìm fisco regio, partìm pauperibus applicandum. Vt etiàm sectarij sub pœna arbitraria non illiciant in suas sectas plebeculam simplicem eleemosynis aut operis præstandis. Si qui verò tales collectas iam fecerint, aut contribuerint ob militem conscribendum, aut in posterum id fecerint, tanquàm rebelles plectantur capite, & bona eorum Fisco cedant.

VIII. Octauò declarati sunt rebelles omnes consistoriorum præfecti, & vetita deincèps consistoria omnia tam intra, quàm extra vrbes, itemque conuenticula, pretextu cœnæ Caluinisticæ, Colloquij, visitationis, religionis ad publicam perturbandam pacem, idque sub eadem pœna.

IX. Nonò iubentur vrbibus excedere ante horas 24. exules, fugitiui, errones, apostatę omnes, ij præsertim qui sub religionis prætextu eò aduenerint: & quidem sub pœna aut

aut virgarum, aut exilij, aut capitis, pro ratione merito- rum. 1567

Decimò, vt quicunque aliundè in Belgium conflu- xerint, si sint exules, iubeantur quamprimùm abscedere sub pœna in exilij literis expressà: sin alij sint, adferant testimonia Parochi & Magistratûs sui de vita sua & causa discessûs ex alijs ciuitatibus. X.

Postremò interdicuntur scandala omnia ac impedi- menta, motus quoquè & iniuriæ in homines Catholicos, in Ecclesiasticos, in monasticen professos, & quidem sub pœna capitis & confiscationis bonorum, si graue sit scandalum: aliâs arbitrariæ castigationis. Hæc autem omnia suum habebunt robur, donec aliud de religionis negocio constituatur. XI.

Sub finem mensis Maij tumultuati sunt Sectarij Steenbergii, nisi fallor, cœperuntque denuò aliquot vastare Ecclesias. Verùm missis eò Antuerpia 300. militibus, plerique fugerunt, nonnulli in crucem acti sunt.

In Iunio sumptum est Valencenis supplicium de quatuor primarijs Geuseis vel Caluinistis eius loci: è quibus vnus erat opulentus ille mercator Michael Herlinus cum filio, & duo concionatores. Is Michael prolata in ipsum & filium mortis sentẽtia, cultello pennario aliquot sibi vulnera sub pallio inflixit, in quibus nonnulla exitiosa fuisse feruntur. Ea re ex profluente sanguine animaduersa, productus est ad supplicium. Porrò Sectarij versi in tumultum, nituntur & illum & alios eripere, nec obtemperant militibus monentibus, vt sedatè se gerant. Itaque disploduntur à milite aliquot sclopetti in seditiosos, quibus sex perempti, complures grauitèr vulnerati sunt. *Sumitur supplicium de 4. Geuseis.*

Accidit verò quiddã memorabile Cambresij, quanquàm incertum habeo quo mense & die acciderit. Erat ibi quidam Iohannes Carmelitanus apostata hæreticorum ecclesiastes. Is se dominum Philippum dici voluit. Captus tandèm, pernegat se esse eum monachum, qui putabatur. Et quanuis diuersum testarentur plerique homini familiaritèr noti, & ipsa quoquè eius mater, optima & catholica mulier, quæ eum certis indicijs docebat esse suum filium, & hortabatur, vt monasticum habitum reciperet: ille impudentèr ait, Mulier, non noui te. Verùm multis tandèm conuictus testibus, non potuit negare se esse illum fratrem Iohannem Carmelitanum. Itaque in castro Cambrensi suspenditur, sed ab hæ- *Apostata mutat sibi nomen.* *Suspẽditur*

1567 reticis sublatus, in vicina quadam fossa sepelitur. Ecce autem spargitur latè rumor, Iohannem excitatum à mortuis, in Francia concionari, nec deerant qui se dicerent eum vidisse rediuiuum, cùmque audiuisse concionantem. Sed vt impudens commentum palàm posset coargui, magno studio Catholici eius cadauer perquisiêrunt, inuentumque iam fœtens & horridum denuò suspenderunt, nec illud posteà amotum est. Talibus figmentis delectantur nostri euangelici præcones, & cùm vera miracula nulla habeant, ad eiusmodi prodigiosa commenta confugitur.

Denuò suspenditur.

Tornaci, Iperis & Gandaui, multisque alijs Flandriæ locis, plerique profugi Sectarij ad certam diem citati sunt sub pœna confiscationis bonorum. Illis verò non se sistentibus, bona illorum partìm fisco addicta sunt. Tornaci vno die è ditionibus Regis centum & sex Geusei Tornacenses proscripti sunt, & bona eorum confiscata. Multi ibidèm in castro habebantur in vinculis, quorum vix pauci euasuri putabantur. Aldernadi quidam è præcipuis Sectarijs cùm semèl habita quæstione nihil esset confessus, & tandèm testibus conuictus, vereretur ad alteram quæstionem se abreptum iri, vel ferre non sustineret publicæ necis ignominiam, de fenestra domûs præcipitem se eiecit, sed singulari Dei benignitate, qui non vult mortem peccatoris, eo casu extinctus non est, sed resipiscens, & peccata sua confessus, Catholicè mortuus est.

106. Geusei proscripti.

Gandaui pridiè Apostolorum Petri & Pauli ingens rumor sparsus fuit, postridiè futuram concionem hæreticam, & quòd Sectarij præcones 4. iam essent vrbem ingressi. Perlata res est ad magistratum, & diligenti habita inquisitione, primus author in vincula coniectus est: nec vlla fuit concio heretica: sed ipso Apostolorum festo die, quo futura dicebatur, ad sacras reliquias S. Liuini, quæ tum biduo antè ex castro, vbi ob Geuseorum metum aliquandiù fuerant, in templum S. Bauonis relatæ erant, clauda mulier sanata est. Et certè aliquot ibì tum miracula facta esse adeò certum est, vt in publica acta relata sint.

Miraculū ad reliquias S. Liuini.

Eodem propè tempore haud procùl Brugis quidam Sectarii rursùs sua habere cœperunt conuenticula, id prætexentes, quòd non nisì vsque ad S. Iohannis ferias, vt ipsi dictitabant, conciones vetitæ essent. Sed missus eò præfecti Flandriæ vicarius cum aliquot è castro Gan-

densi

densi leuis armaturæ equitibus, ludimagistrum quen- *1567*
dam, qui concionem habiturus, paulò antè infantem suo more baptizauerat, compræhendit, & postridiè manè in crucem egit: sunt & alij quidam compræhensi, cæteri fuga dilapsi.

Vltima Iunij apud Harlingen Phrisię castrum in captiuos quosdam, quos suprà diximus in naui vna à comite Arenbergio comprænsos, lata fuit sententia. Porrò nobiles 7. confœderati ad Gubernatricem missi fuerant, & de cæteris eius sententia expectabatur. Itaque præter alios partim exulare iussos, partim ad triremes damnatos, patibulo septem addicti sunt, è quibus vnus duntaxat ad fidem catholicam se recipiens, peccata sua cuidam Franciscano patri confessus est, petijtque Missam fieri, in eaque sacrosanctam Eucharistiam sibi porrigi. Quod cum factum esset, atque ille cum alijs suspensus, iam spiritum exhalâsse putaretur, animaduertit præfectus eum etiamnum animam agere. Iussit igitur lictori, vt mortem vno adhuc saltu illi acceleraret. Quod cùm ille tentaret, funis ruptus est. At ille humi collapsus, paulò pòst tum à Deo, tum à præfecto ore titubante veniam & petiit & impetrauit, traditusque chirurgo curandus, hodieq; fortassis superest. Quotquot verò illi spectaculo aderant, miraculi loco isthuc habuêre, quòd sacrosanctæ Eucharistiæ virtute à morte seruatus esset homo ille. Et multi sanè in Phrisia, hac re permoti, quotidiè redeunt ad Catholicam Ecclesiam. Est verò res à commissarijs perscripta ad illustrissimam Gubernatricem, qui se etiam funem accuratè inspexisse addidêre, certoque comperisse eundem fuisse, quo cæteri essent strangulati, minusque quàm cæteros ponderis habuisse, sicque ruptum fuisse, ac si ense dissectus esset.

Exemplū memorabile.

Multi ad fidem redeūt Phrisones.

XVIII. Iulij illustriss. Gubernatrix cum tota aula Bruxellas reuersa est, cùm ad id vsque temporis Antuerpiæ fuisset. Porrò Comes Mansfeldius Antuerpiæ cum præsidio relictus est.

Ante hos autem dies Ruræmundæ in Geldria Geusei quidam rursùs suum habuêre ecclesiasten, qui primò apud Nouimagenses, deindè in Maseque concionatus fuerat. Illum volebant Ruræmundam introducere, vt festo die Visitationis beatissimæ Mariæ virginis concionaretur. Illud autem obtinere cùm non possent, extra vrbem habita cōcio est in pago quodam. Egressi sunt eò extra Ruræmundam Geusei quingenti, aut circitèr, vt aiunt,

Ru[illegible]ū- dē[illegible] sunt in motu.

1567 aiunt, concionem audituri. Catholici interim aduocant vicinum quendam satrapam, orantque vt præsidio militari ciuitati opem ferat. Venit ille cum paucis militibus, moxque portæ vrbis occluduntur. Redeunt indè à concione Sectarij, mirantur clausas portas, rogant eas aperiri, & se intromitti. Catholici negant se illos agnoscere pro ciuibus. Iterùm redeunt, seque intrò recipi petunt, vt possint adesse vxoribus & liberis suis. At Catholici vxores & liberos illis quidem per murum, vt fertur, demiserunt, sed eos admittere noluerunt. Hæc quidem de rebus inferioris Germaniæ, vt antè dixi, à grauibus & fide dignis viris accepi, & huc adscribere volui. Alij hauddubiò quandoquè prolixiùs omnem historiam separatim describent.

Gotha deditur. Huius anni mense Aprili, cùm aliquandiù iussu Imperij obsessum fuisset, deditur Gotha oppidum cum arce munitissima & propè inexpugnabili, ibique præter alios captus est Vuilhelmus Grumbach, & paulò pòst grauissimo supplicio affectus, cum alijs quibusdam. Est autem notatu dignum, quòd eodem ferè tempore, nisi tamen fallor, cæsus est iste Grumbach, quo anno 1558. crudelissimo latrocinio peremptus fuit celeberrimus ille Herbipolensis Episcopus Melchior Zobel, cuius suprà meminimus. Verùm hac de re, quòd parùm certi habeam, nolo plura scribere. In Belgium iam aduenisse dicitur cum instructo exercitu illustriss. Dux Albanus, ibidemque etiàm Catholicus Rex Philippus expectatur. Non dubium, quin hæretici cristas demissuri sint, qui illas ditissimas regiones fœdissimè perturbârunt, & damnis maximis affecerunt. Quòd si verò illic nidificare & prosperis frui successibus eis licuisset, maiora sanè attentâssent. Sed habet humana malitia certos sibi præfixos limites & cancellos, quos prætergredi non potest. Vtinàm verò tandèm redeant ad sanitatem, qui in Europa tot turbas excitârunt, atque sub prætextu puræ doctrinæ & Euangelij, orbem erroribus & dissidijs impleuerũt, miseramque & imperitam plebeculam aduersum suos legitimos magistratus incitârunt, atque in varias easque fœdissimè pugnantes & dissectas opiniones & sectas distraxerunt. Quod etsi ad tempus passus est Christus præpotentis Dei filius, qui pro illa fudit sanguinem suum, tamen quandoquè seuerissimè vindicabit & pœnas exiget æternas ab illis, qui illi ad perditionem se duces & authores præbuerunt. Immò verò vbi immensæ

illius

illius bonitati viſum erit, etiàm in hac vita, niſi reſipu- 1567
erint, egregiè caſtigabit & puniet illos, reuocabitque ouiculas ſuas, ab illis diſperſas & diſſipatas, in ouile catholicæ & vnicæ Eccleſiæ ſuæ, præſtabitque vt agnoſcant errorem ſuum, doleantque vehementèr ſe audiuiſſe voces alienorum, eosque ſummè deinceps fugiant & execrentur, quemadmodùm crebrò ſuperioribus ſeculis eum feciſſe conſtat. Et certè etiàm hoc ipſo anno pro ſingulari benignitate ſua ad Catholicæ Eccleſiæ gremium reduxit illuſtrem & magnæ apud Germanię principes authoritatis Comitem ab Helfenſtein Vlricum, adeò vt is corã multis & grauibus viris Luteraniſmum & Auguſtanam confeſſionem, cui, niſi fallor, inter primos ſubſcripſerat, abiurârit & anathematizârit, totusque ad Catholicam Romanam Eccleſiam redierit. Fuit autem cum fratre ſuo altero illuſtri Comite apud ampliſſimum Auguſtanum Cardinalem vltra tres hebdomadas, profligatisque à ſua ditione hæreticis & vxorijs miniſtris atque concionatoribus, catholicos ſacerdotes & concionatores acciuit, qui magno ſtudio incumbunt in viam reducendæ miſeræ plebeculæ, altaribus inſtaurandis, & ſacris imaginibus reſtituendis, idque ſanè proniſſimis, vt quidam grauis vir ſcribit, ad omnia & auribus & manibus vulgi. Porrò etiàm huius rei nouitate penè attoniti vicinarum ciuitatum homines, plerique ſeſe colligunt, & ad pacem & vnitatem vnicę matris Catholicæ Eccleſiæ reuertuntur, frementibus pſeudoprophetis, qui dolent è ſuis faucibus eripi ouiculas Chriſti. Quinetiàm medicinæ celeberrimus profeſſor D. Venerandus Gablerus tanti Comitis exemplum ſecutus, rediijt ad catholiciſmum. Adfuerat is Petro Paulo Vergerio è corpore migranti, apud quem mira quædam viderat, quæ illi animum videbantur perfregiſſe, vt non modò Catholicus, ſed pientiſſimus quoquè Catholicus fieret. Sanè aiunt viri graues, hunc apoſtatam Vergerium ſub mortem teterrimos exhalâſſe fœtores, ac bouis inſtar horrendos edidiſſe boatus: & alia quædam, quæ ſpero quandoquè certiùs prodituros eos, qui morienti adfuêre. Mihi needùm licuit omnia exactè cognoſcere. Inter alia verò permulta, quæ Comitem eximiũ ab Helfenſtein ad catholicam Eccleſiam reuocârunt, illud non poſtremum fuit, quòd, ſicut ipſe ait, in Auguſtana Confeſſione nullum neque in doctrina, neque in cæremonijs fundamentum vel concordiam inuenerit, neque apud ſuos

Comes ab Helfenſtein redit ad eccleſiã

Medicus inſignis fit catholicus

1567 suos concionatores inuenire potuerit, sed sit ab iis ab alijs ad alia remissus atque reiectus, & vnà cum suis subditis in vastissimos errores abductus: tum etiàm, quòd sicut Luterus, ità & omnes posteri illius in suis scriptis inconstãtes sint, & modò hęc, modò ilia sibijpsis pugnantia doceant. Benedictus Deus, qui pręstitit tanto Comiti, tot annis aberranti, vt isthæc videret tandèm, quæ sanè eiusmodi sunt, vt vel sola meritò cordatos omnes permouere possint, nè quicquam velint deincèps cum hac prorsùs lubrica & fallaci noui euangelij doctrina habere commercij. Videbunt quandoquè eadem etiàm alij, Deo benè propitio, moxque vt viderint, redibunt in viam, & isti hactenùs tot homines miserè fascinantes errores vt fumus euanescent, eorumque authores & buccinatores nisì ad sanitatem redièrint, sese abdent in tenebras.

De aduentu verò Albani Principis in Belgium id annotatum video à quibusdam, quorum scripta extant: cùm illum in Italia aliquandiù tenuisset tertiana febris, tãdèm cum instructissimo exercitu nouem millium veteranorum Hispanorum, septem millium Allobrogum peditum, mille equitum leuis armaturæ & quadringentorum cataphractorum, mouisse versùs Germaniam inferiorem, ineunte mense Iulio. Suspicabantur tum quidam moliturum eum quippiam cum tanto exercitu aduersùs Geneuenses, à quibus non longè aberat: sed illis prætermissis, susceptum prosequebatur iter, breuique in Belgium peruenit, acceptusque Bruxellis honorificè à Gubernatrice, multa ex ea didicit de statu regionis. Multi tum ex Geuseis è Belgio discesserunt, ab Albano sibi metuentes: qui exercitum suum per aliquot loca vicina ea ratione distribuit, vt si opùs foret, intra biduum omnes ad se euocare posset. Misit tamen etiàm plerosque equites & pedites ad loca præcipua, quæ magis præsidio indigere viderentur, additis mandatis, vt regię maiestatis nomine intra vrbes reciperentur.

Alij pauciores Hispanos scribunt.

Ad aduentũ Albani multi Geusei è Belgio abeunt.

Non dubium est, quin in tam perturbata republica, qualis tum erat inferioris Germaniæ, quæ Catholico Hispaniarum regi páret, multa animo agitanda fuerint Albano Principi, vt possent rebelles ad obedientiam, malè ab hæreticis dogmatistis persuasi & euersi, ad Catholicæ Ecclesiæ ouile reuocari. Opùs erat sanè non modò insigni prudentia & industria humana, sed etiàm singulari fauore & gratia Dei, sinè qua certè parùm humanitùs

effici

effici potuisset. Cœpit igitur Albanus paulò pòst quosdam primarios viros, quotquot compræhendere potuit, rapere in custodiam: & in ijs Comites Egmondanum & Hornensem. Buranum Comitem Louanij detentum, misit in Hispaniam. Egmondanus scripsit præfecto castri Gandauensis, vt traderet illud Hispano militi. Capti sunt & alij vigintiquinque. Horum omnium ea causa fuit, quòd in fœdere contra regiam maiestatem fuissent. Missi sunt omnes isti cum tribus Hispanorum millibus in castrum Gandauense, & illic diligentèr asseruati, donec aliud de eis esset constitutum. 1567 *Multi traduntur in custodiam.*

Porrò Albanus princeps ad ordines & status Belgij misit literas regis, quas credentiæ vocant, simul indicās, quid à regia maiestate ipsi esset demandatum. Hortabatur omnes, vt regi suo morigeros se præberent, arma ponerent, catholicæ religioni se accommodarent. Atque vt facilius domare posset, si qui pergerent esse refractarij, Antuerpiæ curauit castrum munitissimum exædificandum, idque breui sanè tempore, quòd ingens esset eorum manus, qui illi structuræ suam operam nauarent. De castri illius amplitudine & munitione satiùs est nihil dicere, quàm parùm pro dignitate. Aiunt magnum ea re plerisque terrorem fuisse allatum, præsertìm quòd quorundam facultates fisco regio addicerentur, quibus volebat Albanus hominum furiosorum scelere euersas & vastatas ecclesias atq; monasteria, statuas quoquè & imagines confractas, instaurari. Multi tum partìm in Angliam, partìm in Germaniam secesserunt. Hæc si præuidere voluissent, qui malè à sectarijs persuasi, rebus nouis contra regis sui voluntatem studere, religionemque perturbare non dubitârunt, rectiùs profectò & sibi & vniuersæ regioni consuluissent. Multa sępè attentant homines parum attenti, quid quandoquè accidere possit, atque ità tum seipsos, tum alios plerunquè in grauissima discrimina adducunt. Sed hanc in partem illi confidentiùs peccant, qui sub prætextu pietatis aut religionis secùs faciunt, quàm deceat bonos & cordatos homines. Ij enim, si non succedant mali eorum conatus, consolantur sese, licèt non rectè, rectæ voluntatis, vt ipsi putant, conscientia. Atquì hoc pacto facilè sese tuebuntur etiàm sæuissimi tyranni, qui Ecclesiam Christi atrocissimè vexârunt, quòd putarent religiosè se illud facere. Sed error non efficit, vt culpa vacent. Quàm multa planè impia, nostra ætate designârunt sub Euangelij prætextu Neochri-

Castrum fortiss. Antuerpiæ extruitur.

Temeritas multos perdit.

1567 Neochristiani, quas turbas, quas cædes, quas tragœdias multis in locis excitârunt non finè irreparabili Christiani orbis detrimento? Excusant se, quòd zelo puræ doctrinæ id fecerint: sed interim nulla re magis, quàm sana doctrina premuntur & impietatis arguuntur. Hæc eò dicta sint, vt non sibi blandiantur, qui tumultus in Belgio & alijs locis excitârunt, & posteà in magnas calamitates inciderunt, tanquàm id propter Euangelium & fecerint, & patiantur. Quod enim illi Euangelium dicunt, perpetuus totius orbis Christiani consensus damnat & reijcit, nec alio quàm falsæ doctrinæ loco habet.

Sub prætextu Euangelij quot mala perpetrata.

Cùm sic autem Albanus Dux sese compararet, princeps Auraicus & Ludouicus frater eius, qui in Germaniam se receperant, in eam curam & cogitationem incumbebant, vt possent in Belgium reuerti: nec deerant, qui solicitati ab eis, multa eis pollicerentur: quorum etiàm ope & auxilio ad equitum tria, peditum duodecim millia princeps Auraicus contraxit. Quibus tamen solis fortaßis ille parùm attentare ausus fuisset, nisi sibi planè persuasisset, fore vt si cum ijs copijs in regis ditiones esset ingressus, vltrò ei adessent Belgæ, commeatuque & omnibus rebus necessarijs ipsum adiutarent: quod tamen longè secùs euénit. Nec interim sibi deerat Albanus Dux, in rebus bellicis longè exercitatissimus: sed modis omnibus studebat populum in officio continere, seueroque proposito edicto, iubebat omnes & singulos veterem religionem colere, adire templa, diuinis officijs interesse, arma sua tradere oppidorum & pagorum præfectis.

Princeps Auraicus magnas contrahit copias.

Edictum Albani Ducis.

Cùmque sic Belgicis rebus animum intenderet, Parmensis princeps, quæ hactenùs Belgij Gubernatrix fuerat, à rege Philippo petijt copiam in Italiam reuertendi. Rex annuit petenti, & aliquot coronatorum millibus regia liberalitate ei oblatis, annuo quoquè quatuordecim millium coronatorum redditu perpetuo atque hæreditario illi assignato, peramantèr ei per literas gratias egit, ob susceptos toleratosque in strenua & fida Belgicarum ditionum administratione labores. Ijs literis & nuncio accepto, illa, omni sua authoritate in Albanum Ducem translata, mense Aprili, anno 1568. è Belgio discessit in Italiam, vbi ab Octauio Duce marito suo humanissimè excepta est. Porrò Albanus cùm Bruxellas venisset, typis excudendum atque euulgandum cura-

Liberalitas regis Philippi in Gubernatricem.

Gubernatrix redit in Italiã.

curauit exemplum collatæ ipsi à rege potestatis, ampli- 1567
oris sanè, quàm fuisset Parmensis principis, & Gubernatricis Margaretæ, quippe qui etiàm supremus belli dux esset constitutus, multaque authoritate in destituendis atque instituendis locorum præfectis, aliisque rebus constituendis vti posset. Permultis ea res parùm grata fuit. Gandauenses, assumpto Comite Egmondano, qui tum necdùm in custodiam traditus erat, initio mensis Septembris veniunt Bruxellas ad Ducem Albanum, proponunt ei quàm incommodum ipsis futurum sit, si quemadmodùm alicubì iam fecerat, velit eis auferre oppidi claues & id genus alia. Albanus ad ea respondit, se id curaturum, quod esset è re sui regis, sicque dimisit illos.

Abbas Apostata.

Eodem mense Septembri, & quidẽ primo eius mensis die, quidam Abbas Brabantiæ, ablata secum magna pecuniæ summa, excusso cucullo, extra regis ditiones abiit, & viduam quandam opulentam duxit vxorem, sic enim Euangelici hodiè loquuntur, cùm non sint vxores, sed incæstæ concubinæ. Is Abbas aliquandiù concionatus erat catholicè, habebatque frequens auditorium: sed cum ei nescio qua de causa interdictum esset, nè concionaretur, mutata religione, factus est Augustanæ confessionis. Porrò apud eos, qui Augustanam confessionem complectuntur, non solùm nihil habet turpitudinis, sed magnam etiàm laudem meretur, si monachus, nulla habita diuinarum humanarumque legum ratione, non stet promissis, sed contra votum suum adiungat sibi fœminam, & cum ea propalàm viuat perquàm amantèr & familiaritèr. Hoc scilicèt lumen in orbem Christianũ inuexit pura doctrina, quam iactant Euangelici in suam ipsorum ignominiam & dedecus sempiternum. Auertat illud lumen Christus Iesus lux vera ab omnibus, qui nolunt ab illo quandoquè mitti in tenebras exteriores, vbì erit fletus & stridor dentium. Obseruandum hîc obitèr est, Abbatem hunc leui occasione primùm à catholica religione, mox etiàm à monastica professione defecisse: vt intelligas eos, qui à catholica fide deficiunt, tanquàm diuinæ gratiæ ope destitutos, perfacilè ruere in deteriora, seipsosque desperantes, quod de quibusdam Apostolus ait, tradere impudicitiæ, in operationem immunditiæ omnis, in auaritiam. Solent imperiti homines dicere, desperatione fieri monachum, sed certè desperatio apostatam facit citiùs, quàm monachum. Molesta enim est

O cæcas hominum mentes.

Matth.8. 13.22.24. 25.

Ephes.4.

Desperatio num faciat monachum.

1567 veteri homini monastica disciplina: itaque fit, vt qui cœlestia non appetunt, nec spe futuræ beatitudinis nituntur, salutem facilè desperent, sicque redeant ad latam & spatiosam mundi viam, quam in monasterijs sibi præclusam vident. De ijs loquor monasterijs, in quibus viuitur ad monastici canonis præscriptionem. Sed ad rem.

Cùm Albano Duci displicuissent, quę Gandauenses proposuerant, conuocauit Belgij status & præfectos, legitque eis mandatum Catholici regis. Deindè iussit detineri Comites Egmondanum & Hornensem, vt iam antè diximus. Captus est etiàm Comitis Hornensis secretarius cum actis & scriptis omnibus domini sui. Pauloantè in Hispanijs quoquè in custodiam missi sunt frater Comitis Hornēsis, & alij duo. Inter Antuerpiam & Bruxellas nocte compræhensus est dominus à Strael, vir magnæ authoritatis & valdè opulentus, eiusque bona omnia in ædibus eius Antuerpiæ coram aliquot magnis viris inscripta relata sunt. Hac Albani seueritate animaduersa, plerique aufugerunt, alij sedatiùs & moderatiùs sese gessêre, vtì iam partim anteà attigimus.

Comites Egmondanus & Hornensis ducũtur in custodiã.

XXIIII. Octobris Albanus princeps Antuerpiã profectus est, cùm cognouisset castrum eousquè exędificatum, vt possent illic milites sua habere domicilia. Cùm venisset Antuerpiam, accuratè inspexit structuram castri. Intereà dum ille est Antuerpiæ, Mechliniense arsit armamentarium, in quo erat puluis tormentarius: sed cùm extra plateam esset, nihil prætereà detrimenti attulit, nisì quòd sustulit omnes, qui in eo erant, & molendinum perdidit. Doluit ea res non immeritò Albano Duci.

Armamẽtarium Mechliniæ ardet.

Per id tempus Galli iterùm tumultuari cœperunt, & alterum serere ciuile bellum non sinè summa pernicie patrię suæ & regni florentissimi. Scripsimus quædam superiùs anno sexagesimosecundo, quænam ab Hugonotis (ità enim vocantur, qui se reformatæ religionis videri volunt) tum perpetrata fuêre. Confirmat ea scriptum quoddam docti cuiusdam viri, qui se pleraque vidisse confirmat. Est typis excusum hoc anno septuagesimotertio, vndè hoc loco quædam adscribere visum est, quandoquidem nonnulla ex ijs etiàm ad secundum tumultum pertinent, de quo iam dicturi sumus. Ait ergò: Ruinæ & crudelitates, quas hæretici in nostros exercuêre, vix à posteris credetur: Altaria destructa, imagines cōminutæ, templa multis locis incensa, multis diruta: quid dico multis? Sanè numero incredibili, vtpotè ad decem millia

Secundum bellum ciuile in Gallijs.

millia & ſupra. Quæ reſidua fuêre, ad vſum equorum 1567
commutata, aut in ſpeluncas latronum conuerſa. Aureliç auguſtæ Crucis templum, mirabili opere & cęlatura, Lugduni fanum Iuſti ſupra forum Veneris ſitum, actis cuniculis & incenſo puluere corruerunt. Sanctorum oſſa aut concremata, aut in profluentem deiecta. Sic D. Martini apud Turones, Irenæi, Iuſti, & Bonauenturæ apud Lugdunenſes, Hilarij apud Pictauos, apud Engoliſmenſes diuorum omnium, qui ibì ſepulti erant, corpora amiſimus. Monaſteria ſupra ſexcenta ſolo æquata, plurima incenſa: quam calamitatem pertulit magna Carthuſia Allobrogum, tertio lapide à Gratianopoli. Vaſa aurea atque argentea, quæ Maiorum pietas templis reliquerat, partim ab hæreticis per ſacrilegium rapta, & in pecunias verſa: partim à præfectis prouinciarum in vſum belli accommodata. Euchariſtia porcis obiecta, pedibus protrita, oleo ſacro cocta, & quod maximè horrendum eſt dicere, tergendis natibus adhibita, cùm eam vocitarent irriſorio apud Gallos nomine Iohannem Album, ſtultum appellantes Chriſtum, quòd ſub figura panis corpus ſuũ occuluiſſet. Precioſa veſtis, aulæa omnis generis, & gemmata ſacrorum ornamenta amiſſa, ex vaſis æneis tormenta conflata. Bibliothecæ, quæ in noſtra Gallia inſtructiſſimæ atque antiquiſſimæ fuêre, paſsim arſerũt. & poſt pauca, quæ nos ferè anno 62. commemorauimus: Multæ vrbes ferro igniq́ue vaſtatæ, multæ multa auri pondo ſeditioſis extrema minitantibus tradere coactæ: aliæ diuturno militũ pręſidio vexatæ, mœnibus nudatæ, pecunia mulctatæ, vectigalibus oppreſſæ: ciues in exilium acti, aut in oculis vxorũ & liberorũm trucidati, agri hoſtiliter vaſtati, coloni per ludibrium interempti, Francorum opes aliò tranſlatæ. Documento futura poſteris Gallia, quam pręſens atque efficax rerumpublicarum venenum ſit ciuilis diſſenſio. Plùs enim ea duobus hiſce tumultibus, quàm omnibus externis poſt hominum memoriam bellis attrita eſt. Veteres crudelitates hæretici partim renouârunt, partim nouas exercuerunt. Tyberio voluptati fuit, miſeros è præruptis locis deorſùm agere præcipites: quo genere ſupplicij etiàm cęteri plurimùm vſi. Ad Petram fortè cohors præſidiaria, quæ accepto iureiurando venerat in deditionem, tali mortis acerbitatè integra interijt. Oppidum eſt in comitatu Venetico Moruaſium, ad litus Rhodani ſitum, cui imminet altiſſima rupes: Oppidani metu perculſi, arcem rupi impoſitam,

Hugonotarum facinora in Galliјs ſanè horrenda.

O plùs quàm ſatanicã impietatem.

Ciuilis diſſeſio quàm pernicioſa.

Tyberij crudelitas

1567 in quam præsidij causa confugerant, dediderunt. Eusti-
giò contra morem militarem ducenti crudelissimè ne-
cati, reliqui, quorum magnus erat numerus, ex fastigio
rupis acti præcipites.

Notarem memorabilem. Duo tum ibì memorabilia acciderunt: Quidam op-
pidanus inter cæteros datus in præcipitium, arbusculæ
in media rupe prominentis felici casu ramum arripiens,
suspensus hæsit: mille dein spectantium hostium telis
impetitus, nihil læsus est. Qua re illi attoniti, iterato iu-
reiurando hominem se seruaturos, funes dimiserunt. At
ille renuens, cælitumque omniũ implorans opem, hosti-
um crudelitatem euasit. Eum hominem rex Carolus, quo
tempore salutari consilio singulas regni prouincias lu-
straturus adijt, illac iter faciens videre voluit: filiç dotem,
illi annuas pecunias in alimenta constituit. Puella quæ-
dam sedecim annos nata, per medias hostium acies virili
animo transiens, cùm patrem occisum putaret, sola ar-
cem petijt: in qua alijs super alia iactis cadaueribus, mul-
tis audacter euolutis, ægrè patrem inuenit, confossum
quidem multis vulneribus, sed tum lenitèr adhuc spiran-
tem. Humeris ergò impositum, spectante hoste, domum
tulit, neque solùm vitæ, verùm & sanitati restituit. Itèm
aliquantò pòst: Apamenses hæretici festis Pentecostes
signo dato, supra ducentos ex gente Catholicorum inter-
fecerunt, consulis domũ incenderunt: cuius incendij ar-
Eccè tibi humanitatem planè Euangelicam, si dijs placet. dentibus flammis, cum duobus liberis vir constantissi-
mus est extinctus. Mulieribus grauidis vterus ferro cæ-
sus, infantes ad saxa acti, antè mortem accepêre, quàm vi-
tam. Ad fanum Macarij (vt paulò suprà habetur) in Va-
sconia ab hereticis Catholici viui aggesta humo obruti,
pueri medij ferro secati: Sacerdotum viscera fuste intorta
sensìm extracta. Quis hæc credat, qui ipse non viderit?
& tum verè ità acciderunt. Constat supra quinquiès mil-
5000. sacerdotum crudelitèr necata. le sacerdotes omnis generis vtroque tumultu & lentis &
crudelibus supplicijs esse peremptos, quibusdam eorum
pellem detractam, qui octauo aut nono demùm die quasi
ad insaniam redacti, spiritum exhalabant. Multis caput
amputatum: alij militari supplicio minoribus tormentis
expositi, aut æncarum machinarum ori illigati, emisso
igne in frusta distracti, plurimi vnco summo gutturi
affixo, dolore & inedia cõfecti, non pauci in templorum
crucibus suspensi. Plurimi etiam sulphureo puluere in-
structi, lardoque peruncti, misso igne arserunt. Alij can-
dentibus verubus viui per posteriores partes infixi, alij
clauis

clauis ferreis, in abraſam capitis partem adactis, extincti: 1567
nonnulli exenterati, quorum viſcera frumento reſperſa, in alimentum porcorū ceſſerunt. Ad caſtrum Longumellum ſacerdos vir ſanctiſſimus ab illis capitur: qui cùm fratris pecunia ducentis aureis ſeſe redemiſſet, tale ſupplicium pertulit: Penem fune ſtricto alligârunt, ad tertium vſq; lapidem incitatis equis, fratre eiulante & ſequente, traxerunt, ad focum ſuſpenderunt, vt ſubiecto fumo extingueretur. Deniquè inſtàr porci, linea recta in partes dilaniârunt. Coloni eius hominis ſanctitatem vſque hodiè lugent. Multi ſuperſunt adhuc mutili, diſſectis naribus, amputatis auribus, pedibus ſciſſis aut aduſtis, vnguibus extractis, cæcati, vulneratis, ſenſibus ſpoliati, qui harum crudelitatum præ ſe ferunt veſtigia. Sacræ virgines innumeræ violatæ &c. Hæc omnia adeò ſunt vera, vt hęretici etiàm multo plura, & his acerbiora ſe feciſſe, etsì non ſinè diuina interdùm vltione, glorientur. Hactenùs ex ſcripto illo, non ità pridèm impreſſo. Puto autem hæc eiuſmodi eſſe, vt vel ſola ſufficiant abundè declarare, quales efficiat portentoſum huius ſeculi euangelium. Et quis interìm ſatìs admirari poſſit iſtorum hominum impudentiam, qui cùm talia auſint, quæ omnem ferè vincant quantunuìs barbarorum hominum immanitatem, tamen ſe pacis ſtudioſos iactitent, culpam omnem horum tumultuum in catholicos conferant, ſe ad arma capeſſenda non ſua voluntate, ſed catholicorum improbitate adactos, palàm teſtentur. Reſpondet quidam ad ea inprimis grauitèr & eruditè, vt nôſſe poſſunt omnes, qui legere nôrunt. nam iſthoc quoquè ſcriptū impreſſum habetur. Iam dico, inquit inter cætera, vos in Caluiniana ſchola ità eſſe inſtitutos, ità informatos, vt quæcunque meditamini, quæcunque agitis, quô priùs facta, quàm cœpta eſſe audiantur, eaipſa in aduerſarios exoneretis, coniūque innocentię & integritati veſtras fraudes, veſtras machinationes, veſtra veneficia, veſtras cędes imputetis. Hæc ille. Sed iam ad hiſtoriam propiùs accedamus: Anno ſexageſimoſecundo quædam in Gallijs pax inita eſt cum ſeditioſis, licèt quibuſdam catholicis reclamātibus, qui moleſtè ferrent permiſſum ſectarijs Hugonotis, vt ſuo more viuerent, & ſua neſcio quæ ſacramenta miniſtrarēt. Videbatur tum quędam à bellis regno illi reddita tranquillitas vſque ad præſentem annum, putà 1567. ſed interim tamen, quemadmodùm Galli ipſi ſcribunt, per omnes vrbes & oppida dira quædam famęs ac peſtis

Ecce in quibus glorientur Euangelici fratres.

Caluinianæ ſcholæ artes.

Fames & peſtis in Gallijs.

1567 grassabatur, ità vt Lugduni triginta hominum millia & eo ampliùs extincta sint. Non valdè autē isthuc admirabitur, quisquis accurate considerare velit ea, quæ paulò suprà a sectarijs in regno illo incredibili crudelitate & impietate designata diximus. Hoc quidem sinè horrore commemorari non potest, quòd tum Lugduni matrona quædam nobilis, cùm vidisset filiam suam iam nubilem peste correptam, ex altissima ædium parte secum præcipitem eam in viam egit. Valdè luctuosa fuit Galliæ lues illa, per ciuitates & pagos omnes ità diffusa, vt ab eius contagione nullus ferè locus immunis esset. Obijt tum etiàm inter alios Iohannes Caluinus Geneuensium hæresiarcha, vir pestilentissimus & arrogantissimus, diuina maiestate in illum per extremę vilitatis vermiculos animaduertente. Obijt enim morbo pediculari miser homuncio, qui suo fermento innumeros corrupit, & amplissimas vias Antichristo muniuit. De illo passim suprà dictum est: nos eo relicto, ad alia transimus. Libet autem rursùs quædam hîc ad verbum describere ex eo, quem paulò antè audiuimus tragœdias Galliarum referentem.

Immane facinus.

Fœda mors Caluini.

Seditiosi, inquit, noua consilia agitare cœperunt, sibi capiendum esse regem, & Lutetiam occupandam. Etenim spem animo conceperant, ea vrbe, quam semper impijs conatibus suis infestam senserant, redacta in potestatem, fore vt haud magno negocio toto regno potirentur. Vndiquè coniurati conueniunt occultè: indicitur per ministros facinoris dies: qui vt erant tractandorum animorum magni artifices, fraudulentis persuasionibus quàm ardentissimè poterant, ad apparatum belli iuuabant: atque vt tepidos & meticulosos nonnullos ad concepta flagitia faciliùs inducerent, asserebant Catholicis decretum esse, quos intra biduum hæreticos vspiàm in sua gente reperirent, è medio tollere atque trucidare. proindè tutius esse, quamoccultissimè domos deserere, atque omni astu suas fortunas & capita tueri. Itaque tertio Calendas Octobris anni 1567. cùm iam copiarum aliqua pars nocturnis itineribus in vnum confluxisset, exinopinatò apparuêre insidiæ. Minimū abfuit, vt non omnia, antequàm fierent palàm, hostes occuparent, vastarent atque euerterent. Et post pauca: Erat rex Meldis, decimo à Lutetia lapide, in quam vrbem conuenerant sex millia Heluetiorum, quos aulicorum consilio euocatos (cùm dicerent Hispano exercitui, quē Albanus regulus, transi-

Nota ministri Euãgelici ad quid hortẽtur suos.

tu per

tu per Gallias impetrato ductabat, minimè fidendum) rex 1567
decreuerat penès se habere. Hæc cohortes à diuina proui- *Periculum*
dentia, quæ in maximis quibusque periculis coronæ Gal- *regis Gal-*
licæ nunquàm defuit, in eas partes cælitùs destinatæ vi- *liarum ab*
debantur. Etenim si non illæ ante omnia præstò fuissent, *Hugonotis*
non tantùm Valesiam gentem, quæ regum hodiè prosa-
pia est, verùm vniuersam quoquè orthodoxam religio-
nem vna dies euerterat.

Ergò comparatas suo capiti insidias rex cùm intellexisset, instructo ad pugnam, quem penès se habebat, Heluetiorum exercitu, consilio Nemorosi reguli ea in re vsus, media nocte, nihil tale opinantibus seditiosis, Lutetiam properat. Hostes, cùm paulò antè diuisissent suas copias, antequàm in vnum cogi possent, cum Heluetijs congredi non ausi, prædam è manibus amisêre. A Lutetianis interim eductæ celeritèr ex vrbe decem millium copiæ, regi periclitanti ad quintum ab vrbe lapidem iêre obuiàm. Magna ibì Catholicorum, posteaquàm regem è tam præsentibus periculis diuina ope ereptum vidêre, congratulatio, magnus animorum motus aduer-
sus impios, facinorosos & sceleratos hæreticos. Perbellè *Cardina-*
autem euasit Cardinalis S. Crucis, qui animi gratia re- *lis S. Cru-*
gem inuisere cupiens, ex Italia in Galliam fuerat profe- *cis vix e-*
ctus. Cùm enim cerneret se iamiam intercipiendum, mi- *uadit ma-*
sit ante se plures, qui hostibus significarent se lento gres- *nus Hugo-*
su sequi cum familiaribus. Inimici ergò, nè detegerent *notarum.*
qui essent, primos illæsos abire siuerunt. Cardinalis verò cum reliqua turma, eádem via, qua venerat, properè retrocedens, prædæ auidos illusit.

Mouit exindè se exercitus seditiosorum ad pha- *Parisiẽsiũ*
num Dionysij, quo in loco veteres regum thesauros, *fides erga*
qui ibì asseruabantur, se intercepturos sperabant. at il- *regem.*
li pridiè Lutetiam translati erant. Interim decuriones Parisiorum, dispositis in muro æneis machinis, & incitatis ciuibus ad custodiam vrbis, summæ rerum diligentèr prospiciebant. Calendis Octobris secunda noctis
vigilia 16. frumentarias machinas, patentibus campis via *Incendun-*
Dionysiana ad vsum amplissimæ vrbis dispositas, hostes *tur 16.*
incendunt. Flamma tanta fuit, vt vrbs tota ardere videre- *molæ.*
tur: quę res ingentem metum ciuibus attulit, maximè verò, cùm intellexissent hæreticorũ consiliũ fuisse, eo quasi signo dato coniuratis, qui intra mœnia erant, in proprias ædes incendijs excitatis, concremare ciuitatem. Etenim in multis locis fasciculi dispositi cum puluere, Deo

1567 ità prouidente, reperti sunt, rebellesque, qui erant in vrbe, effractis domorum foribus, aut capti, aut trucidati.

Edictum pium regis Franciæ. Mox verò edicto regio cautum est, vt omnes vtriusque sexûs homines signo S. Crucis insignirentur, nisi qui mallent euestigiò caput amittere. Pulchrum erat videre rosaria collis pendentia, varijs crucibus adornata. Cautum insupèr est omnibus, suarum ædium curam agere, arma gestare, vasa repleta aquis præ foribus habere, ante singulas domos lãpades ardere, totas noctes insomnes *2. Esd. 4.* ducere, vna manu, exemplo filiorum Israel, ædificare, & altera se tueri. Sæpiùs circuibant & omnia scrutabantur tribuni. Licitum erat tali rerum articulo, iuxta con- *Luc. 22.* silium Christi, vendere tunicam, & emere gladium. Eádem nocte pellis hominis in publico vico inuẽta est, quę pios multùm terruit. Si quis minimum verbum in fauorem seditiosorum protulisset, eum cuique necare erat liberũ. id quod accidit in multis. Postero die ad arma conclamatum cùm esset, ilicò catenæ ferreæ transuersis vijs extensæ, omnia armatis repleta, domus & fenestræ lapidibus, cùm hostes iam in vrbe esse dicerentur. Si quis terga verteret, aut fugam attẽtaret, confestim trucidabatur. *Hugonotæ valdè infesti Parisiensibus.* Itaque consilij decreto statuunt seditiosi vrbem fame ad deditionem compellere, quod ob infinitam incolarum multitudinem factu haud difficile videbatur, præsertim obsessis vndiquè vijs, impeditoque commeatu, proptereà quòd pons Carrentinus, ad cuius vicum Matrona Sequanæ iungitur, ab hostium turmis interclusus esset. Extabant in eo fluminum concursu quàm plurimæ farinariæ molæ, quæ & ipsæ in potestatem venerant hęreticorum. Miserat eò rex præsidiariam cohortem, quò arcem vndiquè præmunitam, contra hostium impetus defenderet. Cæterùm proditione præfecti militum prodita vniuersa rę, tam validam in vrbe famem fecerat, vt quæ pridiè quinque solidis comparari poterant, postero viginti ve- *Fames Lutetiæ.* nundarentur. Captus interìm proditor, laqueo finiuit vitam in via arenaria.

Eodem die cohortes quædã vrbe egressæ, incursione in hostes facta, duas ingẽtes naues onustas panibus inter- *Exemplũ insignis humanitatis.* cepêre, quæ pauperibus fame pereuntibus euestigiò sunt in eleemosynam erogatę. Intereà peditatus veteranorum militum equitatusque vtriusq; armaturæ plurimus conuenerat. Quamobrèm tertio Idus Nouembris prodijt ex vrbe regius exercitus. peditum decem, equitum quatuor erant

erant millia, cum machinis æneis quatuordecim. Quare 1567 per exploratores cognita, dato ſigno, è fano Dionyſij promouerunt tria millia peditum, equitum verò quatuor millia. Maiorum tormentorum nullus apud eos apparatus erat. Duces fuerunt Ludouicus Condæus & Colingij fratres. Quarè in campis Dionyſiacis, vno lapide ab vrbe Pariſiorum, acris pugna occumbente iam ſole commiſſa eſt. Cæſi in vniuerſum equites quingenti, & circitèr quadringenti pedites. Ardorem pugnæ nox interueniens diremit, quæ ſi vel vna hora interueniſſet tardior, actum fuerat de vniuerſis ſeditioſis. Eo prælio cecidit Anna Momorantius, octo prioribus certaminibus clarus, modò cùm in primis ordinibus pugnaret, ab Edouardo Scoto, quem ignominiosa morte liberâſſe ferebatur, ſeptem vulneribus confoſſus, poſt biduum extinctus eſt. Ex hereticis interempti Comites duo, Saltuanus & Claromontanus Dampetra, multique alij in armis nobiles. Qui certamini ſuperfuêre, ad fanum Dionyſij reuerſi, tota nocte trepidârunt.

Ammiralius & Andelotus.

Hugonotæ permulti cæduntur.

Poſtero die, antequàm ab exercitu regio obſideri poſſent, præmiſſis ſarcinis, valetudinarijſque relictis, fuga diſceſſionem fecêre. Quòd verò templum S. Dionyſij & buſta regum ferè omnia intacta reliquêre, cauſam fuiſſe aſſerunt, quoniam ibì Ludouicum Borbonium Condæum in regem coronauerant, monetamque auri tali inſcriptione cuderant: Ludouicus XIII. Dei gratia Francorum rex, primus Chriſtianus. Hucuſquè author ille. Obitèr Lector obſeruet, quòd dicit Condæum appellatum eſſe primum Francorum Chriſtianũ regem. Ergò omnes ſuperiores reges Chriſtiani non fuêre, truſique ſunt in tartara. Abſit autem, vt tam malè ſentiamus de multis Francorum Chriſtianiſſimis regibus. Poſſent hîc multa dici, ſed res ipſa per ſe adeò turpis eſt, vt nulla ſit confutatione opùs. Nè quis autem dubitet vera eſſe, quæ author ille, cuius verbis quædam in Gallijs geſta, commemorauimus, de Hugonotarum conſilio ſcribit, voluiſſe eos ſcilicet regem capere, extat Petri Carpentarij, hominis Caluiniani ſcriptum, in quo ille palàm aſſerit, eò ſpectare, eò tendere omnes Cauſariorum conatus (ſic enim ille Caluinianos quoſdam appellat) vt reginam matrem cum catulis eius tollant. Eius rei exitum polliceri eos ſibi authoritate vatis illius impuriſſimi: (ità homo Caluinianus, Bezam, nî fallor, Caluinianorum pontificem & regem, vt ipſe loquitur, appellare non dubitat) eius ora-

Nota, Condæum dictũ primũ Christianũ Francorum regem.

Hugonotæ quid ſpectent.

 ora-

1567 orationem vtì oraculum, eius ſcripta vtì libros Sibyllinos excæcatos homines (vtiquè Caluinianos) recipere: eum ſegnitiem & languorem Cauſariorum ſemper incuſâſſe, quòd quietè & pacificè viuendo, hoſtilem animum erga Papiſtas & erga regem deponere viderentur. Ait ſatis certis indicijs ſe accepiſſe, eum apertè regis caput petere, & multa alia, quibus Caluinianorum furores & amentiam, immò & hoſtilem in regem Gallorum animum ſatis declarat. Nec verò nobis debet vitio verti, ſi ea ſcribamus de Caluinianis, quæ è Caluinianorum ſcriptis promuntur. Ait idem Carpentarius, ſe ſæpiùs obiurgâſſe Cauſarios aulicos, (Caluiniſtas dicit) quòd illos non puderet homines flocci & nihili, & omnibus vitijs & probris coopertos, impenſis publicis alere, & illis ſuas legationes & negociationes magìs ſerioſas & graues demandare. At illi, inquit, mihi in aurem obmurmurabant, Breuì magnum & pulcherrimum facinus conficient. Ex quo facilè colligebam, Cauſam in ſuo ſinu, tanquàm in vaginâ reconditos habuiſſe latrones & ſicarios, à quibus magis principibus, quàm priuatis, timendum eſſet. Deniquè illos intelligebam vndiquè colligere homines feroces, audaces & manu promptos ad ſcelus perpetrandum. Sic ille. Vt autem Lector meliùs hæc aſſequatur, idem Author Cauſam, cuius creberrimè mentionem facit, dicit nihil aliud fuiſſe, quàm quorundam hominum, ſanè Caluinianorum, qui pace vti & quietè viuere noluerunt, illicitam coitionem & factionem, ad interturbandam tranquillitatem publicam, contra leges & edicta Principis initam. Ab hac ergò Cauſa vocat Cauſarios, huic Cauſæ addictos: quos etiàm ait conuentus aſſiduè habuiſſe, in ijs nullum verbum de Deo, pace & tranquillitate tractatum: de bello, de ſuſcitando tumultu verba fuiſſe: publicè religionem præ ſe tuliſſe: in abdito, remotis arbitris, nihil aliud, quàm arma & bellum ſpirâſſe. Sub finem iubet eum, cui hæc ſcribit Carpentarius, Bezæ incendiario & furiæ, (ſic enim loquitur) denunciare ſuo nomine, vt quieſcat: nî id faciat, breuì, Deo permittente, futurum, vt omnes Principes & Reſpublicæ, quæ Caluinianam religionem profitentur, detecta Cauſæ proditione, & Cauſariorum conſpiratione, qui ſpecie religionis & libertatis Chriſtianæ, omnes ſtatus regnorum & rerumpublicarum exagitare & euertere conentur, ad illos Cauſa-

Nota lector, quid machinentur Caluiniſtæ.

Vide quibus de rebus in ſuis conuenticulis agãt.

Caussarios opprimendos arma arripiant, & cætera, quæ 1567
ibì sequuntur, in quibus etiàm meminit Sebæ hominis 2.Reg.20
seditiosi, qui à Dauide rege defecit, quem, si literæ nominis & res attendantur, ait eius, de quo hæc scribit, typum fuisse. Vndè perspicuè licet animaduerti, de Beza eum dicere, cui etiàm hoc fert testimonium, cum Caussæ superstites grauitèr increpare, quòd Principes Galliæ, sæpè ab illo anteà ad necem notatos atque designatos, non occiderint. Hæc ego idcircò ex Carpentario Caluiniano huc annotare volui, vt nè quis putet falsò à Catholicis affingi seditiosis, quòd Francorum regi necem moliti sint. Sed non possunt tantùm homines importuni, quantum vellent. Facilè autem Lector ex his paucis, quæ vel èx solo Carpentario adduximus, conijcere potest, quales viri sint illi, qui se reformatæ religionis & Euangelicos iactabundi gloriantur.

Beza quid Galliæ principibus sit machinatus.

Cùm autem Gallorum rex Carolus à proprijs subditis suis ità oppugnaretur, Albanus princeps misit ad eum Comitem Arenbergium, cum non parua manu equitum & peditum: quorum aduentus fuit Regi non minùs gratus, quàm opportunus. Attamen hoc anno nihil admodùm deincèps memorabile gestum est in Gallijs. Magnum profectò fuit, Regem cum omnibus suis è tam præsenti discrimine ereptum fuisse. Postquàm autem Hugonotæ se inferiores conspexêre, in Lotharingiam profecti sunt, vbì se illis coniunxêre Germanorum magnæ copiæ: quibus illi iam audaciores effecti, redeunt in Gallias, oppidis omnibus pecunias imperant, efficiuntque vt omnes passìm eius regni prouinciales ad arma concitentur. Capta ab eorum socijs est Blesarum ciuitas. Henricus Valesius, regis Gallorum frater, regio exercitui præfectus est, cui ad priores copias iam accesserant Itali, Galli Narbonenses, Aquitani Heluetij.

Hugonotis se Germani coniungunt.

Per id tempus in extremis Belgarum finibus aliquot peditum signa Geuseorum nomine confluxêre. Quæ res cùm incolarum animis terrorem attulisset, ab Albano principe missus est Comes Meganus cum non contemnenda manu, cuius aduentu regiorum animi erecti sunt. Pergebat interìm Albanus in exædificando castro Antuerpiensi, petijtque à Belgicis ditionibus quadraginta millia coronatorum, quorum media pars illi structuræ, reliqua persoluendis militi stipendijs

1568 lijs applicaretur. Spargebantur autem ab hæreticis libelli famosi in Albanum, vt quem ferro non possent, stylo confoderent.

Salentinus creatur episcopus Coloniensis.

Sub finem huius anni, cùm se vltrò abdicâsset pontificatu electus in Archiepiscopum Coloniensem Fredericus illustris Comes à Vueda, in eius locum 23. Decembris substitutus est, magna quidem omnium gratulatione, Salentinus illustris Comes Isenburgicus, multa doctrina, insigni probitate ac pietate, rara prudentia, multisque alijs egregijs virtutibus diuinitùs ornatus. Faxit rerum præpotens Deus, vt, quemadmodùm boni omnes id sibi de illo principe pollicentur, Coloniensem ditionem omnem ità gubernet ac moderetur, vt & temporariæ & Ecclesiasticæ res sub illo eos habeant prosperos successus & incrementa, vna eademque vera Catholica fides ità conseruetur, atque aduersùm fallaciosa & exitialia hæresum portenta muniatur, vt ad diuini nominis cedat gloriam sempiternam, & totius gregis sui salutem.

Pax infirma in Gallijs.

ANNO 1568. in Gallijs pax quædam confecta est, sed non valdè diuturna. Erant Aureliæ Hugonotæ cum milite aduentitio: quem locum, vtpotè egregiè munitum & opportunum, per insidias occupârant, atque in ea sola vrbe & eius suburbijs feruntur vltra quinquaginta sacras ædes subruisse, ità vt vix illarum vestigia apparerent. Faciunt, quod facturus est Antichristus: sub prætextu religionis, omnes religionis & pietatis officinas euertunt.

Aureliæ quot templa euersa.

Geusei Frisiam vexant.

Porrò huius anni initijs aliquot nobiles Geusei, qui è Belgio profugerant, duce Ludouico Nassouio, principis Auraici fratre, magno instructi exercitu, in Frisiam irrumpunt, magna dant damna ecclesijs, monasterijs, itemque alijs Catholicis: sed præsidia Hispanorum magno eis impedimento sunt, vt non possint pro suo arbitratu, quod cupiunt, efficere. Albanus princeps Antuerpia Bruxellas reuersus, vbi comperit principem Auraicum, & eius fratrem Ludouicum magnas cogere copias, quibus Belgium occupent, freti clandestino multorum prouincialium fauore: misit, huius anni, mense Februario præsidium Hispanorum in castrum munitissimum Bredanum, quod fuerat principis Auraici, misit etiàm ad alia loca Geuseorum milites, additis mandatis, nè cui præter regem parerent.

Misit

Misit etiàm Louanium Comitem quendam, qui filium principis Auraici Antuerpiam adduceret. qui posteà missus in Hispanias, literis operam dedit Alcalæ, quæ est patria Ferdinandi Imperatoris longè pijssimi. Rex Catholicus ei fertur quotannis præbere duo millia ducatorum. Aiunt Egmondani Comitis filium, nisi ætas tenerior obstitisset, paritèr in Hispaniam abiturum fuisse.

Geusei in Picardiæ finibus quid fecerint, quid perpessi sint.

Ea tempestate ad Picardiæ fines quidam Geusei in syluas sése abdebant, multas ex prætereuntibus agebant prædas, nec paucos miserè iugulabant, multaque flagitiosè designabant. In eos immissi ab Albano Duce Hispani equites & pedites, homines sceleratos partìm egregiè profligârunt atque conciderunt: partìm magno numero viuos ceperunt, quorum bona pars palàm diris est supplicijs affecta. Volebat Albanus princeps etiàm in alios, qui sub Margareta gubernatrice rebellionis capita & incentores fuissent, animaduertere. Publicè igitur proposito edicto, iussit principem Auraicum & Ludouicum fratrem eius, aliosque ad certum diem se sistere. Sed nemo id facere ausus fuit, demptis quibusdam humilis conditionis hominibus. Pergente autem Albano, triginta Antuerpiæ ciues, rebellionis nomine compræhensi sunt : ad Bacchanalia alij trigintaquatuor capti. Idem Gandaui, Tornaci & Mechliniæ factum.

Intereà princeps Auraicus fertur per quosdam Germaniæ Principes sibi voluisse conciliare regem Philippum : sed cùm tandèm nihil fieret, Dux Albanus modò hos, modò illos iubebat in custodiam recipi : quæ res multis causa fuit, relictis omnibus suis rebus mobilibus, aliò commigrandi, ijs præsertìm, qui haberent, vndè possent alibi sustentari. Per id tempus plerique seditiosi duce quodam barone, ad mille quingentos coiêre, infesti inprimis templis, sacellis, monasterijs, quæ inflammabant, milliari vno ab Antuerpia & circitèr. Contra illos misit Albanus dominum Beouorensem, qui nullis suorum amissis, nequam homines cecídit, ijs, qui superfuêre pugnæ, plerisque omnibus submersis, centum & mille suspensis. Ea causa tumultuatum est Antuerpiæ, sed sedata res est.

Seditiosi quidam cæduntur apud Antuerpiam.

Postquàm principis Auraici filius in Hispanias per mare missus est, Albanus Italos equites Tornaco euocatos cum multis alijs, per diuersa loca distributis, ad

tuen-

1568 tuendos Belgij fines iubet proficisci, nouum quoquè conscribit militem, quòd verebatur pace in Gallijs composita, nè quid in descensu aduersùs Belgicas ditiones Hugonotæ & qui illis militârant, attentarent.

Diximus iam suprà, Blesensem vrbem captam ab Hugonotis. Ea hoc anno, mense Februario à Rege recuperata est. Multùm in eo fuère Hugonotæ, vt Carnutes quoquè expugnarent, sed fortissimè propugnantibus qui intra vrbem erant, coacti sunt re infecta obsidionem soluere. Feruntur sanè rebelles Hugonotæ spontè contulisse pecuniam, quæ externo militi numeraretur: atque etiàm nobiles Hugonotæ vltrò obtulisse & impendisse preciosissima quæque, putà, torques, annulos aureos, vasa aurea & argentea.

Pax Parisijs proclamata.

Martio mense cum Hugonotis pax confecta est, & proclamata Parisijs. Ciues Parisienses paulò antè, rei benè gerendæ spe, deciès centena millia aureorum, vt quidam scribit ex Gallijs, in bellum alacri animo contulerant. Quibusdam ea pax propter conditiones adiunctas, inuisa fuit, & certè diuturna non fuit, vti pòst audiemus.

Vide quid Euangelici etiàm apud Turcas moliantur.

Scripta est hoc anno Constantinopoli Epistola quædam iam typis excusa. Extat nomen eius qui scripsit, & ad quem scripta est. In his literis fit mentio cuiusdam non postremi Hugonotæ, expresso etiàm eius nomine, qui ex Gallijs venerit Constantinopolim, & ibì multa egerit cum supremo Bassa, homine astutissimo, de Hugonotis in Turcarum Imperatoris fidem & tutelam suscipiendis. Sed cùm intellexisset Bassa, Hugonotas aduersùs suum regem Carolum rebellare, vt habent eæ literæ, valdè in hominem commotus est. Turpe autem certè est, quod Hugonota ille scriptum obtulit Bassæ, in quo non negauit Hugonotas regis Galliarum subesse imperio, sed rebellare ei propter religionem ipsorum, quæ sit Turcicæ proxima. Item paratissimos fore Hugonotas ad turbas & seditiones in Alemannia procurandas, quandò id Turcis commodum videretur. Item Hugonotas, si in Turcarum Imperatoris tutelam reciperentur, eius maiestatis fore socios vtilissimos: quòd non solùm regem suum vexare possent, nè affinem suum regem Hispaniarum contra Turcas siue consilio, siue milite iuuet: sed etiàm per aliquot potentes Alemanniæ Principes, qui Hugonota-

tarum rebus manifeſtè faueant & auxilientur, ipſum 1568
Romanorum Imperatorem impedire in omnibus conſilijs eius, quæ contra Turcas ſuſciperet. Hæc tam fœda, tam prorsùs ab omni Chriſtiana pietate, immò etiàm ab omni humanitate aliena auſus eſt Hugonota ille Turcis proponere, ità vt is, qui has literas ſcribit, teſtetur hæc palàm iam dici & circunferri per totam Conſtantinopolim. Reſpondit autem illi Baſſa per interpretem, Hugonotas longè inferiores eſſe, quàm vt ad illorum amicitiam ſeſe demittat ſupremus orbis princeps: nec fidem haberi debere iſtis socijs, qui proprium etiàm regem proderent & impugnarent. Turcas ſolitos eſſe cum Imperatoribus, regibus & magnis principibus agere, non cum perfidis ſeruis, & rebellibus ſubditis. Hæc & pleraque alia in illis literis habentur: è quibus poteſt intelligi, ipſos Hugonotas fateri, ſuam religionem Turcicæ eſſe proximam: tum quàm parati ſint ad gratificandum Turcis, ad excitandas ſeditiones in Germania, & cætera. O miſeram ſanè hoc æuo Chriſtiani orbis conditionem, qui à nullo magìs proditur Chriſtiani nominis atrociſſimis hoſtibus, quàm ab illis, qui vel maximè Chriſtiani & reformatæ religionis videri volunt. Sed hæc valeant, indigna prorsùs, quæ literis annotentur, niſì quòd expedit nôſſe, quid clàm iſti moliantur.

Turcarum princeps contemnit Hugonotas.

Menſe Aprili certis nuncijs ad Albanum Ducem allatum eſt Germanos, facta in Gallijs pace, reditum parare in Germaniam, ſed priùs Belgium inuiſere conſtituiſſe. Confeſtim ergò mittit versùs Leodium Hiſpanos & Italos equites omnes, cum peditatu Galliæ ciſalpinæ: curat etiàm nouas conſcribendas copias. Interìm detegitur nefanda in caput eius quorundam cõſpiratio, qui eum cum Hiſpanis corporis eius cuſtodibus, ad Abbatiam quandam haud procùl Bruxellis proficiſcentem è medio tollere volebant. Captus eſt, qui hoc tetrum facinus deſignaturus erat. Per id tempus nihil ferè hominum ſermone ferebatur, niſi de proditionibus & clandeſtinis machinis. Dolebat enim multis, quòd Albanus quadam ſeueritate in ſeditioſos vteretur. Nè quis autem ſibi perſuaderet his rebus perterreri eius animũ, nihil de adminiſtranda iuſtitia ille remittebat, & omnibus ſe ſpectandum exhibebat.

Conſpirat quidam in caput Albani principis.

Prodijt tum quoquè in lucem, veniſſe quoſdam Leodium, ſub veſtibus geſtâſſe arma, quibus eius vrbis

Epi-

1568 Episcopum & clerum omnem perimerent, eorumq́ue facultates diriperent, vsuri illis ad debellandos Hispanos: sed capti omnes, meritas dedêre pœnas. Princeps Auraicus, quorundam ope & opibus adiutus, conscribit ad nouem millia equitum, peditum quindecim. Non desunt, qui affirment consistoria hæreticorum iam tum in Belgio instituta fuisse, eaque nummos ad hoc bellum suppeditâsse: Idem fecisse profugos ex ditionibus regis Catholici. Non latebat Albanum, quid Princeps moliretur, & qui hincindè fierent concursus armatorum hominum. Itaque Hispanos ferè omnes misit Namurcum, duo millia peditum & equites quingentos Traiectum superius, Comitem à Bossu Hollandiæ præfectum, ad alia tuenda loca. Indiès tum aperiebantur nouæ machinationes. Captus quidam Antuerpiæ est, qui pecunias elargiebatur, vt seditiones excitarẽtur. Prodidit hoc Germanus quidam, cui eam in rem duplex stipendium promiserat. Bruxellis quoquè & alijs locis libelli impressi spargebantur, quibus prouincialium animi in Hispanos incitarentur. Diligens verò inquisitio fiebat, vt possent eorum authores reperiri.

Sicarij Episcopo & Clero Leodiens. necem machinãtur.

Nota nequam hominis conatus.

Mensis Maij initio comperit Albanus magnam Germanorum manum per Mosam in Belgium iter intendere. Contra illos misit aliquot signa peditum & equites quingentos, qui hostes in fugam compulerunt, cæsis mille quingentis, cùm ex regijs non nisì quadraginta desiderarentur. Sed tamen pergebant illi non parùm facessere negocij, præsertìm vicis & pagis. In Geldriam venit quidam Comes cum duobus equitum & quatuor peditum millibus: sed ea regio ità erat ab Albano commeatu & præsidijs communita, vt nihil sibi ab hostibus, tametsì quotidianæ ad eos accessiones fierent, metuendum existimarent.

Frisiam hostes oppugnant.

Porrò autem, quod iam suprà attigimus, Ludouicus comes Nassouius cum tribus equitum, & decem peditum millibus in Frisiam irrupit, occupauitq́ue Dammum & Vedam, Groningam obsidione cinxit. Aiebat se arma cepisse ob religionem tuendam, proscriptos restituendos, & Reipublicæ commodis promouendis. Symbolum eorum, qui sub illo merebant, eiusmodi erat: Aut recuperare, aut occumbere. Imperator quidem, vt aiunt, eum reuocare conatus est, sed frustrà. His omnibus probè compertis, Albanus hostibus maturè occurrendum statuit, lustratoque exercitu suo, pro-

produxit Germanorum & Hiſpanorum peditum ſigna octoginta, & Burgundionum alia quadraginta, & aliquot ſigna equitum. Ex ijs miſit Comitem Arenbergium cum aliquammultis Hiſpanis & Germanis peditibus, & non parua equitum manu, vt Ludouicum Naſſouium è Friſia profligarent. Simul autem eodem tempore edixit, vt quicunque religionis cauſa è Belgio profugiſſent, in Belgium redeant, ſuoque ſe magiſtratui ſinguli repræſentent: alioquì bona ſua omnia amiſſuri, & perpetuò exulaturi. Sed quòd omnes pelli ſuæ metuerent, nemo comparuit. Ferebatur tum rex in Belgium ex Hiſpanijs venturus, à quo ſperabant ſe faciliùs veniam impetraturos.

Contrà eos Albanus mittit exercitũ.

Ludouicus Naſſouius certior factus de aduentu regij exercitûs, leui primùm certamine vſque in noctem cum illis congreſſus, Dammum ſe contulit eadem nocte cum omnibus ſuis. Regij cùm putarent eos hærere eo loco, vbi pridiè conflixerant, manè alterius diei ad illos contendunt, ſed nemine reperto, vbi tandem didicére quem ad locum profecti eſſent, eos inſecuti ſunt. Ibì tum illi in regios, quorum equitatus necdùm aduenerat, impreſſionem faciunt, eos in fugam vertunt, cæſis tribus Hiſpanis ducibus, quos capitaneos vocant, & pleriſque alijs egregijs viris. Cæſus eſt etiàm ipſe Comes Arenbergius. Poſt horam vnam ſuperuenit Curtius Martinengus Comes cum multo equitatu, cuius aduentu regij recreati, ad hoſtes redeunt, Groningam magna arte quatuor peditum Arenbergij, & totidem Germanorum ſigna cum leuis armaturæ equitibus introducunt. Multùm ſanè intererat, vt ea vrbs hac ratione communiretur, propter ſeditioſos, qui iam commouere ſe cœperant. Hæc Geuſeorum victoria regiorum temeritati potiùs, quàm illorum virtuti militari, tribuenda eſt. Si enim regij equitum aduentum ſuſtinuiſſent, hauddubiò ab illis ſtetiſſet victoria. Authores huius temeritatis, Albano iubente, pœnas luerunt. Illa Comitis Arenbergij, viri ſanè ſtrenui, cædes, Geuſeorum cauſam deteriorem fecit. Lata eſt ſententia in Comites Egmondanum & Hornenſem, & vterque Bruxellis palàm capite plexus eſt, & capita ad horas duas palis ferreis affixa ſunt, vt eo ſpectaculo omnes ſui officij admonerentur. Ante obitum ſcripſit Egmondanus ad regem Hiſpaniarum literas, quibus veniam ab eius maieſtate petijt, eique coniugem & liberos ſuos commendauit. Et pro certo quidem habitum eſt, re-

Regij ab hoſtibus cædũtur.

Comes Arenbergius cæditur.

Comites Egmondanus et Hornenſis capite plectuntur.

1568 gem singulari erga eos vsurum humanitate & clementia. Debent hęc exempla mouere homines, nè quid agant contra Principes suos. Strenuam sanè operam non semèl nauârat Egmondanus regi suo, sed tādèm illi fœderi se admiscens, damnatus est læsæ maiestatis & perduellionis. Mortem fertur æquo tulisse animó, & ad eam peccatorum confessione, quam fecit Iprensi Episcopo, viro sanè longè optimo & doctissimo, & sacrosanctæ Eucharistiæ perceptione sese præparâsse. Corpus eius impositum est plumbeo loculo, & in quodam eius oppido humatum: Comitis Hornensis cadauer in eius Comitatu sepultum est. Comitis Egmondani obitum non solùm Belgæ, sed etiàm Hispani milites omnes, immò & ipse Dux Albanus lachrymis prosecutus est. Magnum autem terrorem Belgis omnibus hæc res incussit, ijs præsertim, qui sibi malè erant conscij: & nisì spes fuisset publicandæ intra dies paucos generalis cuiusdam condonationis & ignoscentiæ, permulti fugissent. at ea tamen condonatio non pertinebat ad eos, qui aduersùs Regem arma tulissent, & templa effregissent.

Adolphus Nassouius occumbit.

Sed vt ad Frisiæ res reuertamur, in superiori conflictu, quo Comes Arenbergius captus est & perijt, regijs adempta sunt sex magna tormenta, multa pecunia militi persoluenda, & pleraque alia, stetitque victoria ab illis, qui cum Nassouio erant, non tamen incruenta, cæso inter alios fratre eius Adolpho Nassouio. Interìm nihilominùs Albanus princeps authores seditionis Belgicæ perpetim persequebatur, & nè cogerentur Hispani, quorum opera ad res necessarias vti volebat, tēpus omne terere captiuis custodiendis, mense Iunio, Bruxellis in quosdam animaduertit, in quibus fuêre etiàm nobiles Battenbergij cum plerisque alijs, qui cum tympano ducebantur ad mortem. Plexi sunt capite Catholici quidam, quòd in Regem suum arma tulissent. Cæsus etiàm est, qui caput fuerat conspirationis aduersùs Albanum, cui in ipsa sacra Palmarum hebdomada Catholico ritu confessionem facturo, & Eucharistiam sumpturo, necem struxerant.

Proditor Groningæ luit diras pœnas.

Eodem mense Iunio quidam captus est apud Groningam Frisiæ munitum oppidum, qui fassus est se cum tribus alijs voluisse Groningam quatuor locis inflammare, vt ità Geuseis, qui cum Ludouico Nassouio erant, facilior daretur aditus ad vrbem capiendam, præsertim quòd non deessent intra vrbem, qui eis fauerent. Is infaustus proditor in quatuor partes dissectus est. Fertur tum

Ludo-

Ludouicus in castris suis habuisse ad * sedecim millia 1568
hominum, quibus duobus in locis obsidebat Groningam: sed id frustrà sanè, præsertim cùm nulla admodum tormenta, muris quassandis idonea apud se haberet, & vrbs ipsa rebus necessarijs esset instructissima, Comite Megano cum octo signis peditum Germanorum & mille Hispanis, Curtio quoquè Martinẽgo Comite cum trecentis equitibus eam facilè contra eas copias defendentibus. Ipse quoquè Albanus princeps tum sese parabat ad iter in Frisiam, hostes indè exturbaturus. Priùs tamen Comitis Egmondani secretarium, propria confessione conuictum, ad quatuor alligatum equos discerpi iussit, & quatuor alios viuos concremari. Qua re adeò plerique consternati fuère, vt ex Antuerpia quadraginta non infimę sortis homines in Angliã & alia loca aufugerint.

Sunt qui hæc ita scribant è alijs forsan nõ satis verisimile videbitur tam magnas fuisse copias.

Ineunte Iulio mense Albanus cum septendecim Hispanorum signis in Frisiam contendit. In itinere aliquot locis reliquit præsidia Hispanorum sexcentorum, qui recens ex Hispanijs aduenerant. Multa vbiquè industria Princeps ille vtebatur, quippè rei bellicæ longè scientissimus. Sunt qui scribant, edictum de Inquisitione in hæreticos, ab eo tum promulgatum esse Antuerpię & alijs locis, nemine reclamante, cùm tamen superioris tumultûs Belgici causam fuisse non minimam eam Inquisitionem quidam affirment. Intereà Groningenses à Geuseis obsessi, crebras ex vrbe faciebant eruptiones, nec paucos prosternebant.

Groningẽses obsessi sæpè erũpunt.

Iunij vigesimosecundo die apud quandam Abbatiam ducentos trucidârunt, & totidem ceperunt, non nisì decem è suis amissis. Sed non longè tum à periculo abetat Comes Curtius, equo eius cadente. Comes quoquè Meganus sub collo ictus globulo fuit in thorace, aut circitèr. Cernens autem Ludouicus Nassouius de exercitu suo perire multos, bis ad iustum prælium prouocauit Vitellium, qui ab Albano regijs copijs præfectus erat: sed Vitellius licèt cum hostibus confligendi esset cupidissimus, respondit necdùm sibi opportunum esse: breuì tamen fore. Nolebat enim, absente Duce Albano, se suosque in discrimen conijcere dubij euentûs, qualis ferè solet esse præliorum.

Per id tempus Comes Montensis occupauit Bergas oppidum suum, cæso præsidio, quod Meganus Comes ei imposuerat. Ea re permotus Albanus princeps, misit è suis quosdam, qui ex hostium manibus oppidum

Comes Bergensis occupat Bergas.

1568 extorserunt, relicto illic præsidiario milite, qui nomine
Philippi regis illud obtineret. Iubente quoque Albano,
tormenta aliquot Mechlinia in Frisiam aducta sunt.
Iulij decimoquarto venit Albanus Groningam, & hostes
aufugiunt. Regij eos insecuti, aliquot ceciderunt. Sed
quòd illi pontem fregissent, non sunt cæsi vltra mille.
Eorum discessus Albano perquàm molestus fuit, quippe
qui sperârat fore, vt ad manus veniretur, nec pugnam illi
detrectarent. Itaque 16. Iulij cum toto exercitu suo ad
duo milliaria abeuntes illos insequitur, relictis Gronin-
gæ mille sexcentis equitibus Ducis Brunsuicensis, vt es-
set firmius præsidium, possetque liberiùs hostem perse-
qui. Ea enim regio ob multas paludes & fossas parum
opportuna est equestribus copijs. Indè didicit auctum es-
se hostium numerum accessione multorum peditum &
equitum, (Erant enim in Frisia multi Caluiniani, qui
hosti fauerent, Albanum & Hispanos odirent) & in Lu-
douici Nassouij castris iam militare duodecim millia
peditum, equites ampliùs quingenros. Cum quibus co-
pijs ille loco tutissimo & propè inexpugnabili castra me-
tatus, sustinere voluit aduentum fratris sui Principis Au-
raici, vt coniunctis viribus Albanum faciliùs profliga-
rent. Albanus, motis castris, quendam locum occupat,
de quo certò illi constaret, ex hostibus neminem fugere
posse, quin in ipsius manus incideret. 21. Iulij manè cum
exercitu ad hostem iter intendit, qui ad duo milliaria in-
dè aberat.

Rursùs admittit.

Geusei cæduntur.

Explorata indè locorum opportunitate, primò mit-
tit centum equites sclopetarios, qui ad leuia certamina
hostem prouocent. Eos subsequi iubet quingentos pedi-
tes sclopetarios, & trecentos dupliciarios milites cum-
primis insignes. Ijs subiungit mille alios sclopetarios:
atque ijs aliquot cataphractos. Post hos succedunt Hispa-
ni, atque indè sex Germanorum peditum signa: mox
quindecim signa Burgundionum. Indè rursus equites
trecenti leuis armaturæ: ad extremum alij equites tre-
centi. Hoc ordine regius exercitus, Albano disponente,
contra hostes profectus est, ad quos debellandos singu-
lari quadam arte & industria Albanus vsus est: nec diù
sibi cunctandum existimauit, quòd hostium machinati-
one fossarum aquæ increscerent, quibus sperabant se illi-
us exercitum submersuros: & à cælo pluuia impendé-
ret, quæ magnum esset sclopetarijs impedimentum alla-
tura. Mandauit igitur filio suo Ferdinando à Toleto, vt

Albanus quo ordine suum instruxerit exercitũ.

cum

cum ea, quam diximus, instructa acie moueret contra 1568
hostes ad certum quendam locum, vbì ipsum secuturum expectaret. Commissum est prælium duabus horis ante meridiem, & Albani Ducis filius duabus à meridie horis eò peruenit. Vt autem viderunt sclopetarij instructam aciem à tergo sequi, vsqueadeò animis confirmati sunt, vt impetu facto in hostium tormenta, ea vi occupârint, moxque in hostilem aciem facta impressione, eos in turpam fugam coniecerint. Continuata est hæc pugna vsque in vesperam alterius diei, ità vt sine intermissione hostes cæderentur à regijs, solumque omne cæsorum cadaueribus, lanceis, sclopetis, alijsque armis adeò oppletum cerneretur, vt vix liceret vltrò citroque ingredi. Quibus ea offerebatur occasio, vt possent in aquas se demergere, illi felices sibi videbantur: tantus eos terror inuaserat. Incidit hoc prælium in vicesimumprimum Iulij, periêruntque hostium septem millia, regiorum non nisì octo desiderati sunt & totidem vulnerati. Capta sunt ex hoste signa militaria viginti, sedecim magna tormenta. Quatuor signa ipsi hostes in aquas abiecerunt. In cæsorum numero non pauci fuêre Belgæ profugi & desertores. Comitum Ludouici Nassouij & Hochstratani res cessêre victori: tametsì Hochstratanus biduo antè discesserat, & Ludouicus nauicula Embdam confugerit. Multa pecunia, multa supellex argentea capta, cum equis partim equestribus, partìm currilibus quingentis supra mille, prædaque multa. Insignis hæc fuit victoria, & à Catholicis eius causa non vno loco Deo solennitèr actæ gratiæ.

Magna strages edita Geuseorum in Frisia.

Hoc anno sub finem Augusti tertium ciuile bellum in Gallijs motum est. Quæ tum illic gesta sint, non meis, sed Galli cuiusdam, homiuis sanè docti, verbis huc adscribam, quemadmodùm etiàm ex eodem suprà quædam annotaui. Est Epistola ad quosdam magnificos viros scripta, haberurque impressa. Ego non omnia ex ea describo, sed quæ meo instituto sufficiant. Alij quandoquè copiosè res aliquot superioribus annis gestas conscribent.

Tertium ciuile bellum in Francia.

Ait ergò: Matiscona Sequanorum, prostrato tormentis muro, cæsisque seditiosis, à Mantuano capta, apparatus bellicus, qui è Geneua mittebatur, interceptus, sulphurei pulueris copia ingens, armorum omnis generis maximus numerus. In Delphinatu Iohannes

Hugonotæ passìm à regijs profligantur.

1568 Adreſſius, verſa in hæreticos ira, quam ſuperiori tumultu in Catholicos exercuerat, oppida, arces, vrbes plurimas ferro aperuit, ſupra ſex millia cecidit. In Comitatu Foreſiorum ad fanum Germani Vallis, duce Muntacellario Vaſcone & Iacobo Vrffæo, pugnatum eſt cum duobus millibus hæreticorum, quos Ponſonatius, qui eo prælio perijt, contraxerat. Catholici vicerunt, eô quòd equite ſuperiores eſſent. Qui eo prælio ſuperfuére, adiunctis in fuga pluribus cohortibus, atque viribus earundem acceſſione recuperatis, iterùm cęſi ſunt circa Bilhomum: vbi niſi victores noſtri euaſiſſent, planè conclamatum fuerat de omnibus. In prouincia Phocenſi acerrimè quoquè dimicatum: productis ingentibus è Maſſilia tormentis, & Ciſterone oppido, cis Druentiam flumen obſeſſo Catholici ſuperiores extitêre. In Occitana apud Murgonem prælium commiſſum, duce Tendano Comite, & Suza viro fortiſſimo, & Ioiſa Aruerno. Ex hæreticis mille quingenti cæſi, plures vulnerati: quos oppidani, qui euentum pugnæ expectabant, in fugam verſos trucidârunt. Ex noſtris, eô quòd inſtructiorès eſſent, & tormentis abundarent, pauci deſiderati.

Rupella à quo prodita Hugonotis.

In Aquitania Monlucius decem vexilla, quæ Rupellam iter intenderant, profligauit: quam vrbem Farnacus Præfectus à Rege deficiens, magno regni detrimento prodiderat. Aumalius quinque cohortes peditum, Briſſacius ad fanum Spinæ in Campania quatuor equitum turmas eximprouisò adorti, afflixêre: Mantuanus ad fontes aquæ bellæ, equites mille. Is domum rediens ad importunas preces parturientis vxoris, ab hoſtibus penè centum interceptus eſt. Qui cum Mantuano erant itineris comites vigintiquatuor, etsì inermes, primi tamen enſes in hoſtes vibrârunt à verticè armatos, & tam dextrè ſuperis fauentibus dimicârunt, vt ſex vltra viginti coniectis in fugam, cæteros exanimes reliquerint: duo de noſtris mortui. Mantuanus tormento genu læſus, atque ex vulnere in febrim incidens, tamen auxiliante Deo & Virgine matre, cui ſe ad templum ſuum Lauretum deuouiſſet, euaſit incolumit.

Votum Mantuani ad virginē matrem.

In Neuſtria Germani equites ſexcenti à Rinferiano cæſi. In Sequanis exules, qui ab alijs ſeditioſis fecerant ſeceſſionem, cùm à nemine reciperentur, eſſentque fermè ſeptingenti, conſilium capiebant de occupando per proditionem Iohannis Vinarij oppido. Id Vantous vir nobilis reſciens, valida manu ſeptus, circunuentos ad

vnum

vnum omnes miserè iugulauit, quandam vrbem Hanoniæ, muro diù quassato, cepit, diripiendamque militi tradidit. Antissiodoro recepta, externi hæretici abiêrunt. Quo animaduerso, Catholici, qui in vrbem reuersi fuerant, abeuntes persecuti, in itinere oppresserunt. Duæ Occitanorum cohortes in Turonibus à Præside Ambasianorum cæsæ sunt. & post pauca: Præterire non possum Claudiæ Turoniæ factum, è nobilissima apud Aruernos Turoniorum gente. Ea absente Iusto Turonio filio, quem Rex legatum in Italiam ad Pium Pontificem miserat, ab hæreticis obsessa, virili animo ducis munus implens, cum paucis militibus diù eorum impetum sustinuit, arcemque Turoniam, in Rhodani angustijs sitam, cum oppido seruauit. 1568

Claudiæ Turoniæ virile facinus.

Hæc quidem ille, sed breuiùs, quàm vt tantæ rei sufficiant: nec tamen hactenùs mihi visa est historia, à Catholico scripta, vbì prolixè res Gallicæ commemorentur. Hæretici multa de ijs scribunt, sed illis fides tutò haberi non potest. Scribunt quidam, regem Galliarum misisse præsidium Rupellam, sed Rupellenses id recusâsse, Condæumque solicitâsse, & eum venisse eò decimonono Septembris: secutam verò eius vxorem cum aliquot nobilibus Hugonotis. Admiralij quoquè fratrem, qui anteà Cardinalis fuerat, profectum in Angliam, & eius gentis reginam inuitâsse ad Hugonotas adiuuandos.

Porrò Galliarum rex aduersùm hæreticos mense Octobri edictum proposuit, vt eorum ministri è regno excedant, sola Catholica religio obseruetur. Alterum quoquè edictum publicatum est, eoque hæreticis honores & dignitates ademptæ. Horum edictorum exempla Hugonotæ ad symmystas suos in Germaniam & Angliam miserunt, vt eos incitarent ad maturè ferendã opem laboranti Euangelio Caluini.

Edicta regis Frãciæ cõtra hæreticos.

Eodem mense in territorio Pictauensi terræmotus fuit. Hugonotæ verò, vt neruum belli pecuniam sibi conflarent, præter magnam auri summam, quam ab exteris accepêre, bona Cleri in ditione Pictauensi mobilia quidem diripuerunt, immobilia distraxerunt, cùm eius rei nulla esset apud eos potestas, nisì quòd reformatis istis omnia licent, maximè in Clerum, cuius hostes sunt acerrimi. Feruntur tunc grandem pecuniæ summam, quam mutuò ab amicis acceperant, partim campanarum metallo persoluisse. Argumento id est, multas eos è templis campanas abstulisse. Eiusmodi

Res Cleri ab Hugonotis direptæ.

1568 modi officia grata sunt malis dæmonibus, qui oderunt campanas, tanquàm tubas quasdam regis æterni. Sed antequàm pergamus in harum rerum commemoratione, redeundum est ad Albanum principem, & Belgicas res, quæ hoc anno gestæ sunt.

Magnæ copiæ principis Auraici.

Cùm Ludouicus Nassouius, amissis copijs suis, vix regiorum manus effugisset, rursùs collegit quas potuit vires, & ad fratrem suum principem Auraicum sese adiunxit. Habebant illi duo fratres iam magnum exercitum, quorundam ope adiuti, putabantque se, Albano profligato, Belgio potituros. Albanus Dux non ignarus quid molirentur, & quas haberent copias, lustrato apud Traiectum inferius exercitu suo, ad eos profectus est, daturus operam, nè per Mosam fluuium in ditiones regis ingrederentur. Simul autem publico edicto, magnis propositis pœnis, statuit, vt quisquis profugorum, proscriptorum, in custodias abductorum, & supplicijs affectorum quælibet bona mobilia ac immobilia obtineret &c. ea certis hominibus traderet. Eodem tempore venêre à rege Hispaniarum quadringenta coronatorum millia, & bis mille quingenti Hispani milites, qui euestigiò ad Albani castra profecti sunt. Ex ijs cognitum fuit, in Hispanijs Comitis Hornensis fratrem cum tribus alijs capite punitum esse.

Albanus mouet cōtra illum.

Albanus Dux vbì cum exercitu Traiectum superius attigit, Mosam transmisit, commeatûs auertendi causa, vt hostium conatus retardaret. Sed cùm metus esset, nè fortaisis per Burgundiam ad Condeum abirent, suasque vires cum illo coniungerent, missa est ab Albano pecunia illius prouinciæ præfecto, qua, si res posceret, militem sibi compararet, cuius opera fines suos ab hoste tueretur. Atque ità porrò mouit castra Albanus contra principem Auraicum, qui tum apud Rhenum suas habebat copias, quas auxerat signis quatuordecim Nicolalus ab Hagstat, cuius ea causa bona omnia fisco suo addicta esse voluit illustrissimus Archidux Austriæ Ferdinãdus, quæ quidem bona in ipsius ditione essent, quòd, ipso prohibente, ausus esset cogere militem contra regem Philippum. Erant tum in Albani castris sex millia equitũ & triginta peditum : quibus ille volebat ditionis Leodiensis homines inuadere ac debellare, quòd multi ex eis hæresi deprauati, Episcopo suo, egregio & sapientissimo principi, debitam nollent præstare obedientiam, atque eo inuito, regis Philippi hostibus in eam regionem se aditum

tum præbituros recepiſſent, vt quidã ſcribit, qui huic bel- 1568
lo interfuit. At tamen conſultius ei viſum eſt, priùs ex-
plorare, quorſùm iter hoſtes intenderent, vt vbì maior
videretur incumbere neceſſitas, illic potiſſimùm ſuas eis
vires opponeret. Menſe Septembri ad eum perlatum eſt,
principem Auraicum Rhenum tranſmiſiſſe cum octo
millibus equitum, & * vigintiquinque peditum. ſic qui-
dem habent impreſſi codices, niſì mendum eſt in nume-
ris. Signis eius militaribus inſcriptum erat, Pro lege, gre- *Symbolum*
ge & rege: iuſſitque proclamari, ſe Ducem Albanum in- *militare*
uiſere velle. Ab illuſtriſſimo Iuliacenſi principe petijt *principis*
commeatum & copiam traducendi per eius fines exerci- *Auraici.*
tûs: ſed nihil impetrauit. Adiunxit ſe tum illi nobilis
quidam cum mille quingentis equitibus, qui planè de-
creuerat nec vngues præcidere, nec pilos radere, donèc
Egmondani Comitis, cui ſanguine iunctus erat, necem
vltus eſſet. Non multùm ſyluestri homini abſimilis is
videbatur.

Porrò Albanus Dux caſtra mouit ad milliare vnum
à Traiecto Moſæ, illic hoſtium aduentum prçſtolaturus.
Detinebantur per id tempus ab Auraico naues aliquot, *Auraicus*
itemque mercatores Belgæ Francophordiam ituri, è qui- *detinet na*
bus pecuniam extorſit, qua opùs illi erat ad tantas alen- *ues & mer*
das copias. In caſtris eius orta ſeditio eſt inter Germanos *catores*
& Gallos, quam cùm ſopire vellet, vulneratus ipſe eſt, & *aliquot.*
tormentorum eius prçfectus perijt. Albanus interìm hæ-
rebat circa Traiectum, ſcire volens quam in partem ho-
ſtis tandèm promoturus eſſet. Certò autem comperit,
non eum in Franciam moliri iter, quod anteà rumor
ſparſerat, ſed præmiſſis per Rhenum machinis bellicis,
tendere contra Geldriam. Vbì Kerpenam venit Auraicus
(qui vicus eſt regis Hiſpaniarum, nec ità procul Colonia
Agrippina abeſt) ducentorum militum præſidium ibì re-
liquit. Valdè incerta erãt eius conſilia, id eſt, quid tamen *Nihil effi-*
animo moliretur. Labebatur tempus, nec quicquam me- *cit memo-*
morabile efficiebat, cùm tamen ſcribant quidam, potuiſ- *rabile.*
ſe eum interdùm oblata opportunitate rem benè gerere.
Iam autumnus aderat, & multa pluuia ruebat è cælo,
quod eſt illis regionibus familiare. Vt verò in futurum
vernum tempus in hybernis aleret tam copioſum mili-
tem, non ferebant prouentus eius, tametsì non defuêre
fortaſsis magnates quidam, qui clàm ſuppeditarent im-
penſarum partem quandam. Sed nemo ferè tam prodigus
eſt rerum ſuarum, vt ſemper dare velit, præſertìm vbì

1568 dubius est euentus. Non deerant, qui suspicarentur habere eum in vicinis regis ditionibus, qui ei studerent, vellentque ei prodere loca quædam, atque ea causa hærere eum, & moras nectere. Sed Albanus Dux loca omnia, vbi posset aliquis proditionis metus esse, ità communierat, vt eiusmodi machinationes, si quæ essent, nullos habituræ successus viderentur. Etsì autem apud Leodienses quidam magis illi, quàm Albano, addicti putarentur, attamen ciuitas ipsa cum Episcopo & eius primario Clero se coniunxit, conscriptaque sunt sex peditum signa, & in vrbem recepta. Ità factum est, vt neque Albanum, neque Auraicum intra oppidum admittere vellent.

Leodij præsidiarius miles cōscriptus.

Disciplinæ militaris censura & seueritas in castris Auraici, vt tum quidem publicè ferebatur, perexigua erat: deerant naues, quibus pontem efficerent, non magnus suppetebat commeatus, non puluis sulphureus & pilæ, ità vt multi existimarent hoc rerum statu conatus eius diuturnos esse non posse. Albanus cōtrà rebus omnibus instructissimus erat, habebatque in Mosa vasto flumine pontem factitium ex nauibus, nec deerant naues, quibus posset alterum, si opùs foret, efficere. Tandèm mense Octobri Auraicus iter suis copijs per Mosam præter omnem expectationem loco, qui per id tempus vadosus erat, effecit, non tamen sinè iactura aliquot equorum & hominum. Ea arte animaduersa, Albanus ità se comparauit, vt hostibus omnem adimeret opportunitatem sese communicādi, atque ijs in locis hybernandi, nisi vellent in patentibus campis sua metari castra, quod fieri sinè maximo illorum detrimento non posset. Opposuit autem castris suis, vbi plus periculi impendére videbatur, machinas quasdam reticulatas, miro artificio confectas, quibus facilè à se repentinos hostium, præsertìm equestrium, incursus auertere posset. Iam propè coniuncta erant vtraque castra, cùm eccè vicesima Octobris Auraicus sese loco mouēs, obuiàm progreditur copijs auxiliaribus, quas ab Hugonotis expectabat. Mouet castra etiàm Albanus, sequitur sensìm abeuntes, qui sanè temerè admodùm transmittere instituebant fluuium, qui Brabantiam à Leodiensi ditione separat. Cùm enim iam quidam transijssent, misit Albanus è suis aliquot Hispanorum millia & equitatum non contemnendum, à quibus permulti hostes cæsi sunt, & capti non pauci, atque in ijs nobilis quidam, Auraico inprimis charus, qui

Auraicus ducit suas copias per Mosam.

Temeritas hostium.

Cæduntur multi à regijs.

qui posteà, iubente Albano, capite punitus est. Non parum ea clades perturbauit Auraicum, hæsitque aliquot dies illo in loco. Ex captiuis hostibus cognitum est, venisse quidem ad Auraicum copias, quas ex Gallia expectârat, sed non nisi magnam castris eius calamitatem & inopiam attulisse, ità vt multi inedia conficerentur. 1568

Ijs cognitis, Albanus hostes illos non magnipendit. Sub finem Octobris Auraicus annonæ & pecuniæ egestate compulsus, cùm nulla spes alicuius subsidij affulgeret, castra mouit quanto maximè fieri potuit silentio. Albanus abeuntes insequitur, cuius iam exercitus multorum equitum & peditum accessione valdè auctus erat. Auraicus per Mosam rursùs in Germaniam se rediturum sperans, vbi sensit à Leodiensi Episcopo id non permitti, nec sinè ingenti periculo traijcere posset, quòd iam aquæ Mosæ intumuissent, conuerso itinere in Gallias contendit ad Hugonotas, idque tanta celeritate, vt quanuis Albanus non segnitèr fugientem persequeretur, eius tamen exercitum ad iustum certamen attingere non posset: licèt ab eius equitatu nō parùm damni datum sit illis. In ipsa fuga, quod dolendum est, passim regis ditiones miserè inflammauit, non sinè multorum miserorum hominum maximo detrimento. Tandèm è Belgio excessit, magno quidem liberatus periculo, sed omni sua spe frustratus.

Auraicus clàm motis castris, fugã meditatur.

Recedit è Belgio.

Etsi autem Albanus Princeps alia ratione debellare eum potuisset, at tamen noluit vir prudentissimus suum militem temerè periculo obijcere, cùm in eiusmodi prælijs sæpè admodùm ancipiti euentu pugnetur: multoque illustrior victoriæ laus ad eum reditura sit, quòd nulla ferè suorum iactura & in Frisia primùm hostes conciderit, & deindè è tota Belgica regis Philippi prouincia eos profligârit. Nemo sanè est, qui huius anni insignes aliquot victorias & multa præclarè gesta ad eius eximiam laudem dubitet pertinere: sed de his quandoquè alij scribent, qui in eiusmodi erunt magis exercitati, omniaque certiùs comperta habebunt. Ego breuis sum more meo. Porrò è Belgio excluso hoste, Albanus Cameraci hæsit nonnihil cum vniuerso exercitu. Deindè quibusdam per fines eius regionis distributis, plerisque dimissis, præsertìm Germanis, nonnullis Antuerpiam & Valencenas ablegatis, reliquis in Hollandiam, Cameraco discedens, Bruxellas venit, moxque in templum ingres-

Albanus venit Cameracum.

Indè Bruxellas.

1568 ingressus est, vbi cantatum est, ità vt par erat, Te Deum laudamus. Pro insigni enim victoria nemo iustiùs laudari debuit, quàm rerum omnium prępotens Deus, in cuius ditione cuncta sunt posita, in cuius manu sunt omnes fines terræ, qui dat dignis victoriam.

Esther 13. *2.Mac. 15.*

Colloquiũ Altenburgense inter Luteranos

Hocipso anno 68. habitum est Colloquium Altenburgi inter præcones Euangelij secundùm Luterum. Inchoatum est 20. Octobris, & durauit vsque ad nonũ Martij diem anni 69. Etsi autem facilè aduerterent illi, non sinè summa ignominia tam fœdas altercationes in publicum euulgari, tamen committere non potuerunt, præsertìm Ienenses dogmatistæ, quin & Latinè & Germanicè valdè prolixè typis imprimendas curarent. Horum caput fuisse videtur Iohannes Vuigandus, egregius Luteranus. Res est admirationis plena, quòd cùm ex vtraque parte non Zuinglij aut Caluini, sed Luteri Euangelium profiteantur, & interìm nihilominùs odiosissimè inter se diffideant, tamen miseram plebem adeò ab illis teneri fascinatam, vt videre non possit nulla ratione posse illos puram & sanam adferre doctrinam, quod tamen vtrinquè mirè iactitant, qui tam pertinacitèr inter se corrixentur. Magna est hęc profectò ira prępotentis Dei. Vuittenbergenses & Lipsenses nonnihil se videntur accommodâsse ad Interìm Cæsareum, de quo lōgè suprà diximus, vt, quemadmodùm Ienenses aiunt, ingentem indignationem atque pericula effugere possent. Id malè habet Stoicos & rigidos Luteranos, quòd, vt ipsi asserunt, ex eiusmodi Interimisticis actionibus pullularent nouę locutiones, noua dogmata priùs improbata, & quædam cęremoniæ rursùs admitterentur. Vndè id illi consecuturum verentur, vt sensìm Luteri doctrina euanescat, ac tandèm prorsùs exibiletur. Et cùm Luterus ipse non semèl pugnantia scripserit, homines stultissimi ab eius sententia putant nullo pacto discedendum: eosque docere volunt grauitèr peccâsse, qui ad Catholicos aliquanto propiùs accedendum senserint: quibus inter alia etiàm hoc obijciunt in præfatione huius Colloquij, quòd Missalia & Agendas Papisticas denuò conati sint in Ecclesiam introducere, quanuìs paulispèr circuncisas & correctas: itèm docere necessitatem bonorum operum ad salutem & iustitiam. Obijciunt etiàm, quosdam ex illis, cùm essent commonefacti ab ipsis, velut apros syluestres in alios exeruisse dentes, idq; publicis scriptis editis. Iam verò cùm ad hoc Colloquium ventum esset, aiũt aduersarios

Oculos habent, & non videbunt.

Luterani alij quid alijs obijciant.

Eccè tibi candorem

1568

sarios suos plurimum ipsis semper negocij fecisse in trāsferendo statu controuersiæ, & in ponendis miris artibus insidiosis pedicis, quibus constringerentur incauti: diù ipsos in Thesi circunduxisse & quæstiunculis, irrisionibus, contumelijs, satyricis inuectiuis exagitâsse: suas corruptelas & falsa dogmata (quæso lector aduerte) tantùm horrisona quasì tempestate maledicorum verborum absque omni fundamento & timore Dei conatos esse tutari. Itèm inter alia proposuisse eos, vestem nuptialem non esse solam fidem, sed fidem & bona opera. Sed hoc quoquè annotant in hac Præfatione, noluisse eos permanere vsque ad finem in colloquio, sed varijs sermonibus id eos egisse, vt Ienenses putarentur mirabilia portenta in medium allaturi fuisse, si in Colloquio ipsi mansissent. Porrò autem ipsi se referunt ad verbum Dei, id est, vtrunque Testamentum, ad veram Augustanam Confessionem & Apologiam, ad libros Luteri. Sed quid facturi sunt miseri, cùm de Luteri libris deprauatis ipsi Luterani inter se corrixentur, satisque indicent ipsam quoquè Augustanam confessionem corruptam esse, cùm hîc aiunt, ad veram Confessionem se referre? Et hoc quidem verissimum est, ità vt iam sub ea confessione etiàm Caluiniani & Zuingliani delitescant, frementibus Luteranis rigidis, qui eos hauddubiè cum suo Lutero execrantur. Multas deindè causas adferunt editi huius Colloquij, in quibus septimum locum obtinet, quòd altera pars non solùm Colloquium suo priuato arbitrio abruperit, sed etiàm sinè omni cunctatione synodum ex quibusdam suarum partium theologis coëgerit, ibique ipsorum partem absentem suo calculo & decreto damnârit: eam damnationem mox in ciuitates & aulas principum ac potentum spargere non dubitârit. Octauum verò locum sibi vendicat, quòd pars altera absque vllo fine inuectiuas edit, vt M. Selneccer, D. Pfeffinger in suis libris impressis, Iohannes Maior in suis libellis famosis & alij. Hæc & pleraque alia ex Colloquij huius sola Præfatione succinctè collegimus, quæ sanè eiusmodi sunt, vt istorum hominum cęcitatem & deploratam stultitiam toti orbi adeò prodant, vt meritò gratulari sibi & ingentes Deo gratias agere debeant, qui Dei benignitate seruatos se sentiunt, nè ad istorum tam miserè perpetuò corrixantes synagogas cum præsentissimo æternæ salutis suæ discrimine se adiungerent. Mirum est, isthæc aut non animaduerti, aut negligi etiàm à plerisque doctis viris. Præclara sanè lux allata est

Euangelicum.

Corruptelæ & falsa dogmata Luteranorum.

O miseros & insulsos theologos.

Synodus Luteranorum damnat Luteranos.

Inuectiuæ Luteranorum in Luteranos infinitæ.

1568 orbi Christiano ab istis cæcis & infaustis magistris, quos malus dæmon tenacissimè habet suis cassibus implicatos: quorum etiàm & ingenijs & linguis & stylo egregiè nouit vti ad euertendos incautos, qui non nórunt ex fru-

Matth.7. ctu cognoscere arborem. Mira in istorum Ienensium, sicut & aliorum hæreticorum, scriptis nonnullis magnæ

Hypocrisis & simulata religio hæreticorum.

cuiusdam religionis & pietatis simulatio inest: & nisi hæreticorum artes calleas, putabis Angelos, non homines, loqui. Ità crebrò timorem Dei, pietatem, Deum omnia inspicientem, Deum ipsos regentem & confortantem, Christum, vt citò veniat, ipsos orantes, & multa id genus alia, prophano è pectore prodeuntia, scripto & ser-

Matt.24. mone crepant: vt non immeritò Christus dixerit, etiam electos, si fieri possit, in errorem missum iri. Sed qui propiùs eos intuetur, lupos rapacissimos, animas miserorum iugulare & vorare cupiẽtes, facilè agnoscit: idque illi vel maximè, qui Deum recto & puro corde quærunt, colunt & amant, quos nunquàm sinit Deus eiusmodi vulpecularum fraudibus circunscribi. Porrò homines leues mũdi vanitatibus deditos, voluptatum amantiores quàm Dei, prurientes auribus, facilè isti pseudoprophetæ pertrahunt

2.Pet.2. in nassam suam, libertatẽ illis promittentes, cùm sint ipsi serui corruptionis. Et certè vt hodiè viuũt homines, non valdè mirum est tam multos labi in fœdos pudendosque errores, & ab istis delicatis & suauibus magistris in tam pugnantes rapi sectas. Illi facilè perseuérant, qui diuino timori & amori inhærent, qui, vt propheta Micheas ad-

Mich.6. monet, soliciti ambulant cum Deo suo, & abstinent à

1.Pet.2. carnalibus desiderijs, quæ militant aduersùs animam:

Psal.9. quorum conuersatio in cælis est. Non dereliquisti quærentes te Domine, ait propheta Dauid. Possunt tamen etiàm boni nonnunquàm induci in errorem, sed citiùs resipiscunt, quandò sola ignorantia & humana quadam infirmitate labuntur. Optimè admonet Apostolus, vbi

2.Tim.2. ait, Discedat ab iniquitate omnis, qui inuocat nomen Domini. Hoc qui faciunt, Deo benè propitio, hæreticorum præstigijs non facilè patebunt. Sed ad rem.

Vide Lector, quibus de rebus inter se contendant sectarij.

Aiunt ijdem Ienenses in sua Præfatione, impium esse institutum quorundam politicorum præposterè sapientium, qui velint istas contentiones affabrè conciliare, acsì tantùm de verbis litigetur, vbi de rebus grauissimis confertur. Hoc certè illi sic scribunt, & sua sponte fatentur de rebus grauissimis ipsos inter se litigare. Et tamen non pudet quosdam ex istis sectarijs palam editis libris

bris affirmare, & miserrimæ plebeculæ persuadere, nullam inter Euangelicos esse doctrinæ discrepantiam, nullas contentiones. Et sic permulti sentiunt, & interim tamen non sentiunt fœdissimè & indignissimè sibi ab istis illudi. Si nullæ inter eos lites sunt, cur tot contentiosa scripta ab illis euulgantur? Si verò, quod ipsi palàm asserunt, & res ipsa euidentissimè testatur, etiàm de grauissimis rebus corrixantur, cur illis fides adhibetur? O miseram mortalium cæcitatem. Sed hæc fortasis extra institutum, at sunt tamen annotatione digna, quæ si plerique ex animo recta secum via reputare vellent, haud difficulter redirent in viam. Ad has præstigias pertinet etiàm illud, quòd in hoc præclaro Colloquio negant opera bona esse necessaria ad salutem, & rursùs disertis verbis affirmant, necessarium esse, vt per pœnitentiam redeamus & conuertamur ad Deum. Quæ enim potest esse pœnitentia sinè detestatione peccati & studio bonorum operum? Sed has fraudes vulgus non aduertit. Omnis autem scriptura diuina, plena est sententijs, quibus doceatur, homini ad salutem necessaria esse bona opera. In supremo mundi die non est dicturus Christus, Venite benedicti patris mei, possidete regnum, quod vobis paratum est ab origine mundi, quia credidistis, sed, Quia esuriui, & dedistis mihi manducare &c. nec impijs tum dicturus est, Discedite à me maledicti in ignem æternum, quia non credidistis, sed, Quia esuriui, & non dedistis mihi mãducare. Quæ loca abundè sufficiunt ad horũ confutandam imperitam & insulsam theologiam, quam ex Luteri sui lacunis hauserunt, non ex verbo Dei, neque ex sanctissimorum & doctissimorum patrum monumentis. Hactenùs de Colloquio Altenburgensi egisse satìs sit, cuius sola Præfatio vberem nobis materiam suppeditat ad istorum hominum stultitiam declarandam. Quòd si verò ex toto Colloquio flosculos alios colligere vellem, contexerem coronam, istorum mõstrosis capitibus dignam. Sed abeant illi cum suis putidis mendacijs ad solas terras, ego ad historiam reuertor.

Præstigiæ hæreticorum.

Matth. 25.

1569

ANNO 1569. ineunte, ob quasdam Hispanorum res in Anglia detentas, Antuerpiæ mercatores Angli & eorum facultates malè acceptæ sunt. Porrò in Anglia par pari relatũ illis, qui è regis Hispaniarum ditionibus essent, cessatumque est à mutuis commercijs, non sinè magnis vtriusque partis incommodis.

Inter Albanũ & Angliæ reginam simultas.

1569

Tertius tumultus Franciæ quàm perniciosus.

In Gallijs, vt quidam ait, cuius extat scriptum, tertius tumultus, quo Hugonotæ rursùs arma corripuerunt, cùm iam omnia præcedentibus euersa atque dissipata fuissent, quicquid etiàm reliquæ spei fuerat, tum in agris, tum in ciuitatibus abstulit. Longum esset, inquit idem, recensere, quot oppida, quotque prouinciæ penè funditùs sint euersę. Tres exercitus, interdùm quatuor tota hyeme Gallia aluit, omnia desperata: facta est Gallia quasi vidua, Plorans plorauit in nocte, & lachrymæ eius in maxillis eius. & paulò pòst: Interim tamen reperta sunt supra septingenta millia, qui non curuauerunt genua ante Baal: sed tribulatione ipsa robustiores effecti, opes, fortunas, corpus, animam deniquè ipsam non recusârunt ponere. Qui vi & ferro hostibus se opponentes, multa præclara apud Tolosam gessêre. Iuerunt ad decem millia, qui instructi zelo diuino, & ardentes amore iustitiæ, prædia ampla, vxores & liberos egregios reliquerunt, Christoque sese deuouentes, proprijs militârunt stipendijs, solo victu contenti. De reliquo nudi, nudum Christum sequentes, cum hac inscriptione, Eamus & nos, & moriamur cum Christo. Propositum habebant ij omni die tremendis adesse mysterijs, & Deiparam vespertino tempore salutare solita antiphona, Salue regina &c. Itaque diuino magis, quàm humano auxilio freti, multas vrbes ab hæreticis occupatas receperunt, multa hæreticorum millia oppresserunt.

Multi Catholici cõstantes in Francia.

Iohan. 11.

Cùm autem regnum pluribus partibus eodem tempore à seditiosis vastaretur, coactus rex diuidere suas copias, partem fratri Henrico Valesio tradidit, partem regulo Aumalio, tertiam sibi in præsidium reseruauit. Leuia certamina vndiquè sæpè cõmissa. Tandèm ab Henrico regis fratre hostes intercepti, impietatis suæ dignas pœnas pendere coacti. Eo prælio cecidit & contritum est caput serpentis Ludouici Condæi cum triginta ex præcipuis ducibus seditiosorum: numerus vulgi promiscui incertus. Si tria capita, quæ residua sunt, eàdem fortuna dempta fuissent, omnia essent in Gallijs placidiora, quæ tamen eneruata iam & ad extremam miseriam videbantur redacta. Ex nostris Brissacius, vir omni tempore lugendus, fortiter dimicando cecidit, in cuius morte arx cum oppido capta, igne & gladio consumpta est. Hæc ex scripto illo excerpsimus.

Condæus in Gallijs perit cum multis.

Sectarij, qui hoc bellum scribunt, mirè prædicant Condæum, & inter cætera aiunt eum in præcipuo signo mili-

militari hæc inſcripta habuiſſe, Pro Chriſto & patria dulce periculum. Et reuerà pro Chriſto & patria dulce periculum, ſed quid hoc ad Condæum & ſocios Hugonotas, qui aduersùs legitimum regẽ & dominum ſuum totiès rebellârunt, & florentiſſimum Galliȩ regnum miſerandum in modum deuaſtârunt? qui catholicam religionem & Chriſti Eccleſiam modis omnibus oppugnâtunt? Accidit Condæo, quod ferè ſolet ſeditioſis, vt malè pereant. Multa poſſent adferri exempla, ſed miſeri mortales nolunt nec alieno quidem periculo ſapere. Per id tempus, quo cæſus eſt Condæus, Carolus Galliarum rex erat in Metenſium vrbe cum regina matre & alijs multis. Viceſimo die Martij, qui fuit Dominicus, publica apud Metenſes inſtituta eſt proceſſio per ciuitatem, oratumque in ea eſt pro pace & victoria aduersùs hæreticos. Ei proceſſioni interfuit rex ipſe Chriſtianiſſimus cum Carolo Lotharingiæ Duce, Carolo Cardinali Lotharingiæ, Cardinali Burbonio, duabus ſuæ maieſtatis ſororibus, multisque alijs proceribus & nobilibus. Regina mater tum parùm commoda vtebatur valetudine. Proxima nocte allatus eſt ad regem nuncius de interfecto Condæo & hoſtibus ſuperatis. Itaque rex media ferè nocte ſurgit è lecto, properat ad ſummam ædem, alta voce coram primario altari depromit canticum, Te Deum laudamus: iubet campanas omnes ſolenniter pulſari, cunctis ad rei nouitatem obſtupeſcentibus. Deindè eiuſdem diei hora tertia pomeridiana, ipſo iubente, ſolo æquatur ſynagoga Caluiniſtarum, ad portam S. Barbaræ conſtructa. Lætabantur his omnibus catholici, hæretici pudefiebant. Pòſt etiàm publico edicto rex vetuit, nè qua ſua exercitia in ea vrbe atque ijs locis hæretici haberent.

1569

Carolus Franciæ rex apud Metenſes quid egerit.

Apud Metenſes interdicũtur exercitia Caluiniana.

Hoc anno (vt ſcribit doctiſſimus vir Nicolaus Sanderus Anglus lib. 7. De viſibili Eccleſiæ Monarchia) Pius V. Pontifex Maximus reuerendum presbyterum Nicolaum Mortonum Anglum, S. Theologiæ doctorem miſit in Angliam, vt certis illuſtribus & catholicis viris authoritate Apoſtolica denũciaret, Elizabetham, quæ tunc rerum potiebatur, hæreticam eſſe: ob eamque cauſam omni dominio & poteſtate, quam in Catholicos vſurpabat, iure ipſo excidiſſe, impuneque ab illis velut ethnicam & publicanã haberi poſſe, nec eos illius legibus aut mandatis deincèps obedire cogi. Quæ denunciatione, inquit idem, multi nobiles viri adducti ſunt, vt non ſolum ſibi-

Excuſus eſt Louanij Anno 71.

1569 sibijpsis consulere, verumetiàm de fratribus liberandis cogitare auderent. Non tamen illorum nobilium conatus illos habuêre successus, quos sperauerant, fortassis quòd Catholicis omnibus ea denunciatio necdùm innotuisset. Sanè fidem illi catholicam egregiè confessi sunt, & multi eorum pro fratribus animas posuerunt, & reliqui seipsos in libertatem vendicârunt. Sumpserant illi quidem arma pro fide tuenda, sed ferè quingenti ex ijs capti ab hæreticis & morte affecti sunt, cùm in fide constantes permanerent. Permulti autem Ecclesiæ pauloantè reconciliati, seriò sibi gratulabantur, quòd priùs abirent è vita, quàm pacem nupèr acceptam violarẽt: ostendebantque sibi iucundam non fore vitam in illo regno, quod iãdiù in Christo viuere desijsset. In ijs facilè princeps fuit Plumtreus presbyter, vir doctus & pius, qui cùm posset viuere, si vellet, abiurata fide Catholica, hæresim amplecti, ait se non optare eam vitam, quæ ipsi animæ mortem esset allatura. In eadem causa duo viri nobiles de familia Nortonorum crudeli morte extincti sunt, Thomas Nortonus, & eius nepos Christophorus. Primùm enim suspensi, deindè adhuc viuentes, dissectis visceribus, membratìm diuisi sunt, quòd nollent à fide desciscere, & Elizabetham legitimam reginam confiteri. Hæc omnia prolixiùs Sanderus commemorat, nos pleraque more nostro contraximus.

In Anglia quidã occiduntur.

Plumtreus presbyter mauult mori, quã abiurare fidem Catholicam.

Post cædem Condæi, quam paulò suprà annotauimus, Hugonotæ non planè abiecerunt animos, sed iterùm collegêre vires, ducibus Admiralio & Andeloto: quibus ex Germania magnas copias auxiliares adduxit Vuolfgangus Bipontinus Dux, de quo scribit is, quem suprà non semèl citauimus, quòd innumeris malis & adustionibus Gallias presserit. Eius aduentu multùm erecti sunt seditiosorum animi. Sed eccè tibi ipso mense Maio perit Andelotus, perit etiàm repentino morbo spatio horarum vigintiquatuor Vuolfgangus Dux. Multa præterea præcipua capita quasì eodem tempore mortem obiêre, vt non desint, inquit ille idem, qui iudicent metu grauioris supplicij, perditis iam ac deploratis rebus, mortem eos veneno præuenisse. Sic vbiquè vigilat diuina prouidentia, nec vltra certos limites sinit progredi hominum consilia & conatus. Sed has quoquè res volumus alienis potiùs, quàm nostris verbis ad posterorum notitiam transmittere. Scribit idem ille in hæc verba: Post ereptum rebellibus primi nominis ducem Condæum, &

Hugonotæ suas instaurãt copias

Andeloti obitus Itẽ Vuolfgangi Bipontini.

um, & amputatum quasì authoritatis suæ caput, tum de- *1569*
mum verè apparuit fraudum totiusque conspirationis *Caput rebellium in*
secretius consilium: scilicet Admiralium esse, cuius con- *Gallijs.*
silijs & auspicijs res tam horrendæ cœptæ tentatæque
fuissent: Condæum nomen solum, & quam ex generis
splendore habuit, authoritatem dedisse. Eo enim sublato,
summa rerum omnium Admiralio deuoluitur: & ille
quidem quod hucusq; vafrè egit sub alieni nominis præ-
sidio, aperte abhinc impigreque capessit. Paulò superiùs
idem sic habet:

Edicto publico confiscata sunt omnia tam mobilia *Pœna rebellium in*
quàm immobilia bona, domus, prædia, possessiones, ca- *Francia.*
stra, ciuitates eorum, qui contra proprium regem arma
rebellionis sumpserant: omnesque sectariorum fautores,
qui in aliqua dignitate erant, magna cum infamia no-
minis, publicè omni magistratu atque officio sunt sub-
moti. Qui autem in horum locum successêre, singuli an-
tequàm vllam munerum partem capesserent, facere pro-
fessionem Catholicæ fidei ad vnum omnes per vniuer-
sum regnum coacti. Maximè verò illustris fuit Casparis *Proscriptio Admiralij.*
Colignij Admiralij Galliæ proscriptio & condemnatio;
13. die Septembris Lutetiæ facta: vbi homo iste, omnium
istorum malorum succentor & antesignanus, post abla-
tos honores, dignitates, bonaque vniuersa, magno omni-
um ordinum consensu diris deuouetur, imagine eius pa-
tibulo suspensa, signis gentilitijs vbiquè locorum deie-
ctis, liberis etiàm, omnibusque eius posteris, honoribus,
dignitatibus & ipsis nobilitatis prærogatiuis in vniuer-
sum perpetuò priuatis. Captus etiàm est sub id tẽpus Sco-
tus quidam nobilis, supplicioq; affectus, quòd post neca-
tum Condæi iussu Lutetiæ Minaliũ præsidentem, in re-
ginæ quoq; matris cædẽ manus armauerat. Iam sequun-
tur ea, quæ subiungit idẽ illis, quæ paulò antè attigimus:

Certa itaque de hoste suo Gallia, indigniùs quidem
tot mala ab authore non ità priùs illustri ferre visa est:
istarum tamen ęrumnarum finem videre, aut sperare sal-
tem nondùm potuit. Etsì enim hostium regni vires nu-
periori prælio vehementer accisæ, & illorum, qui super-
erant adhuc ex coniuratione, res tam angustæ videban-
tur, vt posthàc ad delendas mali reliquias minori opùs
esse negocio putaretur, terrorem præsertìm faciente re-
gis iuuenis feruida admodùm in persequendis punien-
disque quoquo modo rebellibus constantia, collegit ta-
men sese satanæ semen, perditionis manipulus sub Ad-

1569 miralij signis, sic vt iustũ referre posset exercitum. Quibus cùm ea quoque equitum peditumque manus, quam Pontanorum Dux Galliæ intulerat, commodum iuncta esset, nihil iam apud illos amissum videbatur, nihil minùs instructum, cum quo non auderent de summa rerum fortunarumque omnium dimicare. Noua igitur suborta regi necessitas, noua Henrico fratri proceribusque vigilias & curas peperit, vt tandem in id vnum deueniretur ab omnibus consilium, nec pacem ab armatis sperandã, nec in speciem aliquam ostensam accipiendam: sed authores rebellionis cum exercitu delendos esse simul, ac ob id nullam amittendam occasionem fore, quæ iustam aliquam pugnam exhiberet: id quod mense Octobri anno 1569. accidit. Hostes quidem, quod ferè solitum est deploratis hominibus, magnam iactitabant audaciam, nihil nisi pugnas, cædes & extrema quæque ore personantes. Ast vbi pugnãdi fieret facultas, vbi lacessiti etiam in prælium vocarentur, non ità cordatos vidisses, causæ nimirùm iniquitate ferociam comprimente & animos: adeò vt manifestum iam sit, exercitum illos duxisse, non ad prælia facienda, sed ad prædandum flammaque vastandum patriam. Nusquàm enim ipsi aduersos quæsiuerunt mucrones, nusquàm deprehensi etiàm in facinore, fixerunt pedem: sed prædonum latronumque more vagantes, regiorum signorum maiestatem ægrè sustinuerunt, donèc tandèm ab insequente seu inhærente potiùs exercitu regio, in pugnam vel inuiti traherentur.

Hugonotæ timidi ob malã causam, non audent cõfligere.

Laborabat vehementer eo tempore Pictauium obsessum, cùm graui obsidione sex hebdomadas cinctum fuisset, & mœnia tormẽtis diù multumque concussa, vlteriorem protectionem prorsùs negare viderentur. Hanc quidem vrbem firmo intùs tuebatur præsidio generosissimus Dux Guisanus, pluribus alijs principibus viris stipatus: verùm ob diuturnitatem obsidionis, & hostium crudeles insultus, plurima obsessi passi sunt: adeò quidem omnia afflicta & desperata cernebantur, vt asininis & equinis carnibus vesci cogerentur, quòd neque argento, neque auro, vllóve precio commeatum comparare possent: & licèt frumentum adesset, deerat tamen & modus & commoditas frumentum molendi. Regij itaque & liberandorum tam illustrium hominum studio piè commoti, & vt hostium vires, vrbi tam periculosè imminentes, distraherẽt, vicinum oppidum Chastellerault, ad fluuium Viennam situm, obsidione graui cingunt. Hac ratione

Fuit hoc mense Augusto & Septẽbri.

Magna fames Pictauij, dũ obsidetur.

tione in auxilium ſociorum pertracti hoſtes, Pictauium ad dies aliquot deſerunt. Interim refectus Guiſanus cum ſuis, vires animoſque reſtaurat, & redeuntes ad obſidionem hoſtes eruptione facta diſſipat, proſtratis ex iis ad duo millia, nec tamen abſque ſuorum cæde & ſanguine. Nam in eo conflictu quatuordecim interiêrunt bellicoſiſſimi & fortiſſimi regiarum partium duces. Magnam ſummæ virtutis laudem tum adeptus eſt Dux Guiſanus, qui & intùs vrbem prudenter tutatus eſt, & hoſtes fortiter profligauit, paternæ nimirùm fortitudinis ſemina in filio optimo iam egerminabant.

1569

Cōflictus cum Hugonotis ad Pictauiū.

Indè viciniores ſibi factos hoſtes regij diligētiùs obſeruare, ſubindè eueſtigiò perſequi, idq; curare omninò, vt vel terga inuaderent, cùm auerſos in fugam oculos petere non darerur. Ad viceſimumnonum igitur diem Septembris prope Camecontourum adortos in pręlium laceſſunt: ſed ſuperato Maſuille fluuio ponteque deiecto, pugnam ipſi detrectant, amiſſis tamen ſex equitum, duobuſque peditū ſignis. Prima & altera Octobris pari modo prælij facultatem negant, niſi quòd cōgredi auſos trecentos illorum equites velitando regij conficiunt. Tertia porrò Octobris dies Gallias de ſuorum ſcelere & perfidia edocuit. Ea fuit lux, quæ legitimo magiſtratui ereptum penè gladium ſuum reſtituit, & impietati ſuas pœnas dedit. Hoſtes enim etsi perpetua fuga latebras & munitiones ſuas peterent, ac eo præſertìm die loci bonitate egregiè protegerentur, ità vt paludibus & aquis circuncircà muniti, non niſi ab vna parte inuadi poſſent, à regij tamen exercitûs leuioribus copiis in pugnam rapti, manibus tandèm vtì coacti ſunt, cùm pedū, quibus euaderent, non omnes pariter haberent beneficium. Campus eſt ad eam rem perquàm idoneus, 4. milliarium Gallicorum, inter S. Iouini, Moncontourum & Ernaux oppida, vbi inſtructa acie hoſtes incedebant, obiecta à tergo tormentorum, quibus collem quendam commodum occupârāt, tutela. hunc deiicere oportuit, antequàm integri alicuius prælij occaſio inueniretur. Quod & induſtriè factum eſt per emiſſa contraria tormenta. Cùm itaque hoſtes & loci natura, & fati voluntate in pugnam pertractos ſe cernerent, minimè ſibi deſunt, conceduntq́ue leuiores velitationes à manè vſq; ad horam poſt meridiem primam: vbi coniunctos infeſtiſſimos exercitus, fortuna in ſacrificiū ſibi oblatos accepit. Veſperi prioris diei in caſtra venerant regis Nauarręi Condenſiſque filij cum tormen-

Hugonotæ detrectāt pugnam.

1569 tis & aliqua militum manu, quos & ipſos pueros armis onerârat Admiralius. Et paulò pòſt: Admiralij opera acies diligentiſſimè erat inſtructa, qui tamen ex veteri ſua arte ſibi cauit poſt principia, exercitum deſerens, Rupellamq́ue aufugiens, quò eum, qui ex prælio ſupererant, poſteà ſecuti ſunt. Equites Germani, admixtis Gallis equitibus lancearijs, primam occupârunt aciem, duce Volrado Comite Mansfeldio. Peditatus Germanicus, quem Pontanorum Dux rebellibus adduxerat, ſub Gerolzecchij Granuuileriq́ue veteranorum ducum auſpicijs ſocios habuit equites Admiralij Vaſcones. atque ità nec milite, neque arte etiàm inferiores fuerunt hoſtes: quorum magna pars equites inprimis albis induti, quæ caſſaquelia illis dicebãtur, in pugnam proceſſerant, conſilio, cui euentus minimè reſpondebat. Id enim illis animi erat, vt nemini parceretur ex regijs: cumq́ue ardor pugnæ teſſeras fortè abſtuliſſet, caſſaquelia iſta concepto furori manus cohiberent, hoſtisq́ue haberetur, quicunque tali colore non amictus obuius fieret. Sed pernicioſiſſimum fuit malis conſultoribus illis hoc conſilium, Germanis præſertìm, quos conterraneorum miſericordia, & aliqua ex veteri militari diſciplina pietatis ratio, inclinata iam acie, ſaluare potuiſſet: ſed hæretici habiti ſunt, Hugonoti & rebelles inclamati omnes iſti albi, adeoq́ue illorum parſum nemini.

Copiæ Hugonotarũ vt inſtructæ ad prælium.

Malum conſilium conſultori peßimum.

Regijs copijs ſub Henrici fratris auſpicijs prudentiſſimi & fortiſſimi duces præfuerunt, dextrum latus tuente Petro Erneſto Comite Mansfeldio. Suberant huic equitum Germanorum turmæ nouendecim ſub ducibus Lantgrauio Haſſiæ, Rhenigrauijs ſeniore & iuniore, Comite Vueſterburgio & domino Betſtenio, qui eſt dominus Paſſampierre. Siniſtrum latus defendendum ſuſceperat Dux Guiſanus, cui aderant Marſcallus Coſſe, Villequier, Carnauallet, Lauignan & magna pars Gallicæ nobilitatis, cum eius gentis cataphractis. Medij ſteterunt pedites, Heluetiorum trigintaocto ſigna, Clero Pfeifferoque primarijs ducibus, penès tormenta maiora. Indè Burgundi Pontificijq́ue ſub illuſtribus ducibus, dominis de Valette, Chauigni, Thore, Mompenſerio & alijs, cum Pontificijs quoquè cataphractis, leuiorisq́ue equitatûs ſignis aliquot. Henricum regis fratrem obſeruârunt cum ſelecta equitum Gallorum Germanorumq́ue manu Duces Aumalius, Martignes, Marchio Badenſis Philibertus, Mariſcallus Byron, Tauannes, Comes

Copiæ regiæ quos duces habuerint.

nes S. Floræ & alij optimi ac præstantissimi harum re- 1569
rum magistri.

His ordinibus vtrinquè atrocissimè pugnatum est, ità vt nemo fuerit, cui non exercendæ virtutis suæ facultas egregia data sit eo die. Germani equites Hugonoti in aduersos primùm cataphractos & sclopetarios Gallos impressionem fecerunt tanta vi, vt hi quidem cedere cogerentur, quos tamen ducum virtus bis in aciem reduxit. Inde laborantibus ab vtroque latere adsunt equites Germani regij, sic vt Germani Germanos adorti, ducibus vtrobiquè Comitibus Mansfeldijs, religione & armis iam contrarijs, omnem iræ ac furoris magnitudinem in cognata viscera effunderent. Incredibile dictu est, quāto ardore ibì sit pugnatum, quantaque sęuitia, cùm sæpè fratrem frater, amicum veterem ex amico vetere nouus iam hostis, conterraneum certè quisque suum obuium habuit. Et post pauca: Dum itaque in seipsos sic sæuiunt Germani, & rebellium equitatus Gallicus lanceis instructus, socios pugnantes desereret, ipsi quoquè Germani equites fugam arripiunt, præcurrente illis gnauitèr Admiralio, donèc tandèm & fugæ & noctis beneficio erepti, insequentibus regijs, tutò respirare possent. Interìm Galli equites leuioris armaturæ, itemque pedites cum auxiliaribus Pontificijs & Burgundionibus, rebellium peditum ordines, & adiunctos illis Admiralij equites Vascones adorti, tantam stragem edunt, quanta vix inter Christianos edita memoratur. Cæduntur ibì ad internecionem vigintisex illa Germanorum peditum signa vnà cum veteranis ducibus Gerolzecchio & Granuuilero, qui sub infelicibus Pontanorum Ducis auspicijs Gallias ingressi fuerant: de quorum clade non superfuisse putatur, qui ad suos nuncium referret. Ceciderunt etiàm cum ijs equites illi Vascones, longiùs iam à fugientibus socijs interclusi. Hactenùs ad verbum ex scripto illo suprà memorato. Summa occisorum rebellium decem millium numerum excedit prætèr incōditam castrensem plebem. Tormenta ex hoste capta omnia. Ex regijs vltra quingentos desiderati non sunt. Cecidit autem Philibertus Badensis Marchio, magno suì apud Catholicos Gallos relicto desiderio. Is fortissimè illo die pugnauit. Porrò quę de rebus Gallicis ex eo, quod sæpiùs commemoraui, scripto attuli, ea omnia scripti huius Author partìm seipsum vidisse, partìm ex fide dignorum virorum scriptis & relatione accepisse testatur.

Atrocitèr inter se cōcurrunt hostiles exercitus.

Hugonotæ fugam capessunt.

Ingēs strages rebellium, & sociorum.

1569 Miſerat autem regi Gallorum ad hoc bellum ſubſidio Pius V. Pontifex Maximus ad mille ducentos equites, & quatuor millia peditum. Rex quoquè Hiſpaniarū Philippus per Albanum Ducem miſit ingentes peditum & equitum copias, qui laboranti Chriſtianiſſimo regi ſuppetias ferrent, ſub duce Comite Mansfeldio.

Auxiliares copiæ regis Frãciæ.

Huius etiàm anni menſe Maio, ipſoque adeò primo eius menſis die Albanus Dux enſe & pileo inſigni à Pio V. Pontifice donatus eſt, ob res præclarè ſanè in Belgio aduersùs hoſtes geſtas, egregieque defenſam religionem. Eximia profectò hac in parte in Dei Eccleſiã, illius principis Albani merita extant, vt qui incredibili felicitate & celeritate perturbatiſſimum religionis ſtatum in Belgio non ſinè præſenti Dei auxilio ſuo loco reſtituerit, hæreticorumque conatus mirificè compreſſerit: qui tum per omne Belgium cœperant nidificare, & niſi maturè reſtitum illis eſſet, de religione actum fuiſſet. Sed eam rerum tranquillitatem poſteà perturbauit, vt quidam aiunt, decimarum vel decimi nummi exactio, ab Albano tum inſtituta. Magnum hoc illi Principi non ſolùm apud Belgas, ſed etiàm apud exteros pleroſque odium peperit, nec paruam opportunitatem attulit Geuſeis proſcriptis & exulibus ſub hoc prętextu multa in Belgio loca occupandi. Vndè poſteà tot conſecuta ſunt mala, tanta annonæ & omnium ferè rerum caritas, tot oppreſſiones & cædes Catholicorum, templorum & monaſteriorum direptiones, religionis euerſiones & mutationes, regiarum ditionum vaſtationes & populationes, aliaque mala innumera, vt ſatis deplorari non poſſit. Quidam graues viri conabantur Albanum principem ab hac ſententia deducere, prędicebantque ei euentura ea, quæ pòſt acciderunt: at ille non ità facilè cedendum exiſtimauit, nihil ſibi à Geuſeis metuens, quos ſciret regiæ maieſtati longè impares: hauddubiò id permittente Deo, vt hominum peccata caſtigarentur. Magna & horrenda ſacrilegia paulò antè in Belgio perpetrata erant, immanes iniuriæ irrogatæ diuiniſſimæ Euchariſtiæ, multaque alia nefanda & deteſtanda flagitia deſignata ab hæreticis. Ea ſatis expiata cùm non eſſent, flagella parabantur, quibus punirentur. De ijs iam ſuis locis nonnulla dicturi ſumus, quemadmodùm ab alijs accepimus, qui pleriſque rebus geſtis interfuêre, eaſque vt poſſint ſciri ab omnibus, etiàm ſcriptis comprehenderunt.

Pius V. mittit Albano enſẽ & pileum inſignem.

Noui motus exiſtũt apud Belgas.

Nemo eſt, qui non per ſe facilè intelligat, incredibili ſum-

1569

li sumptu & maximis impendijs constitisse regi Catholico Philippo bellum, quod aduersùm rebelles, ipso iubente, suscepit & confecit Albanus Dux. Itaque hostibus profligatis, rebus politicis ad tranquillum statum redactis, ecclesijs ex Catholicæ religionis præscriptione instauratis, quæ à Geuseis satanico furore in templis, monasterijs, collegijs, flammis exusta aut euastata erant, denuò reparatis, cùm iam spes affulgeret, fore vt deineeps Belgicæ optimi & Catholici regis Philippi ditiones pace & tranquillitate fruerentur, Albanusque ea causa magna ex parte exercitum à se dimisisset: visum tum fuit illi, & quibusdam alijs, quandoquidem diuturno bello exhausta essent regionis æraria, & interim tamen ob futuros compescendos motus (Non enim poterant deesse in tanta proscriptorum & profugorum turba, qui in omnem occasionem, sese in libertatem vendicandi, aut noui quippiam moliendi, intenti essent) saltem ad tempus miles præsidiarius alendus esset, rationes conflandæ pecuniæ ineundas esse. Itaque Albanus status Belgij Bruxellas accersit, petit ab eis decimum, & vicesimũ, & centesimum nummum. Decimum quidem omnium rerum mobilium, quæ distraherentur: vicesimum verò omnium immobilium diuenditorum: porrò centesimum iustæ æstimationis omnium tam mobilium, quàm immobilium, quem prouinciales omnes semèl regiæ maiestati persoluerent. Hac pecunia dicit se velle stipendia soluere militi, qui esset locis opportunis præsidij loco imponendus: tum etiàm loca oppignorata redimere: reliquum referre in regis ærarium, vt si qui bellorum existant motus, faciliùs coërceri possint. Respondent prouinciales, se certam pecuniæ summam numeraturos, & in centesimum quidem nummum consentiunt: quàm sit autem durum & molestum, etiàm decimum & vicesimum reddere, exponunt. Actum deindè est in omnibus Belgij prouincijs, vt centesimus nummus dependeretur: Frisij & Geldrenses, facta eis potestate, eum redemerunt. Feruntur autem penè omnes status consensisse etiàm in decimum & vicesimum, sed certis conditionibus. Non deerant autem, qui odiosè tum multis locis insectarentur Albanum, dicerentque eum regis Philippi iniussu, immò illo etiàm insciente isthæc attentare. At verò ea difficultate vsi si essent plerique in suppeditanda Geuseis pecunia, nunquàm illi eos progressus habuissent.

Decimi nummi exactionem cur instituerit Albanus.

Prouinciales offerunt certam pecuniæ summam.

1570 *Selymus Turca mouet bellum Venetis.*

ANNO 1570. Selymus Turcarum Imperator bellum mouit Venetis propter insulam Cyprum. Vnus ille ex quatuor Solimanni filijs relictus erat, cùm alios duos, Mustapham & Baiazetem, pater ob rebellionis suspicionem interfici iussisset, sæuus tyrãnus in proprium sanguinem, qualis fuit etiàm Selymus pater eius in fratres suos: & tertius Zeangir, gibbo deformis, sibiipsi manus attulisset, non sustinens immitis parentis tyrannidem. Selymus igitur in tam immensas opes, tamque vastum imperium succedens patri Solimanno, (qui annis illis 47. quibus apud Turcas rerum potitus est, singulari ingenio & magna bellicæ rei laude & gloria multa gessit, Deoque ob hominum peccata permittente, Christianos vehementer afflixit, & præter alia Rhodũ atque maximam Hungariæ partem nobis extorsit) bellum barbara quadam insolentia, nihil penitùs læsus, Venetæ Reipub. fecit. Anno superiori, qui erat eius imperij tertius, constituerat secum, quemadmodùm ante eum aliquot Ottomanni principes fecissent, Xenodochium, quod ipsi Almaratum vocant, construere, adiuncto illi fano quodam & ludo literario, aut si mauis, synagoga Mahometica, vbi Turcarum liberi præclaram illam delirantis Mahometis legem edocerẽtur. In eiusmodi Xenodochijs licet cuiuscunque tum nationis, tum religionis hominibus peregrinis cum equis & seruis triduò gratuita quadam hospitalitate sine vllis impensis proprijs perfrui. Multa quoquè ibì præstantur pauperibus eius vrbis beneficia, ita vt amplissimi redditus ad ea ferenda onera necessarij sint. Possent sanè videri eximia quadam humanitate duci principes illi, qui eiusmodi loca instituunt, sed inanis duntaxàt ostentationis cuiusdam causa & gloriæ studio eos permoueri, vel indè satis liquet, quòd nefas apud illos est, alios prouentus eiusmodi locis assignare, quàm quos bello obtinuerint: scilicèt, vt ex rapina faciant sacrificium, cùm Deus apud Prophetam testetur, se odio habere rapinam in holocaustum. Habet Constantinopolis tria eiusmodi Xenodochia, primum Mahometis eius, qui expugnauit illam vrbem: alterum Baiazetis filij eius, tertium Solimanni, qui ante paucos annos obijt: cuius quidem templum ex lapide precioso miro artificio extructum est, attributis ei Xenodochio siue Collegio redditibus oppidi & regionis Zigethanæ, de cuius expugnatione suprà dixi.

Nota de Xenodochijs ab Turcarũ principibus institutis.

Esa. 61.

Anno scilicet 1566.

diximus. Sed hi tamen redditus non sufficiunt. Itaque 1570
Selymus Adrianopoli suum volens condereXenodochium, quibusdam admonentibus, Cyprum illi destinauit, vnde posset tantas habere opes, quæ non solùm ipsius Collegio dotando abundè sufficerent, sed etiàm facilè supplere possent, quod Solimanni patris collegio deesse videretur.

Poterat autem Selymo ad mouendum bellum facilè addere animos, quòd anno superiori armamentarium Venetorum arsisset, multis cadis pulueris sulphurei intempesta nocte incensis, vndè magna ei vrbi illata fuère damna, noui muri partim euersi cum cœnobio Cælestinorum, in quo moniales degebant, è quibus vna extincta est, reliquæ ferè mutilatæ, loca vicina propemodùm omnia deturbata, Muranum oppidum, vbi parantur vitra, non mediocritèr afflictum. Tantus verò eius incendij fragor fuisse fertur, vt etiàm in Istria auditus sit.

Armamẽtarium apud Venetos ardet.

Cæterùm vt de statu Reip. Venetorum certior fieri posset, fingit se legationem in Galliam mittere, quę cùm Venetias esset appulsa, honorificentissimè est excepta. sumptus præbebatur ei è publico per aliquot dies, & munera adiungebantur, omnibusque ad eam congressus & colloquium admittebatur. Intereà Legati calamitatem Venetorum, tam ab incendio superioris anni, quàm ab annonæ caritate, sterilique tempestate acceptam explorant. quod Marcus Antonius Barbarus, Venetorum orator, posteà per literas, occultioresque notas Byzantio Senatui significauit.

Stratagema Imperatoris Turcici.

Etsi verò etiàm Constantinopoli eodem ferè tempore quidam asserant innumeras conflagrâsse domos ac ædificia, magnam quoquè pulueris tormentarij vim apud Tanam, vbi ingenti studio à Turcis asseruabatur, à Moscouitis inflammatam: non tamen id retardare potuit potentissimum tyrannum, cui semper immensæ opes suppetunt: quippe qui etiàm Arabes & alios quosdam, initio eius imperij ab ipso deficientes, iam edomuerat, & cum Persarum rege pacem confirmarât. Subscripserat quidem etiàm articulis fœderis cum Venetis icti, sanctèque se eos seruaturum promiserat: sed eius tum fortè immemor, magno illustris regni Cyprij desiderio illectus, ex primario Bassa, qui eius sororem habet in matrimonio, viro prudenti sciscitatur, quid agendum putet ea in re, quam ipse iampridèm animo concepisset. Est enim multa Bassarum apud Turcas Ottomannos autho-

Incendiũ Constantinopoli.

1570 authoritas, & vetusto more eos debent Imperatores adhibere in consilium. Itaque Mahometus Vesir, primus inter Bassas, grauitèr dehortari cœpit Selymum, nè bellum inferret Venetis, inter cætera etiàm affirmans, Solimannum seueritèr illi, cùm abiret è vita, mandâsse, vt cum Venetis amicitia coleretur: & ipsum quoquè Selymum paulò antè pollicitum, se illis amicum fore. Addidit etiàm alias rationes, quas nos breuitatis studio omittimus.

Mahometus Vesir dehortatur Selymum à bello Venetis inferendo.

Quanuìs autem huius Bassæ mirabili industria & arte ad imperium commodissimè & opportunissimè euectus esset Selymus, at tamen meritorum eius immemor, non solùm eius consilium respuit, sed etiàm per contumeliam Christianum appellauit. id enim apud barbaros illos probro datur. Adhibuit verò in consilium Mustapham & Pialim magnæ dignitatis Bassas, qui egregiè eum ad bellum suscipiendum incitârunt, oleum camino addentes. Igitur in sententia sua confirmatus Selymus, iubet parari res ad bellum opportunas. Mox instruitur Constantinopoli & alibì ingens armorum apparatus, diuersis in locis maris Aegæi panis biscocti varijque commeatûs magna copia comparatur, pedites equitesque asciscuntur. Nondùm certò cognôrant Veneti, quid his sibi vellet Selymus, sed quòd iam fama sparsisset, eum in Cyprum adiecisse oculos, licereque ipsis saluo fœdere arma parare, maturè suis rebus prospiciendum putârunt. Huc accedebat, quòd interim nuncius Venetias allatus esset, duas ipsorum naues Selymum detinuisse: itemque suis itinera includi. Erant illa haud obscura impendentis belli præludia, facileque ex ijs conijcere poterant, quid ipsis à Selymo expectandum foret. Data igitur ab illis opera est, vt in Creta insula & alibì classis instrueretur, & vt de his certior redderetur Pius V. Pontifex maximus, atque etiàm Catholicus Hispaniarum rex Philippus, & plerique alij Christiani Principes.

Eum Selymus respuit.

Veneti quoquè ad bellum se cōparant.

Porrò Selymus legatum misit Venetias, qui Cyprum peteret, sed precibus armatis: in Rhodum quoquè ablegauit Amuratem Raisum cum trieribus vigintiquinque, qui Venetos à ferendis Cypro suppetijs prohiberet. Legatus Turcicus in senatum admissus, quid Selymus vellet, proposuit: & quid Veneta respublica nollet, audiuit, moxque dimissus est. Non enim putabant è re sua fore Veneti, tam opulentam insulam tyranno

Selymus petit Cyprum à Venetis. Nihilimpetrat.

1570

ranno permittere, cum in modum paulò pòst etiàm plura fortaſsìs petituro. Intereà Conſtantinopoli ſoluit Piali Baſſa decimoſeptimo Aprilis die cum triremibus octoginta, & biremibus triginta. Vbì autem menſe Maio ex legato didicit Selymus, fruſtrà ſe petijſſe Cyprum à Venetis, non parùm id admiratus, (quippè qui Venetos nihil tale auſuros ſperârat) iuſſit detineri eorum legatum cum tota familia.

Detinet Venetorū legatum.

Indè decimoſexto Maij, Turcica claſſe planè instructa, Hali Baſſa ſoluit Conſtantinopoli cum trigintaſex triremibus, duodecim biremibus, ſex onerarijs nauibus, vno galeone, mahonicis octo, paſſacauallis, quibus equi veherentur, quadraginta, multisque alijs egregiè instructis nauigijs. Piali in itinere, non ſinè magno ſuo detrimento Tinam Venetorum inſulam in Aegæo mari populatus eſt. Per id tempus deceſſit è vita Petrus Loredanus Venetiarum Dux, eique ſubrogatus eſt quinto Idus Maij Aloyſius Mocenicus. Breui tum temporis ſpatio à diuerſis oblata ſunt Venetis aureorum millia quadragintaſex & octingenti: ſoluta ſtipendia in militum quindecim millia & ſeptuagintaocto. Multi verò polliciti ſunt operam ſuam in conſcribendo & adducendo illis milite, quæ ſumma hominum millia quinquagintaocto exceſſura erat.

Pecunia Venetis oblata à diuerſis.

Quia verò ſuperioribus annis Sinarum Indiæ Orientalis populorum Rex Chriſtianam amplexus eſſet fidem, ſubditæ ciuitates hoc anno bellum aduerſùs eum mouerunt.

Sinarum in Regem ſuum rebellio.

Vna tamen in fide Regia permanſit. Ad hanc ſeſe cum patre & fratribus conferens Rex, Luſitanorum auxilium implorabat. Creſcente verò populi furore, hac quoquè vrbe deſerta, ad munitionem Luſitanicam, Ternaten vulgò dictam, confugit. Subditi tandèm belli, aduerſùs iuſtum & clementem Regem ſuſcepti, pertæſi, arma in authores rebellionis conuertunt, Regemque in regnum reuocatum propugnant. quo reuertēte, plùs quàm centum hominum millia ſancto Chriſti Euangelio promptè obediêrunt, qui paulò pòſt Chriſto nomina dantes, ſacro regenerationis lauacro ſunt abluti.

Sinarum Rex in regnum ſuum reſtituitur.

Rex tamen incredibiles difficultates in regno penitùs recuperando ſuſtinuit. Miſſus ad ei ſubſidium adferendum erat Conſaluus Perera, ſummus Luſitanicæ claſſis Imperator. Sed cùm ille oborta tempeſtate in inſulas Moluccas reijceretur, Mardouelas Luſitanorum Dux cum auxiliaribus copijs Regi opem tulit, breuique regnum ab omni rebellione pacatum reddidit.

Albanus

1570

Albanus Dux Belgij politiam reformat.

Albanus Dux postquàm in perduelles animaduertisſet, animum ad ſtatum Belgij politicum reformandum adiecit: atque initiò ſumpto dè monetæ adulteratoribus ſupplicio, edicto publico cauit, nè qui nummi valeāt argentei, nisì qui imaginem aut inſcriptionē Regis Hiſp. haberent. Edictū quoquè aliud tulit, de Ludimagiſtris, de Typographis, de Bibliopolis, nè quos libros doceant, imprimāt, aut diuendant, qui non anteà ſint ab Eccleſia Catholica approbati. Sed & ſeriò precepit, nè lites in iudicijs vltra annū protraherentur, ſed ad maximū ſingulis annis deciderētur. Deniquè cùm decreta nonnulla in criminalibus poſteà cauſis obſeruāda feciſſet, Antuerpię in publico foro theatrū magnificū extrui præcepit, ex eoq; Regis Hiſpaniarum nomine, omnium antecedentium, tam in Religionē, quàm in ſuam Maieſt. admiſſorū criminum, cōdonationem, quā barbari Pardonā appellabāt, recitari.

Belgæ Tridentinum Conciliū amplectūtur.

Tridentini Concilij executio, ab anno 1565. huc vſque intermiſſa, hoc anno in Belgio promouebatur. indicta eſt eum in finem, nouorum Epiſcoporum, in vrbe Mechlinienſi, Synodus: quæ Iunio menſe incepta, Iulio tandèm abſoluebatur. In Angliæ comitatu Surria, noui ex Caluini ſchola diſcipuli prodiêrunt, qui Vncti dicebantur: neminem peccare docentes, nisì qui veritatem ab ipſis prædicatam non recepiſſet.

Exempla nonnulla immaniſſimæ tyrannidis Magni Ducis Moſcouiæ.

Iohannes Baſilius, Magnus Moſcouiæ Dux, quouis Heliogabalo aut Phalaride crudelior, hoc anno fratrem ſuū germanū, à quodā ſuo conſiliario Trzeciak VViskonati iniuſtè accuſatū, inaudita cauſa, tormentis exquiſitiſſimis ſubiecit, eiq; inter excarnificādum omnem theſaurum extorſit. Indè ſemiuiuo, iuſſu illius, ſecuri caput carnifex amputauit. Fratriam in faciem ante pedes eius procumbentem, & miſericordiam implorantem, arripi iubet, exutiſque veſtimentis omnibus turpiſſimè nudam populo exhiberi. Iuſſus deindè miles equum conſcendere, eamque funi alligatam velociſſimo curſu in flumen rapere, aquiſque miſerrimè ſuffocare.

Alia.

Simili truculentia ipſo die Eliæ prophetæ, qui dies feſtus apud Ruthenos eſt celeberrimus, in arcem Moſcouiæ ingreſſus, nobilem quendam Serebrinum, & alium Mieſſoiedum (cuius vxorem & ancillam paulò antè conſtupratas in ſuperiori limine ſuarum ædium ſuſpēdi atq; ſtrangulari iuſſerat) nulla dicta cauſa ſecuri feriri præcepit. Quo peracto, ex arce ad carceres furibūdus procedit. Cumq; ciues nōnulli inuſitato illius ſatellitio nonnihil

territi,

territi, de via deflecterēt, eos vt insequerētur suis mādat, 1570
correptosque frustatim dissecarēt. Primū carcerē ingressus, tres captiuos Polonos & Lituanos produci imperat, ex quibus Petrū BiekoWski, Albertū Bugaski, & Besum, tres antiquæ nobilitatis viros, propria manu interemit. Indè satellitiū in reliquos quinquaginta captiuos immisit, & vt mēbratim eos dissecarēt, pręcepit. Idē in secūdo & tertio carcere fecit: in singulis enim cùm ipse tres interfecisset, reliquos CX. à suis militibus discerpi curauit.

Vigesimo deindè mēsis Iulij die, in vrbe Moscouia, Alia.
octodecim grandes palos erigi iubet, eisq; transuersos in modum furcarū superimponi. Satellites varia tormentorum genera ad eum locum ferebant, excitatoque luculento igne, vas ingens aheneum apponebant, vt ebulliret & ferueret per multas horas. Processit tādèm Dux Magnus, & iuxta ahenùm militibus circunquaquè dispositis consedit. Adducti sunt eius iussu trecenti nobiles Moscouitæ, quorum nonnullis venia data, in multos sæuire incepit. Cancellariū Iohannem Michaëlem WicWiskoWati, cùm multis criminibus accusaretur à Secretario, quorū nullius ille cōscium se palam profitebatur, tādèm ad furcas illas prono capite ex pedibus suspendit. Cumq; præfectus satellitū rogaret, quo eum genere supplicij mactari vellet: respōdit Dux: Vos omnes aulici mei ordine ipsum excarnificare debetis & dilaniare. Prẹfectus igitur ex equo descendens, arrepto cultro auriculam dextrā illi abscidit: accessit alius qui sinistram, & tertius qui labra amputauit, atq; ità ordine omnibus illum membris mutilârunt. Secretarius deindè quidam ad extremum, nè quid crudelitatis deesset, pudenda præscindit, statimque exhalauit animā miser Cācellarius. Videns Magnus Dux ob membrum illud detruncatū Cancellarium obijsse, indignissimè tulit, incādescensq; in Secretariū inclamat: O scelerate, expectes paululùm, istud totū est tibi exedendū, quod ille exedere debuisset. Putabat enim Secretariū ex cōmiseratione istud fecisse, vt citiùs è viuis Cācellarius discederet. Cadauer è furca depositū, in minutissimas partes cōsciderūt. Adductū deindè Thesaurariū simili tyrānide dilaniauit. Tres deindè Secretarios Dux educi iussit, eosque ordine cū vxorib⁹ & liberis corā se mactari. Deniq; ducētos nobiles captiuos capite mulctauit, quos totidem electi eius aulici interfecerunt. Vt autem hanc lanienam ipse egregia catastrophe finiret, venerabilem senem corā se sisti mandat, quem hasta transfixit: vtque suā crudelitatem

imple-

1570 impleret, sedecim vulneribus mortuum sauciauit. Tot funera dedit, tantamque immanitatem quatuor horarum spatio perpetrauit. Relictis cadaueribus auibus & feris, in arcem Dux reuersus est, & in Thesaurarij vxorem quàm indignis modis sæuierit, scribere nefas est. Post triduum iterum quàm plurimos nobiles à satellitibus laniari, eorumque vxores ad flumen abduci, ibique aquis submergi mandauit.

Decimus & vigesimus denarius. Brabantini vt ab indictione decimi & vigesimi denarij, quam vrgebat Albanus, exonerarentur, in certam pecuniæ summam consenserunt. Vltraiectenses Decanum S.Petri Voeselium in Hispanias ad Regem miserunt, qui post multas molestias, tandem ab isto censu immunitatem Diœcesi impetrauit.

Arcem occupant Veneti. Quartò Calendas Iunij Veneti arcem quandam in Mainæ promontorio, Turcis sese desperatione dedentibus, occuparunt, cuniculisque immisso puluere tormentario planè euerterunt, ingentique præda onusti, cum captiuis versus Corcyram contenderunt. *Turcica classis petit Cyprum.* Porrò Piali Bassa cum triremibus centum sexaginta, biremibus & trieribus paruis sexaginta, alijsque diuersis nauibus Cyprum petebat. Habebant tum Veneti classem sanè instructissimam, in diesque nauium augebant numerum. Turcæ verò Calendis Iulij ad Limisum Cypri oppidum appulêre, nulloque resistente, in terram egressi, multos captiuos abduxerunt. Sequenti die veniunt ad Salinas cum classe, & illic quoquè nemine prohibente, magno ipsorum commodo copias omnes & tormenta in terram exponunt, eoque rerum successu lætantur barbari illi. Equitatus erat in insula longè minor, quàm vt auderent hostem descensione prohibere, præsertim quòd à Salinis Nicosia abesset ad passuum triginta millia. Equites, qui ad Salinas erant, ijs relictis, Nicosiam profecti sunt. Rex Hispaniarum Philippus etiam ante initum fœdus, iussit Iohannem Andream Auriam cum quinquaginta triremibus Venetis auxilio esse. *Nicosia à Turcis obsidetur.* Turcæ vicesimosecundo Iulij castra mouent, & Nicosiam contendunt. Feruntur tum in eorum exercitu fuisse quatuor millia equitum, sex millia Ianizarorum, & quatuor peditum millia, præter alios permultos, qui suis stipendijs militabant. Coabatur Mustapha Bassa eos, qui in vrbe erant, prouocare ad prælium; sed cùm id illi detrectarent, ad vrbem obsidendam & capiendam sese comparauit. Extructis itaque inter alia aggeribus, ex ijs quatuor diebus continuis

nuis ità verberabat sexaginta machinis bellicis oppidum, vt interdiù non nisi quatuor horis meridianis cessaret, idque ob nimios solis ardores, vt interim & suos milites reficeret, & machinas refrigeraret. 1570

Dum hæc geruntur, quidam è Cypro cum triremi in Cretam venit, certum nuncium adferens earum rerum, quæ à Turcis fierent in Cypro. Porrò classis Pontificis Maximi & regis Catholici Messana soluens, ad Cretam properabat. Pontificis copijs præerat Marcus Antonius Columna, regijs Iohannes Andreas Auria: quorum vterque cùm intelligeret quantoperè illi, a quibus mittebantur, cuperent Venetis opem ferre, non deerant officio suo. Turcæ autem suos conatus parùm proficere conspicati, ad interius vsque oppidi vallum, quantumuis acritèr renitentibus illis, qui intùs erant, penetrant, illicque multa effossa humo, ingentem foueam efficiunt, in quam multi intromissi sclopetarij, sinè vllo periculo noctes atque dies infestabant eos, qui ad murum vrbis tuendæ causa accederent. Deindè intra mœnium quoquè fossas fodiendo peruenêre, aggeribus ex terra fasciculisque, quos equites procùl adferebant, congestis aduersùs ictus eorum, qui in vrbe erant, quos sensissent vtiquè infestos, nisi aggerum præsidijs se tutati essent. Tum verò obsessi tanto periculo commoti, ex oppido dimittunt ad mille pedites, duce Piouaneo Vicentino. Perueniunt illi vsque in hostium conspectum, tantumque illis terrorem afferunt, duabus illorum munitionibus occupatis, vt bona illorum pars in pedes se coniecerit. Sed tandèm ab equitibus confirmati, nostros in vrbem compellunt, opima barbarorum præda onustos. Capti tum sunt à Turcis plùs minùs centum Itali & Græci, & cum ijs Piouaneus. Post eum diem, quòd res magno constaret periculo, ex oppido sibi erumpendum minimè putârunt obsessi. Turcis autem in vrbis munitiones scalis appositis crebrò euadere nitentibus, tametsì ab obsessis fortitèr reijcerentur, coacti sunt oppidani à Famagusta literis obscuriùs exaratis subsidiarium militem petere. Sed eæ literæ à Turcis interceptæ, nihil impetrârunt: immò vt pronensioribus animis oppidani sese dederent, ostendebant illis Turcæ captiuos nuncios, quibus eas literas commiserant Famagustam perferendas. At nec sic tamen animos illi despondent.

Nicosiani facta eruptione, Turcas mirè perturbant.

Dum autem in his angustijs sunt Nicosiani, classis Pontificia & regis Hispaniarum in Cretam peruenit

1570 octaua Septembris die, honorificè paulò antè accepta à Zaneo Venetæ classis imperatore. Iam verò inter se totius classis duces cum alijs egregijs viris conuenerant de conserenda cum Turcis manu: quos si superâssent, Cyprum liberatum iri non dubitabant. Pugnabant interim Turcæ fortitèr ad Nicosiam, sed cùm strenua Christianorum opera, vrbem egregiè propugnantium, multos è suis amitterent, compulsi sunt ab Hali & Piali Bassis subsidia petere. A quibus missa sunt ad eos peditum Turcarum viginti millia. Ij octauo Septembris venêre Nicosiam: quibus copijs freti Turcæ, sequenti nocte magna vi in vrbis expugnationem incumbunt: sed repelluntur ab oppidanis non sinè magna vtrorumque cæde. Tandèm occupant Turcæ vrbis munitionem vnam, & quanuis indè quoquè fortissimè depulsi essent, tamen multitudine superiores, multos cædunt strenuissimos milites, ipsumque Palassum ducem cum alijs nobilibus: atque in oppidum ingressi, magnas edunt hominum strages, ipso quoquè Episcopo Nicosiensi interfecto. Tandèm Mustapha Turca in vrbem se confert, iubet suos cessare à cæde, promittit Christianis vitam, si se dedant. Et multi quidem faciunt quod Mustapha hortatur: sed plerique tamen mâlunt vitam profundere, gnauitèr aduersùs illos immanissimos Christi hostes pugnando, quàm Turcicam pati seruitutem:ità vt vix relicti sint ex nobilibus vigintiquinque aut triginta cum paucis è plebe, qui omnes capti sunt. Ità cessit Nicosia Turcarum tyranno, prædæque data, direpta est à milite. Miserandum sanè spectaculum, tantum fundi Christianorum hominum sanguinem, eorumque ditiones ità sensìm venire in potestatem barbarorum cum summa ignominia & detrimento nominis Christiani. Intra vrbem reliquit Mustapha quinque Turcarum millia, è quibus mille fuêre equites, qui ei præsidio essent. Hali autem viginti millia ad classem reduxit. Indè Mustapha cum reliquis contendit Famagustam, vrbem benè munitam. Multa tentat, vt frangat eorum animos, qui in arce erant, cogatque ad deditionem: sed cùm milites spe sua firmiores constantioresque cerneret, quippe qui non tyrones, sed in bellicis rebus benè exercitati essent, castra ponit tribus passuum millibus ab arce.

Turcæ magnis aucti copijs, magna vi oppugnant vrbem.

Capiunt eam.

Captam diripiunt.

Antè autem, quàm vrbem illam oppugnandam susciperent, Turcici Bassæ misêre sex paruas triremes explo-

ploratum, quid Christianorum classis moliretur. Vbi ad eos rediit explorator cum triremibus suis, & aliquot captiuis Christianis, è Creta abductis, è quibus de classe nostra cognouerat, communicato inter se consilio, Bassæ instruunt classem suam, passisque velis versus Limisum nauigant. Christiani verò cùm venti opportunitate freti Rhodum contenderent, in ipso itinere certiores fiunt de capta Nicosia. Magno itaque dolore affecti summi totius classis duces, post longam deliberationem ob rationes minimè contemnendas sibi reuertendum censuerunt potiùs, quàm cum hoste, tanta victoria elato, temerè congrediendum. Ità tum reditum est, missa tamen à Zaneo, Venetæ classis imperatore, nauicula celeri, quę nuncium afferret Famagustanis de ferendis illis suppetijs. In reditu classis Pontificis & Venetorum ex tempestate non paruum damnum pertulit, quibusdam fractis triremibus, & tormentis aliquot armisque alijs naufragio amissis. 1570

Christianorum classis retrocedit.

Porrò autem cùm Turcæ animaduerterent Christianorum classem nusquàm in ipsorum venire conspectum, maiores etiàm spiritus sumpsêre: quodque suam classem in Cypro non magno sibi vsui fore existimarent, eam dimittere voluerunt Constantinopolim, vt aut illic, aut in mari Aegeo hyemaret. Vt verò Imperatori suo Selymo munus aliquod offerrent, quo maiorem eius conciliarent beneuolentiam, galeonem, vt vocant, Mahometis summi Bassæ, & duas alias naues flore iuuentutis apud Nicosiam captæ impleuerunt, multa non parui precij addita præda. Sed eccè dum parant abitum, atque ex galeone puluerem sulphureum volunt Mustaphæ petenti exportare, nobilis quædam fœmina captiua, mortem sibi oppetendam potiùs, quàm spurcis illis libidinum mancipijs seruiendũ, existimans, puluerem illum incendit. Sunt tamen, qui eius rei culpam in galeonis gubernatorem conferant. Sed id captiuis omnibus repentinã mortem attulit, tribusque illis nauibus omnique prædæ excidiũ: solo gubernatore cum tribus captiuis euadente. In ipso itinere Petrus Iustinianus, Melitensium equitũ ductor, cum quinque triremibus fortè occurrit octodecim Turcicis triremibus: à quibus facilè superatus, duas triremes amisit, cum reliquis ipse euasit. Nouembris initio cæsus est etiàm à Turcis supra Parium Vincentius Maria de Priulis, quem Veneti exploratorem miserant cum Angelo Soriano. Sed ea

Ex incenso puluere sulphureo multi captiui Christiani pereunt.

1570 cædes, illo acritèr pugnante, multo sanguine hostibus constitit. Oportet sanè magno illum fuisse animo, quòd cùm non nisi vnam haberet triremem, cum quinque Turcicis congredi non dubitauit, binasque illis eripuit, plùs etiam ausurus, si à milite copiosiori instructior fuisset: sed tandem cum omnibus suis interfectus est.

Porrò Turcica classis venit Constantinopolim, vbi magni fiebant apparatus in sequentem annum. Iam enim non Cyprum duntaxat, sed multa etiam alia loca Turcæ spe deuorârant. Et possent illi non adeò difficultèr in quasdam angustias redigi, aut certè multis modis retardari, si Christianorum essent & vires & animi coniuncti. Dum autem apud Christianos alij aliud volunt, & apud plerosque dissensiones vigent, barbari in dies crescunt viribus, & paulatim Christianorum ditiones sibi subigunt. Dolenda sunt hæc, sed tamen sic pergunt homines, & vltrò ipsi se produnt hostibus suis. Sic olim Romanorum vires nulla re alia magis, quàm intestinis bellis & dissidijs fractæ & eneruatæ sunt. Est autem hoc quoquè genus quoddam grauissimæ iræ Dei, cùm sinit in magnis rebuspublicis existere simultates, quæ non possunt non certam illis perniciem afferre. Ijs enim debilitantur earum vires, & hostibus magna eas debellandi accedit opportunitas. Innumera sunt in historijs exempla, sed non valdè mouent, donèc vexatio det intellectum auditui. Deberemus autem certè alienis periculis vel serò cautiores effici, antequàm immanes illi barbari totum orbem Christianum deuorent, quod eos & cupere & summoperè conari dubium non est.

Turcarũ vires quid augeat.

Cùm hoc, nî fallor, anno Pius V. Romanus Pontifex contra Angliæ reginam sententiam tulisset, eamque hæreseos condemnâsset, & omni regnandi potestate excidisse declarâsset, multaque id genus alia publicè denunciâsset, eaque typis excudenda curâsset, exemplar in Angliam perlatum est ad Iohannem Feltonum virum nobilem & Catholicum. Is ergò pro Catholicæ fidei zelo nolens homines suæ gentis eam Pontificis latere sententiam, hoc anno 1570. in ipso Corporis Christi festo Londini ad fores Episcopi apud summam ædem eam publicè affixit. Manserunt autem eæ literæ, quibus sententia hæc continebatur, loco illo publico, clara luce affixæ ad octauam ferè horam sequentis diei, & visæ à plurimis, à multis lectæ, à non-

Vide de his Nicolaum Sanderum, De visibili Monarchia Ecclesiæ lib. 7.

à nonnullis etiàm descriptæ feruntur. Alius quidam Feltono eas affigenti adstitit, sed is veritus periculum, fuga sibi consulendum putauit, simul adhortans Feltonum, vt ipse quoque se subduceret. At ille fugere nolens, testabatur se per Dei gratiam non recusaturum, quicquid ea causa ferendum esset. Interim diligentissimè inquirebatur, quis eas literas tali loco propalàm affigere ausus esset: tandemque Feltonus compræhenditur, primumque interrogatus, quid ei de ijs literis videretur, respondet post aliquam deliberationem, si quidem verè Pij Pontificis Maximi literæ sint, meritò eas sibi venerandas videri. Se enim agnoscere illum esse Iesu Christi Vicarium in terris. Ità ille prolocutus, ducitur in carcerem: deindè in iudicium, quod ipsi duodecimuirale vocant, produci-tur, vtrum literas illas affixerit, interrogatur, respondet hunc in modum: Ego libero vos omni vlteriori solicitudine & labore, meque fateor id fecisse. Mox illi acclamant, Feltonum insignem esse proditorem, simulque omnes eum condemnant.

1570

Iohannes Feltonus traditur in custodiam.

Dãnatur à duodecimuiris.

Itaque octauo mensis Augusti die ad supplicium trahendus, in ipso carceris vestibulo vestem holosericam exuens, ad populum adstantem dicit se ob fidem Catholicam mori, quòd summi Pontificis primatum confiteretur, negaretque reginã summum Ecclesiæ caput. Moxque in cratem iniectus, oculis in cælum directis, psalmos pœnitentiales dicit attentissimè. Vbì ad locum supplicij ventum est, è crate leuatur, scalamque conscendens, videt ianuam, ad quam Pontificis sentẽtiam affixerat, manuque ad illam extenta, Verè, inquit, ibì literæ Pontificis Maximi contra prætensam reginam propositæ fuerunt, & nunc pro fide Catholica mori paratus sum. Monitus à quibusdam, vt à regina veniam peteret, respondet: Non læsi eam: sed si quem læsi, ab illo & à toto mundo veniam peto. Deindè sublatis in cælum oculis, animam suam commendat Deo, funis in collum eius inijcitur, hęretque aliquandiù suspensus: indè præciso fune viuus in terram demittitur, amputantur virilia, & in ignem conijciuntur, venter scinditur, viscera extrahuntur, cor euellitur, caput præciditur, corpus quadripartitò dissecatur. Eo spectaculo & tanta nobilis viri constantia hominum animi admodùm permoti feruntur. Hęc nos partìm ad verbum, partìm aliquantò succinctiùs ex Nicolao Sandero, cuius suprà mentio habita est, descripsimus. Neque verò puto quenquàm repræhensurum, si nos bona fide annotemus,

Extremo supplicio afficitur.

1570 quid alicubì paſſi ſint nonnulli pro Catholicæ fidei
aſſertione, quandò Foxus Anglus & quidam alij Eu-
angelici grandia texunt martyrologia ſuorum mar-
tyrum. Et Foxus quidem & Latino & Anglico ſer-
mone ſcripſit martyrologium, è quibus Anglicum ad
Dialogo tantam creuit magnitudinem, inquit Alanus Copus,
6. cap. 16. vt mole laboret ſua: atque in eius Calendario, vt te-
ſtatur idem Alanus, non ſolùm Zuingliani, Lutera-
ni, Anabaptiſtæ, alijque hæretici, ſed & in quos pro-
Foxi martyres. pter furtum atque ſacrilegium, propter magiam & da-
mnatas artes, propter læſam denique maieſtatem ca-
pitali pœna animaduerſum eſt, ſanctiſſimorum Chri-
ſti martyrum locum occupant : porrò veteres Catho-
licæ eccleſiæ martyres, vt eorum nomina perpetua ob-
liuione ſepeliantur, è Calendario impiè ſubducti, &
noui quinti Euangelij pſeudomartyres nimis quàm
arroganter ſuppoſiti ſunt. Hæc quidem Alanus. Quàm
verò turpe & fœdum eſt, in idem Calendarium &
Luteranos & Zuinglianos paritèr referri à Foxo, cùm
Contra tamen conſtet, Luterum Zuinglianos & Sacramenta-
Artic. Louaniens. rios omnes palàm hæreticos pronunciâſſe : qua ſen-
tentia etiàm Caluinus & Caluiniani omnes compræ-
henduntur : nec poterunt eam Caluiniani paruipende-
Lib. 1. de re, cùm Caluinus diſertis verbis ità ſcribat de Lutero:
lib. arbit. Non diſſimulanter teſtamur, Luterum nos habere pro
contra Pi- inſigni Chriſti Apoſtolo, cuius maximè opera & mini-
ghium. ſterio reſtituta hoc tempore fuerit Euangelij veritas.
Quibus verbis & ſeipſum & omnes ſuos miſer Calui-
nus planè condemnat, eum virum inſignem Apoſtolum
appellans, cuius ſententia ipſe cum omnibus Sacramen-
tarijs in hæreticis numeratur. Sed hæc obitèr tantùm
commemorare volui, vt nè quis putet in me repræhen-
dendum, ſi quid interdùm de noſtris martyribus affe-
ram, cùm Foxus Anglus tam prolixè recenſeat ſuos, Pan-
taleone attexente ab illo prætermiſſos : putà Zuingli-
um, & qui cum illo in bello ceciderunt, atque etiàm
ſeditioſos illos, qui in Gallijs cæſi ſunt, quòd in regem
& patriam ſuam conſpirâſſent. Sunt enim Euangelici
præcones promptuli ad carpendos Catholicos, & cùm
ſibi omnia licere velint, Catholicis cupiunt omnia in-
terdicta.

Anna Au- Menſe Auguſto, Anna Auſtriaca, Maximiliani II.
ſtriaca nu- Imp. filia, poſt ſponſalia cum Philippo II. Hiſp. Rege
bit Philip- contracta, Ratiſpona inſigni cum comitatu, duobuſque
fratri-

fratribus puerulis, Alberto & Vvenceslao discedit: per- 1570
que Germaniam Neomagium, atque indè Antuerpiam po Hisp.
incolumis peruenit: vbì ventum expectans secundum, Regi.
ad finem Septembris Vlissingam proficiscitur, ibique Elisabetha
classem conscendens, in Hispaniam nauigauit. Sed & Austriaca
21. Octob. Comitia Spiræ habebantur, in quibus Impera- datur Re-
tor alteram suam filiam Elisabetham Carolo IX. Galliæ gi Galliæ.
Regi vxorem tradidit.

Paulò antè pax inter Carolum IX. & subditos rebel- Tertia pa-
les Parisijs erat proclamata, & tertio ciuili bello finis cer- cificatio in
tis conditionibus impositus. Gallia.

Italia hoc anno maximis terræmotibus est concus- Terræmo-
sa, qui tamen in nulla eius parte grauiores acciderunt, tus in Ita-
quàm in Ducatu Ferrariensi, cuius vrbs primaria latè ab lia.
ijs aperta est, magnasque ruinas ostendit. In Belgio verò
ipso omnium Sanctorum in tantum, tempestate orta, Inundatio
mare & flumina excreuerunt, vt in Hollandia maximè in Germa-
& Frisia, disiectis aggeribus, fluctus marini latè in agros, nia infe-
villas, pagos ac ciuitates perruperint, omniaque tumi- riori.
do mari obruerentur.

Tecta, domus, & mixta suis armenta colonis,
Cumq; pecus pastore fluit, cum pignore mater.
Et si fortè aliquem fugientem exemit aquæ vi
Seruatum sors dura fami, vel ab arbore celsa,
Monte vel aërio spectat sua coniugis ora
Pallida, seu natos, seu si quid charius illis,
Sub pedibus fluitare suis, moriturq; videndo.
Nam stetit æqua mari tellus discrimine nullo.

Incredibile dictu quot homines, quot pecora fluctibus
inuoluta, hac inundatione perierint.

Paulò antè Brentius, postquàm multa iam in Ca- Brentius
tholicam Ecclesiam scripsisset, totamque Germaniam ve- obit.
nenosa sua lingua, calamoque infecisset, Stutgardiæ mi-
seram animam, ad reddendam Deo rationem, exhalauit. Francis.
Obijt & eodem ferè tempore Franciscus Balduinus Iu- Baldeui-
risconsultus, qui è veneno Caluini tandem cõualescens, nus mori-
sui Doctoris & ministri pudenda detexit. tur.

Erico XIIII. Sueciæ Rege anno 68. defuncto, Iohan- Bellum &
nes III. succedebat. hic cùm bellũ ab Erico sex annos cum pax inter
Frederico Daniæ Rege gestum, duos adhuc cõtinuâsset, & Daniæ &
non sine leui subditorum vtriusque regni damno variè Sueciæ re-
pugnatum esset, tandem mense Decẽbri, anni præsentis, ges.

1570 Stetini pax magna gentis lætitia inita est & cōfirmata.

Historia Reginæ Scotiæ.

Ann. 1567 Maria Henrici Stuarti CVII. Scotorum Regis vidua, multa digna atque indigna à Iacobo Stuarto notho fratre suo, Scotiæ Prorege, & rebellibus regni perpessa, superioribus annis è custodia castri, quod est in lacu Leuina, clàm euaserat. Cùm enim in suspicionem sublati veneno mariti venisset, Botuelioque post Stuartum nupsisset, in arce Borthuicensi capta, & in hunc lacum erat deportata. Ex hostium itaque manibus scapha exigua elapsa, Hamiltonium incolumis peruenit. multi ex nobilibus, ex plebeijs plurimi ad eam confluebant. Prorex, euocatis ex Marchia & Lorhiana copiis, Hamiltonium ad Reginæ exercitum contendit. instructis aciebus atrox pugna commissa est. Prorex cum suis rebellibus superior, eos qui à Regina stabant partìm occidit, partìm in fugam coniecit. Regina amissis copijs in Angliam pro-

Ann. 1568 fugit, & literas de causa sui aduentûs ad Anglorum Reginam dedit. Ab ea iussa est ad Scrupum hominem nobilem, & limitis propinqui præfectum interea diuertere, dum de postulatis eius in concilio agi posset.

Angliæ regina inuitò fauere se Reginæ Scotiæ simulat.

Intereà Elizabetha Anglorum regina, ad Proregem & proceres Scotiæ, Edemburgi congregatos, literas dat: quibus petebat, nè de Reginæ fautoribus supplicium sumeretur, donèc ipsa certa de tota causa fieret. Se enim non posse honestè periculum Reginæ, & vicinæ, & sanguine coniunctissimæ negligere, quæ grauissimè quereretur sibi iniuriam à subditis factam. Petere itaque, vt Prorex idoneos homines ad se mitteret, qui, cur in Reginam arma sumpsisset, exponerent, & ad Reginæ querelas responderent. Detrectabant hanc legationem certatim omnes, adeò vt Prorex ipse eam coactus sit obire. Londini itaque partis vtriusque Legati auditi sunt. Variè vtrinquè est disputatum, nec tanti quid momenti à Prorege potuit adduci, vt Angla, licèt æmula, & alterius Religionis amica, Scotiæ Reginæ causam iudicare potuerit deteriorem. Dimissus Prorex, anno superiori postridiè Cal. Februarij Edemburgum reuersus est: indictoque ad Perthum conuentu, Regni proceres euocauit. erat enim frequens per Angliam fama, Reginam Scotiæ Hauarto viro nobili, & post Reges in Scotia ditissimo, nupturam: cuius potentiam rebelles plurimùm metuebant.

Cum autem proceres Perthi conuenissent, vtriusque

Reginæ

Reginæ legationes aduenerunt, & quę postulabantur ex- 1571
posuerunt. Angla, vt Scotiæ Regina vel in pristinum locum & authoritatem restitueretur; vel vt communitèr cum filio regnaret, & regij nominis honore in literis & actibus publicis frueretur; vel deniquè, si neutrum obtineri posset, vt (siquidem Regina id sibi persuaderi permitteret) priuata domi viueret, ijs contenta honoribus qui salua Regis authoritate ei concedi possent. Reiectis prioribus duobus, tertium hoc ægrè posse admitti videbatur. Recitatæ sunt & literæ Reginæ exulis, quibus petebat vt iudices darentur, qui de suis cum Botuelio nuptijs cognoscerent, ac si comperirentur contra leges factę, à viri potestate libera decerneretur.

Intereà rebelles & hæretici, Reginæ partibus infensiores, in vulgus spargunt, Hauartum, & qui Reginæ partes sequebantur, in necem Reginę Angliæ, Regisque Scotiæ pueri adhuc, coniurâsse. Angla itaque de statu suo solicita, Hauarto in arcem Londinensem incluso, in Reginam exulem non ausa animaduertere, de ea mari ad Proregem Scotiæ mittenda deliberauit: sed illud consilium, tempestate paululùm sedata, fuit discussum. Prorex quoquè Iohannem Metellanum, & Balfurium compręhendi iussit. Hamiltonij, Gordonij, & Argateliæ Comes, cum præcipua nobilitate Scotiæ, Proregis factionem exosi, in necem eius conspirârunt. Operam suam ad illud factum promisit Iacobus Hamiltonius, ex Archiepiscopi Fani Andreæ sorore natus, qui ad hoc præstandum omnem opportunitatem captabat.

Coniuratio in Proregē Scotiæ.

ANNO 1571. ad Cal. Ianuarij, Prorex Scotiæ, Iacobus Stuartus, Reginæ ex illegitimo toro frater, Sterlinum profectus, atque indè facta spe Britannodunum posse per conditiones recipi, nouam expeditionē suscepit. Sed infecta re, cùm paulò pòst rediret, Iacobus Hamiltonius, qui vitæ illius insidiabatur, Limnuchi, quod oppidum in clientela Hamiltoniorum est, Proregem opperiebatur. Qui cùm aduenisset, ab Hamiltonio diligentèr obseruabatur. Cumque ædes, in quibus Hamiltonius latitabat, equo præterueheretur, insidiator è podio ligneo, quod linteo, velut in alium vsum operuerat, globulo plumbeo, paulò infra vmbilicum adacto, ac prope renes transmisso, equum Georgij Duglassij, qui vltra eum erat, eodem ictu exanimauit. Prorex accepto vulnere, in hospitium deductus, ad X. Calend. Febr. animam exha-

Prorex Scotiæ interficitur.

1571 exhalauit. Fuerat is (vt quidam scribunt) in iuuentute Abbas designatus: sed pòst turpissimus Apostata effectus, & immanis proditor, crudelisque tyrannus, hoc modo vitam cum morte commutauit.

Brandenburgensiũ Electorũ mors.

Eodem ferè tẽpore, quo Prorex ille vulneratur, Ioachimus & Iohannes Brandenburgenses Electores, mortem obiêrunt: quibus Iohannes Georgius Ioachimi filius successit.

Veneti diligenter in eam curam & cogitationem incumbere pergebant, vt possent laborantibus Cyprijs maturè opem ferre. In magno enim periculo versabatur Famagusta, quæ & Salamis antiquitùs appellatur, Nicosia iam in hostium potestatem redacta. Institutus ab eis erat primarius Cypri gubernator Sebastianus Venerius: sed cùm is ob incommodam valetudinem eò proficisci non posset, Quirinus vir fortis & strenuus cum vndecim triremibus & quatuor nauibus onerarijs, quas Veneti Famagustæ subleuandæ destinârant, vicesimosexto Ianuarij die ad Cyprum peruénit. Conatæ quidem sunt septem Turcarum triremes inuadere quatuor has naues onerarias, sed ad conspectum earum triremium, quas ductabat Quirinus, ità territi sunt Turcæ, vt mox retrocesserint, amissis tribus è suis triremibus, quas tormentorum pilis Veneta classis demersit. Postquàm autem onerariæ naues Famagustam attigêre, magno omnes gaudio affecti sunt. Intereà autem dum illæ exonerantur, præclara quædam facinora à Quirino aduersùm Turcas edita sunt, captis duabus eorum nauibus commeatu instructis, & euersis quibusdam supra Gambellæ scopulos ab eis constructis munitionibus haud procùl ab arce Famagustæ. Verùm ille decimosexto Februarij à Cypro discedens, quinto pòst die in Cretam reuersus est, vbi ex Senatûs Veneti literis comperit, se quidem classis curatorem esse designatùm, porrò Sebastianum Venerium summum totius classis imperatorem.

Famagustam perueniunt 4 naues onerariæ.

Non diù autem latuit Turcarum Imperatorem, in Famagustam annonam importatam, & aliquot Turcicas naues tum interceptas, tum depressas à Venetis. Itaque indignabundus confestìm iubet ceruicem præcidi Chij præfecto, Rhodianum verò ea præfectura priuari, quòd non prohibuissent Venetos à ferendis suppetijs Famagustanis. Ità illi barbari haud secùs, atquè pecudes quasdam, mactant suos homines: qui plerunquè humili

Seuerissime animaduertit Selymus in duos præfectos.

loco

loco nati, ob operam strenuè nauatam, ab illis sæpè ad 1571
ampla munera prouehuntur, rursusque, si quid commeruisse videantur, aut exauthorantur, aut etiàm capite puniuntur. Quibus duabus rebus, putà & honoribus & suppliciis propositis, facilè in officio continentur, qui Turcarum tyrannis seruiunt. Vt enim munifici sunt in viros strenuos, ità seueri admodùm in ignauos, & quos putant suo muneri defuisse. Declarat hoc præter alia multa, quòd Selymus, necato Chij præfecto, Rhodiensi exauthorato, scripsit Eubœæ gubernatori, vt collectis celeritèr Aegæi maris custodijs, Chium contenderet, atque illic eius mandata opperiretur: si secùs faceret, sciret se palo affigendum. Durum sanè imperium. Timeant Christiani, nè sub iugum talis Imperatoris ob sua peccata mittantur. Sed ad rem.

Misit etiam Selymus Hali Bassam Constantinopoli cum quadraginta triremibus, vt collectis eorum marium custodijs, in Cyprum contenderet. Nec his contentus Selymus, multas alias instruebat triremes, vt posset tota potiri Cypro, & ea auctus præda, etiàm vlteriùs progredi. Hali Basse, cùm in Chium peruenisset, accessit Eubœę gubernator cum alijs triremibus quadraginta. Atque ità ille octoginta instructus trieribus, sub Aprilis initium perrexit iter habere ad Cyprum, non mediocria Mustaphæ auxilia allaturus. Eum secutus est paulò pòst Constantinopoli Portauus Bassa. Vbi in Cyprum peruenit Hali, ad Idus Maij illic hæsit. Posteà, ità consulente Mustapha, indè abiens, aliquot duces, triremes, aliasque naues, quæ insulæ præsidio essent, reliquit. Ijs verò nauibus Mustapha quotidiè ex continenti & milites & alia necessaria in Cyprum aduehebat, metuens sibi à Venetorum classe, licèt copiæ eius identidèm augerentur. Potuit autem facilè communire sese, quòd ferè omni ex parte vicinæ regiones pareant Turcico imperio. Multi autem etiàm vltrò suis stipendijs militaturi ad eum confluebant, spe prædæ illecti, quam sibi è Famagusta opulenta vrbe pollicebantur.

Magnæ Turcarũ copiæ veniunt in Cyprum.

Tandèm Mustapha circa Idus Maij, è Nicosia secum absportans quindecim magna tormenta, ad Famagustam castra posuit. Ad hominum millia quadraginta operam nauabant comportandis aggeribus, fossisque egesta humo efficiendis, idque ea ratione, vt ab oppidanis impediri non possent: præcipuè verò noctibus in ijs operibus versabantur. Contrà autem vrbem muniebant obsessi,

Famagusta à Turcis obsidetur.

1571. fessi, & omnia diligentèr curabantur ab eis: nec rarò ex vrbe erumpentes, hostium conatus non parùm retardabant: tandèm tamen, quòd magnæ essent barbarorum vires, ab eiusmodi eruptionibus abstinendum censuerunt. Decimonono Maij ex decem aggeribus vrbem verberare cœperunt septuagintaquatuor tormentis, in quibus erant quatuor immanes basilisci. Qui in vrbe erant, magna industria coniectis globis in hæc hostium tormenta, è præcipuis quindecim perfregerunt, & ad triginta hominum millia intra dies decem interemerunt. Sed quòd hac ratione multum decederet de puluere tormentario, coacti sunt aliquid remittere de illa pilarum iaculatione. Non diù pòst iniectus ignis in cuniculum, horrendo spectaculo momēto temporis ampliùs mille Turcas extinxit, ex oppidanis centum. Posteà alius incensus cuniculus, Turcas quadringentos oppressit. Intereà in vrbe etiàm fœminæ omnes in turmas distributæ, vtilem nauabant operam lapidibus & aqua comportanda, qua hostium ignes extinguerentur.

Verberatur 74. tormentis.

Turcarū occidūtur 30000.

Cùm autem Turcæ in expugnanda porta Limisina frustrà laborarent, inueniunt tandèm eius obtinēdæ modum quendam propè inauditum. Magnum comportant aceruum ligni, quod tædam vocant, quodque & facilè ardeat, & oleat grauitèr: addunt etiàm aliam materiam, & paritèr inflammant. Indè tanta extitit ignis vis, vt nulla aquarum copia ab oppidanis potuerit extingui. Is ignis quatriduum durans, & calore & fœtore compulit obsessos, porta illa clausa interiùs recedere. Iam verò necessariarum rerum omnium magna cœpêre inopia laborare, sed adhuc sustentabat eos spes, ducum virtus & militum audacia. Equi, asini & feles quoquè in cibum cesserant omnes, solo pane fabisque victitabant, aquam aceto permixtam bibebant: neque ea tamen diù suppetebant. Ad extremùm in tanta rerum penuria compulsi, primores vrbis petūt à Bragadino, qui arci præerat, vt honestis conditionibus vrbs hosti dedatur, cui tamen alioquì prædæ futura sit. Bragadinus vt potest eos confirmat, iubetque bono esse animo: mittitque celeritèr in Cretam, qui, quo loco Cypri res sint, exponant.

Ingens penuria commeatûs apud Famagustam.

Selymus Turcarum Imp. non ignorans ingentes Christianorum apparatus, & Poloni Regis potentiā metuens, Doegutum in Poloniam cum literis mittit, quibus Polono significabat, velle se amicitiam cum ipso conseruare, & commercia vtrinquè esse libera. Pergratus iste

Polo-

Polono fuit nũcius. Sed cùm superioribus quoquè annis 1571
cum Chamo Scytharum Principe fœdus & pacem iniijsset, illeq; instabilis, paulò pòst pace violata, incendijs & rapinis Poloniæ fines plurimùm diuexâsset, Polonus per literas de Chami perfidia apud Selymum conquestus est. Respondit Selymus benignè, se amicitiam impollutam seruaturum, & vt eadem ab alijs seruetur diligentissimè curaturum. Ad Chamum quoquè literas minarum plenas dedit, se, nisi ab amicis regibus infestandis abstineret, omnis iniuriæ vindicem futurum.

Moskvvam Metropolin totius Moscouiæ, cũ vtraque arce, Tartari Præcopenses mensis Maij 24. funditùs exusserunt: vbì ingẽs & innumerabilis multitudo populi in arce & vrbe flamma fumoque perijt. Vna arx Kitaigorod vix defensa est, magnamque captiuorum ac supellectilium copiam Tartari indè abduxerunt. Ità Deus nonnunquàm Tyrannos inter sese committit, & immanitatem vnius, alterius feritate plectit.

Iohannes Austriacus totius expeditionis summus imperator designatur.

Interea Philippus Hispaniarum rex fratrẽ suum Iohannem Austriacum totius expeditionis summum imperatorem designat, (Iam enim opera Pontificis Pij V. ictum erat fœdus inter ipsum & regem Hispaniarum atque Venetos) mandatq; ei, vt abductis secum Rodulpho & Ernesto Maximiliani Cæsaris filijs, soluat ex Hispania. Igitur initio Iulij venit Genuam cum quadragintaseptem triremibus. Biduo antè Venerius cum Venetorũ classe Messanam appulerat, cui adiunctæ erant duodecim Pontificis & quatuor Melitensium trieres. Porrò Turcica classis Supportum, Dulcinium, & Antiuarium occupauit. Id quidem admiratione dignum videri potest, Curzolam, cùm viri prę ignauia eam deseruissent, à fœminis fortitèr defensam esse.

Veneti post fœdus cum Rom. Pontifice & Philippo Rege initum, alios etiàm Principes in Turcarum tyrannidem incitârunt, non vicinos tantùm, sed etiam remotiores: vt dum ille vndiquè impugnaretur, vires eius diuiderentur, fierentque imbecilliores. Vincentium itaque Alexandrium, ciuem Venetum, ad Persarum Regem Thomam, quem alij Tachmam vocant, legârunt, vt eum ad bellum Turcis mouendum induceret: sciebant enim huic Regi malè cum Turca conuenire. Vincentius per Germaniam, Poloniam, Bogdaniam & Mysiam ad Euxinum Pontum profectus est. Indè in Asiam nauigans, per multas Ottomannici Imperij ditiones, non sinè sum-

1571 summo periculo, Tigraanem, quæ & Tauris dicitur, Persarum Metropolim peruenit. Reperit istic Oratorem quendam, quem Britanniæ Regina ad Persarum Regem legârat. ab hoc Vincentius mores ritusque Regem conueniendi, salutandique didicit. Tigraana Casbinum, vbi Rex domicilium tunc temporis habebat, profectus, Caidaris Mirosis tertiogeniti Regis opera vsus est, qui literas Venetorum, & quæ in mandatis habebat Vincentius, ad Regem detulit: Sed orto paulò pòst inter Persam & Cairum Seidi Achmati nepotem, propter Geilani regnum, bello, in quo Persæ ferè semper erant inferiores, re infecta, Vincentius ad suos est reuersus, in multorum interim animis acerbiores in Turcicam perfidiam aculeos relinquens.

Veneti Persarum Regem ad bellū Turcis mouendum solicitant.

At verò Famagustani, dum nulla affulgeret subsidiorum spes, & hostes vrbi vehementer imminerent, extrema necessitate compulsi, tandèm his conditionibus sese dedunt: Vt Venetis salua sit vita, arma, facultates, concedanturque eis quinque machinæ bellicæ, terni pulcherrimi equi, & in Cretam vsque tutum iter: Græcis autem liceat manere domi suæ, rebus suis frui, & Christianam colere religionem. Hæc verò omnia se seruaturum confirmauit Mustapha propriæ manûs subscriptione. Statìm igitur cœperunt militem nauibus imponere, & iam duces quoquè abire volebant, cùm eccè postridiè Nonas Augusti Bragadinus scribit Mustaphæ, se cum clauibus ad ipsum venturum, & petit ab eo, nè quisquam interìm molestia afficiatur. Assentit Mustapha, laudat Bragadini virtutem, iubet sinè vllo metu eum quandocunquè velit, ad se accedere. Nihil igitur formidans Bragadinus, sub vesperam cum multis nobilibus & quinquaginta gregarijs militibus venit ad tentorium Mustaphæ. Ibi primùm ab illo comitèr accipiuntur, & cùm eos assidere iussisset, loquitur cum eis familiaritèr. Deindè verò obijcit Bragadino, sed falsò tamen, quòd durantibus inducijs captiuos quosdam supplicio affecerit: moxque exiliens stomachabundus, iubet omnibus vincula injici, atque ità extra tentorium productos, ipso inspectante, in frusta discindi. Bragadino autem tertiò mandat, vt caput præcidendum porrigat: illique constanter porrigenti, aures abscindit: mox in terram eum procumbere iubet, atque os impurum homo impius & crudelis iactandis in Saluatorem nostrum conuicijs & blasphemijs laxat, &

Famagustani se dedunt.

Vide exemplū insignis crudelitatis & perfidiæ in Mustapha.

&, Vbinàm eſt, inquit, modò Chriſtus tuus, vt opem tibi ferat? Bragadinus tacet ad omnia. Nec enim dignus erat homo perfidus & cruentus carnifex, cui vir tantus vel verbum reſponderet. Erant tum in hoſtium castris etiàm alij milites & Christiani plùs minùs trecenti, nihil ſibi à tanta perfidia metuentes. Ij omnes ſubitò quoquè necati ſunt. Qui iam naues conſcenderant, detenti & ſpoliati ſunt. Incidit hæc horrenda Christianorum cædes in ſeptimum Auguſti diem. In arce relictus erat à Bragadino Tiepolus. Eum Muſtapha ſuſpendi iuſſit. Neſtor Martinengus Comes, cùm ad paucos dies hinc indè in Græcorum ædibus latuiſſet, tandèm captiuum ſe tradidit Turcæ cuidam, in eiuſque caſtris manſit, cùm ei pollicitus eſſet aureos nummos quingentos.

1571

300. ferè Christiani necantur.

Decimoſeptimo Auguſti, qui Veneris dies erat, & ſpurcis illis hominibus feſtus, producunt Bragadinum, præſente ſemper Muſtapha, ad ſingula loca vrbis diruta, cogunt in ſingulis locis binas aſſcendendo & deſcendendo terræ menſuras ferre, deindè cùm tranſiret Muſtaphā, humum exoſculari: mox ad mare eum adducunt, & ſedi impoſitum vſque ad antennas ſupra malum pertrahunt, vt à Chriſtianis omnibus, qui adhuc in portu erant, conſpiceretur. Indè in forum eum reducunt, & vinctum illic viuumque non ſinè immenſo cruciatu excoriant. At ille tantam crudelitatem fert animo inuicto, & inter ipſos cruciatus obijcit tyranno perfidiam, Deumque rogat, vt ſuî miſereatur, ſeque illi commendat. Ad extremùm pellem eius à corpore detractam carnifices paleis & ſtramine farciunt, atque ad antennas ſuſpenſam, per maritima Syriæ loca ludibrij cauſa circunducunt, omnibuſque oſtentant.

Crudele ſpectaculū immanitèr vexati & excarnificati Bragadini.

Poſſunt hæc commonefacere nos, quid expectādum nobis quandoquè ſit, ſi in horum manus inciderimus. Vtinàm ſæpè memores ſimus illius ſententiæ Saluatoris: Niſi pœnitentiam egeritis, omnes ſimilitèr peribitis. Etſi autem, vt benè ſperandum eſt, Bragadino præſertìm, alijſque Chriſtianis libenter pro Chriſtiana religione hanc cædem perpeſſis, nihil ea detrimenti, immò verò multum etiàm gloriæ & felicitatis attulit, attamen eiuſmodi clades vtplurimùm propter hominum peccata acciduīt, & dum alios ità ſeueritèr caſtigat Deus, alios inuitat ad pœnitentiam. Non enim delectatur ille calamitatibus noſtris, ſed per eas cupit nos reuocare in viam, à qua peccan-

Luc. 13.

1571 peccando excidimus. Quandò autem alienis periculis nihilo efficimur cautiores, plerunquè in eadem ipsi quoquè incidimus. Non est autem, cur admodùm mirum nobis videatur potuisse Turcas, Christiani nominis hostes infestissimos, Cyprum expugnare, cùm in Famagustæ obsidione fuerint stipendijs conducti ad octoginta millia, Ianizarorum millia quatuordecim, & sua sponte militantium millia sexaginta: simul omne genus hominum ducenta millia. Obsessa est Famagusta diebus sexagintaquinque, intra quos centum & quadraginta ferrearum pilarum millia in vrbem coniecta sunt ex bombardis. Aliquot egregij viri à Turcis captiui abducti sunt, & in ijs Nestor Martinengus Comes, qui tamen fuga elapsus, ordine pleraque gesta exposuit, serenissimo Venetorum principi. Ad Cypri defensionem relicta sunt à Mustapha peditum viginti, equitum duo millia. Non est dubium, quin more suo ità cõmunituri sint eam insulam, vt eius recuperandæ nulla spes relicta videatur.

Turcarum copiæ ad Famagustam.

Pilæ ferreæ vibratæ in vrbẽ 140000.

Iohannis Storæi historiola.

Hoc anno in Angliam miro quodam casu reductus Iohannes Storæus, illic vitam acerba morte finiuit. Fuit is Iuris vtriusque doctor, & in Oxoniensi Academia professor regius. Indè Londinum euocatus, Cancellarij munus obiuit apud eius vrbis Episcopum. Sed quòd per id tempus magna esset sub Henrico rege in Anglia rerum perturbatiò ob repudiatam Catharinam reginam, consultius fore putauit, si laicus permaneret potiùs, quàm ad Clerum accederet. Duxit igitur vxorem Iohannam Vuarsam honestissimam virginem: cumque cuiusdam pręcipui oppidi decurio factus esset, in publicis regni Comitijs cum multa gratia sententiam dicebat suam: id quod magna libertate apud eam gentem antiquo more possunt decuriones. Posteà verò defuncto Henrico rege, sub Edouardo successore pro catholica religione orationem habuit, qua sic quorundam animos offendit, vt in custodiam ductus sit. Indè tandèm ægrè liberatus, in Belgium se cõtulit. Regina autem Maria Edouardo substituta, in Angliam reuersus, hæreticæ prauitatis factus est Inquisitor: quod cùm odiosum inprimìs sit, apud illos præsertìm, qui ab Ecclesiæ vnitate deficiunt, fieri non potuit, quin multos sibi caperet inimicos. Postquàm autem regina Maria ex hac vita felicitèr abeunte, in eius locum subrogata est Elizabetha, quidam ex ijs, quos ille publica lege antè cohibuerat, eius nimiã cœpêre calumniari crudelitatem. Ille verò in publicis Comitijs de crudelitate sua,

Fit Inquisitor hæreticæ prauitatis.

te sua, regnante iam Elizabetha, ità respondit, se nulla in 1571 re alia peccâsse, nisi quòd omissa radice, nescio quos ramusculos præcidisset, cùm potiùs debuisset robustissima quæque zizania radicitùs euellere. quod factum si fuisset. iam, inquit, non tot ac tanta videremus impietatis germina vbiquè stare, atque adeò florere. Id verò aduersarij eius, tanquam de regina dictum, arripientes, ab illo die non destiterunt criminari hominem, donèc in vincula coniecissent. Post annos aliquot videt sibi oblatam fugiendi è carcere opportunitatem. Itaque subducit sese, & in Belgium rursùs traijcit. Louanij autem cùm esset, diù multumque animo angebatur, quòd martyrium diuinitùs oblatum subterfugisset. Atque ea causa libenter monasticam professus esset vitam, vt posset pœnitentia culpam illam, vt ipsi videbatur, expiare, si vxor idem facere voluisset. Sed ea recusante, ità in proposito permansit agendæ pœnitẽtiæ, vt apud Carthusianos crebriùs, quàm domi, versaretur.

Storæus in vincula ducitur.

Indè commodùm aufugit.

Interim rei familiaris angustia pressus, operam suam, quanuis dehortantibus amicis, nauauit cuidam, cui id muneris erat demandatum, in explorandis mercibus, in Angliam è Belgio exportandis, & inde rursùs in Belgium importandis, nè quid ea in re fieret contra leges à Catholico rege latas. Accidit tum, nauim quandam in Zelandiam deferri, prohibitis mercibus plenam. Indicatur id ei, fitque magna spes non parui compendij, si eam deprehendisset. Nihil ergò sibi cauens à comparatis ipsi certorum hominum consilio insidijs, abit in Zelandiam, ingreditur in nauim: sed simulac ingressus est, nautæ vela ventis pandunt, abeuntque cum illo iam captiuo in Angliam. Ille verò Anglia conspecta, tantum abest, vt dolore afficeretur, vt etiàm gratias egerit Deo, quòd ipsi occasionem redderet obeundi martyrij, quam olìm oblatam reiecisset. Ità gratulantibus hæreticis mercatoribus, Catholicis verò mirè dolentibus, Londinum perducitur, & primò in Lolhardorum, deinde in Londinensem turrim conijcitur. Habita de illo quæstione, summa semper dicendi libertate vsus est, dicens se non in Angliæ principis, sed regis Catholici potestate esse.

Quorundã astu reducitur in Angliam.

In turrim conijcitur.

Porrò huius anni mense Maio, ipsiusque mensis quinto & vicesimo die productus in iudicium, damnatur læsæ maiestatis, vt qui contra reginam Angliæ cum quibusdam Antuerpiæ conspirâsset. Quod etsi ille facilè

1571 cilè confutare posset, tamen solam fori exceptionem proposuit, nullum se agnoscere in Anglia iudicem dicens, qui iam regi Catholico subiectus esset, è cuius ditione primùm dolo malo, mox aperta vi contra ius omne abreptus esset: neque se iam legibus vllis apud illud tribunal reum sisti. Tandèm verò absque vlla criminis vel confessione, vel probatione, non tantùm morti velut contumax addicitur, verumetiàm perduellionis nominatìm condemnatur. Cur autem ille dixerit, nullum se in Anglia iudicem agnoscere, ea causa fuit, quòd sciret Pontificis sententia declaratoria, de qua iam suprà diximus, reginam omni iure regni dominioque priuatam esse, eoque magistratum nullum ab illa creatum, eique adhærentem à se agnosci posse, nè fortè ipse etiàm eodem anathemate innodaretur. Vt igitur conscientiæ suæ consuleret, sanguinem suum fundere non dubitauit, idque mira animi alacritate, quòd (vt ipse vxori suæ scripsit) breui mortis eius compendio sciret se penè septuaginta annorum delicta per Dei gratiam expiaturum esse.

Non vult sub mortē loqui cum ministro schismatico.

Vltimo indè Maij die is, qui præfectus erat carceri, percontatur ex eo, velítne ante mortem cum aliquo ministro colloqui: illo verò respondente, nolle se quicquam cum vllo schismatico habere commercij, colloquium autem Catholici sacerdotis se expetere: permittitur ad eum accedere reuerendus archimandrita Fecnamus, qui in eodem carcere ob fidem catholicam detinebatur, atque ij inter se tota penè nocte de rebus ad animæ salutem pertinentibus contulisse ferũtur. Calendis Iunij crati inijcitur Storæus, & ad supplicij locum trahitur. Indè in currum translatus, fune priùs in collum imposito, gratias agere se Deo dicit, inimicis ignoscere, cum omnibus hominibus pacem habere, corpus suum libentissimè carnifici tradere, vt breui supplicio ad æternam gloriam merito sanguinis Iesu Christi pertingat. Demùm contestatur se in ea fide mori, in qua baptizatus sit, quæque illi cum rege suo Philippo, cæterisque Catholicis principibus & populis communis sit: hortatur adstantes, vt intra vnam Catholicam Ecclesiam, cuius pastor sit D. Petri successor Romanus Pontifex, constanter perseuerent. Sciscitante autem ex eo Comite quodam, sit'ne reginæ subditus, Non sum, inquit. Porrò etiàm ex ministris noui Euangelij perquirenti, credátne reginam immediatè sub Deo supremum caput esse Ecclesiarum Angliæ &

Hiberniæ, ità respondet: Non disputandi causa huc vé- 1571
ni: neque si ego id negem, vos mihi assentietis. Vix ea *Diro supplicio affectus, abit è vita.*
prolocutus, amoto curru, hæret suspensus ad breue tempus: adhuc viuens, in terram demittitur, præciduntur verenda, discinditur venter, viscera extrahuntur, caput truncatur, membra dissecantur. Hæc nos ex Nicolai Sanderi libro 7. de visibili monarchia Ecclesiæ, aliquanto comprænhensiùs descripsimus. Si quis totam historiam fusiùs nôsse velit, potest in ipso authore legere: apud quem etiàm eodem libro permultos vtriusque sexûs inueniet nominatìm expressos, qui pro Catholicæ fidei defensione in Anglia vel carcere, vel exilio, vel alijs modis mulctati sunt: de quibus postremò hęc addit ad verbum: Quidam istorum Episcopi sunt: reliqui verò Decani Ecclesiarum, Archidiaconi, canonici, presbyteri, collegijs præfecti, Theologi, Iurisconsulti, Medici, ludimagistri: denique omnes docti viri & graues, qui non tam verbis nudis loquuntur, quàm factis & rebus ipsis clamant: Sic à Maioribus accepimus, sic prædicatum audiuimus, sic credimus: pro hac Petri cathedra, pro huius Pontificatûs primatu alij vincti sumus, alij vinctis compatimur, *Heb. 10.* alij bonorum nostrorum rapinam cum gaudio suscepimus, alij animas in charitate perfecta posuimus, cognoscentes nos habere meliorem & manentem in cælo substantiam. Hæc ille: qui mox eodem loco subijcit exemplum cuiusdam Archidiaconi, quod ad verbum huc adscribemus, si fortè possit mouere noui Euangelij buccinatores, qui libenter laxant linguas & acuunt stylos suos ad proscindendum conuicijs Pontificem, S. Petri successorem, atque in eoipso gloriantur, cùm deberent meritò formidare, nè quid tale, vel etiàm deterius quippiam patiantur, quale ille, quem iam commemorabimus Sanderi verbis:

Fuit Vuritus quidam, vtriusq; Iuris doctor, & Oxoniensis Archidiaconus, qui fidem Catholicam frigidè amplexus, cùm nollet post statum Catholicæ religionis in Anglia mutatum, dignitate sua carere: dum quodam die apud presbyteros, suæ olìm iurisdictioni subiectos, concionem haberet, incidit in ea D. Pauli verba, quibus ait, Christum in ædificationem Ecclesiæ, dedisse quosdam quidem Apostolos, quosdam autem prophetas, alios verò Euangelistas, alios autem pastores & doctores. Quibus recitatis, de suo (vt tēpori nimirùm seruiret) intulit, dicens: De Papa hìc verbum nullum auditis. Quod *Exemplū cælestis vltionis in quendam Pontificis obtrectatorem.* *Ephes. 4.*

1571 cùm in extrema concione prolocutus esset, mox graui morbo correptus, atque adeò quasi mutus effectus, & à suggestu non ad prandiũ, vt constituerat, sed ad lectũ delatus, octauo pòst die è vita excessit. Hæc quidem Sanderus, quæ si cui à me extra historiæ ordinem allata videbuntur, dabit veniam charitati, qua cupimus illorum saluti consultum, quos dolemus sinè vlla causa Pontificis odio ardere, in quorum gratiam ex Augustino cõtra Petilianum pauca adscribemus, quãdoquidem se offert occasio: Cathedra, inquit, tibi quid fecit Ecclesię Romanæ, in qua Petrus sedit, in qua hodiè Anastasius (nos possumus fidenter addere, in qua hodiè Gregorius XIII.) sedet, cui nos in Catholica vnitate connectimur, & à qua vos nefario furore separâstis? Quarè appellas cathedram pestilentiæ, cathedram Apostolicam? & cætera, quæ ibi sequuntur. Sed ad institutum sese referat stylus.

Stephanus Battor Princeps Transyluaniæ creatur.

Per idem tempus Iohannes Vaiuoda Transyluaniæ Princeps, ad Turcicas res propensus, moritur: & ad 8. Cal. Iunij comitia Tordam, de nouo Rege creando, indicta sunt. Selymus ad Transyluanos literas dedit, quibus proceres, vt Vaiuodam Stephanum Battorem crearent, hortabatur. quod si facerent, se totius Transyluaniæ (vbi opùs sit) fore protectorem. Paruerunt Trãsyluani, & Battorem appellârunt. Is in regia dignitate constitutus, confestìm legationem magnificentissimam ad Selymũ mittit, quæ ipsi gratias ageret, & munera offerret. Pergratum id fuit Selymo, Battoremque vicissim sceptro & regio vexillo donauit: præcepitque, nè cum exteris principibus amicitiam exerceret, vel cum illis fœdere iũgeretur.

Battor Palodam recuperat.

Deindè Palodã Transyluanis nupèr ereptam Battor obsedit, & præsidiarios paulò pòst ad deditionem compulit.

Sed & Turcæ cùm Illyricum prædabundi palantesque plurimùm depopularentur, à Bano coniunctisque Illyricis auxiliaribus copijs passim trucidati sunt, quo tempore Suecus & Danus inito fœdere, classem parabant, vt Oceanum plurimis latrocinijs, piraticisque factionibus infestum, repurgarent. Quod & vt Albanus Dux faceret sæpiùs admonebantur: Lummæus enim Markensis Comes, multique alij proscripti, & ex Belgio profugi, Hollandiæ, Zelandiæ, Phrisiæque littora orasque maritimas piraticis suis nauigijs infestabant. Sed Albanus alijs rebus intentus, Brilam, Enchusiam, cæteraque loca maritima neglexit: mediterraneasque ciuitates suis præsidijs diuexauit.

Fœdus Sueci & Dani contra piratas.

Albanus non curat maritima.

Sub

Sub idem quoquè tempus Buſcoducenſis quidã Hermannus Ruiterus, munitiſſimam arcem Louenſtein, in ipſa Moſæ atque Vvahalis confluentia ſitam, per inſidias inuaſit, & contra regias copias fortiſſimè defendit. Albanus verò arce tandem recuperata, Ruiterum extremo ſupplicio mulctauit.

1571
Louẽſtein à Geuſiis occupatur.

Menſe Auguſto huius anni Iohannes Auſtriacus Neapolim appulit, vbì ſingulari apparatu exceptus eſt. E Creta quoq; è, mandato Senatûs Veneti iuſſi ſunt Meſſanam contendere, qui illic erant, ſeque cum claſſe fœderatorum coniungere. Quod quidem illi non ſinè animi dolore fecerunt, cùm ſe viderent hac ratione impediri à conuehendo commeatu in Famaguſtam, quam tum adhuc hoſti ceſſiſſe ignorabant. Interim Turcæ Buduam è Caſtro nouo, vbì claſſem ſuam refecerant, reuerſi, more ſuo fingunt oppidanos è Turcis quoſdam iuguiâſſe: atque ſub hoc prætextu vrbe direpta, habitatores omnes ſecum captiuos abducunt. Ad Valonam poſtquàm venêre, appulerunt eò etiàm Oluzalius & Caracoſſa cum ingenti præda & permultis captiuis. His rebus compulſus Senatus Venetus, legatos mittit Meſſanam, (quò iam Iohannes Auſtriacus peruenerat, illic quoquè honorificè inprimìs exceptus, obuiàm ei procedentibus M. Antonio Columna & Venerio, multoq; bombardarum ſtrepitu eum ſalutantibus) vt maturent opem ferre afflictis Dalmatiæ rebus, quam Turcæ vaſtarent. Porrò Turcæ ad Corcyram appellentes, inſulam illam nauigijs & milite propè cinxiſſe videbantur. Sed illic ità accepti ſunt, vt ex arce cõiectis telis tres eorum triremes depreſſæ ſint, multiq; ex illis capti, & in ijs Baſſus Chriſtianus apoſtata, qui magna Selymi gratia fruebatur. Tertio Idus Septembris, non abſque Corcyræ infeſtatione, Turcæ indè recedunt, Pargamq; venientibus, mandatum à Selymo Imperatore exhibetur, vt capta iam Famaguſta, victoriam perſequantur, omnes vicinas inſulas occupent, nemini parcant, atque ipſam quoquè Chriſtianorum claſſem diſſipent. Putabat tyrannus omnia iam ſe habere in manu, & quod velit fieri, id pro voto euenturum eſſe, nihil de diuina prouidentia cogitans, à qua pendet totius orbis gubernatio. Parent Turcæ imperioſo domino, atque in ſinum Corinthiacum ſe conferunt, vt bis cocto pane & rebus neceſſarijs inſtructa claſſe, Chriſtianos inuadant.

Don Iohã d'Auſtria, venit Neapolim.

Turcæ Buduã diripiũt & e

Damnum eis illatum apud Corcyram.

Porrò in Chriſtianorum claſſe tum erant Pontificis

1571 Pij V. duodecim triremes, Hispaniæ regis trieres octoginta & vna cum viginti nauibus onerarijs, Venetorum triremes centum & octo, sex triremes magnæ, quas galeazas vocant, & binæ naues onerariæ. In vniuersum cum aliquot Melitensium equitum triremibus constabat ea classis ducentis & septem trieribus, sex galeazis, cum bono scapharum aliorumque nauigiorum numero. In quibus erant, præter remiges & alias operas necessarias, ad hominum viginti millia ex Italis, Hispanis atque Germanis: quibus accedebat non paruus numerus suis impensis militantium. Erant verò instructi omnes tum commeatu, tum alijs rebus necessarijs. Cùm autem summi classis totius duces inter se consultarent, qua ratione bellum susceptum gerendum esset, tandèm in eam ab omnibus sententiam itum est, quæ fuit Ascanij Corniæ, vt cum hostium classe consererent manus. Itaque Iohannes Austriacus singulis quid agendum esset, quive progrediendum, præscripsit, vniuersamque classem in quatuor partes distribuit, in duo cornua, mediam aciem, & naues subsidiarias. In media acie erat ipse summus imperator Iohannes Austriacus cum triremibus sexaginta & vna. De reliquo classis ordine & dispositione qui plura nôsse cupit, potest apud alios legere: nos breuitati studemus. Quod autem inprimìs decebat optimum imperatorem, qui sciret victoriam à Deo potissimùm expectandam, vt eum possent in ea insigni expeditione habere propitium, mandauit cunctis ducibus & trieriarchis clarissimus princeps ille Austriacus, patris sui Caroli V. imitatus pietatem, darent operam, vt qui sub ipsis militarent, & cæteri omnes, piè sanctèque viuerent: Ità enim fore, vt in tam iusta causa Dei auxilio & protectione fruerentur. Tum quoquè, vt vbì ad pugnam ventum esset, suum quisque seruaret locum animo forti & minimè perturbato.

Classis Christianorum.

Classis distributio.

His ità constitutis, decimosexto Septembris Messana soluerunt, & post aliquot dies venêre in Corcyram, vbì cognouerunt de Turcarum in ea insula hostili planè animo designatis facinoribus. Indè in Cephaloniam appulêre, vbi literis Pauli Contareni, Zacynthi insulæ præfecti certiores facti sunt, classem Turcicam in sinu Corinthiaco malè affectam hærere. A Creta quoquè allatæ sunt literæ de capta Famagusta, cuius rei nuncium in Cretam pertulerunt multi captiui Christiani, qui è Turcarum manibus magno Dei beneficio

Soluit Messana.

cum biremi aufugerant. Ijs rebus confirmata ſententia, 1571
qua ſtatuerant cum illis feris hoſtibus fortitèr cõfligere,
claſſis noſtræ principes cum ſuis pergunt ire ad inuadendos illos.

Nec verò deerant illi rebus ſuis, ſed in portu Corinthiaco præter commeatum, etiàm decem Ianizarorum millia, & alia aliorum quatuor millia ſibi adiunxêre, & quanuis non deeſſent ex primarijs Turcis, qui Hali Baſſam conarentur deterrere, nè cum noſtra claſſe congrederetur, tamẽ quòd ſic iuſſiſſet Selymus, & ipſe quoquè ſua ſponte ferueret ad pugnam, tandèm omnes communi ſententia decreuerunt Chriſtianos prælio opprimere, atque ex ijs parta victoria, reliquas Venetorum ditiones inuadere, ſicque viam ſibi communire ad totum orbem Chriſtianum occupandum. Soluunt igitur Nonis Octobris, & ad Galangæ litora ſubſiſtunt. Noſtri quoquè poſtera luce ex Alexandriæ valle ſeſe mouent, modis omnibus daturi operam, vt hoſtem ad pugnam eliciant. Turcæ, tanquàm iam victoriæ planè compotes eſſent, & longè imbecillior foret Chriſtus Deus noſter, quàm ipſorum pſeudopropheta Mahomet, multa edebant lætitię & gratulationis ſigna, ignari ſcilicet, ad quas pœnas à Chriſto Domino, ob illatas ſancto nomini eius contumelias & blaſphemias propediẽ vocarentur. Poſtridiè Nonas Octobris ſummo manè tendunt ad claſſem Chriſtianorũ, ſecundo vento vſi. Etsì autem non ampliùs duodecim millia paſſuũ duæ illæ potentiſſimæ claſſes à ſe inuicèm diſtarẽt, non tamen interìm ſe cernebant. Vbì autẽ in mutuos venêre cõſpectus, noſtri egregiè ad pugnam ſe comparant, ſummo ſtudio ſingula queque adornant, tormenta militaria magna, pilis catena coniunctis, alijsq; plumbeis & quadratis lapillis inſtructa, opportunis collocant locis, captiuos Chriſtianos ad triremes damnatos, ſolutis vinculis, libertate donant, vtque pro Chriſti nomine, à quo eſſent libertatem adepti, ſtrenuè decertent, armis muniũt. Ij verò alijs indiſcriminatìm admixti, pollicentur ſe egregiè facturos officium ſuum. Tota verò claſſis ſummo cum ſilentio optimè diſtributa eſt. Sed nec hoſtes dormitabant, noſtris obuiàm pergentes.

Turcæ ſe cõmuniũt.

Ingentiæ ſibi pros mittunt.

Chriſtiani ſe ad prælium comparant.

Porrò ſummus Imperator Iohannes Auſtriacus, adiuncto ſibi Iohanne Cardona, ſcapham conſcendens, totam claſſem magna celeritate circumijt, hortatur tum duces, tum milites, vt magno animo certent pro Chriſti Ieſu nomine, qui illis præſtò futurus ſit, modò ſtrenuos

Iohannes Auſtriacus totã claſſem obit.

1571 se viros præbeant. Hæc atque alia illo optimo & fortissimo principe dicente, à multis respondebatur, nè quicquam de illorum virtute ambigat: facturos se quod deceat fortes viros. Columna quoquè & Venerius præclarè suos confirmabant, nec quicquam eorum omittebant, quæ consequendæ victoriæ opportuna forent: quibus rebus Austriacum principem mirè exhilarârunt. Qui cùm ad imperatoriam triremem rediisset, tympanis, tubis, fistulis, alijsque instrumentis musicis magis etiam accensi sunt animi militum, altaque voce Deus omnipotens trinus & vnus inuocatus est, & ipsa quoquè sanctissima Christi mater, vt quæ plurimùm possit apud filium suum, reuerenter salutata. Porrò sacerdotes Christi à Cruce pendentis effigies per naues ferentes, præclarè hortabantur omnes, vt bono essent animo, nec dubitarent Christum, pro cuius sanctissimo nomine dimicaturi essent, è cælis ipsis laturum opem. Ijs ergò tum sacerdotum, tum ducum verbis adeò inflammati sunt omnium animi, vt nullum prorsùs periculum recusaturi viderentur. Præsentis autem Numinis, eorumque conatus prouehentis, illud sanè euidens fuit signum quòd eodem momento in mutuam, positis odijs, rediêre concordiam, qui nulla antè ratione, vt id facerent, adduci potuerunt. Tanta vis est cælestis gratiæ, vt possit puncto temporis efficere, quod mortales nec sperare ausint. Adest ergò etiamnùm Christus Ecclesiæ suæ, quam amici nostri Papisticam vocant. nam tota hæc classis, Catholicorum fuit Principum.

En quibus rebus paranda victoria.

Hæc reuerà mutatio dexteræ excelsi.

Habebant Turcæ in sua classe triremes communes ducentas, trieres paruas quinquaginta, biremes viginti. Putabant autem illi nostros mox fuga dilapsuros, præteritisque victorijs elati, nihil minùs quàm nostros superiores fore existimabant. Minorem enim illi credebant classem Christianorum, quàm reuerà esset: sed cùm propiùs accessissent, nostrorumque vires conspicati essent, sanè admirati sunt. Verùm ea iam temporis & loci ratio aderat, vt consultandi spatium non daretur. Itaque ad pugnam se parant, pollicētur duces militi gratiam sui Imperatoris & spolia amplissima, quibus inhiant rapaces illi & feri homines. Aliud tum affulsit Christianis fauoris diuini illustre argumentum. Ventus enim, qui nostris hactenùs aduersus, Turcis secundus fuerat, ab insperato ità consopitus est modo sanè admirabili, vt summa maris tranquillitate vterentur. Sol

Numerus nauium Turcicarũ

Magna præsentis Christi, nostrisq; fauentis indicia.

quoquè radijs suis hostes verberabat, simulque ventus 1571
quidam ab Occasu leniter spirans, fumum, quem tot tormentorum excitabant tonitrua, à nostris in hostes deferebat. Magna erant hæc præpotentis Dei beneficia, vt non immeritò illi potissimùm hæc adscribenda sit victoria: cuius tam præsenti ope & auxilio freta Catholicæ Ecclesiæ classis, sæuissimos hostes debellauit. At verò Turcæ cum ingenti vociferatione & incitato cursu in nostros feruntur, sed adeò eorum classis perpetuis sex magnarum triremium, quæ nostram classem antecedebant, fulminibus afflicta est, magna hominum strage edita, vt superbissimi trucesque illi Christi hostes timore correpti, ordines seruare non possent. At pergebant tamen præfractis animis, & magnas illas triremes vi penetrare conabantur: sed adeò malè tum accepti sunt ab illis, vt tertia ferè classis eorum pars non sinè multorum cæde destructa fractaque sit. Nam quo minùs possent illos ictus celeri cursu deuitare, à vento tum nonnihil aucto retardabantur, qui etiàm fumo omni in illo adacto propemodùm omnem eis videndi facultatem adimebat.

Magna cædes Turcarum.

Audiebant tum nostri fragores magnos ruinasque malorum, antennarum, nauium dissipatarum: videbant non paucas illorum trieres flammis absumi, plerasque amissis gubernatoribus consistere: innumeros ferè homines, remos, antennas, vasa, diuersi generis arma ferri super aquas. Et hæc quidem omnia solis illis sex magnis triremibus, quarum vsus in nauali pugna necdùm compertus anteà fuerat, perpetrabantur: quod fuit sanè admiratione dignum. Porrò in sinistro cornu nostrorum ingens ortum est prælium. In dextro quoquè fere congrediebantur cum Turcis, nisi quòd vtriusque duces, dextri Christianorum & sinistri Turcarum, occasionem sustinebant rei benè gerendæ. In media acie, Austriacus, Columna & Venerius, egregiè seruato ordine, medio æquè Turcarum agmini occurrerunt, sed ante conflictum magno hostium detrimento & terrore bis terve, quædam quinquiès tormenta exonerârunt, cùm interim Turcæ in multis suis bombardis ignem accendere non possent, & quas incendebant, earum ferè pilæ nostrorum naues nullo dato damno præteruolarent. Quod indè accidit, quòd hostilium nauium proræ multo altiores essent nostris.

Turcarum tormenta parũ nocent classi nostræ.

At neque his tamen fracti homines truculenti, sed furoris quodam œstro perciti, incurrerunt in Christianos:

1571 nos: quo in congressu ex innumeris sclopetorum aliorumque instrumentorum ignibus mare ardere videbatur. Cumque alij in aliorum naues insilirent, ferroque malleis militaribus, sicis, gladijs, alijsque varij generis armis inter se confligerent, tantus fusus cruor est, vt mare instar sanguinis caberet. Dixi paulò antè, in sinistro nostrorum cornu ingens ortum fuisse prælium, Turcicis quibusdam nauibus è suo dextro cornu in illud impetum facere nitentibus: sed adeò illic quoque nostrorum virtute, illorum impetus retardatus est, viresque & naues elisæ sunt, vt non pauci in mare præcipites se dederint, in continentem enatare volentes, multi substiterint, tum quòd effugiendi deesset facultas, tum quòd de Christianorum clementia benè sperarent. Antiquitùs iam apud Turcas more comparatum est, vt primo congressu magnam præ se ferant audaciam, & mira ferocitate faciant in hostes impressionem: qui si fortitèr sese opponant, facilè animi in pedes illis decidunt, libenterque fugam capessunt: nisi ab infinitis copijs, quibus in terrestri præsertìm pugna semper abundant, auxiliorum spes oblata sit. Quę cùm hîc nulla esset, vt se viderunt Christianorum viribus impares, suosque omnes ab illis trucidari, relictis trieribus aufugerunt. Interim Christiani, quos in sua classe Turcæ captiuos habebant, ipsorum armis vincula sua perfringebant, & suas iniurias vlciscebantur. Multi quidem in sinistro cornu Turcæ, priusquàm à nostris includi possent, in mare se iactârunt: sed naues eorum omnes captæ sunt, & si qui in eis reperti Turcæ, pœnas suæ crudelitatis dedêre, ad vnum omnes interfecti. In media acie clarissimus princeps Austriacus cum ipso Hali Bassa & duobus alijs ducibus ea virtute & felicitate congressus est, vt tametsì quinque triremium ferret impetum, & tèr ex ipsa Hali Bassæ prætoria naui, cùm ad malum vsque peruasisset, non sinè multa cæde repulsus esset, totam tamen nauim illam occupârit, ipso Bassa interfecto. Ibì tum à nostris proclamata victoria est, nec iam cædendis, sed colligandis hostibus spolijsque diripiendis operam dabant victores. Multi ibì capti & cæsi proceres Turcæ, Ianizari alijque milites propè innumeri. Soli illi euasêre, qui mox ab inchoato prælio minoribus nauigijs aufugerunt, in quibus fuit etiàm Portauus Bassa. Fugit tamen etiàm Oluzalius cum multis triremibus, quòd noctis iam sese ferè intendentibus tenebris, eũ persequen-

Mare ex sanguine rubet.

Austriacus princeps capit nauim prætoriam.

Aliquot Turcæ aufugiunt.

sequendi facultas erepta esset. Post eam tam insignem victoriam, quam Christiani ex sæuissima Turcarum gente quatuor horarum spatio retulêre, cùm classis nostra singulari ducum industria in portum reducta esset, incredibilis derepentè tempestas orta est, nullo Christianorum detrimento, qui iam in tuto loco essent, vbì etiàm triduò festos egêre dies, Deo optimo maximo, vtì par erat, pro tanta victoria laudes gratesque agentes. 1571

Captæ sunt Turcarum naues centum & triginta, eæque omnes omni commeatûs genere instructissimæ. Perierunt autem plùs minùs octoginta, ad quadraginta ferè fuga dilapsæ sunt. Præda sic distributa est: Triremes Pontifici cessêre nouendecim communes cum duabus paruis, Philippo regi quinquagintaocto cum dimidia communes, sex cum dimidia paruę. Venetis trigintanouem cum dimidia cōmunes, quatuor cum dimidia paruæ. Tormenta militaria Pontifex accepit nouendecim magna, tria quibus lapides vibrantur, quadragintaduo minora. Philippus Catholicus rex quinquagintaocto cum dimidio magna, octo cum dimidio, quibus saxa iaciuntur, centum vigintiocto minora. Veneti trigintanouem cum dimidio magna, quinque & dimidium ex eorum genere, quæ lapides vomunt, octogintasex minora. Captiui sic sunt distributi, vt Pontifici venerint octingenti octoginta & vnus, Philippo regi mille septingenti tredecim, Veneris mille centū sexagintaduo. Quæ hactenùs de bello Cyprio & Turcicæ classis excidio, Christianorumque clarissima victoria, cui parem nullam vnquàm ex Turcis Christiani adèpti sunt, annotauimus, in iis ferè secuti sumus Iohannem Petrum Contarenum, qui has res copiosè perscripsit ad Iohannem Grimanum Patriarcham Aquileiensem.

Turcarum naues captæ 30.

Prædæ distributio.

nota fere Victoria ... [illegible]

Itèm captiuorum,

Libet autem ad huius victoriæ calcem adijcere nonnulla, quæ ex Vrbe scripta fuêre, digna sanè, quæ ad posteros transmittantur. Erant scripta Germanicè, nos Latino sermone reddimus succinctè. Quandoquidem (inquit is, qui literas scripsit) hæc victoria aduersùs Turcas præter spem diuinitùs obtigit, pro indubitato habetur, Pontificem Pium V. præclaro zelo, perpetuis ieiunijs, largis eleemosynis, nunquàm ferè intermissis precibus, alijsque pietatis & charitatis operibus eam à Domino impetrâsse. Cùm enim cognouisset ille Christianorum classem soluisse, & ad hostē contendere, in intimum quendam palatij sui locum se recepit, precesque atten-

Pius V. sub bello Turcico quid egerit.

1571 attentissimas Deo cum lachrymis & gemitibus fudit, in ijs noctes atque dies perseuerans, nisi quòd interdùm pro humanæ naturæ fragilitate necessario cibo & somno vti compulsus est, idque sanè parcissimè: quo quidem tempore ineuitabilis necessitatis alijs quibusdam pijs & religiosis hominibus suas precandi vices demandabat: vt ità nullum omninò tempus precibus vacuum abiret. Durauit autem optimus & sanctissimus Ecclesiæ pastor & pater in hac precum instantia ad eam vsque horam, qua nostri Turcarum classem debellârunt. Quo tempore ex loco illo, in quem se abdiderat, iucundo vultu prodijt, hocipso subindicans lætissimum ipsi allatum nuncium, rursusque se contulit ad tractanda more suo negocia publica, à quibus interim, dum esset in precibus, planè feriatus erat. Fertur sanè diuinitus ei reuelata victoria illa, tametsì nihil eiusmodi sanctitas eius præ se ferret. Postquàm autem ad quartam noctis horam certum victoriæ nuncium eius sanctitas posteà accepit per veredarium, præ ineffabili animi exultatione sese in lecto continere non potuit, sed mox humì prostratus, cum lachrymis dixit: Deus respexit in orationem humilium, & non spreuit precem eorum. Scribantur hæc in generatione altera, & populus, qui creabitur, laudabit Dominũ. Quia prospexit de excelso sancto suo, Dominus de cælo in terram adspexit: Vt audiret gemitus compeditorum, & solueret filios interemptorum. Nunc dimittis seruum tuum Domine.

Videtur diuinitùs cognouisse victoriam Christianorum.

Psal. 101.

Luc. 2.

Sequenti die cum Cardinalibus, qui tum Romæ erant, in sancti Petri templum ingressus, omnipotenti Deo cum summa humilitate gratias egit cum hymnis & canticis alijsque Christianis cæremonijs. Quibus peractis, Cardinales omnes ad eum venerunt, de tanta victoria eius sanctitati gratulaturi. Eos verò ordine singulos ille complexus, peramanter suo adstrinxit pectori, oculis interim lachrymas distillantibus. Cumque lætitiæ declarandæ causa in castro sancti Angeli & alijs Vrbis locis omne genus tormenta disploderentur & exonerarentur, confestìm vetuit, nè eiusmodi superuacaneæ expensæ fierent: sed illarum precium potiùs in leuamentum & solatium earum conferretur animarum, quæ in illa nauali pugna è corporibus excessissent.

Nota eius pietatem.

Oluzalius, quem Luzialim alij vocant, vbì primùm à fuga substitit, & in tutum peruenit, iussit omnia nauigia, cuiusuis generis, quæ per mare mediterraneum in por-

Strtatagema Oluzalij.

portubus Turcarum ſtabant, ad ſe conuenire, cum multis 1570
dicrotis, liburnis, myoparonibus, celocibusque minori-
bus, qua cum claſſe Byzantium adnauigauit. Huc cùm
veniſſet, ingens claſſis apparuit, plurimumque conſola-
tionis attulit multitudo, diſploſorum tormentorum
claſſicorum ſtrepitus, vexilla captiuarum triremium per
mare tracta, captiui Chriſtiani, captiuaque nauigia vn-
dique conquiſita. tantus huius claſſis erat triumphus, vt
plurimi non victam, ſed victricem exiſtimarent. Admiſ-
ſus ad Selymi colloquium Oluzalius, ſeſe purgauit, for-
titudinem ſuam in hac pugna commemorat, in cuius ar-
gumentum claſſem, hominesque captiuos oſtendit: vi-
ctoriam Chriſtianorum extenuat, eam maxima illorum
clade partam affirmat, multaque ad ſuæ ignauiæ defenſi-
onem adducit, quibus exulceratum Selymi animum mi-
tigauit. Tantum de bello Cyprio & nauali pugna, victo-
riaque Chriſtianorum in Corinthiaco ſinu parta, cuius
vtriuſque deſcriptionem copioſiorem qui legere volet,
conſulat Ioan. Petrum Contarenum.

Hoc anno à Caluinianis in mari duodecim è Soci-
etate Ieſu perempti ſunt, quod hîc paucis commemora-
bo, vbi prius longè plurium eius Societatis, anno ſuperi-
ori æquè in mari occiſorum, hiſtoriam pertexuero. Quæ
etſi debuit anno ſeptuageſimo reponi, tamen quandò
tùnc alijs occupato non venit in mentem, hoc loco refe-
retur, non quidem prorsùs opportuno tempore, (incidit
enim, vt dixi, in annum ſeptuageſimum) ſed non tamen
ſinè lectoris pari fructu. Eo ergò anno Vlyſſipone profe-
cti Nonis Iunij ad ſexagintanouem è Societate Ieſu cum
Aloyſio Braſiliæ prouinciæ præfecto, octauo die Made-
ram appulerunt claſſem nauium ſeptem. Vbì cùm non-
nihil hærere vellet Aloyſius, nautæ vnius nauis ob mul-
ta in Palma, quæ eſt vna ex inſulis Fortunatis, negocia
conficienda, copiam præcedendi & petunt, & impetrant.
In ea naui cum multis è Societate erat etiam pater Igna-
tius & Didacus Andrada. Ignatius, quòd multa in eo
mari impenderent pericula, primò non ſuſtinet nauim
illam ab alijs digredi: tandèm tamen aſſentit, ſed prius
confeſſione & Euchariſtia omnes curat præmuniendos.
Soluunt indè pridiè Calendas Iulij: porrò quinto No-
nas Iulias comperiunt Iacobum Soriam, hominem egre-
giè Caluinianum, non longè abeſſe cum ſeptem ferè na-
uibus. Et is quidem ab Aloyſio, decem nauium claſſem
bene inſtructam aduersùs eum producente, territus, fu-
gam

Palma, vna ex inſulis Fortunatis.

Caluiniani quidam inuadunt nauim Lusitanorũ.

1570 gam inijt: ſed ità tamen, vt non diù pòſt occurrerit vni illi naui onerariæ, quam alias præceſſiſſe diximus, in qua Ignatius cum pleriſque alijs erat. Initiò quidem Luſitani nautæ, qui in eadem fuére naui, ad defenſionem ſe parant, & tres ex hoſtium naui in eam inſilientes momento temporis perimunt: ſed aucto Caluinianorum numero, cedere compulſi ſunt. Ijs ergò in nauim vi irrumpentibus, Iacobus Soria præfectus claſſis Ieſuitas omnes iubet interfici, dicens eos ob praua ferenda dogmata in Braſiliam proficiſci. In alios aliquanto humanior, cùm audîſſet presbyteros (ſic enim vocabat Ieſuitas) trucidatos, eos ferè paſſus eſt viuere.

Cædunt Ignatium Ieſuitam.

Primus omnium cæſus ab illis Ignatius eſt, qui erat Braſiliæ Prouincialis, vt vocant, ſumptaque in manus beatiſſimæ Virginis imagine, hortabatur Catholicos ad officium & ad pietatem: ac deindè ſublimem ferens eam imaginem, conſtanterq́ue obuiàm procedens hoſtibus, ſeq́ue Catholicum cum ſuis profitens, ab illis lanceæ tribus ictibus confoſſus eſt, imaginem illam tam tenacitèr retinens, vt nec defuncto extorqueri è manibus potuerit. Occiſus mox eſt etiàm Didacus Andrada, & vterque cum matris Virginis ſacra imagine iactatus in mare. Indè hoſtes properant ad alios Ieſuitas, qui erant octo & triginta, omnesq́ue talaribus tunicis, quanuis non magni precij, nudatos, & bìs terve pugionibus confoſſos è naui proijciunt, quorundam ſanè etiàm amputatis brachijs, nè vlla ratione poſſent euadere. Sic illi feliciſſimè è corpore abeuntes, pro momentaneis cruciamentis à Chriſto recepti ſunt in vitam bonis omnibus, ijsq́ue ſummis & æternis, affluentem. Sed dolebat adhuc Soriæ tres è ſuis à Luſitanis interfectos. Indicantur cædis eius authores, onerariæ gubernator & duo eius adminiſtri. In eos ſæuitum eſt planè atrocitèr. Viuentium diſſecta pectora, extractaque viſcera & in mare abiecta. Nec hîc tamen finis Caluinianæ modeſtiæ & Euangelicæ manſuetudinis. Caput vnius è collegio ſacratiſſimarum vndecim millium virginum ad carcheſij funem ſuſpendunt, imaginem quandam omni honore digniſſimæ matris Dei & Domini noſtri Ieſu Chriſti, qui iniurias matris ſuæ & vult & poteſt egregiè vlciſci, cum alijs permultis ſacris imaginibus in quodam angulo nauis collocant, & in eas ceu in ſcopum ſicas vibrant ſuas. Porrò benedicta roſaria & Sanctorum reliquias, libroſq́ue catholicos contemptìm in vndas proijciũt. Hæc omnia

Itèm Didacũ Andradam.

Mox 38. è Societate Ieſu.

Itèm 3. Luſitanos.

Iniuriæ illorum in ſacras reliquias & imagines.

duo

duo narrauêre Lusitani, tam illustrium facinorum, quæ hodiè discuntur in scholis noui Euangelij, testes oculati. Superfuêre ex Iesuitis triginta, qui posteà in Brasiliam constanti animo profecti sunt, licèt non ignorarent comparatas sibi insidias. 1571

Quidam ex illis magnas in itinere illo perpessi sunt difficultates & molestias, ità vt præ immodico imbre non solùm esculenta corrumperentur, sed etiàm vestes, quibus induti erant, penè putrescerent. Plerique etiã tempestate ità disiecti sunt, vt incertum sit, quò peruenerint. Quatuordecim reliqui, in vnam cum alijs quibusdam conjecti nauim, qua sola Aloysius præfectus cœptum iter persequi statuerat, dies octo secundo vsi vento, naues quinq; sub solis occubitũ vident, quatuor Gallicas, vnam Anglicam. Et dissimulato in noctem vsque consilio, deindè ab improuisò in hanc Aloysij nauem cursum intendunt. Aloysius facilè aduertens hostiles esse, iubet suos ad arma se parare, & si sic necesse sit, pro Catholica religione fortitèr occumbere. Deindè confitetur peccata sua: idem cęteri faciunt, qui id possent in ea temporis angustia. Manè hostilis nauis, quam Galeonem vocant, ad Aloysij nauem appropinquans, certis quibusdam significationibus iubet Lusitanos vela submittere. Illis id detrectantibus, tèr magno in eos impetu facto, hostes ex eis quinque occidunt, septendecim vulnerant, viginti ferè è suis amissis, circitèr vndecim vulneratis, magnisque alijs acceptis incommodis: è quibus id maximè dolebat, quòd bombardarum ictu vela eorum dirupta essent. Quarto demùm insultu Lusitanos superant, quòd iam paucissimi essent relicti propugnatores. Irruunt in nauim Lusitanam hæretici sexaginta: resistit aliquandiù Aloysius, sed illo perempto, reliqui se dedunt, at nihilominùs obuij quique à Caluinistis trucidantur, & simul cum Aloysio in mare iactantur. Mox accurrunt Caluinistæ ad Sanctorum reliquias & sacras imagines, quarum illic ingens erat numerus, eas à Catholicis vi extorquent, trahunt per tabulata, conculcant pedibus, deniquè flammis exurunt, & immanes euomunt blasphemias, quæ sine horrore scribi non possint, in Sanctos, quorũ illæ erant reliquiæ. Huius classis præfectus erat Iohannes Cadauilius, eademque vehebatur rostrata naui, quà anno superiori vectus fuerat Icaobus Soria. Extant hæc omnia, iam diuersis locis typis excusa. Cùm sic autem Lusitanos occidissent, ad patres Societatis

Aliam nauim Lusitanam inuadũt Caluinistæ.

Occidunt Lusitanos

Indignissimè tractãt sacras imagines & reliquias.

1571 cietatis ventum eſt, qui iam confeſſione peccatorum ſuorum ſeſe ad mortem præparârant: cumq́ue ad confirmandos milites è tabulatis aſcenderent, neminem ex ijs repererunt. Vnus autem ex patribus paulò antè aſcenderat. Caſtrius is dicebatur. Eum Caluiniſtæ illi occupatum offenderunt audienda gubernatoris cuiuſdam confeſſione. Valdè igitur commoti, quòd ſacramenta miniſtraret homini extremum ſpiritum trahenti, permultis eum vulneribus certatim confoderunt, cumq́ue cum alijs duobus, quos è tabulatis prodeuntes confeſtim peremerant, in mare deiecerunt. Reliqui vndecim hos ſecuti, liberè fatebantur ſe Catholicos eſſe. Eos tota die mirè exagitârunt hæretici: nocte ligatis à tergo manibus, duos primùm è naui præcipitant: nouem, qui ſupererât, in cuſtodiam traduntur, coguntur q́ue & famem pati, & crebrò audire, Papiſtæ, latrones, ecquis tandèm vobis vitam eripiet? aliasq́ue id genus blanditias Euangelicas. Pòſt educti è carcere, damnantur capitis, ſuſpenſiq́ue eſſent è maximo nauis mâlo, niſi ſpes pecuniæ apud eos reperiendæ rem protraxiſſet. Indè ſeptem ex oneraria in roſtratam abducuntur, rurſusq́ue egregiè petulantium linguarum flagellis verberantur. Multa ibi tum nefanda iactabant hæretici in Romanum Pontificem, in Eccleſiaſticos ritus, in Sanctos & cultus eorum, in ſacroſanctam Euchariſtiam. Ad quæ cùm patres illi ſic, vt par erat, reſponderent, pugnis & alapis ſalutabantur, audiebantq́ue inter cætera, Canes, fures, impoſtores.

Caſtrium Ieſuitam dirè perimunt. Itèm alios duos. Alios mirè exagitãt.

Erat inter eos Petrus Ferdinandus nouitius, omnium recentiſſimus. In eo moleſtiſſimè ferebant hæretici, quòd magnam vultu atque oculis præferret modeſtiam & religionem. Itaque arripiunt caput eius, vtraque ſuſtollunt manu, infeſtant colaphis, digitis diſtendunt palpebras, paxillos mento ſupponunt, ne vultum demittat, conuicijsq́ue eum benè ſatis proſcindunt. Quæ ille tam iucundo tulit vultu, vt ſe etiàm tanto Dei munere, quòd ſcilicet pro illo pati poſſet, indignum putaret. Longum eſſet ſingula perſequi, quæ ibi tum dicta factaque ſunt: quæ qui fuſiùs nôſſe volunt, habent in libris impreſſa. Ad extremùm omnes ab hæreticis in mare magno impetu coniecti ſunt, atque ibi alij citiùs, alij tardiùs ſubmerſi, mortem pro Domino libenter exceperunt. Duo, qui in oneraria naui relicti erant, ab hæreticis quoquè necati ſunt. Ex omnibus verò duo tum natandi peritia, tum Dei prouidentia incolumes euaſere, for-

Non poſſunt ferre modeſtiã, &c.

Iactant Ieſuitas in mare.

fortaſsis Deo ſic volente, nè deeſſent qui ad aliorum no- 1572
titiam has cædes perferrent.

Hoc eodem anno 1571. cùm iamdiù Geuſei in mari piraticam exercuiſſent, quaſdam Hollandiæ inſulas, Schellinck, Texaliam & Vuieringiam occupârunt.

ANNO deinceps 1572. fatali certè, & multis regnis atque prouincijs funeſto, nouum oritur bellum, inter Selymum, & Dauidem Regem Aethiopiæ, quem Vncanum, Præto Ioannem, Presbyterum Ioannem, vel pretioſum Ioannem appellant. Huius imperium ſub ipſo æquinoctiali poſitū, latiſſimè ſeſe ad vtrunque Tropicum extendit. Lunæ montes, & maximam Africæ partem complectitur, multoſque ſub ſe reges habet. Cauſa belli fuit tributum denegatum, aut dilatum. Cùm enim Turcarum Imperatores ex veteri pacto tributum, ducentorum millia nummûm, Aethiopum Regi pendant, Selymus id iam biennio non miſerat. Rex itaque Cairum, Aegypti vrbem celeberrimam, quam & Memphim & Babylonem vocant, vniuerſumq; agrum ſub imperio Turcico vicinum, emiſſis Nili aquis, ſubmerſit. Eſt enim in huius Regis arbitrio, placidè & moderatè aquas Nili in hos agros immittere, ſolumque fœcundare, cùm nec niues habeat, nec imbres; aut perforatis quibuſdam anguſtijs, vrbes & agros, homines atque iumenta fluctibus inuoluere, & ſuffocare. Purpuratus Memphiticus, ferro potiùs, quàm auro, ſe inundationem hanc coërcere poſſe putans, multos Arabes, Mauros, multoſque Cairi incolas, accolaſque cogit, fineſq; Aethiopum ingreſſus, omnia vaſtat, & populabundus ad Saban & Meroën procurrit, anguſtias illas occupare & obſtruere conatus. Sed à Dauide præuentus eſt, omnes Mauri & Arabes cæſi, capti, & in fugam verſi ſunt. Id cùm malè Purpurato ſucceſſiſſet, ſimulat ſe inſcio amici regis agros ſpoliatos eſſe, nihil petere quàm amicitiæ veteris continuationem. Sed Aethiops non ignarus cuius auſpicijs hæc geſta erant, literas Purpurato mittit, & vt tributum ſoluat ſinè vlla contradictione aut prorogatione imperat. id niſi faciat, ſe finitimos Turcarum agros hoſtilitèr ingreſſurum, omniaque ferro & flamma vaſtaturum. Quod & confeſtim feciſſet, niſi cum Perſa de Arabiæ finibus bellū metuiſſet, quod paulò pòſt prudenti eſt conſilio ſopitum.

Bellum inter Selymum & Præto Ioannem.

Selymus cùm nondùm iram ex clade Corinthiaca

1572 acceptam decoquere posset, multos Græcorũ sacerdotes miseris modis interfici mandauit, eos accusans, quòd Deum pro Christianorum salute aduersùs Turcicam incolumitatem precati fuissent. quod exemplum sequentibus annis Geusei in Belgio imitati sunt, quibus nihil vsitatius est, quàm tùm seuire in Catholicos, cùm insignem ab Hisp. Rege cladem ipsi acceperunt, illam Catholicorum votis & orationibus imputãtes. Multi quoquè tunc temporis Turcæ Christianam fidem amplexi, cùm ad supplicium ducerentur, nihilque in via clamarent, quàm Christianorum fidem veram fidem esse, priusquàm ad locum supplicij venissent, iugulabantur.

Selymi in Christianos tyrannis.

Sed & Turcæ nouis victorijs acceptam gloriȩ maculam eluere volẽtes, Iaderȩ insidiabantur. ad insulam itaque appulsi, ad ingressum statim munitionem struunt. Iaderenses 400. ciues Turcicæ linguæ peritos emittunt, qui Turcarum habitu amicti, armisq; Turcicis accincti, per noctem sese Turcis coniungerent, non autem pugnarent, priusquàm maiores sociorum copias aduẽtare conspicerent. Hi veniẽtes ad munitionem accepti sunt. Paulò pòst Iaderenses subsequentes pugnam offerunt. initiò leui prælio pugnatur, retrocedunt Turcæ, atque in munitionem sese recipiunt, vnaque cum illis Iaderenses, qui Turcas se simulârant. Oppugnant interìm alij munitionem, & mox qui in munitione erant, armis in Turcas conuersis, eos penè omnes succurrẽtibus socijs occidunt. Hermolaus quoquè Teupolus Venetus in Hadriatico sinu Archipiratam Recamatorem capit, qui astu manus eius euadere volens, occisus, indè excoriatus, ex antenna suspenditur, eique nauarcha, viuo priùs cute detracta, adiungitur.

Turcæ Iaderæ insidiantur.

Strategema.

Recamator Archipirata capitur.

Geusei, quòd exacerbatos Belgarum animos ob exactum decimum nummum sibi persuaderent, ea re egregiè abusi sunt ad concitandos magìs magisque eorum animos, atque ità regias ditiones occupandas. Promittunt plebeijs, qui ferè rebus gaudent nouis, inprimisque libertate, se eos erepturos ab illa immani Hispanorum seruitute. Itaque breui tempore munita aliquot loca ab illis obtinentur, primo Aprilis Briela, sexto eiusdem mensis, in quem tum sacrosancta Paschæ solennitas incidit, Vlissinga munitum Zelandiæ oppidum. Biduo pòst tumultuatum est Roterodami propter introductum in eam vrbem militem præsidiarium. Eodem mense occupat Ludouicus Nassouius Montes, ciuitatem pri-

Geusei multa Belgij loca occupant.

primariam Hannoniæ, inprimisque firmam. Octauo 1572.
Maij obtinent Geusei Valencenas, sed paulò pòst indè expelluntur.

Eodem mense scripsisse fertur princeps Auraicus primarijs Hollandiæ ciuitatibus ex castro suo Dillenburgo, petijsseque ab eis subsidia contra Albanum. Decimooctauo Iunij Veteresaquæ in Hollandia occupantur à Geuseis. 23. eiusdem mensis Gouda, 25. Dordracum, Harlemum, Leida, porrò in Zelandia Verense oppidū & Zirckzee. 26. Gorcomium. Magni hi erant successus Geuseorum, quibus illorum vires non parùm auctæ sunt. Secuta est autem incredibilis penè omnium rerum caritas, quòd libera nauigatione mercatoribus interclusa, vix obtineri possent ea, quibus vel maximè vti solent tum Belgæ, tum vicini Germani ad vitam sustentandam: eaque Belgij calamitas, quam bellum hoc intestinum peperit, etiam totam ferè Germaniam afflixit. Et certè verendum est, innumeros mortales, dum isthæc in Belgio grassatur rerum confusio & perturbatio, fame & inedia perijsse, quandò etiàm permulti non tenuis alioquì fortunæ homines ad quandam inopiam redacti feruntur.

Atque vtinàm mala hæc sola corpora & facultates attigissent. Permultùm detrimenti accepit etiàm ipsa Catholica religio plerisque locis, cùm non deessent, quibus libido quædam nouandæ religionis inesset. Albanus verò, collecto milite, initio mensis Iulij Montes obsedit Hispanis & Burgundionibus, quòd Germanorum copiæ necdùm ad eum peruenissent. Venêre tum ex Gallijs duce quodam, qui magna esset apud Admiralium authoritate, quatuor aut quinque (video enim variare scriptores) peditum millia, & mille quingenti equites, in quibus plùs minùs quadringenti nobiles fuêre: quanquam alij in vniuersum non nisi quadringentos fuisse equites aiunt. Ij volebant Montes obsidione liberare, sed ab exercitu Albani magna ex parte cæsi sunt. Qui fugæ sibi præsidium captârunt, ij à rusticis trucidati sunt. E captiuis plerique laqueo necati feruntur, nonnulli certas ob causas dimissi. Multi verò passìm equites & pedites pro Auraico conscribebantur, apud quos publica ferebatur fama, stipendia eis persolutum iri in Gallijs, Anglia & Belgij ciuitatibus. Sectarij quidam in suis scriptis palàm editis multa infarciunt de Christianissimo Gallorū rege, valdè opportuna ad concitan-

Montes Hānoniæ obsidet Albanus.

Hugenotæ cæduntur.

1572 citandum bellum inter ipsum & Catholicum Hispaniarum regem, tanquàm ille principem Auraicnm & Ludouicum fratrem eius adiuuerit. quæ etiamsì vera essent, quod tamen credi vix possit, celari potiùs deberent publicæ pacis & ttanquillitatis studio. Nos Catholici si talia de magnis principibus scriberemus, egregiè aduersùm nos blaterarent fratres Euangelici: at illi impunè scribunt de maximis regibus, quæ illi nulla ratione agnoscere velint. Quis enim credat, Christianissimum Gallorum regem aduersùs Catholicum Hispaniarum regem affinem suum tale quippiam moliri voluisse, cùm in maximis difficultatibus non longè antè semèl atque iterùm auxiliaribus eius copijs non parùm adiutus esset? Alitèr certè de his rebus loquitur scriptum quoddam Parisijs cum regis priuilegio excusum, Admiralium regis traducendi causa operam dedisse, vt posset eum permouere ad ferendas suppetias Belgis rebellibus: sed nihil prorsùs ibì additur regem illi assensisse: sed potiùs paulò pòst iussu regis occisum Admiralium, de qua re paucis nunc agendum est, antequàm in Montensi obsidione pergamus.

Legatio ad regem Galliarũ.

Cardinalis Alexandrinus ex Hispanijs circa hæc tempora ad Regem Galliæ legatur. tria petijt ab ipso Rege. Primùm, vt Rex sese societati Sacri illius (vt vocabant) fœderis, Pontificis nimirùm, Hispaniæ Regis, & Venetorũ adiungeret. Deindè, nè regi Nauarræ sororem nuptum daret. Tertiò, nè Hugonotarum consilijs aures præberet. Cæterùm nihil horum potuit impetrare. Nauarræus enim, vt sororem regiam sibi matrimonio iungeret, hæreseos abiurationem simulabat, atque ideò magìs in id matrimonium Rex propendebat.

Pius V. moritur.

Ipsis Cal. Maij, Pius V. Pontifex Max. vir magnæ pietatis & sanctitatis, qui & in vita miraculis claruit, vbi diutiùs calculo & dysuria laboràsset, felicitèr ad Dominum migrauit: diutiùs forsitan victurus, nisi ex innato quodam pudore, qui prohibuit nè partes corporis occultas Medicis curandas daret, hoc malum contraxisset. Statìm post exequias, nullo ferè die interiecto, 4. Idus Maij, Hugo Boncompagnus, Bononiensis Cardinalis, Iurisconsultus & nobilis, summo Cardinalium consensu, totiusque populi, ob præclaram de illo expectationem, lætitia, Pontifex creatur, creatusque Gregorij XIII. nomen assumpsit, nec Italiæ de se existimationem fefellit. Si quis enim eius virtutes enumerare velit,

Gregorius XIII. Põtifex Maximus creatur.

Caucasea citiùs soluet de rupe Promethei 1572
Brachia, & à medio pectore pellet auem.

Non enim Demosthenis eloquentia, nec Ciceronis lingua, par esse posset eius commendationi. Si œconomiam (vt ab infimis incipiam) spectes; Romam ex lateritia reddidit marmoream, immò ex ruinis atque ruderibus, nouam, eamque magnificentissimam Vrbem exædificauit. Si politicam administrationem; corruptissimos Italiæ mores repurgauit, pullulantes sæpè Ducum & Rerumpub. motus prudenter suppressit. In Polonia, Germania, Gallia, Belgio, alijsque regnis & prouincijs exteris, quid non fecit, vt bella abrumperet, & seditiones sopiret? quas legationes non misit? quos thesauros non profudit, nè boni à malis opprimerentur? Si sacra iura quæras; ea ipse non tam vetera restituit, quàm noua, eaque optima, condidit. Si ecclesiasticam cõsideres disciplinam; quid non fecit? quibus sumptibus pepercit, vt eam nobis redderet quàm incorruptissimam? Si deniquè Ecclesiam ipsam, atque Apostolicum illud munus, quo ipsa propagatur, animaduertas; inuenies eam olìm toto orbe diffusam, paulò antè in maximas angustias redactam, nunc sub hoc Pontifice dilatari. Quæ enim gens, quæ natio, ad quam Christiana fides hoc tempore non peruenit? Taceo diligentiam, quam in Orientalibus, Occidentalibusque Indijs, magnique Oceani Insulis, per Patres Societatis Iesu, aliosque religiosos conuertendis, insumpsit. Quid non agit, vt errantes ab Ecclesia populos reducat? Anglis, Scotis, Germanis, Vngaris, Boëmis, Græcis atque Hebræis, magnificentissima Collegia construxit, liberalissimeque dotauit. ex quorum alumnis in patriam redeuntibus qui fructus, quæ emolumenta sint aliquandò prouentura, quis non videt?

Gregorij XIII. laudes.

Seminaria sumptibus Pontificis fundata.

Seminarium instituit pro Iudæis, qui relicta perfidia Christi fidem amplecti cupiuit: erexit aliud pro Græcis & Hungaris, nefandis Turcarum erroribus, alijsve hæresibus imbutis. Collegium Germanicum tam liberaliter dotauit, vt etiàm Polonos, Sueeos, aliasque nationes vicinas, maximè eas, quæ hæresi Luterana laborant, suscipiat. Aliud quoquè pro Dalmatis fundauit. Plurimum quoquè Cleri Romani, alijsque Collegijs celeberrimæ Societatis Iesu contribuit, cuius laboribus Pontifex in horum ferè omnium Collegiorum gubernatione vsus est hactenùs, & in posterum vti decreuit. Magnam quoquè pecuniæ vim dedit Collegio Pragensi

1572 & Viennensi. Præterea nobilem illam Academiam Louaniensem, rebellione principis Auraici grauissimè afflictam, sua liberalitate magnoperè subleuauit. In Liuonia breuì seminarium erexit, pro Liuonibus & Moscouitis: & in Iapania pro Iapanis. Iacta quoquè sunt Parisijs fundamenta Collegij pro Scotis erigendi. Quin & hoc ipso anno, quo hæc scribimus, Belgis frequentissimum seminarium Buscoducis erecturum sese promisit. Mirum sanè esset, vndè tot, tantique (præsertim hoc tempore, Pontificis ærario tam vehementer acciso) sanctissimo viro thesauri prodeant, nisì qui Salomonē ædificantem templum Deo, tantis opibus beauit, rebus humanis adhuc præsideret, & Gregorium Pontificem Maximum, nulli rei quàm Ecclesiæ suæ restaurationi intentum, consimili modo bearet. Ite igitur hæretici, abite muscæ liuidæ, qui præcedentium Pontificum vlceribus (si quæ essent) insidere soletis: sanum hoc corpus est, & à spiculis vestris omninò tutum. Vbi vester Luterus? vbi Caluinus? vbi Beza? vbi rabularum vestrorum & Spermologorum caterua? quis eorum vnquàm Hebræum, Græcum, aut Paganum ad fidem conuertit? quis non infinitos fideles à fide, quam habebant, auertit? Pontifex noster ad ædificationem est, non ad destructionem. quem vt diù nobis seruet incolumem, Deum noctes atque dies deprecamur. Non sum Pontificum adulator, nec inter eos volo numerari: quod res est dico, & me tacente lapides & ligna clamant, literæ mutæ vociferantur, & in vna eademque Ecclesia Græci, Iudæi & Barbari loquuntur.

Sigismundus Rex Poloniæ moritur.

Iulij 18. die Sigismundus Augustus vltimus Iagelloniæ gentis princeps, Rex Poloniæ, Magnus Dux Lituaniæ, Russiæ, Prussiæ, Massouiæ, Samogitiæ, Liuoniæ &c. cùm anno superiori fœdus trium annorum cum Mosco percussisset, hoc anno moritur Knyssiniæ, Princeps pacis in tota vita sua amantissimus, Christianissimusque meritò appellandus. Interregnum integro anno pacatum, & diuina protectione munitum permansit. Erat illud 9. à Lecho primo, huius gētis authore, id est, ab anno Domini 550. vsque huc, interregnum, totiesque regnum ex vna in aliam familiam est translatum.

Nuptiæ Regis Daniæ.

Post biduum Frederici II. Daniæ Regis, & Sophiæ filiæ Vlrici Ducis Megapolensis, nuptiæ, Hafniæ magna cum festiuitate celebrantur.

Pax in

Carolus nonus Galliarum Rex, initam inter se & sub-

subditos suos rebelles pacem, promulgari fecit: Regina verò Nauarræ, ea dispositura quæ ad filij nuptias futura essent necessaria, Lutetiam veniens extremum vitæ diem confecit. Nihilominùs nuptiæ Parisijs regio planè apparatu celebratæ sunt mense Augusto, Henrici regis Nauarræ & sororis Francorum regis Margaritæ. In ijs fuit etiàm Admiralius cum multis alijs nobilibus viris. Cumque is post eas celebratas nuptias è palatio regis 22. Augusti domum iret, quidam, cui ille laqueum minatus erat, sclopeti ictu è cuiusdam domûs fenestra in vtraque mánu & altero brachio eum vulnerauit. Eam rem, quòd mali exempli esse videretur, hominem tantæ authoritatis sclopeto appetere, idque haud procùl ab arce sua, rex indignè tulit, statuitque in hominem illum seueritèr animaduertere, modò comprehendi posset. A prandio rex ipse cum matre regina & fratribus suis venit ad Admiralium, consolatur eum, promittitque se ità in eum, à quo læsus esset, animaduersurum, vt sibi sentiat factum satis. Eodem die & sequenti crebrò mittit ad eum, qui videant & renuncient, vt se habeant vulnera eius. Sed ille acceptis ijs vulneribus magis etiàm exacerbatus, falsò quidem suspicabatur regis voluntate factum, vt ea ratione è medio tolleretur, Guisiosque principes regia ope fretos hominem eò adduxisse, vt sclopeto ipsum peteret. Constituit igitur & regem & principes illos perdere, nec quicquam iam ferè ab eius ore proficiscebatur præter minas. Si qui dicerent, regem eius calamitate dolere, respondebat non nisi figmenta ea esse: se illorum nosse simulationes. Non sibi defuturas rationes omnes illos compræhendendi. Hæc ille & capita conspirationis, cum quibus postridiè eius diei, quo vulneratus fuit, clàm communicatis consilijs, planè decreuit regem, regis matrem & fratres, & plerosque regni proceres illis adhærentes tollere è medio.

1572

Gallia pa-clamata.

Mors Reginæ Nauarræ.

Nuptiæ regis Nauarræ & sororis Galliæ regis.

Admiralius vulneratur.

Conspiratio in regem.

Vigesimo enim tertio Augusti, vocatis ad se Rege Nauarro, Condæo, alijsque suis asseclis, cum ijs in secreto consilium init, eosque ita alloquitur: Charissimi & optimi Domini, ex acerbo hoc meo casu accipere potestis, quo in periculo hìc simus. Certũ ego scio, omnium vestrûm vitam in præsentissimo discrimine positam, nî properè vos vindicetis, fideleq; meum consilium secuti, præsentem Nauarræ Regẽ, quòd apud omnes Status gratia & authoritate multùm pollet, in Galliæ Regem ve-

Oratio Admiralij

1572 strum assumatis & euehatis, id quod hac ratione institui poterit. De ipso Rege Nauarræ, cùm in regio palatio habitet, nihil erit suspicionis. Is igitur ad 27. diem Augusti, suis omnibus optimè armatis & instructis, Regem cum coniuge, matrem, fratresque vno impetu adoriatur, è medio tollat, sicque totam hanc familiam extinguat, aut certè teterrimis carceribus simul conclusos teneat. Hoc verò vt succedat rectiùs, vos ceteri Domini & amici mei, sic instituetis partes vestras: vt Condæus interiorem Regis custodiam inuadat & opprimat, atque ità portam pontemque aperiat, quam ad rem exteriorem Scotorum custodiam certò sibi habebit addictam: Capitaneus Pilierus pontem ad ciuitatem occupet, nè quis ex ciuibus ad palatium accurrere, Regique suppetias ferre possit: cæteri vicum locumque suis ædibus viciniorem quisque obseruet, ac tueatur: solus Montgomerius sit extra ciuitatem ad S. Germanum, vbi per hos dies militem colligere, & vobis succurrere in tempore queat. Et hoc in secreto vos seruaturos, noctéque dicti diei executuros, mihi promittetis & iurabitis. Sic ego lætior hinc migrabo, vbi regnum ad nostros hæredes translatum videro.

Nauarrus latrocinium conceptum detegit.

Catilinæ isti, vbi in horrendum illud latrocinium conspirâssent, Nauarræum, diuina proculdubiò bonitate sic prouidente, tanta inuasit melancholia, vt omnes eius actiones & mores à prioribus penitùs discreparent. Ex quo nouella ipsius vxor Margarita intelligere facilè potuit, rem haud rectè se habere. Causas itaque huius tristitiæ studiosissimè à marito quæsiuit. Ad quod ille, post ingentia suspiria, manuum contorsiones, & sublatos in cælum oculos, rem, & institutum Admiralij latrocinium detexit, his verbis additis: Omnipotens æterne Deus, quomodò possem, aut deberem etiàm in cor meum admittere, vt summos meos benefactores, & propinquissimos cognatos, tam proditoriè interficerem? Oro te, dilectissima coniunx, indica hæc matri nostræ Reginæ, vt ipsa hæc ad Regem Dominum nostrum confestim referat. Quod cùm factum esset, Rex Nauarrum & Condæum ad se vocauit, veritatemque rei inquirit, quam statim confessi, veniam orârunt, eamque consecuti sunt.

Tum verò in tanto discrimine ocium nullum rei certiùs explorandæ sibi dari sentiens rex, statuit eas insidias & machinationes absque vlla dilatione fortitèr anteuertendas. Agebatur enim de ipsius, multorumque Principum, & totius regni excidio, cui necessariò videbatur

batur seuera executio opponēda, vt quod importuni ho- 1572
mines in ipsius maiestatē & alios Principes cogitâssent,
in eosipsos deuolueretur, consiliaque mala consultoribus
pessima forent. Itaque manè alterius diei irruptio facta
est in ædes Admiralij, & inter alios etiàm ipse cæsus est
atque è fenestra præcipitatus, & præciso capite cadauer li-
gato ad pedes fune tractum, & à pedibus ignominiosè
suspensum. Ciues Parisienses, qui & Catholicæ religio-
ni, & suo regi, vt decet bonos subditos, sunt addictissimi,
in ædes Hugonotarum irruperunt, multosque trucidâ-
runt. Inter alios quoquè Petrus Ramus, turbulentę vitæ,
& sui in linguas, artes, disciplinas, & Theologiam ipsam,
furoris pœnas luebat. Idem factum est Lugduni, Rotho-
magi, Aureliæ & aliis plerisque locis. Regem Christia-
nissimum hoc nomine quidam sectarij odiosè palàm li-
bris editis traducunt, & tot Euangelicorum hominum
cædem mirè exaggerant, gratulaturi fortassis haud me-
diocritèr, si regia maiestas & Papistæ omnes, vt ipsi per
contemptum Catholicos vocant, ab Hugonotis iugula-
ti essent. Non est obscurum, quot Catholicorum millia
Hugonotæ in Gallijs intra paucos annos priuata autho-
ritate, nullo prorsùs iure trucidârint. Non puto ego fra-
tres Euangelicos eo nomine valdè mœrere. Ferant ergò
in suis, quod in nostris fortassis etiàm egregiè probant.
Interim tamen video ne ipsos quidem hæreticos in hac
Admiralij & aliorum cæde commemoranda consentire.
Scripsissem pleniùs hac de re, si mihi omnia magìs explo-
rata fuissent. In ijs autem, quæ annotaui, Parisiense illud
scriptū, cuius suprà memini, & literas ad Principes quos-
dam Germaniæ ipsius Regis manu Gallicè scriptas, ferè
secutus sum. Hæreticis certè tutum non est commoda-
re fidem. Constat autem, regi & reginæ matri liberis-
que eius Caluinianos necem molitos, etiàm ex cuius-
dam Caluiniani publico scripto, cuius iam antè mentio
facta est. Sed nunquàm regibus & principibus magnis de-
est diuina protectio, quippè à quibus sæpè totius regni &
multorum populorum salus pendeat. Ea igitur etiàm
Christianissimum Galliarum regem Carolum seruauit
à structis maiestati eius insidijs, quæ si suos habuissent
successus, actum sanè in illo amplissimo regno de Ca-
tholica religione fuisset.

Admiralius interficitur.

A pedibus suspēditur

Hugonotæ in Gallijs cæduntur.

Accidit autem res valdè memorabilis Lutetiæ eo-
ipso die, quo cæsus est cum suis Admiralius. In Innocen-
tum puerorum cœmeterio (alij hospitali dicunt) arbor
quædam

Arbor arida Parisijs floruit.

1572 quædam multis annis sterilis & arida, floruit, foliaque & fructus produxit. Cuius rei interpretationem alijs relinquimus. Certè permultis non immeritò magno & stupori & admirationi fuit. Quòd autem Hugonotæ tam malè habiti sunt in Gallijs, id non parùm in Belgio Geuseorum conatus retardauit. Intereà enim Germanorum copiæ ad Albanum venêre, è quibus alij Valencenas, plerique Buscunducis ablegati sunt: reliqui ad obsidionem Montium profecti: qua tum sanè adeò arcta pressi sunt, qui intra vrbem erant, in orbem dispositis castris, vt vix canis illæsus indè prodire posset. Oppidanis ad bombardæ ictum aquæ præsidio fuêre, vt paucis locis pateret accessus. Vicesimaseptima Augusti Hispani monasterium vrbi valdè propinquum occupârunt, cæsis aliquot præsidiarijs. Multas ex oppido pilas è bombardis iaculabantur in monasterium, sed Hispanos tamen loco illo mouere non potuerunt. Vnum ex suburbijs oppidani incenderunt, vbi posteà tormenta collocata sunt, templo prorsus inuiolato. 28. Augusti Albanus in castra venit, iussitque ob cædem Admiralij, cuius nuncius ad eum perlatus erat, sclopetarios omnes tèr displodere, idque sub noctis medium, needùm quicquam eius rei compertum habentibus obsessis. 29. & 30. Augusti aduenêre tormenta vigintiquatuor. 31. Augusti cœpta est oppugnatio, & sequenti die continuata: quo die quatuor ex oppido tormentorum magistri ad Albanum transfugerunt, omniaque illi indicârunt, quòd viderent fieri non posse, vt vrbs à tanta bombardarum vi seruaretur, quandò illo die in oppidum vibrati essent mille septingenti & sex globi. 31. Augusti perlatum est in castra, Mechliniam munitissimam Brabantiæ ciuitatem cessisse Geuseis. Prima Septembris nunciatum, ad trecentos Geuseos cæsos, dum oppugnant Louanium: at tamen aliquot aureorum millibus vrbe redempta, postridiè Auraicum cum suis indè recessisse. 3.4.5.6. & 7. Septembris primæ diei tonitrua bombardica non sunt intermissa, donèc porta cum duobus fortissimis propugnaculis prostrata est. Indè rursùm perpetuis diebus continuata: quibus etsi multi oppidani læderentur, tamen data opera est, nè quid damni acciperent templa & monasteria. Interim verò, qui in vrbe erant, non cessabant communire sese. Sexto Septembris duo millia equitum Germanorum venêre in castra, quorum aduentus Albano Duci gratissimus fuit. Sed hìc quoquè nonnulla intermiscenda sunt, ante-

Arctissima Montensium obsidio.

Montes oppugnantur.

Mechliniã obtinent Geusei.

Louaniũ redemptum.

antequàm obsidionem hanc absoluamus, vt aliqua sal- 1572
tem temporis ratio habeatur.

Mense Iulio huius anni die 13. expugnatum à Geusceis est castrum oppidi Gorcomensis, in quo erant præter alios duodecim Franciscani, & quidam sacerdotes seculares, moniti eò confugere à præfecto, viro religionis amantissimo. Ij Franciscani cum aliquot sacerdotibus post innumera flagella, cædes inhumanas & inaudita tormenta, vt habet historia, in Brielam insulam deportati sunt à Geuseis, vbi iam medio foro paratum erat patibulum, quod illi coram multa populi frequentia circumire cogebantur non inuiti, litanias interim & suauissimum illud canticum Salue regina, quod hæreticorum aures instar sagittæ ferit, depromentes. Indè in teterrimum abducuntur carcerem: ad quem ea nocte duo germani fratres patris Guardiani, qui martyrij desiderio vel maximè ardebat, admissi sunt, ijque multis modis persuadere conati sunt ei in hospitium abducto, vt dissimulata Catholica religione se liberaret, alioquì certò periturus ea nocte. Quorum ille præposterum affectum contemnens, multa præclarè locutus est, quæ temporis angustia nos omnia annotare non sinit: maluitque reduci in carcerem, quàm cum fratribus illis suis carnalibus indè incolumis recedere. Ad horam noctis secundam adest carnifex, Guardianus tanquàm nihil adsit periculi, suauitèr dormiens, ab illo excitatur, ducitur cum fratribus & filijs suis Franciscanis extra portam Brielensem ad horreum cuiusdam à Geuseis exusti monasterij Regularium. Erat cum illis pastor Gorcomensis, doctrina & pietate clarissimus, qui eadem nocte durissimè flagellatus, magnam præ se tulit animi constantiam, ita vt cùm circunstantes carnificem rogarent, nè ea crudelitate hominem interficeret, ille contrà iuberet non cessare eum à flagellis, dicens se non modò non sentire iam ictus, sed eos etiàm summo sibi esse refrigerio & solatio. Is ergò talis & tantus vir, theologus eximius, concionator facundissimus, lætissimus ascendit scalas, & laqueo necatus, vitam pro Christo & Romanæ Ecclesiæ fide libens profudit. Post hunc martyrij sitientissimus eodem modo occisus est Guardianus Gorcomensis, Nicolaus Pijkius nomine, patria Gorcomensis, cùm suos esset fratres osculatus, hortatusque vt pro Romanę fidei confessione fortitèr mortem exciperẽt. Tertio loco immolatus ęst pater Hieronymus Vver-

Geusei occupant Gorcomium.

Sæuiunt in Franciscanos.

Pastorem Gorcomẽsem suspendunt. Itẽ Guardianum.

1572 Vvertensis fratrum illorum Vicarius, qui quòd signa prę se ferret Hierosolymitanæ peregrinationis, (habebat enim liuida quædam in brachio crucis signa, quæ admotis cultris exciderunt verè crucis Christi inimici) durius tractatus est. Is erat spiritu valdè feruens, suaque ardenti facundia valdè cõfirmauit aliorum animos. Cumque esset tandem laqueo extinctus, reliqui fratres omnes eundem calicem feliciter exhauserunt, dempto vno Gallo Brabantino, qui timore mortis à Catholica fide deficiens, Lummæo militauit. Sed paulò pòst insignem suæ perfidiæ pœnam dedit. Mense enim Septembri subsequente, tanquàm minùs fidelis ad Tribunum delatus, & suspendio adiudicatus, mortem, quam cum martyrij gloria oppetere noluit, cum summa ignominia, summoque animæ suæ periculo, subire coactus est. Nomina vero cæterorum decem, vt in perpetua sint memoria, lubet subijcere. Sunt autem ordine hæc: Frater Guilhadus Danus, sacerdos octogenarius, olim ex Dania ob fidem catholicam pulsus. Frater Nicasius Hesius, vir singulari vitæ sanctimonia præditus, & in sacra Theologia apprimè versatus. Frater Theodoricus Embdanus, Amorfortius, non minùs pius, quàm eruditus, & cùm Paulus Busius, eius ex sorore nepos, omnia apud Lummęum & Ordines Hollandiæ posset, auũculum suum, virum senẽ, à laqueo liberare non potuit: quòd enim noluerit, nõ dico, nè tanto viro hãc astorgiæ notam videar inurere. Horum vterque mihi quondam notus fuit & familiaris. Hunc subsecutus est F. Antonius Hormaer, illum Godefridus Meruel, post quem Franciscus à Bruxella strangulatur: omnes sacerdotes, & diuini verbi præcones. Penultimo loco Petrus ab Ascha, & tandèm Cornelius Vvicanus ambo laici ad supplicium rapiuntur.

Hieronymum Vicarium.

Et reliquos Frãciscanos cum alijs.

Nomina istorum Martyrũ.

Aderat illic quidam sacerdos simplex, iam quartò è manibus illorum ereptus. Is vt vidit fratres illos iucundis vultibus properare ad mortem, Et ego, inquit, cũ fratribus mori volo. Video enim cælum apertum, & animas fratrum in illud recipi. Sed tam stupendo miraculo nihil moti hæretici, eum cum alijs iugulârũt. Ciuis quidam Gorcomiensis, Matthias Thoranus nomine, iam viginti annis miserè herniosus, vt audiuit constantem horum fratrum mortem, Orate, inquit, pro me patres & fratres venerandi, quos inuicta Romanæ fidei confessione non dubito martyres effectos. Vix preces absoluit, & momento temporis integerrimè curatũ se sensit. Fuêre hoc tempo-

Nota rem miram.

Miraculũ.

tempore & loco ità, vt diximus, suspensi Franciscani vn- 1572
decim. Quibus addi potest duodecimus, quē Ruræmundæ in Franciscanorum monasterio Geusei gladijs confoderunt. Porrò Gorcomij feruntur etiàm duo ciues pro Catholica fide in publico foro suspensi 30. Iunij. Necatus est etiàm laqueo apud Brielam Nicolaus Poppelius, iunior pastor Gorcomensis, cum tribus alijs presbyteris. Erant verò etiàm aliundè adducti Brielam duo Frāciscani, qui hoc eodem die, quo alij omnes, quos iam diximus Brielæ necatos, cum Canonico quodam regulari suspensi sunt. Qui omnes oculis insipientium mori visi sunt: ipsi autem in perpetuum viuunt, & in conspectu Domini, mors eorum pretiosa. Mortuos deindè vestibus spoliârunt, & nè quid extremæ crudelitati deesset, alios auribus, alios naribus, alios (ô rem nephandam) pudendis mutilârunt, quibus ad galeros affixis, perpulchrè (vt sibi videbatur) ornati, tanquàm insignem è nobili pugna trophæum reportantes, in oppidum regrediuntur. Vbì hîc mansuetum Christi euangelium? vbi euangelici fratres, qui cùm nocere non possent, noctes atque dies clamabant, Neminem ad fidem cogendum, neminem ob fidei professionē esse interficiendum? non tantùm non occidunt, sed in occisos etiàm immanitate sæuiunt inaudita.

Alij martyrio affecti.

Sap. 3.

Psal. 115.

Indignum facinus.

Sed & paulò antè, capta Alcmaria, in cœnobiū Franciscanorum iidem homines fanatici irruentes, indè Reuerendum Patrem Danielem Arendonckium Guardianum, olim seminarij & conuentûs Louaniensis moderatorem, F. Corneliū Diestensem, Patrem monialiū S. Claræ, Iohannem Nardēsem, Lodouicum Voets, sacerdotes; & Adrianum à Gouda laicum extraxerūt, & Enchusiam miserunt: vbì post varios cruciatus, ipso D. Iohannis Baptistæ sacro die suspensi, felices animas Deo creatori suo reddiderunt. Engelbertus verò Terburgius, eiusdem monasterij laicus, vir simplex & pius, in monasterio relictus erat. Hic posteà delatus, quòd aurum argentumque & sacra cœnobij vasa in sua custodia haberet, apprehenditur, & concreditam supellectilem prodere iubetur. quod cùm facere nollet, miseris modis torquetur, in eculeo extenditur, è manibus pedibusque suspenditur, varijs locis eius corpus admotis facibus aduritur, obscœnus in os potus infunditur, feruentissima aqua perfunditur, flagellatur miserè, atque ità per menses aliquot excarnificatus, cum thesaurum ecclesiæ, D. Laurentium imitatus, prodere nol-

Martyriū fratrū Minorū Alcmariensium.

Martyriū Engelberti Terburgij.

1572 re nollet, tandèm in conſpectu vrbis Amſtelredamenſis, in pago Rara dicto, ſuſpenſus, inſignis athleta martyrij palmam gloriosè eſt conſecutus.

Amorfortia in poteſtatem Geuſeorũ venit.

Circa idem ferè tempus Vltraiectẽſes, qui à Rege adhuc, non tam amore illius, quàm caſtri & præſidij metu, ſtabant, publico edicto cauẽt, nè Amorfortijs annona adueheretur. Peperit ea res graue diſſidium inter vtranque vrbem: nec deerãt Amorfortijs homines quidam fanatici, qui ad exemplũ aliarum vrbiũ, eos quoquè ad ſeditionem atque rebellionem concitarent. Adrianus verò Egmundanus, vir nobiliſſimus, & religioni Catholicæ addictiſſimus, Petrus Vveſtrenus, Rutgerus Petitius, Gisbertus Vermatius, M. Gerardus Scadikius viri cõſulares, magnæq; in hac Rep. authoritatis, plurimùm laborârunt, vt ciues in officio cõtinerent. Dũ ità fluctuant ciues, Comes de Monte, qui iã Zutphaniũ, Suollã, Campos & Harderuicam nomine Auraici occupabat, aliquot cohortes cum tormentis bellicis expugnatũ Amorfortium mittit: ſed tanta erat tunc ciuiũ alacritas, vt interfectis quàm plurimis, hoſtem à mœnibus repulerint, magnamq; ſpẽ dederint, ſe in obedientia Regis & fidei Catholicę permanſuros. Sed paulò pòſt, neſcio quo fato, duorũ hominũ mendacijs perſuaſi, metu potiùs virium aduerſæ partis, quàm amore ſeditionis, ſeſe Comiti Montenſi dediderunt, prę ſidiumque illius acceperunt; ea tamen cõditione, quòd Catholica religio ſarta tecta conſeruaretur, omniſq; iconomachia ceſſaret: quod Præfectus in editiori loco ſtans, publico iuramẽto, inuocato Spiritûs S. numine, iurauit. Sed periurus ille & ſui, paulò pòſt omnia tẽpla, annis ſuperioribus ab omni iconoclaſtarũ impetu defenſa, diripiunt, aras euertunt, & ſacra prophanis miſcent. Multi tunc viri egregij, preter ſuperiùs nominatos, vrbe exceſſerũt, & Vltraiectũ, relictis vxoribus & familijs, cõmigrârunt.

Sconhouia occupatur à Lummæo.

Poſtridiè D. Michaëlis, Comes de Marck, Schonhouiã oppidum, tribus paſſuum millibus Vltraiecto diſtãs, & ad ripã Lechæ ſitum, obſedit. Oppidani diù fortitèr ſeſe defendebant: ſed cùm auxiliũ nullum mitti à regijs viderent, in extremas anguſtias redacti, in arce Ducis Erici Brunſuicenſis Lisfeldia vitam, fortunas, religionis Catholicæ liberũ exercitium, religioſorum locorũ, perſonarumq; priuilegia, ab hoſte pacti, deditionẽ fecerũt. At ille periurus 22. Octobris tẽpla prophanãs, eccleſiaſticã ſupellectilem diripiens, aras euertens, ſacramẽta ſceleratis pedibus cõculcans, omnẽ Catholicę religionis vſum exterminauit.

minauit. Erat in agro suburbano insigne monasterium 1572 Canonicorum Regularium Montis D. Michaëlis, vulgò in den Hem dictū. Huius religiosi in oppidū propter hostiū excursiones cōmigrârant. Ab iconomachia itaq; ad carnificinā proruentes Geusei, F. Theodoricum Gerardi Goudanum, huius monasterij canonicū, plurimis vulneribus conciderunt, & interemerunt. Deindè F. Iacobum Guilielmi, qui etiā Goudanus erat, & monasterij Supprior, cum F. Cornelio Reineri Sconhouiano, è nuce quæ è regione domûs ciuicæ stabat, suspēdentes, cùm constantissimè in fidei Catholicæ professione perseuerarent, venerandos Christi sacerdotes, strangulauerunt. Casparum verò Arnoldi Dinslacēsem, huius quoquè monasterij sacerdotē & Sacristam, equinæ caudæ alligatum, Goudam, cum omnium inspectantiū cōmiseratione, pertraxerunt, & 26. eiusdem mensis die, ex opposito arcis antennę alligatū, sursùm atque deorsùm incredibili quadam tyrannide trahentes atque retrahentes, suffocârunt. Alij verò Fratres in eodem periculo positi, crudelissimorum carnificum istorum manus, non tam illorum in inquirendo socordia, quàm diuina protectione, euaserunt: qui varijs in locis nunc exulantes, cum regio propheta Dauide cantant: Anima nostra sicut passer erepta est de laqueo venantium: Laqueus contritus est, & nos liberati sumus. Sunt etiàm alij duo sic perempti hoc anno apud Brielam, è quibus alter fuit Delphensis Carthusiæ monachus.

Martyria Canonicorum Regulariū Scōhouianorum.

Psal. 123.

Mensis Iulij die 23. Geusei Ruræmundam nobilem Geldriæ vrbem inuaserunt, & quòd in ipsa oppugnatione quosdam è suis amisissent, atrocitèr in religiosos præsertim sæuierunt. Aberat tum eius vrbis primus Episcopus, reuerendissimus dominus Vuilhelmus Lindanus, doctrina & pietate valdè insignis: quem si furiosus miles inuenisset, multa in eum crudelitatis exempla, vt quidem verisimile est, edita fuissent. Eius optimis libris, tota Gallia & Germania conquisitis, plerisque perantiquis & necdùm in lucem editis, instructissimam bibliothecam, licèt vix vni aut alteri cognito loco abditam, nescio quó indice hostes repererunt, & horrendum in modum discerpserunt, atque vastauerunt. Non mihi iam vacat sigillatìm omnia commemorare, quæ illic designata sunt. Veniam ad Carthusianos nostros, in quos sanè hostilitèr incurrerunt. Vox illis in ore valdè frequens, Gelt/Gelt/Nummos, Nūmos. Ostiarius frater laicus, quos Conuersos vocant, cùm eis claues obtulisset,

Ruræmūdam capiunt Geusei.

Episcopi Ruræmūdensis insignis bibliotheca vastata.

Aut nummos, aut sanguinē.

fracto

1572 fracto ligonibus capite & cerebro excuſſo, primus ab eis occiſus eſt: mox alij duo laici, quorum alter & ſenex & morbidus lecto decumbebat, trucidati ſunt. Indè magno impetu irrumpũt in interius monaſterium, perfringunt fores, fratrem quendam ſenem ſcipioni innixum confodiunt. is presbyter erat. Alium quoquè patrem ſenem in cellula necant. Volebant etiàm alium grandæuum patrem interficere, ſed cùm quædam eccleſiæ ornamenta & vaſa apud eum inueniſſent, permiſerunt viuere, breui tamen ſua ſponte ob ætatem exactam moriturum. Apud hunc erat iuuenis monachus, eius nepos, ſeruiens illi malè valenti. Hunc diris modis cogebant theſauros occultos prodere. Sed nihil extorquere potuerunt, quippè qui nihil haberet. Abductus verò ab eis in caſtra, cùm prius graue eius capiti vulnus inflixiſſent, tandèm viginti daleris vitã redemit. Indè in ipſo templo immanitèr graſſati homines reuerà miſeri, & omni lachrymarum fonte plangendi, calices ſacros conculcârunt pedibus, multam ex templo rerum Deo ſacratarum, quæ non parui erant precij, prædam abſportârunt, nec vlla tamen prædа expleri ità potuerunt, quin ſemper plura exigerent à fratribus illis. Cumq́ue viderent nihil ſupereſſe prædæ, occultos magna vi theſauros exigebant, idq́ue fruſtrà. Adacto igitur in pectus Diaconi cuiuſdam pugione, crudelitèr in ipſo templo eum interficiunt: duos vulnerant quidem, ſed non lethaliter: qui poſteà ſub alieno habitu à quibuſdam educti ſunt, vita ſeruata, cùm alter viginti, alter decem daleros numerâſſet. Porrò ipſius Carthuſiæ Procurator, cùm nollet dare, quod illi poſtulabant, bipenni in caput eius validè vibrata, paulò pòſt ſemiuiuus è templo extractus eſt, & in platea globulo traiectus. Alium quendam, traiecto eius femore ſclopeti ictu, tandèm bellicis inſtrumentis in capite cædunt, donèc animam expiraret. Ab alio quidam importuniſſimè nummos emungere tentans, vbì nihil dari vidit, eum ſica in pectus defixa occídit: fratrem illi adſtantem in ſiniſtro brachio atrocitèr vulnerauit, tertio mortiferam impoſuit plagam, ex qua poſt aliquot dies ille deceſſit è vita. Vnus ex his iam animam agebat in ipſo templo. Vidit id quidam ex illis ſicarijs, &, En, inquit, vt hiat, vt palpitat monachus iſte? inſultans homini morienti, quod in Turcis & Tartaris iurè repræhendas. Hoc monachorum odium peperit præclarum illud Euangelium, quod apoſtatæ monachi de ſub ſcamno, vt ipſi loquun-

Cædũtur & malè accipiuntur Carthuſiani.

Vide Scythicã immanitatem.

quuntur, in lucem protulêre: & certè de sub scamno, quia 1572 ab ipsis tartari tenebris, non è luce cælorum. Post hunc, quem diximus, alius venit in templum, & vidēs illic inter exanimes fratres iacere quendam seminudum & moribundum monachum, Eia, inquit, digna factis tulistis præmia nequam monachi, & simul nescio quo vel malleo, vel alia re semèl atque iterùm percutit caput miseri illius, vt sanguine copiosissimè indè manante, etiàm sensibus destitueretur. Interìm ille adhuc compos suî dum esset, orabat Dominum. Cernens autem quidam labia illum mouentem, calcem ei bìs in faciem impegit, ità dicens: Oras'ne adhuc peruerse monache? Tandèm quidā nobilis ex illo Geuseorum exercitu, in templum ingressus, & quadam humanitate commotus, illum fratrem tam miserè excruciatum, & penè natantem in sanguine suo, per medios hostes eduxit extra monasterium ad ædes ciuis cuiusdam, vbì sic quidem seruatus est, vt tamen centum coronatos dependere coactus sit pro vita sua. Is posteà curatus est, & nobiscum in Carthusia Coloniensi vixit aliquandiù piè & religiosè, hodieque superest, sicut & alij quidam ex illis Carthusianis. Non parùm autem crudelitèr trucidatus est quidam Carthusię Confluētinæ monachus, qui tum illic hospes degebat. Porrò Custos Carthusiæ Ruræmundensis, quem sacristam vocant, singularem illorum Geuseorum expertus est inhumanitatem. Detractus enim ab illis à testudine templi, vbì delitescebat, cogitur prodere res ecclesiæ: quibus sublatis, volebant eum saluum perducere in castra Principis. Sed eccè dum eum in platea horum socij conspiciunt, illis inuitis, eum rapiunt, pungunt, tundunt, infligunt vulnera, proscindunt conuicijs, nasum & ambas præcidunt aures, mentum in crucis modum fodiunt, cutem à capite partìm abstrahunt, vt quidam affirmant. Inter hæc irridiculè aiūt illi: Concionare nobis monache. Ille respondet: Quid ego vobis concionabor, qui non vultis resipiscere? Ignoscat vobis Deus, equidem libens ignosco. Sed iam quæso finem his tandèm cruciamentis imponite. Tum vnus ex illis sclopetto eum traiecit, & ità abiuit è vita.

Crudelitas in Custodē Carthusiæ.

Erat per id tempus in illa Carthusia dominus Paulus Vuaeluuyck, capellanus Episcopi Ruræmundensis, vir rara eruditione & morum integritate præditus, concionator quoquè egregius, & qui in publicis cōcionibus tum vitia acritèr repræhēdere, tum hæreticorum impia com-

Paulus Vualuyck vir optimus, à Geuseis

1572

vexatur & occiditur.

menta luculentèr confutare consueuisset. Hunc virum illi homines ab omni humanitate alieni primùm spoliant crumena sua, mox pallium & pileum auferunt: indè per monasterium eum circũducunt, iactant in eum probra & conuicia, contundunt illum egregiè. Ad extremùm in Carthusiæ pomarium pertractum, in capite grauissimè vulnerant: indè globulo traijciunt. Non desunt, qui dicant ab impuris illis nebulonibus illi viro pudico impudentèr præcisa verenda, & in os ingesta. Et quid non audet illa hominum fæx?

Prior Carthusiæ Ruræmũdensis vt acceptus à Geuseis.

Ipsius Carthusiæ Vicarius aliquandiù latuit: pòst inuentus spoliatur vestibus, & tandèm vita donatur promittenti ducentos daleros, quos extorquebant à paupere & inuito. Cùm autem oblata esset elabendi facultas, subduxit se ex manibus illorum: sed quia fideiusserat pro illo alius quidam, pecuniam promissam, vel potiùs extortam, persoluendam curauit. Porrò venerabilem patrem dominum Ioachimum, Carthusiæ illius pręfectum siue Priorem, ingenti pecunię summa mulctârunt illi homines, quos auri sacra fames impellebat ad istam crudelitatem belluinam. Vidi ego oculis meis laceram eius vestem, in quam sclopetum disploserant: sed globulus, veste nonnihil circa pectus discerpta, non sinè miraculo in brachij quandam partem resilijt, & leuitèr sauciauit. Ille vir pius & venerabilis diù ab illis captiuus detentus est, tandemq́ue dimissus, Coloniam ad nos venit, ibiq́ue post dies non multos animi dolore & tot periculis, quæ vix euaserat, confectus, maximè quòd iam grandæuus esset, animam Christo reddidit. Miserrimè autem Carthusia illa Ruræmundensis à prædonibus illis & alijs malis hominibus vastata, direpta & expilata est.

Aldenardum venit in manus Geuseorũ.

Eodem anno 7. Septembris proditione captum est à Geuseis Aldenardum, Flandriæ oppidum valdè munitum. Miro quodam stratagemate in illud sibi aditum fecêre, sed me tempus non sinit narrare singulatìm omnia. Potiti porta vna, rectà se in forum conferunt, iubent ciues domi se continere, nî capite puniri velint: mox portas omnes claudunt, adhibent custodes, pars ad summum oppidi prætorem Iudocum à Corteuuile, ædes regias inhabitantem contendunt, munitas illas quidem, sed illis tamen igne & ferro iam peruias: iubent prætori vt sese dedat, & iuret Auraico principi: nî faciat, extrema minantur. Ille constantèr recusat, dicens

cens se regi Philippo iurâsse, potiusque mori velle, 1572
quàm fidem regi datam fallere. Simul autem iubet
suos armis se tueri: sed hostium multitudine oppressus, multis sclopetorum globulis traijcitur, prostratusque, non paucis vulneribus conficitur, vir certè immortali laude dignus. Nec his tamen contenti Geusei, vestibus nudatum, è fenestra in flumen præcipitant. Aedes illas siue castrum regis, horum dux Iacobus Blommaert occupat, qui iam sexennium ab ea vrbe, cuius fuerat ciuis, ob hæresim & rebellionem exulârat.

Crudeliter necatur prætor Aldenardensis.

Hoc facinore perpetrato, quæruntur toto oppido pastores & sacerdotes, passimque reperti capiuntur, trahuntur, cæduntur, prosternuntur, innumeris conuicijs & verborum iniurijs flagellantur. Monasteria, templa, domus ecclesiasticorum miserandum in modum diripiuntur, sublatis rebus omnibus, quæ tolli possent, cæteris confractis. E primario templo ablati sunt ad triginta sex argentei calices. Furta & sacrilegia eius temporis omnia quis explicet? Eodem autem modo tractatæ sunt ab illis bonis viris ædes sacræ omnes extra vrbem illam. In cœnobio Franciscanorum & alio quodam haud ità procùl ab vrbe nihil omninò integrum relictum, non scamna, non parietes, non vitra, ne ipsa quidem defunctorum sepulcra, non altaria, non campanæ. Vbi primò in cœnobium Franciscanorum irruperunt, importunissimis vocibus postulabant sibi tradi quosdam nobiles, quos illic delitescere suspicabantur. Fratres illos vocant lupos, moriones, insanos: trahunt, verberant, gladios, pugiones, sclopos ad pectora & ceruices eorum apponunt, nec tamen efficere possunt, vt prodant illi nobiles, qui illic non erant. Discurrunt itaque per omne monasterium, ferro ostia omnia aperiunt: non enim vel tantillas ferunt moras, quò possint clauibus reserari. Erant illic tum pastores quidam & sacerdotes Aldenardenses, qui non sua, sed subditorum causa ibì latere se posse existimârant. Ij vt viderunt frustrà se abscondi velle, in templum omnes ingressi sunt, magno animo, quicquid Domino visum esset, illic expectaturi. Illos Geusei compræhensos suprà quàm dici queat indignis tractauère modis. Repertus ibì etiam ab eis est Iohannes Mahusius, iam olìm doctrinæ & virtutis ergô designatus Dauentriensis Episcopus. Ei, licèt & senectute & morbis adeò affecto, vt

Sæuitur in Clerũ & monasteria.

In Franciscanorũ cœnobiũ.

Cõpræhẽduntur & indignissimè vexantur aliquot egregij viri.

1572

mouere se loco non posset, mirum in modum insulta-
bant sannis, ludibrijs, & vocibus quibusuis etiàm scurris
indignis, tum quoquè vellicabant, percutiebant, cucullo
appræhensum è lecto in pauimentum deturbabant, & à
se quisque ceu monstrum quoddam ingenti clamore re-
pellebant. Cùm se autem ipse loco mouere non posset,
nec illi eum vehere vellent, amicis pro eo deprecantibus,
cum alijs in carcerem abductus non est, sed illic vt trun-
cus inutilis relictus.

Alios pastores & sacerdotes in castrum regis abdu-
xerunt: quosdam etiàm nobiles ac potentiores ciues in
carceres detruserunt, eos præsertim, qui vel in senatu es-
sent, vel anno sexagesimosexto magistratum gessissent,
& grauius aliquid in hæreticos & suæ factionis homines
statuissent. Quos illi dum inquirunt, casu in quibusdam
priuatis ædibus reperiunt Iohannem Vpstal, ecclesiæ Pa-
melensis pastorem, & egregium ecclesiasten. Hunc qui-
dem se illæsum conseruaturum sanctè promisit Blom-
maert capitaneus, sed tamen cōmunem posteà cum alijs
fortunam experiri coactus est. Et nè sim longiòr, in vni-
uersum vsque ad septendecim in vnum includuntur cu-
biculum non valdè magnum, in quo non nisì vnus esset
lectus. Vbì illi Catholici & egregij viri præclarè se inui-
cèm confirmabāt & incitabāt ad ferenda aduersa omnia,
atque ipsam quoquè mortem pro iustitia & fide Catho-
lica. Qua in re præcipuam nauabat operam eximius vir
M. Paulus Coye, pastor primarius eius vrbis: qui quidem
non fuit ab initio cum alijs sacerdotibus compræhensus,
sed cùm domi suæ incredibiles ab hæreticis ferret mole-
stias & vexationes, sua sponte se curauit captiuis adiun-
gendum. Omnes autem ante omnia studebant conscien-
tijs pura confessione expiandis: certissimeque vno omnes
animo constituebant quiduis potiùs perpeti, quàm vlla
in re venire contra Catholicam religionem, vel fidem
Catholico regi prestitam violare. Oblatæ illis tum fuêre
carnes sexta feria, sed eas illi planè respuebant.

Pastor Pamelensis ecclesiæ quid passus.

Itèm pastor vrbis primarius.

Separātur sacerdotes à laicis.

Quòd autem vererentur sectarij laicos à pastoribus
confirmari, sacerdotes omnes in vicinum castrum Pa-
melense abduxerunt: sed longè maior erat in laicis illis
nobilibus viris cōstantia, quàm vt à semèl concepta sen-
tentia se deduci paterentur. Venit enim ad illos non diù
pòst quidam, qui à Montibus Hannoniæ profugerat, pe-
tens ab illis, vt regi Catholico, aut principi Aurantio
tanquàm supremo patriæ gubernatori fidelitatis iura-
mentum

mentum præstarent, & pecuniam mutuam conferrent in 1572
stipendia militum & vrbis munitionem : quod quidem postremum etiàm grauibus minis extorquere conabantur. Aurum enim illi fratres Euangelici sitiebant. Sed vtrunque æquè recusârunt graues & constantes viri. Aiebant enim, se literas regias vidisse, quibus Dux Albanus constitutus esset gubernator : proindè se Aurantium hac in re non agnoscere : nec se velle pecuniam contribuere ad communiēdam vrbem aduersùs Albanum. Erant verò etiàm alij quidam ex magistratu eádem constantia, licèt in carcerem coniecti non essent : quos nunquàm permouere potuêre Geusei illi, vt Aurantio iurarent. Ex ijs plerique quotiès eo nomine acciti essent in domum senatoriam, vxoribus & familię vltimum vale dixêre, tanquàm mortem oppetituri potiùs, quàm iusiurandum mutaturi.

Constātia nobilium virorum.

Itèm aliorum è Senatu.

Porrò in eos, qui in custodia habebantur, milites petulantissimè suas exacuebant linguas maledicas. Vidisses illic alios districtos vibrare enses, alios bombardas in eorum capita dirigere, alios alias adhibere minas, ipsa morte acerbiores. Interim sentiunt Geusei regium aduentare militem, nec se sinè periculo diù Aldenardi hærere posse. Quamobrèm quarto Octobris die sub horam septimam vespertinam sacerdotes omnes reducunt in castellum regium, de illis & alijs supplicium sumpturi. Primus omnium ad pœnam raptus M. Petrus natù maior : vestibus vsque ad subuculam lineam nudatur, genibus, talis & manibus à tergo colligatis, per fenestram in profluentem deijcitur. Is venerandus senex toto hoc captiuitatis tempore nihil ferè aliud in ore habuit, quàm illum Christi sermonem, Fiat voluntas tua. Post eum reliqui sacerdotes omnes alij post alios eundem in modum præcipitati sunt in aquas. E quibus D. Iacobus Aubaynus vir senex & debilis, natandi prorsùs imperitus, euidenti miraculo ad litus, quod longè à præcipitij loco aberat, tam propinquus accessit in dorso natans, vt multo clamore quosdam è vicinis pratis ad se euocârit, qui eum è flumine extractum, atque ad ignem refocillatum incolumem conseruârunt. Hunc in modum extincti sunt pastores illi & sacerdotes tota Flandria celeberrimi. Valdè autem festinabant Geusei. Decreuerant quidem illi post cædem sacerdotum etiàm laicos nobiles viros ea ratione perdere, sed Dei benignitate factum est, vt suam crudelitatem in eos exercere non potuerint. Su-

Militū petulantia.

Sacerdotes omnes alij post alios in flumen præcipitantur.

Vide rem admiratione dignissimam.

1572 peruênere enim, qui admodùm vociferarentur, nî fugam ocyssimè capessant, totum oppidum à regijs cinctum iri: quæ res nequissimis hominibus tantum terrorem attulit, vt ilicò in pedes se conijcerent, relictis illis clarissimis viris, sed miserè spoliatis vestibus suis. Vnus tantùm Petrus Bekensis à quodam perdito nebulone extra cubiculum euocatus, in medijs gradibus multis est vulneribus confossus: cæteri omnes incolumes euasêre.

Geusei fugiunt.

7. Franciscani Zutphaniæ suspenduntur.

Eodem anno Zutphaniæ horribili supplicio affectus est à Geuseis Guardianus Franciscanorum eius vrbis, ventre eius dissecto. Tandèm cum sex alijs fratribus suspensus est. Mense Decembri haud procùl à Scherenberch pastor ad lentum circumactus ignem, ad extremum laqueo vitam perdidit, à Geuseis necatus. Nouembris 25. apud Goudam Hollandiæ oppidum duo venerandi patres, Iohannes à Rixtel & Adrianus Lamberti, à Geuseis ceu feræ agitati, gladijs & pugionibus stimulati, multis confossi vulneribus, per spineta raptati, ac demùm suspensi & exenterati sunt. Illustre inprimis martyrium fuit Cornelij Musij Delphensis, Poëtæ Laureati, sacrarum virginum apud S. Agatham Delphensem præfecti vigilantissimi, hominis & doctrina & virtute clarissimi, & iam grandæui, quippè qui duos & septuaginta ætatis haberet annos. Is hoc anno, medio ferè Decembri mense, cùm sibi ob aduentum Geuseorum parùm tutum existimaret Delphis hærere, amicis præsertìm vrgentibus, cum paucis Hagam Comitis se conferre voluit: sed in ipso itinere captus à Geuseo quodam, Hagam abductus est. Indè Delphos reuocatus, medio fermè itinere à quodam nobili Geuseo intercipitur, & Leidam cum cognato suo adolescente viginti plùs minùs annorum perducitur, ibique mox in eculeum agitur, acerbissimè torquetur & excruciatur, cognato iuuene inspectante, & similia de se expectante, infandis exagitatur verborum contumelijs, digiti pedum, & quod dicere pudor est, virilia præciduntur. Paulò pòst sub horam decimam vespertinam ducitur ad patibulum: sed cùm præ defectu virium scalas scandere non posset, fune ligatur medius, & ità iniecto in collum laqueo præfocatur. Eius sanè mors simulatquè Delphis nunciata est, incredibili ciues plerosque omnes dolore affecit. Corpus eius Leidæ humatum est, anima viuit apud Christum. Horrenda sanè sunt hæc, & quæ ad viuum nobis priscorum martyrum

Itèm alij quidam alibì.

Cornelij Musij cædes.

tyrum cædes & cruciatus repræsentent. Et quid ni habeat etiàm hodiè Christus martyres suos? An verò abbreuiata est manus eius, vt non possit pro sua religione decertantibus inuictum animi suppeditare robur? 1572

Eodem Decembri Delphis in publico foro suspensus est Adrianus Iacobi, Harlemensis ciuitatis syndicus: Christophorus de Schagen vir nobilis, Harlemensis scabinus, post multa tormenta & carceres mente captus, in vinculis mortuus est. Aliquot mensibus antè apud Brielam suspendio iugulatus est Theologus quidam & pastor in Vuarenhuisen. Satis iam diù in tot commemorandis innoxiorum hominũ cædibus versati sumus: redeamus ad Montensem ob[illegible]ionem.

Harlemẽsis syndicus suspenditur.

Octauo Septembris Auraicus cum suis copijs opem allaturus obsessis in ea vrbe, adeò celeritèr ad castra Albani venit, vt vix dimidiæ horæ spatium eius militi relictum esset, quo se conferret ad aggerem hosti obiectum. Qua autem via Auraicus se in oppidum euasurum sperârat, propugnaculum seu munimentum quoddam erectũ erat, & in eo septem tormenta magna cum duobus Germanorum peditum signis collocata. Habebat tum Albanus hostes in vrbe à tergo, à fronte Auraicum: nec tamen remittebatur quicquam de solita vrbis tormentaria verberatione. 9. Septembris manè visi sunt quidam equites Auraici propiùs ad castra Albani accedere, sed post horas tres retrocedere, stupēte Albani milite ad rei nouitatem. Posteà ex captiuo cognitum est, pedites Auraici noluisse procedere, nisì persoluto priùs stipendio, atque ità singulis tum numeratos batzones binos, exiguum sanè tanti laboris & periculi præmium. Sub horam ergò 12. tendunt ad castra Albani equitum 28. & peditum totidem signa, vt scribit is, qui interfuit. Sed cùm iam in castra irrumpere vellent, 7. illa tormenta exonerantur, Hispani pręcipui sclopettarij magna vi in eos incurrunt, subindè alij, ità vt compulsi sint sinistrorsùm contra Valencenas digredi, amissis ampliùs centum quinquaginta peditibus, equitibus quadraginta.

Auraici repentinus ad Montes aduentus.

Aliquot è suis amittit Auraicus.

Vndecimo Septembris Auraicus incendit castra sua & aliquot pagos. sed nè impunè discederet, Albanus ad mille quingentos Hispanos egregios sclopettarios cum equitibus leuis armaturæ 50. qui omnes extrinsecùs interulis albis induti erant, media nocte in eius castra misit, qui mirabili stratagemate primò cæsis excubijs, mox ad

 500. Geu-

1572 500. Geuſeos trucidârunt, multos abegêre equos, multos vulneribus debilitârunt. Auraicus, ea clade accepta, clara luce celerrimè indè receſſit in Brabantiam. Eodem die emiſſi ſunt ab vrbe quidam ægri & ſenes, è quibus plerique erant monachi & monachæ, quos Albanus in propinquum virginum cœnobium deducendos curauit.

Rursùs multo plures.

13. Septembris maiori, quàm vnquàm antè, vi vrbs pilarum ictibus quaſſata eſt, ità vt in caſtris ruinæ ædificiorum audirentur. 14. Septembris numerati ſunt ictus bombardarum mille nongenti & octoginta. 16. Septembris decreta erat, vt ferebatur, vrbis acerrima oppugnatio: ſed Comes Ludouicus cernens nullam affulgere ſpem, poſt triduani colloquij impetratas inducias, vrbem dedidit, ex qua egreſſi ſunt publica fide mille quingenti cum equis, armis & rebus ſuis. Conditiones, quibus vrbs dedita eſt, non adſcribimus, ad alia properantes.

Montenſis vrbis deditio.

23. Septembris Albanus cum exercitu ſuo profectus eſt Bintzium, quod eſt tertio lapide à Montibus. Quòd autem magna eſſet aëris intemperies, triceſimo demum die Mechliniam ad duo milliaria acceſſit, atque illic ſubſtitit, viſurus num Mechlinienſes vltrò ſe vellent dedere. Sed cùm nihil fieret, prima Octobris mouit caſtra. Porrò è Mechlinia aufugêre Geuſei, & cum aliquot centurijs ciuium ſuæ factionis Ruræmundam contenderunt tanto ſilentio, vt nemo in Albani exercitu ante alterius diei lucem id aduerteret. Ciues vrbis id primò indicârunt, ſpe veniæ impetrandæ. Qua de re cùm tractaretur, milites iniuſſi in oppidum per muros irrumpunt, nullo reſiſtente, eamque inſignem & opulentam vrbem miſerè deprædantur. Scribit quidam, qui interfuit, nihil ibi tum vilius habitum optimis codicibus, quibus plena erant omnia. Opimam ſanè prædam miles rapax indè abſtulit, variamque ſupellectilem vili precio diſtraxit. At tamen à monaſterijs diripiendis abſtinuêre omnes. Videre tum licebat Germanos milites quoſdam indutos togis ſacerdotalibus, monachorum cucullis, veſtibus magni precij pellibus ſubductis, ire in caſtra, faſciculis ſtramineis illis alligatis, vt ſignificarent ſe cupere emptores. Intereà Albanus ad duo equitũ millia iuſſit occupare Dieſtẽſe oppidum, quod & factum eſt, Geuſeis fuga dilabentibus: ſed ea vrbs prædæ non ceſſit: annonam tamen militi ſuppeditârunt ciues. Mox etiam recuperata eſt Termonda, ſed non ſinè oppidanorum detrimen-

E Mechlinia Geuſei fugiunt.

Mechlinia diripitur.

Multa loca Ablanus recuperat.

trimento. Aldenardo iam excesserant Geusei, è quibus 1572
tamen plerique flammis, in quendam locum igni iniecto, concremati sunt.

Tertio quoquè die Octobris, Henricus Nauarre Rex, à Christianissimo Rege Galliæ, eius matre, Andio fratre, Cardinale Borbonio, & Duce Mompenserio admonitus, ad Gregorium XIII. literas humanissimas scribit, orans eum, vt ratione Sacramentorum, quæ in Romana Ecclesia ante hæresin acceperat, pro vno ex filijs suis velit agnoscere, & nouæ doctrinæ errorem suum, non sibi, sed prauæ institutioni adscribere. Petitque supplex, vt confessionem fidei Catholicæ, quam Parisijs sub Nuncij Apostolici manibus fecerat, benignus accipiat, se enim Pontificem Rom. pro supremo capite Ecclesiæ agnoscere, & pro filio obedienti vicissim agnosci velle: precari etiàm, vt Sua Sanctitas matrimonium cum cognata sua, sorore Regis, contractum, ratum habeat: sed & se breuì proprium Legatum ad Vrbem missurum, perque illum in genua prouolutum, obedientiam præstiturum.

Nauarrus obedientiam præstat Romano Pontifici.

Interea verò Auraicus repetebat Ruræmundam, milite eius, vt quidam scribit, passìm omnia diripiente, & duci suo dira imprecante, plerisque etiàm seipsos exauthorantibus, & illo insalutato ad sua recedentibus. Albanus cùm Traiectum ad Mosam venisset, plerosque equites à se dimisit. Eò tum multarum ciuitatum venêre legati, purgaturi se apud illum & veniam deprecaturi. 17. Octobris misit è suis, qui Ruræmundam occuparent. Interìm dedidêre se aliquot oppida, Geuseis fuga sibi consulentibus. Albanus indè Nouiomagum venit 26. Octobris, illic hybernaturus. Ibì dimissus ab eo est Holsatię Dux cum suis, itemque Erici Ducis Brunsuicensis equitatus. Porrò missus est exercitus ad Zuthphaniam obsidendam: quæ sanè vrbs difficilè capi potuisset propter paludes, quæ illic sunt, nisì frigoris beneficio regius miles adiutus fuisset. 14. & 15. Nouembris tormentis acritèr oppugnata est. 16. die multi indè certatìm profugerunt, è quibus non pauci à Germanis spoliati, multi in castra captiui abducti sunt. Interìm Hispani & Burgundiones in vrbem ingressi, duos Geuseorum signiferos, quòd contra iusiurandum suum in Montibus præstitum militarent, à pedibus suspendunt, alios milites sclopettis & ferro confodiunt. sed ij pauci erant. Ea quoquè vrbs prædæ data est. Germani cùm fortitèr esurirent, magnam esculentorum copiam ex benè refertis cellarijs

Albanus dimittit ferè equitatum oēm.

Zutphania capitur, et diripitur.

1572 larijs in castra exportârunt. Inuenta est illic moneta è plumbo & stanno benè multa in domibus, quam Comes Bergensis fertur cudendam curâsse, cùm oppidum illud obtineret.

Moneta è plumbo et stanno.

Cùm autem rumor capti oppidi Zutphaniensis ad circuniacentes ciuitates allatus esset, vehementèr trepidatū est. Comes Montensis, collectis conuasatisq; omnibus, relicto Belgio, Bremam contendit. Præsidiarij Suollenses, Campenses, & Harderuiceni oppida deserunt, & in tutum sese recipiunt. Oppidani regium militem petunt, regiq́ue reconciliantur. Amorfortij tam oppidani quàm præsidiarij Geusij, accepta hac fama, intempesta nocte, asperrimaq́ue hyeme, per brachium Oceani gelu constrictum, tanta cum trepidatione discedunt, vt in itinere, cùm ad syluulam quandam venissent, ventoq́ue in illam ingruente arida folia strepitum edidissent, timore ingeminato, hostes adesse existimantes, in effusam fugam sese coniecerint: impletumq́ue est illud Scripturæ de impijs, Trepidauerunt timore, vbi non erat timor. Catholici media nocte Vltraiectum proficiscuntur, claues gubernatori Comiti Bossuuio adferunt, opemq; eius implorant. qui conuocatis copijs Amorfortiam contendit, inq́ue illam præsidium deducit. Contigit hoc ipso Præsentationis Mariæ festo, die Amorfortijs auspicato, vt quo iam bis aut tèr ex hostium tyrãnide diuersis temporibus, atque vltimò ex Rossemij faucibus, est erepta. Quarè Catholici hunc diem oppido solennem dixerunt, & annuas in gratiarum actionem Deo reddendam publicas supplicationes instituerunt.

Comes Montensis & Geusij oppida relinquunt.

Amorfortia Regi restituitur

Psal.13.

Festū Præsentationis B.Mariæ Amorfortijs auspicatum.

Paulò pòst totus penè exercitus Albani Amorfortiam venit, atque indè 18. & 19. Nouemb. Nardam, oppidulum ad brachium Oceani situm, contendit. Erat oppidulum hoc iam à multis annis varijs hæresibus ac præcipuè Catabaptistarum furoribus infectum. ciues aut lanificio, aut cereuisiæ coctioni studebant. Fridericus itaque Albani filius, cùm ad mœnia castra posuisset, oppidani multa initiò conuicia in regios contorserunt: sed cùm vim experirentur, sese dediderunt. Ciues & quotquot in oppido erant, in forum inermes conuenire iussi, omnes trucidati sunt. Parcitum est in hac cæde Lamberto Hortensio, insigni historiographo, viro iam decrepito. Seruati sunt & nonnulli monachi, quorum nunc quidam concionatores hæretici, alij aut vxores duxerunt, aut saltèm relicta fide Catholica, ad Caluinismum defecerunt:

Nardensium cædes.

cerunt: id si de Religiosis huius oppidi seruatis vidi- 1572
mus, quid de profanis erat expectandum? Neminem
iudico, nec Hispanorum hoc facinus defendo, cùm
quid Principes ad hoc mouerit ignorem. Sed & varij
variè de hac cæde loquuntur. Alij volunt crudelitèr
cæsos ciues contra fidem datam, alij vi occupatam vr-
bem, cùm aliquandiù defensa esset à trecentis Gallis,
qui pro certo dicebantur apud Montes Hannoniæ iu-
râsse, se contra regem Hispaniarum non sumpturos
arma. Præda autem omni ex vrbe exportata, ipsa in-
flammata est. Feruntur ea Nardensium cæde admo- *Nardensis*
dùm exacerbati aliorum Batauorum animi, eoque per- *vrbs con-*
tinaciùs in rebellione perdurâsse. Sed hæc alij quan- *crematur.*
doquè certiùs indicabunt. Obitèr hoc testari possum,
quemadmodùm à diuersis accepi, toto hoc bello Am- *Amstero-*
sterodamenses, qui reliquas Hollandiæ vrbes opibus *damensiũ*
longè antecellunt, in regis sui fide constanter admo- *egregia er-*
dùm perstitisse, & multis modis, non sinè maximis *ga regem*
tum impensis, tum periculis & molestijs, suam erga *fides.*
regem Catholicum fidem & studium declarâsse: quæ
res illis proculdubiò apud omnem posteritatem eximi-
am conciliabit laudem, & singularis virtutis atque in-
tegritatis existimationem. Multùm sudatum est à Geu-
seis, vt hanc insignem vrbem sibi vendicarent, sed id
frustrà fuit: tametsì eius suburbia, & in ijs ad duo millia *Eorũ sub-*
ædium exusserunt, monasteria & collegia vicina mise- *urbia in-*
randum in modum vastârunt, pecus omne, quod abigere *censa.*
non poterant, in aquis præfocârunt. quæ quidem sic li-
teris annotata legi.

Mense Decembri Albanus misit filium suum Fride-
ricum cum non parua manu ad Harlemum obsidendum,
vrbem Hollandiæ sanè haud ignobilem, sed hactenùs pa-
rùm firmatam, à Geuseorum verò præsidiario milite mi-
ris modis communitam, vt ęgrè tãdem fame expugnari
potuerit. 10. Decembris regij milites sinè tormentis vi
occupârunt aggerem, cæsis ad 150. Geuseis, plerisque alijs *150. Geu-*
tum submersis, tum vulneratis: ex regijs autem triginta *sei cædun-*
desideratis. Erat tum acerrimũ frigus, molestum quidem *tur.*
militibus, sed valdè opportunum Hollandiæ expugnan-
dæ, multis paludibus & aquis impeditæ. 11. Decembris *Harlemũ*
ipsa vrbs obsessa est ad Septentrionem & Austrum, multa *obsidetur.*
interim è propugnaculis & muris iactabantur scommata
& ludibria. Eodem die prope Amsterodamum natus est *Monstrũ.*
in villa quadam vitulus biceps, gemino dorso, & octo
pedi-

1572 pedibus, nec diù superuixit. 13. Decembris in pago quodam 12. Geuseorum peditum signa & aliquot equites Harlemum petituri hærebant sine vllo metu. Itaque Don Fridericus misit eò Hispanos quosdã & Germanos sclopettarios, à quibus deimprouisò cęsi sunt septingenti, septem peditum, vnum equitum signum ereptum, reliqui in fugam acti, pagus direptus. Ex regijs non nisi viginti-quinque periére. 18. Decembris Geusei non lõgè ab Amsterodamo conati sunt aggerem perfodere, sed 19. die Amsterodamenses non sinè multa illorum cæde eos profligârunt, non nisi trigintatribus è suis amissis.

700. Geusei occisi.

Hispano militi propter frigoris acerbitatem permolesta erat ea obsidio. Itaque facto ponte, non adiunctis sibi Germanis & Burgundis, vi in oppidum penetrare conatur Decembris vicesimo die. Sed repulsi ab obsessis, & fracto ponte, partim submersi, partim sclopettorum & lapidum ictibus extincti sunt, ità vt ad ducentos ex ijs desiderati sint: quem numerum, si rectè memini, mirè tum auxit rumor. Audiebantur verò ex vrbe puerorum & aliorum voces: Papau, papau, **papenknecht**/ id est, Cleri vel sacerdotum administri. sic enim irridiculè vocant hæretici eos, qui operam suam nauãt Catholicis. 29. Decembris clàm in vrbem peruaserunt septingenti Geusei pedites, plerique omnes Galli sclopettarij, qui in Auraici exercitu præcipui fuisse feruntur.

Agareni ex ditione Parmensi & Mediolanensi eijciuntur.

Agareni qui sese Aegyptios vocant, gens furax & ignaua, quæ turmatim per regiones Principum vagatur, in Parmensi agro palatium coëmerant, ibique terra excauata, magnas cauernas fecerant, in quas, circunquaquè colonos depopulantes, ingentem prædam conuehebant. Querelæ hac de re ad Ducem delatæ: Dux trecentos pedites, totidemque equites conscribit, & omnes istos prædones, latronesque occidit. Quod cùm Mediolanenses intellexissent, statim imitati sunt.

Nortfolciæ Ducis suppliciũ.

Thomas Nortfolciæ Dux, in Anglia, hoc anno (vt habet Natalis) suspensus, in quatuor partes dissectus est, eò quòd in necem Angliæ Reginæ conspirâsset, adductus amore (vt ille ait) reginæ Scotiæ, quam se ducere non posse videbat, nisì illa priùs sublata. Sententia, quam de eo protulit Stuartus, erat hæc: Thomas Dux Nortfolcij accusatus proditionis, & insidiarum, in caput Reginæ Britanniæ structarum, atque in patriæ libertatem, Londini in turrim reducatur. Vndè super crate per vrbem ad Tiburnum suppliciorum locum trahatur, ibi pendeat

donèc sit semimortuus; tunc membrum virile illi abscindatur, eoque vidente comburatur. Cædatur vtraque manus, & corpus in quatuor partes diuidatur, atque cadauer iaceat, donèc Regina statuat, quid sit de eo faciendum. 1572

Castrum nouum à Venetis tentatur.

Selymus, reparata veteri, nouaque instructa classe, Ianizaros vndiquè ex præsidijs vocat, classemque conscendere præcipit: cumque ex Dalmatia quoquè non paucos euocâsset, Sebastianus Venerius, & Sarra Martinengus Castrũ nouum, oppidum maritimum in faucibus sinûs Rhizonici expugnare conati sunt: & certè nemine repugnante potiti suburbijs, vrbem quoquè expugnâssent, nisì Purpuratus Græciæ præfectus, semèl reiectus, cum alijs viginti millibus Turcarum redire nunciatus esset.

Venetæ & Turcica classis apparatus et prælia.

Oluzalius instructa iam classe, per Aegæum mare, Nouembasiam nauigat. iamque Eplæ insulæ, quæ Louo nunc à nautis appellatur, adiacetque Pelopõneso, imminere videbatur. Philippus Rex, etsi fratrem suum Iohannem Austriacum ad expeditionem Tunetanam ire iusserat, tamen postquàm intellexisset, Venetos legationem in Galliam misisse, suspicari cœpit, eos à fœdere sacro, nupèr inito, velle recedere, & ad pacem aspirare. Reuocatum itaque Austriacum in Orientem nauigare iussit. Intereà Veneti cum maxima classe Zacyntho soluunt, & secundis ventis Eplam prouehuntur. Erat Turcarum & Christianorum tunc diuersum consilium, cùm his certissima staret sententia, cùm hoste confligere; illis verò, se aspectui Christianorum subtrahere, perque fumi caliginem fugam occultare. quod & fecerunt. Veneta verò classis, Turcas insecuta, & iam in altum deducta, ibidèm pernoctauit. Metuentes verò sibi Turcæ, nè discedere putarentur, omnia lumina extinxerunt, & relictis aliquot nauigijs minoribus, ijsque laternis atque candelis impositis, subterfugerunt. At Veneti per noctem, itineris ignari, eos insequi noluerunt. Postridiè verò cùm hostilem classem ex Martapanio sinu exijsse cognitum est, Iacobus Superantius pugnam non esse detrectandam existimauit. Veniens itaque in conspectũ hostium, tormenta in illorum triremes quàm plurima displosit: idem fecêre in classem Venetam Turcæ. Cumque ità eminùs aliquandiù leuitèr certatum esset, Superantius impressione facta, primo impetu tredecim hostiles triremes depressit, & in cętera classe quàm plurimos interfecit: ità vt Turcę

Strategema Turcarum.

attoniti,

1572 attoniti, & superioris anni cladis memores, aquam multo sanguine suorum rubentem, multaque tabulatorum & remorum, per mare natantia fragmenta relinquentes, remis velisque fugerunt. quos Superantius insequendos esse statuit, licet quidam alitèr sentirent. Paulò pòst nunciatum est, Austriacum in proximo esse, qui Calend. Septemb. cum victoriosissima classe, sese Venetis, magna omnium lætitia, coniunxit. Cumque catascopium vel exploratoriam nauiculam conscendisset, classemque lustrâsset, allatus est nuncius, hostem ad Pylum, non procùl à Metone, tutissimam stationem habere. Statuit itaque Austriacus Achoras legere, vela ventis dare, & hostilem hoc loco classem adoriri.

Io. Austriacus cum classe iungit se Venetis.

Intereà Rudolphus, Cęsaris Maximiliani filius, Posonij magnificentissima cum pompa excipitur, & Hungariæ rex creatur. Austriacus & cæteri Christianæ classis Duces, cum aliquandiu in conspectu Pyli & Metonis, Peloponnesi oppidorum, leuibus prælijs cum hoste dimicâssent, Pylumque expugnare frustrà tentâssent, nihilque egregium in hac expeditione perpetrâssent, cum classe in hyberna reuersi sunt.

Rudolphus fit Rex Hũgariæ.

Pylũ frustrà oppugnatur à Christianis.

Sed hoc metu liberati Turcæ, Ascruuium, Venetorum vrbem munitissimam, in extrema atque intima parte sinûs Rhizonici in Illyrico sitam, arctissimè obsederunt. Senatus Venetus non ignorans plurimùm Reip. interesse, vt ea ciuitas in Venetorum potestate retineretur, Iacobum Superantium cum ala classis eò miserunt: qui Turcarũ munitione fortissima, quam ad fauces sinûs extruxerant, summa dexteritate expugnata, defensoribus occisis, omnibus tormentis, annona & apparatu bellico captis, Ascruuium à Barbarorum obsidione liberauit.

Turcæ frustrà Ascruuium obsident.

ANNO 1573. Cal. Ian. Magnus Moscouiæ Dux Wittesteinium Liuoniæ oppidum expugnauit, subtractumque Sueciæ imperio, suis prouincijs adiecit.

Eodem ferè tempore Veneti à Sacro fœdere recedentes, ope legationis Gallicanæ, clam socijs, victores à victo Selymo, magno ære, & integra Cypri cessione, pacem turpitèr promercantur. persuasi, vt quidam scribit, hostes Dei vincere, nisi interim per totius Mediterranei emporia questuosam suam mercaturam exercerẽt: nec recordati illud Græcorũ apud Pachymerem lib. 5. hist. Cum hostibus Crucis geratur bellum; vbi & victoria laudabilis est, & vinci salutare. Item: Pax colen-

Veneti à fœdere sacro resiliunt.

colenda, vbì Dei iacturã non facimus; rursùs bellum ge- 1573
rendum, vbì religio periclitatur. Multi hanc Venetorũ clandestinã pacificationẽ ęgerrimè ferebãt. Socij conquerebãtur id suũ esse in pręiudiciũ. Põtifex oratorem Venetum ad colloquiũ suũ admittere noluit, sed & Vrbe exire præcepit. Quarè statìm Nicolaũ Pontiũ, octoginta annorum senem, Romã miserunt, qui Pontificis animum sua eloquentia molliuit. Missi quoquè sunt legati ad Regem Hispaniarũ, qui necessitatem huius pacis demonstrarent.

Harlemensis adhuc continuabatur obsidio. 11. Ianuarij adeò perfracti sunt vrbis muri tormentorum pilis, vt instaurari non possent: sed eorum loco obsessi altas fossas & crassos aggeres effecerũt. Multa sanè in vrbe à Geuseis insolenter & petulanter fiebant saltãdo, clamitando, aras extruendo locis editioribus, statuas illis imponẽdo, processiones instituendo cum cymbalis & tintinnabulis, alta voce cantãdo, Dominus vobiscum, omnia quidem in contemptum Catholicorum. Scribit, qui interfuit, posuisse illos in muros palos, & ad illos suspendisse statuas è templis ablatas, cucullisq́; indutas, atque eas hastis confodisse & cecidisse: Quendam tunc conantem eiusmodi statuam, monachi habitu indutam, ense oblongo dissecare, ab Hispano sclopeti globulo traiectum repentè corruisse. Magna erat per hoc tempus in castris regijs annonæ caritas, cùm in vrbem quotidiè multæ trahæ annona onustæ tum adhuc inueherentur, nec propter aquas prohiberi possent. At tamen secundo, tertio & quarto Februarij die aliquot trahæ cum rusticis interceptæ sunt, & nauis vna sic satìs magna omnigeno commeatu & mercibus onusta. Octauo Februarij clara luce in oppidum penetrãrunt centum octoginta trahæ seu vehicula hominibus & commeatu instructa. Ad eiusmodi res multa arte vtebantur Gęusei, per glaciem sibi vias muniendo. Multis interìm modis ex vrbe vexabant regios, qui sanè strenuam nauabant operam cuniculis effodiendis: è quibus vnus iam ità comparatus erat, vt sedecim vasis sulphurei pulueris in eo collocatis, magna spes foret vrbis obtinendæ: sed cùm iam incendendus esset puluis, ignis casu quodam impeditus, non potuit vasa attingere. Nè autem à Geuseis interciperentur, magno pòst labore extracta sunt. 17. 18. 19. & 20. Februarij, qui intra oppidum erant, naues instruere, atque alias post alias educere cœperunt. Erant simul quindecim paruæ & magnæ, quibus id consecuti sunt, vt à

Obsessi multa faciũt in contemptum Catholicorum.

Cõmeatus multus in vrbẽ inuehitur.

1573 vt à Leida, Delphis atque aliundè naues ad eos tutò commigrare possent. Indè vsque ad vltimum eius mensis diem tormenta siluerunt, nec se admodùm commouerunt etiàm obsessi: sed pergebant tamen more suo sacras imagines, statuas, Cruces, ornamenta ecclesiastica, & è stramine & fœno factitias effigies, sacerdotum, monachorum, monacharum, Hispanorum habitu indutas proponere, confodere, lapidare, circùm eas choreas ducere, iubilum canere, eas habere ludibrio, deniquè res turpissimas apud eas repræsentare, indè amputare capita, & per murum in Hispanos iactare. Præclara sunt hæc, & Turcicæ impietati assimilia. sed sic instituit eos Caluini Euangelium, cuius sunt tam eximij fructus. Proh dolor ad tantam insaniam homines Christianos posse deuolui. Eiusmodi iniuriæ, Crucifixi Saluatoris & Sanctorum eius sacris imaginibus illatæ, in Christum & sanctos eius redundant. Et miramur adhuc alijs super alias calamitatibus & diuinæ iustitiæ durissimis castigationibus & flagellis nos conteri, quandò hæc & id genus alia, pleraque etiàm his immaniora, flagitia & facinora designantur?

Prima Martij quinque benè armatorum Hispanorum signa, toto gratulante exercitu, in castra venerunt. Porrò Geusei, quos Aquaticos vocant, quòd mare infestum habeant, rursùs conati sunt haud procul Amsterodamo aggerem perrumpere, & ferre suppetias Harlemensibus. Sed Comes de Bossu Hollandiæ præfectus atque Amsterodamenses, cùm decimooctauo huius mensis die ad eorum classem peruenissent, quasdam eorum naues depresserunt, duas eis triremes abstulerũt: porrò sequenti die omnes in Vvaterlãdia & circùm Amsterodamum egregiè profligârunt, cæsis vltra mille viris, multis captis, nauibus commixtìm paruis & magnis tribus & viginti eis ereptis. Eodem tempore, putà 17. & 18. Martij, ducenti equites atrati cum aliquot Germanis sclopettarijs è castris regijs in aggerem Geuseorum, quem apud Leidam sibi fecerant, irruperunt, eos in fugam compulerunt, aliquot equos, vaccas, vitulos, oues, & pleraque alia cum nonnullis captiuis rusticis in castra abduxerunt. Hæ res 20. & 21. Martij die magnum apud Harlemenses silentium effecerunt, tam infausto nuncio hauddubiò consternatos: sed eccè ipso sacratissimo Paschatis die, qui erat Martij vicesimussecundus, fortasfsis sese vlturi, erumpunt ex vrbe in Burgundos & Germanos, vulnerant non

Geusei in mari malè accipiũtur

Itémque apud Leidensem aggerem.

non paucos, nec sinè vulneribus recedunt. Porrò vicesimoquinto eius mensis die rursùs eruptione facta, acritèr cum Burgundis confligunt: iterumque sub vesperam eiusdem diei præter omnium expectationem tribus locis equites & pedites ferè mille erumpunt, tria Germanorum signa & Burgundos ab aggeribus depellunt: Germani illi, abiectis armis, hastis, sclopettis, vestibus & præda, fugiunt, vitam duntaxàt seruare cupientes: Geusei eorum inflammant castra, & vsque ad pontem persequuntur fugientes. Ibi tum Germani se colligentes, illis resistunt: sed illi recurrunt ad vrbem, & obuia quæque incendunt. Germani grauitèr admoniti officij & existimationis suæ, in sua quanuìs inflammata castra reuertuntur. Cæsorum numerus cẽtesimum vix excedit. Cęsi sunt etiàm Geusei, sed pauci. Quidam tum ex illis captus affirmabat, in vrbe esse ad * quinque millia exercitatorum militum, ciuium octo millia, sed angustum commeatum. Mirum videri possit, vndè tantæ copiæ Geuseis accesserint, nisì quòd iam multis Hollandiæ & Zelandiæ locis dominabantur, nec deerant occulti fautores.

1573

Geusei ex Harlemo erũpunt, & Germanos fugant.

Alij, quatuor millia.

Maximilianus Imperator multis, ijsque iustis de causis, hoc tempore Guilielmum Mantuæ ducem, coniunctum & Sororium principem, decreuit clariori dignitate afficere: vt nimirùm duorum ducatuum Dux esset. Anteà enim Montis Ferrati titulus tantùm Marchionatus erat. Voluit itaque Cæsar, vt ille in Ducatum verteretur, essetque in posterum Guilielmus, & successores eius, non tantùm Mantuæ Dux, sed & Montis Ferrati: multaque priuilegia huic nomini adiecit.

Guilielmus Dux Mantuæ, Montisferratensis quoq; Dux nominatur.

Ineunte Aprili Comes de Bossu, regius Hollandiæ præfectus, cum quadraginta nauibus mare Harlemicum occupauit, Geuseorum classem fugauit, omnemque commeatùs per canalem aduehendi aditum Harlemensibus præclusit. Octauo Aprilis Geusei in mari habuêre naues centum & octo, & Harlemenses quatuordecim: terra marique acritèr dimicantes, vt possent annonam & militem in oppidum importare: sed displosis tormentis, Comes de Bossu eos coëgit fugam capessere: naues & milites, qui ex vrbe prodierant, in eas redegit angustias, vt ægrè possent in vrbem redire. Nono Aprilis rursùs ex oppido terra marique erumpunt, sed non sinè multa suorum cæde. Hebdomada ante Pentecosten sexcenti milites Geusei non longè ab Amsterodamo è nauibus egressi, vi conantur occupare aggerem, vt commeatum a re-

Geuseorũ classis fugatur.

Itèm secũdò.

1573 gijs castris excludant. Mittunt verò contra eos è suis selectis ciuibus Amsterodamenses signa duo. Confligunt illi cum Geuseis, & interim vident Geusei in illo aggere mille circitèr fossores, ad Albani castra tendentes: putant esse milites, & præ metu animis in pedes decidentibus, fugæ se mandant, arma & vestes quasdam fimbrijs aureis ornatas abijciunt, per fossas properant ad suas naues, ab Amsterodamensibus verò ducenti ex eis trucidantur, octo eorum naues omnis generis commeatu instructæ auferuntur.

Amsterodamenses fundũt & fugãt Geuseos.

Electio noui Regis in Polonia.

Mortuo Sigismundo Poloniæ rege, multi particulares conuentus habiti sunt, tam de pacificandis finibus Podoliæ, Lituaniæ, & Russiæ, quàm de noui Regis electione. Varij quoquè legati à Sũmo Pontifice, Romanorũ Imperatore, Galliæ rege, & eius fratre Duce Andio, à Rege Suecię, alijsque Monarchis adueniebant. Tandèm hoc anno in Sabbatho magno Pasche, Tartarorũ mille octingẽti, cum ducibus Baca & Sicoza in Podoliã irruentes, & ad Barã arcem vsq; omnia diripiẽtes, in reditu à Buczacij capitanei Camienccẽsis militib⁹ ex inopinato trucidãtur.

Legatio Selymi ad Polonos.

Septimo deindè Aprilis, electio extra Vistulam, Orientem versus, apud Varsouiam, in tentorio magno cœpta est celebrari. Sub initio comitiorum, Machmet Bassa supremus Constantinop. literas intercessorias, nomine Selymi, ad Senatum & Ordines Polonię misit. Is 12. Maij Varsouiam venit, auditus 17. & 21. dimissus est. Summa legationis erat: Selymum petere, vt Henricum Ducem Andium (anteà Alexandrum Eduardum dictum) Caroli IX. Regis Galliæ fratrem, Poloniæ regem eligant. Posteà Selymus ipse Achmetum Czaum ad Polonos legauit, qui propositis aliquot Polonorum proceribus petijt, ex ijs regem nominarent. quòd si tamen externum eligere omninò decreuissent, nè Turcico aut Tartarico nomini infensum creent, postulauit. Itaque post multas consultationes tandèm Henricum Ducem Andium, reclamantibus initiò Cracouiæ, Sendomiriæ, & Podoliæ Palatinatibus, Gnesnensis Archiepiscopus, non sinè murmure Mareschalcorum, qui officium hoc ad se pertinere dicebant, Regem 13. Maij denunciauit. Statu deindè religionis, & priuilegiorum negocio, cum legatis Francicis tractato, proceres tredecim Oratores, cum insigni comitatu, per Germaniam in Galliam legârunt, qui nouo Regi gratularentur. Hi 14. Calend. Septemb. tandèm Lutetiam venerunt.

Altera Selymi legatio.

Henricus Andius Dux, Rex Poloniæ proclamatur.

Sed

Sed & 15. Febr. pax in Scotia, inter Iacobum VI. Regem puerum, & Hamiltoniorum familiam facta est. Dum hæc diuersis locis aguntur, Henricus electus Poloniæ Rex, Santonum portum (nunc Rupellam vocant) obsidebat. Vt enim ab hæreseos lolio regnum suum repurgaret Carolus, Bironium & Philippum Strozzam, cum exercitu misit, ad Rupellam obsidendum. Rupellenses sæpiùs erumpentes, grauissima subindè damna obsidentibus intulêre: nè autem diuturnitate obsidionis commeatus tandèm deficeret, opem Mongomerij, qui in Anglia erat, implorabant. qui vt ipsis subueniret, in paranda classe maximè intentus erat: & iam magnum nauium numerum contraxerat, eratque ad velificandum paratus, sed inopinatus illum casus retardauit. Elizabetha enim Caroli IX. regis vxor, filiam pepererat; hanc vt de sacro fonte leuaret Angliæ Regina rogata est. Misit illa Regulum, qui ipsius vices ageret: dum is fretum Caletense traijceret, in piratas Anglos, Gallos, & Belgas incidit, qui interfectis aliquot ex illius comitatu, vnam nauim expilârunt. Hoc insolenti facinore iritata Regina, Archithalasso suo mandauit, vt omnes Gallorum, Belgarumq; naues, quę in portubus Anglię stabant, exarmaret, nautasq; & gubernatores detineret. Hoc mãdato expeditio Mõgomerij retardata est, & Rupellẽses ingẽti spe frustrati. Regij cum ingẽti Galeone, qui à Venetis erat in bello superiori captus, portûs Rupellani fauces obsederunt, ex eoq; multa vrbi incommoda importârunt: & quantumuis oppidani pice, bitumine, stramine, alijsq; materijs incensis galeonẽ exurere conarẽtur, tamen omnis illorũ labor irritus erat. Intereà Dux Andius in castra venit. erãt cum eo Alenconius, Rex Nauarræus, Condæus, Dalfinius, Guisius, Ammalęus, Lõgauilla, Bollionius, Niuernensis, alijq; è nobilitate plurimi. Dux statìm Rupellensibus per literas honestas pacis conditiones offerebat, erantque eæ satis etiàm Hugonotarum iudicio tolerabiles, & à plurimis probabãtur, qui eas omninò acceptãdas esse sentiebãt. Erãt aũt in vrbe 57. ministri Caluiniani, homines ad tumultus & seditiones nati, horũ sententiã rogandam nõnulli deqreuerunt: qui, quæstione ad se relata, nequaq̃ cum Rege paciscendũ suadebãt: militare enim cõtra eos, qui aliter iudicabant, connexionem membrorum Ecclesię, quæ non patiebatur eos à fratribus separari: militare in eos fidem alijs ciuitatibus in confœderatione datam, eam qui violant, habitare non posse in monte & taber-

1573

Pax in Scotia.

Rupella obsidetur à Rege Gallorũ.

Reginæ Galliæ Carolo filiam gignit.

Andium Dux in castra venit.

Ministri Caluiniani pacem dissuadẽt.

1573 naculo diuino: militare ſpem firmam in Deum; militare deniquè in iſtos pacis amatores Mongomerianæ claſſis expectationem. Hæc erat illorum hominum (qui præter vile ſcortum, & famelicam prolem, omnia ſua ſecum portant, nec vacui ab hoſte detrimentum aliquod metuunt) ſententia, quam ditiores plerique ciues nequaquàm approbabant. Induciæ ab Andio conceſſæ ſunt, vt de pace ageretur. Noæus, qui erat internuncius, cùm cerneret ſe nihil apud oppidanos efficere poſſe, relicta vrbe, Andio ſeſe coniunxit. Oppidani extrema potiùs expectanda, quàm pacem hanc acceptandam, decreuêre.

Rupella oppugnatur. Andius itaque admotis tormentis, propugnaculum Euangelij grauiter concuſſit, ruinam inſignem ſtrauit, & ſequentibus aliquot diebus ſeptiès vrbem irrito conatu oppugnauit. Intereà claſſem ad portum Santonum appellit Mongomerius, aliſque latè extenſis in conſpectu claſſis regiæ conſedit, ſperans regios metu tantæ claſſis, præciſis anchoris, fugam arrepturos. At illi Mongomerium deſpicientes, intrepidi ſeſe ad pugnam parabant. tormentis aliquamdiù res eminùs acta eſt: ſed cùm Mongomerius regiæ claſſis vires periclitatus eſſet, ſublatis anchoris, & expanſis velis, re infecta, magno Rupellenſium mœrore, in Angliam reuerſus eſt. *Mongomerianæ claſſis irrita expeditio.*

Chaſtræus eodem quoquè tempore Sanſerram obſidebat: & iam in eam neceſſitatem oppidanos adduxerat, vt fame plerique morerentur. Tanta enim erat in vrbe fames, vt non modò ad inuſitata cibaria deuentum ſit, ſed etiàm ad paleam, nucum putamina, atque hominum excrementa. Carnibus enim bubulis, ouillis, & ſuillis deficientibus, equi atque aſini mactati ſunt. Deindè feles, ſorices, talpæ, canes & mures comeſti. Ijs conſumptis, boum tergora, ouium, atque vaccarum vorari cœpta. poſtquàm defecêre, rabida vrgente fame, cingula coriacea, capiſtra, frena & ephippia, ligularum & crumenarum reſegmenta, cum veſtimentis coriaceis, in delicijs habita ſunt. Dein ad vngulas boum, equorum, aliarumque beſtiarum confugerunt. Cùm frumenti atque leguminis omne genus deficeret, panis ex paleis minutìm conciſis & in mortarijs contuſis, atque ex tegulis natiuis (lapidis genus eſt nigri & friabilis) confectus eſt. Deficientibus omnibus cibarijs, homines ad beſtiarum & ſua quoquè excrementa deuenêre: in ſterquilinijs quoquè oſſa putria, & cornua animalium diligenter perquiſita ſunt, & auidiſſimè comeſta. Fuerunt qui defunctorum cadaueribus *Horrenda fames Sãſerranorum.*

bus

bus vesci voluêre, sed in facto deprehensi pœnas luerunt. Ad hanc inopiam redacti, cùm nec commeatum, nec à socijs subsidium expectarent, in eodem tamen proposito belli gerendi, optimas à Chastræo pacis conditiones oblatas contemnentes, perseuerârunt. 1573

Nota hæreticorum obduratos animos.

Sub id ferè tempus Andius cuniculum iuxta veterem fontem lustrare volens, cùm è muris conspiceretur, sclopeto petitus est: & nisi nobilis, qui lateri eius adhærebat, flammam conspicatus, medium se ilicò opposuisset, certè periculum vitæ subijsset. is enim nobilis lethalem ictum proprio corpore excipiens, domini vitam sua morte redemit. Iterùm de pace cœptum est agi. Intereà Legati Poloniæ in castra veniunt, qui Andium in Regem Poloniæ electum esse declarârunt. Horum aduentus maximum momentum ad conficiendam pacem attulit, quæ post varias disceptationes in hanc tandem formam est definita: Vt Sanserra habeat priuilegium concionum habendarum, celebrandorum Matrimoniorum, & Baptismorum tantùm. quo beneficio etiàm gaudeant nobiles, qui Rupellam profugerant. Ipsi Rupellæ, Montalbano & Nemauso integrum suæ religionis exercitium constet, in Baptismo, Cœna, & Matrimonijs. Hęc conditionum summa, quoàd negocium Religionis. Id & à Rege, & à Rupellensibus eorumque confœderatis, extemplò est approbatum, & obsidio post septimum tandèm mensem soluta. Sed ad Harlemensium obsidionem reuertamur.

Memorabile fidelitatis exemplum.

Pax iterũ in Galliæ cõponitur.

Vicesimaoctaua Maij regia classis in mari Harlemensi Geuseorum naues ampliùs centum in fugam vertit, magna & militi & nauibus damna dedit, naues eorum vigintiduas cum milite & rebus alijs cepit. In terra quoque à regijs aliquot eorum propugnacula vi expugnata sunt, in quorum vno tria peditum signa se dediderunt. Tum verò Harlemensibus omnis subsidij aditus præclusus est. Ineunte Iunio, cùm multùm imminuta essent castra regis & morbis & prælijs, ab Italia magna Hispanorum & Italorum subsidia venêre. Conscripta sunt etiàm Burgundionum & Germanorum aliquot signa: sed quòd hi omnes tardè in castra Harlemica aduenirent, Albanus è Belgij ciuitatibus euocatos milites Harlemum misit. Hoc ipso tẽpore, quidam ex Harlemo vltrò profugientes, indicârunt magnam illic esse panis inopiam, obsessósq; animum despondere. Collegit tum Auraicus apud Leidam omnis farinæ hominũ quinque

Iterùm fugatur classis Geuseorum.

1573 millia, Harlemenſibus annonam illaturus: ſed quòd id cunctantius procederet, cæteræ rebelles ciuitates malè in eum animatæ erat. Alibì verò Geuſci haud procul Amſterodamo aggerem occupârunt, perfregerunt, & illic propugnacula condiderunt, in quibùs primò quatuor præſidiariorum militum ſigna collocârunt, aliquot etiàm triremes & naues eò adduxerunt, impedituri nè ab Vltraiecto in caſtra regis commeatus aduehéretur. Porrò Auraicus, collecto ex tota Hollandia exercitu, mulcta quoquè pecuniaria conſtituta in eos, qui præſentes illi expeditioni non intereſſent, famam ſparſit, ſe vi defenſurum & liberaturum Harlemenſes. Et regius quidem exercitus, vt id faceret, cupidè expectabat: ſed ille ex eo exercitu quatuordecim ſigna reliquit in aggere, quem diximus, annonæ regiæ auertendæ cauſa: cumque maximè vellet vi Harlemenſibus opem ferre, regij milites in eo erant, vt eum vndiquè cingerent. Atque eo nomine 17. Iunij ſeptem Burgundionum ſigna, altero die trecenti Hiſpani ſclopettarij eò miſſi ſunt. At vbì id ſenſêre Geuſci, qui habebant ad 23. ſigna in ſuo exercitu, relicto aggere, more ſuo in pedes ſe conieceerunt.

Nouæ copiæ veniũt in caſtra regis. Initio menſis Iulij Hiſpani & Itali, quos paulò ſuprà diximus, Nouiomagum, indè Harlemum egregiè ſanè inſtructi venerunt: Germanorum quoquè nouæ copiæ aduentabant. Porrò autem qui ex vrbe quotidiè profugiebant, teſtabantur, magna inedia premi omnes intra oppidum, & iam in delicijs eſſe equos, canes, feles, radices, fructus immaturos, gramina, herbas, & pleraque alia, ab humano victu aliena. *Eccè tibi Saguntinã famẽ apud Harlemẽſes.* Equidem locutus ſum cum ciue quodam Harlemenſi, qui tum in vrbe fuerat, qui hęc vera eſſe affirmaret. Quinta Iulij omnia ad ſupremam oppugnationem comparata erant, niſì tempeſtas impediuiſſet. Sexta Iulij quidam ex profugis capti, faſſi ſunt ſponte ſua, tantam eſſe intùs famem, vt deliberent ſeptima vel octaua Iulij armata manu indè exire, & per Germanorum caſtra perrumpere. Omiſſa igitur oppugnatione, expectabant regij tum illorum eruptionem, tum Auraici aduentum.

Cùm igitur qui in Zelandia & Hollandia rebelles erant, moleſtè ferrent Auraicum ad Harlemenſem ſoluendam obſidionem tantam cũctationem adhibere, præſertìm quòd ipſi iam pecuniam, commeatum & alia neceſſaria deſtinâſſent, nona Iulij venit Auraicus cũ omni ſuo terra mariq; inſtructo exercitu, adducens ſecum currus

rus circitèr quingentos, in quibus erant arma, cõmeatus & tormenta egregia: primoq; irruperunt in castra Germanorũ, quæ ad nemus erant, eorumque excubias interfecerunt. Id verò sentientes regij milites, ex omni parte castrorum currunt ad arma, & cum hoste confligunt. Et vtrinquè quidem certatum est acritèr, sed Burgundis & Germanis strenuè se gerentibus, Geusei fugiunt, eorum copiæ dissipantur, mille sexcenti ex ijs in ipso conflictu cęduntur, quatuordecim signa militaria, decem tormenta & trecenti currus auferuntur. Interim ex vrbe permultæ fœminæ & pueri prodeunt, se subducere cupientes, sed cum magno eiulatu compelluntur reuerti in vrbem. Iam verò Harlemenses omni spe destituti, post diuturnos tractatus, decimotertio Iulij se dedunt, victorisque arbitrio se permittunt. Assensum est precibus eorum, nè ciuitas prædæ daretur, sed vt ciues bona sua mobilia æstimarent, & eorum precium soluerent. Germani milites, qui in vrbe erant, vita donati sunt, non paulò humaniores hac in parte experti Hispanos, quàm ipsi fortassis erga Hispanos essent. At tamen Germani illi, itemque Gascones & Angli, qui apud Montes Hannoniæ iurauerant se non militaturos contra regem, & cum ijs aliquot seditiosi ciues, gladio, laqueo, & alijs modis necati sunt. Cùm autem in ea vrbe hæreret miles, nec nisi persolutis stipendijs progredi vellet, magna est amissa occasio rei benè gerendæ, omnibus iam metu cõsternatis, qui interim se collegerunt & communierunt. Alcmariani quidam venerunt ad Hollãdiæ præfectum, indicaruntque ei, exulem Ruichauerum prope Alcmariam esse cum tribus signis militum, sed ciues eum in vrbem admittere non velle. Confestim igitur è regis copijs præmissa eò sunt tria signa peditum cum duabus turmis equitum. Eos sextodecimo Iulij subsecutus est quidam nobilis cum tribus legionibus & tribus maioribus tormentis ad tentandos oppidanos, & Geuseos fugandos. Eius oppidi portam occidentalem obtinebant Catholici, eam verò, quæ Eurum spectat, Geusei, per quam Geuseorum præsidium intromissum est duas horas antè, quàm regius miles portæ occidentali appropinquâsset. Tantam verò eius vrbis obtinendæ opportunitatem regij amisisse feruntur, dum diripiendis rusticorum in Heyloë & Egmonda, fortunis diutiùs immorantur.

1573

Auraicus vi conatur annonam inferre in Harlemũ. E suis multi cadunt.

Harlemẽsium deditio.

Milites luunt pœnas.

Alemariæ Geusei præsidium imponunt.

Ex Harlemo quidam literas scripsit decimoseptimo Iulij, è quibus nonnulla huc ad verbum adscribam. Intro-

1573 tromiſſus, inquit, haud difficulter in vrbem 16. Iulij, ſingula oculis perluſtraui. Duplicem vallum interiecta profunda foſſa Geuſei intra ciuitatem, qua parte quatiebatur murus, exteriori munitioni, quam Hiſpanus erexerat, obiecerant adeò firmum, vt facilè appareat, illic quidem ciuitatem vi fuiſſe inexpugnabilem. Verùm à tota boreali parte vetus murus eſt vtcunquè debilis, nullo aggere firmatus, ità vt mirari ſatis nequeam vanitatem iconis, durante obſidione emiſſæ. Porrò quotquot intra ciuitatem fuerunt, tam gregarij milites, quàm ciues, pluſquàm Saguntinam famem perpeſſi ſunt: qua multis vtriuſque ſexûs, præſertìm ſenibus & pueris, quibus effœtæ neque ſatis vegetæ vires erant, enectis, tandèm manus neceſſitati dantes, cùm alioquì omnibus fame moriendum fuerit, ad deditionem compulſi ſunt, nulla alia conditione, quàm quòd direptionem mobilium ciues redimere poſſent, ducentis quadraginta florenorum millibus, è quibus centũ millia intra duodecimum diem numeranda ſunt, ad reliquum pactæ pecuniæ exoluendum longiori ſpatio conceſſo. Cæterùm vitæ neciſque poteſtas in omnes milites iuxtà àc ciues, victoris arbitrio relicta eſt. Deditionis leges ſubſcriptæ ſunt idiographis præfectorum & ducum, tam præſidiariorum, quàm ciuium, vt nihil in poſterum vel querelis, ſi durius cum illis agatur, vel calumnijs, ſit loci relictũ. Heu quæ facies miſerorum ciuium? viri, mulieres, ſenes, iuuenes, nupti, innupti, omnes adæquè demiſſum gerũt vultum: corpora macie confecta, luridus in ore pallor, vacillantia crura: deniquè nihil non horridum in illis cernitur. Nihil hîc venale extat, quàm annona, quæ de nouo importatur. Rari equi, nulli canes aut feles apparent in ciuitate. hi deliciæ meræ ieiuno ventri fuêre. Maxima pars tergoribus boum ſale condítis, & aqua calce immiſſa maceratis, duabus vel tribus ſeptimanis proximis vitam ſuſtentârunt: ſola aqua pluſquàm menſem reſtinxerunt ſitim. vna ſalis copia illis ſemper fuit, cæterorum omnium, quàm nebulonum, maxima penuria. Nũc quanquàm pane & vino recreatiores ſint, tamen mortis metus omnes angit.

Geuſei vt cõmunierint Harlemum.

Fames Harlemica.

Deliciæ Harlemẽſium ſub obſidione.

Nudiuſtertiùs ex præſidiarijs fermè ſexcenti, Gaſcones omnes, laqueo, gladio & ſuſpendio periêrunt: herì gubernator vrbis ab Auraico conſtitutus, cui nomen Pippardæ, Friſius natione, vnà cum alio cẽturione Flandro capite mulctatus eſt: pſeudoecclesiaſtes Martiniſta

Gaſcones ſuſpenſi &c.

& gre-

& gregarius quidam miles laqueo in foro ad furcam suspensi, omnibus spectaculo per integrum diem fuerunt. Præter quos alij quamplurimi milites ad trecētos, omnibus vestibus vsque ad camisiam exuti, & extra ciuitatem rapti, in aquas præcipitati sunt: paucis eorum vita donata, intercedentibus cōfessoribus illorum Minoritis. Presidiarijs Germanis fortassis ignoscetur, quanuis non omnes sint extra periculum. Lancelotus Brederodus è latebris extractus, custodiæ traditus est. Fuerunt in vrbe quatuor millia præsidiariorum militum, qui redacti fuerunt, cùm deditio fieret, ad numerum mille sexcētorum militum, reliquis ferro absumptis: nunc præter illos, de quibus supplicium sumptum est, vix septingentos superesse credo. Ciuibus adhuc parcitur, verùm portæ ciuitatis tam arcta custodia seruantur, vt nemini exitus sinè consensu Hollandiæ gubernatoris pateat. Hactenùs ex literis Harlemi datis.

1573

Præsidium Harlemē.

Quantùm autem retardârit expeditionis huius prosperos successus cunctatio illa, quam attulisse aiunt milites, mouere se loco illo detrectantes, nî priùs esset numerata ipsis pecunia, idem alijs literis, eodem mense Harlemi scriptis, satis indicat his verbis: Miles ocio diffluēs, aut ambulationibus se exercet, aut supinus recumbens apricatur, aut poculis certat, aut ludit alea &c. Interim hostis oblatum mora nostra temporis spatium amplectitur, respitat, consilia defensionis init, præsidia oppidis imponit, annonam, quæ sufficiat in multos menses, importat, puluere tormentario, alijsque instrumentis bellicis omnis generis, alijsque ad obsidionem tolerãdam necessarijs instruit, rusticos pagorum circunuicinorum incolas cum vaccis, ouibus, equis omnique supellectili intra ciuitates cogit, detrectantium casas, immò totos pagos, incendit. Hæc ille.

Obitèr hîc annotandum videtur, dum adhuc Harlemum obsidione premitur, suspendio illic à Geuseis necatos esse Maio mense huius, nî fallor, anni catholicos viros M. Lambertum Iuris vtriusque Licentiatum & consulem Harlemensem, octogesimo ætatis suæ anno. Item M. Quirinum, æquè consulē eius vrbis. Tum quoquè Franciscum sacerdotem, & Adrianum Alberti virum nobilem, atque Hugonem ciuem Harlemensem. Porrò Vrsulam Quirini consulis filiam sanctimonialem in aquas præcipitatam & lapidibus oppressam: eius sororem viduam iuxta suas ædes ictu lapidis enecatam.

Aliquot Catholici Harlemi suspensi.

1573 Turcarum multa nauigia, quæ in mari, quod est inter Byzantium & Mitylenen, nauigabant, vnà cum mercimonijs atque hominibus exorta repentina tempestas demersit. Sed & Scythæ, collectis copijs, Polonorum fines infestabant, quos tamen Poloni contracto exercitu, cum insigni clade represserunt. Selymus Turcarum Imperator, Cypri regnum bellorum immanitate penitùs deuastatum, atque desolatum, nouis incolis restaurare, coloniasque in illud deducere statuit. Edictum itaque promulgari iussit, quo libera facultas omnibus Cyprijs profugis, ad sua redeundi proponebatur. Insulani itaque paulatim redeuntes, agros colere, munitiones disturbatas reædificare, domosque extruere cœperunt: ità vt insula, quæ paulò antè quasi solitudo erat, iam nouam regni faciem ostentaret. Multi quoquè ex Cilicia, Pamphylia, & Cappadocia istuc confluxerunt. Concessum est etiam Cyprijs colonis, vt ad arbitrium pro suis legibus, auitisque ritibus viuerent, atque Reip. penè formam haberent, imperatorios tantùm præfectos agnoscerent, & tributa fideliter penderent. Idem Chijs ciuibus, Gallorum intercessione, Selymus indulsit.

Regnum Cypri restaurat Selymus.

Dum in Belgio exercitus Regis ad oppidum Alemarianum infeliciter pugnat, quidam Geuseorum antesignani insidias struunt Middelburgo, Zelandiæ metropoli: & iam admotis scalis, quidā ex hostibus mœnia superârant, sed diligentia Mondragonij præfecti, iterùm à mœnibus proturbati sunt, & reiecti. Ciues qui proditionis erant conscij, quia maturè nimis seipsos prodiderunt, capti sunt, & in vincula coniecti. Vlissingenses tamen spe Middelburgi potiundi iam planè frustrati, munitissimam arcem, totiusque Zelandiæ quasi præsidium, Rammekens oppugnant, & paulò pòst, non optima præfecti fide, capiunt deditione. quo infortunio factum est, vt Antuerpia nihil commeatûs Middelburgensibus aduehi posset, quod non aut periclitaretur, aut à Vlissingensibus hāc arcem defendentibus interciperetur. Nec diu pòst Poyetus Auraici per Hollandiam vicarius, Montes D. Gertrudis, insigne & munitum oppidum, insidijs atque astu occupauit. Miles enim regius, cui murorum excubiæ erant datæ, dum securè dormit, nec hostium studia obseruat, illi admotis ad mœnia scalis, clàm oppidum inuadūt: præsidiarios aut occidūt, aut in carceres abreptos, posteà suspendūt. Ecclesiasticos quoquè viros, primo impetu, quos

Rammekens deditione capiunt Geusij

obuios

obuios habuerunt trucidant: inter quos Canonicus quidam fuit, Guilielmus Galenus. Fratrem verò Iohannem Vogelsanck, & F. Guilielmum à Gouda Frãciscanos, fœdo carcere inclusos, varijs tormentis excarnificârunt. Erat is Guilielmus vir pietate rara, atque eruditione maxima, insignisque verbi diuini concionator. Ad hunc in carcerem missus Adrianus Gockius, Dordracenus Apostata, venerabilem Patrem à fide Catholica seducere conatur. Sed tam probè ab eo exceptus est, vt pisce magis mutus, planeque confusus, nihil haberet, quod cõtra ipsius rationes adferret. Non ità diù pòst (festinabat enim iam ad martyrium Pater, & omnis ei mora longa erat) præfectus Marliandt orantem, & patientiam à Christo Domino suppliciter petentem, è vinculis rapit, & ad supplicij locũ trahit. Quò cùm venisset, alacri animo scalas ascendens, laqueum induit, oransque pro inimicis, populum ad Catholicæ religionis obseruantiam admonens, è scalis proturbatus, placidè in Domino obdormiuit. 1573

Henricus Andius in Poloniam proficiscitur.

In Gallia rebus inter Andium Ducem Henricum, & Poloniæ legatos compositis, cùm iuramentum præstitisset Dux 4. Cal. Octob. Parisijs discessit. Carolus Rex fratrem ad fines regni comitari cum vniuersa nobilitate decreuerat: sed medio itinere morbo correptus, fratrem à se dimittere coactus est. Henricus Nansium peruenit, vbi à Duce Lotharingiæ sororio magnificentissimè exceptus est. Peropportunè tunc acciderat, vt Claudia Ducis coniunx filiam recèns enixa esset; in sacro enim baptismo Posnaniensem Episcopũ, & collegas, filiæ sponsores vterque parẽs postulauit. Henricus deincèps Blammonti matrem, Alenconiũ fratrem, Margaritam sororem, cæterosque proceres vltimò amplexus, citatis equis Argentoratum, Moguntiã, Francofurtum, ad Hassiæ Lantgrauium contendit. Indè per Saxoniã ad Marchionem Brãdenburgensem perductus, tandèm Miedzyrzece oppidum Poloniæ incolumis peruenit. Episcopus Montisregaris, Sedis Romanę nuncius, itineris totius comes erat, & omnibus in locis, ad quæ diuertebatur, incredibili pompa est exceptus. Quarè Imperatori, Principibusq; Germaniæ, & ipse, & oratores eius, immensas gratias egerunt.

Don Iohã. Austriacus venit Guletam.

Huius anni mense Octobri, eiusdemque mensis die septimo, clarissimus princeps Iohannes Austriacus cum classe Catholici Hispaniarum regis Philippi soluit Iauagnana, & sub meridiem sequentis diei Guletam appulit: vbi ex Gubernatore atque ipso etiàm Tunetano

rege

1573 rege certiùs cognouit de statu vrbis & regni Tunetani, atque adeò Mauros & Turcas, qui Tuneti erant, terrore quodam correptos, fugam meditari. Postridiè igitur circunspecta loci opportunitate, militem in terram exponendum curat quarto à Tuneto lapide, mittitq; bis mille quingentos pedites Tunetum, qui reipsa compererunt, oppidanos omnes ex vrbe profugisse, partim Carauanã, partim Bisertam: atque ità nullo resistente in oppidum ingressi, ad arcem contendunt, ducentos illic Mauros inueniunt, qui se dicerent regis Amidæ nomine arcem custodire, nec tamen difficulter illos admitterent in arcem. Indicatur hoc principi Austriaco: sed quòd iã nox esset, nihil se tum mouit ille. Alterius diei summo manè cum Paulo Giordano, Antonio Auria totoque exercitu Tunetum proficiscitur, & in arcem veniens, nihil ferè præter magnam olei, lanæ, butyri copiam reperit.

Tunetũ ab eius milite occupatur

Vndecimo Octobris Guletam appulit Dux de Sessia, vbi etiàm Marcellus Auria expectabatur. Tuneti rex, ità iubente Austriaco principe, interim apud Guletam mansit, ibidèm apud classem manente Iohanne Cardona. Dum autem Austriacus Tuneti est, decimotertio Octobris nunciatur ei, è Turcis Tuneti præsidiarijs, qui ad tria millia fuêre, quadringentos, & cum ijs aliquot Mauros, Bisertam venisse, conatosque in oppidum ingredi, sed à ciuibus & alijs, qui intùs erant, non admissos. Cumque Turcæ ferro sibi aditum patefacere vellent, acritèr certatum esse, Maurosque Bisertanos quosdam captiuos Christianos è triremi & galeone in portu illo hærentibus soluisse atque armâsse, & cum ijs paritèr aduersùs Turcas dimicâsse, Turcas partim fudisse, partim cum triremi & galeone cepisse.

Turcæ à Bisertanis repelluntur.

Atque hæc quidem decimotertio Octobris facta sunt, missique è Biserta legati supplices ad illustrissimum Austriacum principem, quos ille clementer excepit, Guletæque Gubernatorem cum milite misit occupatum Bisertam. Indè porrò regi Tunetano, qui adhuc apud Guletam erat, hanc denũciauit sententiam: Quandoquidem ipse antehàc discordiæ & perturbationis regni Tunetani author fuisset, regios hæredes spoliatos profligâsset, semperque erga legitimos successores secùs atque par erat, se gessisset, vndè id consecutum sit, vt Turca regnum illud inuaserit & occupârit: regię Catholicæ maiestatis hoc esse mandatum, vt captiuus in Siciliam cõmigret. Quod cùm ille grauitèr acciperet, clementiamque

Bisertam occupat Austriacus.

tiamque implorare institueret, cum vxore & liberis in triremem coniectus, in Siciliam captiuus abductus est. In eius locum subrogatus est verus hæres iunior Muleasses, rege Catholico iubente, isque magna bombardicorum fulminum gratulatione è Guleta profectus, tanquàm rex Tunetum venit, & ità quoquè exceptus est, iurauitque Catholicæ regiæ maiestati, vtì cliens fidutiarius siue vasallus, præstiturum se quicquid ei tum propositum fuit. E Tuneto antè excesserant Maurorum quadraginta millia. Ij supplices libellos obtulêre Austriaco principi, vt eius possent clementiam promereri. Quam cùm humanissimus princeps eis non negâsset, in dies redeunt Tunetum in domos suas. Austriacus verò reliquam anni partē in muniendo regno Tunetano consumpsit: arcemque nouam inter Tunetum & Guletam, loco palustri ædificauit, eamque Serbellono Italo & Carrerę Hispano defendendam dedit, magisque muniendam. Videmus hic, quàm propitius adhuc adsit Ecclesiæ suæ præpotens Deus, valdè quidem his temporibus afflictæ, sed nondùm prorsus derelictæ. Quantùm hodiè illi negocij facessant Turcæ & hæretici, nemo est qui ignoret: sed tamen vtrorumque conatus ità reprimit Deus, vt non possint id assequi, quod cupiunt. Illustres aliquot victorias è Turcis intra biennium Catholici reportârunt, & cùm iam videretur actum de Ecclesia, Turcis in Oriente, hæreticis in Occidēte eam acritèr oppugnantibus, Turcæ prȩter omnem expectationem propè incredibili affecti sunt clade, hæretici multa quidem machinantur, sed sæpè infelicitèr: si quid verò interdùm consequi videntur, hocipsum tamen in totius ferè Germaniæ (vt nihil de alijs regionibus dicam) perniciem cedere videmus, quandò interìm illi, dum potentissimi regis Philippi ditiones vexant, intolerabilem omnium propè rerum caritatem in Germaniam important.

1573 Amida Tuneti rex captiuus.

Hugonotæ in Gallia, etsi pacem factam in castris ad Rupellam approbâssent, tamen ab armis diù se abstinere non potuerunt. Nouo itaque inter se fœdere inito, Occitaniæ vrbes & castra præsidijs muniuerunt, nouasq; copias conscripserunt. Nè autē hoc preter rationem facere viderentur, populo persuadent, Catholicos arma parare, insidiasq; struere his, qui ex Sanbartholomęana cæde erant reseruati. Duo autē illos ad nouū bellum suscipiendum armabant, absentia nimirùm Ducis Andij, & Pontificiorum, seu Malecontētorum factio. Non enim iam omnes Catho-

Noui belli initia in Gallia.

1573 Catholicos se hostes habituros, sed quosdam amicos, arbitrabantur. Nonnulli enim ex Catholicis, quòd prauam Reip. sentirent administrationem, quodque misellum populum quotidianis exactionibus expilari, exiguā nobilitatis, quæ in bello sua penè omnia profuderat, ratione haberi, officia tanquàm in publica licitatione plus offerentibus addici, Regis ærarium inutilitèr consumi viderent; salua religione Catholica, in peruersam hanc administrationem conspirârunt, & posteà bellum communibus armis, cum Hugonotis, contra Regem gesserūt, vt suo loco dicemus.

Malecontentorum Pontificiorū factio in Gallia.

Carolus Borromæus Mediolanensiū Archiepiscopus, & Cardinalis, post diuturniorē absentiam ad Sedem suā reuersus, multos inuenit abusus, atq; inter alios, Regis præfectos & iudices laicos, lites ecclesiasticas in suo foro decidere, & iura sacra sibi vendicare. Hunc abusum dum tollere nititur Borromæus, maxima inter illum & ministros regios excitata est simultas. Baptistam enim Castellum, & Io. Iacobum Panicum constituerat Cardinalis, qui Canonum iura tuerentur, & secundùm illa ius vnicuique dicerent. Decurionem quoquè conduxerat, cum decem satellitibus, qui quod iudicatum esset, exequerentur. Aegerrimè tulerunt hoc ministri regij, & Alberquecij præfecti animum, in conatus Cardinalis incitârunt, Regis iurisdictionem, eiusque authoritatem istis minui, forū ciuile & tribunal regium cōtemni, politicā administrationem labefactari, conquerebantur. Assiduis horum querelis motus Alberquecius, publico interdicto cauit, nè quis armatus per vrbē, nisì cum licētia Præfecti, incederet: qui secùs faceret, mulctaretur. Cùm verò Cardinalis satellites arma non deponerent, Decurio captus, & publicè mulctatus est. quā rem indignè ferēs Cardinalis, regios ministros omnes anathematis fulmine percussit, à quo, pacatiores facti, iussu Pontificis ab ipso Cardinale rursùs sunt liberati. Deindè Cardinalis ad Ecclesiæ reformationem animum conuertit. Adulteros, meretrices, impuros homines, & publicos peccatores eijcit, in fide & moribus collapsa restaurat, iudicij ecclesiastici & curiæ suæ faciem mutat, familiæ suæ qualitatem inquirit, nihilque prætermittit quod ad Ecclesiastici principis officium pertinebat.

Mediolanēsis Cardinalis & regiorum simultas.

Cardinalis Mediolanensis reformat suam Ecclesiam.

Albanus dum Amstelredami hæret, insignem classem instruit, ad Vvaterlandos, Hollandiæ Septentrionalis populos, debellandos. Prętoria nauis Amstelredamensium

sium sumptibus ædificata, tantę erat magnitudinis, vt in 1573
mari hoc nostro nũquàm similis sit conspecta, hostes Inquisitionẽ appellabant. Classi præficitur Comes de Bossuy, qui ad primam expeditionem profectus, cùm longius velificaretur, nec aduentum Boshusij Vicarij sui cum cætera classe expectaret, ex improuiso in Hollandorum classem incidit. Cumque necessitas eum compelleret, cũ hoste manum cõserere, diù vtrinquè pugnatum est. Multi nobiles, egregijq; milites erant in prætoria, qui strenuè dimicantes passìm occubuêre, totque strages editæ sunt, vt iam carina atque fori humano sanguine exundarent. Comes licèt initiò magno animo se defenderet, nec sese hosti dedere vellet: posteà tamen cùm naues sociorum auxiliares nusquàm conspicerentur, & sui penè omnes interfecti essent, se, prætoriamque nauem hosti condonauit, captus autem in oppidum Hornanum est abductus.

Bosuuius Comes capitur à VVaterlandis.

Nec minor erat victoria, quam eodem ferè tempore Zelandi & Britanni Hispanicæ classi in mari Britannico extorserunt. Constabat ea classis partìm Regis nauibus, quibus præerat Dux Medinæ Cæli, qui in Gubernatione Belgij succederet Albano, partìm mercatorum, quæ incredibilem preciosissimarum mercium, auri quoquè & argenti vim aduehebant. His victorijs elatior factus Auraicus, de obsidendo Middelburgo consilia captauit: eamque vrbem breuì terra marique ità obsedit, vt nihil annonæ ipsi aduehi, nisì summa cum difficultate, posset.

Angli & Zelandi classem Hispanicã expugnãt.

Middelburgũ obsidetur.

Albanus cùm videret belli euẽtum in Alcmarianos infelicem, Imperatorem exercitûs Valdęum creauit: ipse cum filio Frederico, Antuerpiam primùm, deindè Bruxellam proficiscitur: ibiq; abdicato imperio, paulò pòst, mense scilicet Decembri, in Hispanias est reuersus. Dux Medinæ Cæli videns perturbatũ Belgij statum, gubernaculũ recusans, iam antè discesserat, in cuius locũ Magnus Castiliæ Commendator Ludouicus Requesenius venerat. is itaque, Albano abeunte, Belgicarum ditionnũ, iubente Philippo Rege, administrationem suscepit. Valdęus verò exercitum Alcmario mouens, Lugduno Batauorum obsidionem parabat.

Albani abitus in Hispaniã.

Requesenius fit Belgij Gubernator.

Hoc ipso anno Gregorius XIII. Pontifex Maximus, qui Pio V. successit, Romæ Collegium Germanorum tantis auxit ijsque annuis & perpetuis prouentibus, vt possint illic quotannis honestè sustentari centum studiosi Germani adolescentes. Summa horum prouentuum

Gregorij XIII. liberalitas & beneuolẽtia erga Germanos.

1574 uentuum siue redituum ad decē millia coronatorum excrescit. Multi Romam profecti sunt è Germania adolescentes, vt illic & literis & vera pietate præclarè ac solidè instituantur. Id enim spectat optimus Pontifex (cui vel hoc solo nomine nunquàm se gratam satis Germania declarare valebit) vt possint Romæ eos eruditionis & virtutis habere progressus, vt quandoquè Germanis suis & doctrina & optimis sanctæ vitæ exemplis prælucere queant, eosque reducere ad vnum Catholicæ Ecclesiæ ouile, à quo eos dolet vulpecularum vineas demolientium, id est, versutorum hæreticorum, Domini ecclesias & animas ecclesiasticas, vt exponit hunc locum Theodoretus, corrumpentium & vastantium, fraude & malo dolo abstractas. De qua sanctissimi Pontificis tum liberalitate summa, tum eximio in Germanos animi studio, propensione ac beneuolentia, aliâs plura dici poterunt opportuniùs. Angustia temporis nunc cogit properare ad finem.

Requesenius Middelburgo subsidia parat.

ANNO 1574. postquàm Albanus Dux iam bello senioque fractus, atque à Rege Philippo reuocatus, tradito Requesenio Belgij gubernaculo, discessisset: Requesenius vt Middelburgo laboranti extrema inedia succurreret, classem instructissimam parat, cui Sancium Dauilam præfecit. Is postquàm soluerat, atque Middelburgum peteret, obuiam habuit hostium classem, & numero & viribus maiorem. Fit pugna atrox, & diuturna: impressionem faciunt Geusij in regios, regij acritèr sese defendunt. sed tandèm superiores illi, quinque naues regias deprimunt, & alias quatuor capiunt: cæteræ versis velis, fugaque elapsæ, saluæ in portum peruenerunt. acta sunt hæc circa finem Ianuarij. Decimo verò nono Februarij eandem fortunam Dauila, iam oblitus superioris cladis, tentare voluit. Soluens è portu Bergensi, aperto mari Vlissingam nauigat, ibique consistit, Romerum cum reliqua classe expectans. Sed cùm hostium classis regiam in conspectu haberet, aduolans, acerrimeque cum ea depugnans, regias naues depressit, cepit, & dissipauit, Romero vix scapha elapso. Quæ fama cùm ad Dauilam delata esset, ipse subtractis anchoris Antuerpiam reuersus est.

Regia classis à Geusiis victa.

Middelburgū Auraico deditur.

Mondragonius, qui Middelburgum hactenùs fortissimè defenderat, intellecto subsidij expectati infortunio, extrema famis necessitate compulsus, vrbem Auraico

traico post triduum dedidit. Milites atque ecclesiastici 1574
salui dimissi sunt : ciues centenis aureorum millibus mulctantur: Mandragonius verò data fide Antuerpiam ad Requesenium proficiscitur, cum eo de sua centurionumque redemptione, captiuorumque permutatione, acturus.

Ludouicus Nassouius in Belgiũ cum exercitu redit.

Circa idem tempus Ludouicus & Henricus Nassouij, cum Christophoro Palatino militem colligunt, cuius opera in occupando Traiecto, Antuerpia, Valencena & Gandauo, alijsque oppidis (in quibus suos proditores habere dicebantur) vti decreuerant. Diribitorium iuxta arcem Carpenam erat assignatum : habitoque delectu, versùs Traiectum castra mouebant. Sed Requesenius, accepto hoc nuncio, statim Dauilam cum aliquot signis Traiectum mittit. Qui etsi hoste multò esset numero inferior, tamen opportunitatem captans, bina eruptione facta, hosti non exigua damna intulit, & plùs quàm 600. trucidauit. Submittitur interea Dauilæ Mondragonius. Coniunctas itaque Nassouij regis vires metuentes, retrocedunt, & in Valkenburgensi territorio castrametantur. Hic nouo Dauila vsus stratagemate, 500. iterùm lectissimos milites hosti decerpsit. Nassouij spem suam elusam videntes, nec modum viamque videntes exercitum istic fluuium traducendi, collectis vasis reditum in Germaniam simulant : cùm interim magnis itineribus Nouiomagum contendunt. Insequentes eos Hispani, nouasque copias ex diœcesi Vltraiectensi, atque Geldria, duce Domino de Hirges aduocantes, hosti in Ericeto Moukensi obuiàm procedunt. Commissum est atrocissimum prælium, sed penès regios victoria fuit. Cæsi sunt Nassouiani omnes, paucis exceptis, qui partim capti, partim in fugam sunt conuersi. Occiderunt in hoc prælio Ludouicus & Henricus Nassouij fratres Auraici, & Christophorus Palatinus, multique insignes Germanorum Centuriones & militum Tribuni. Commendabatur autem Domini de Hirges, & Schenkij à Tautenburg virtus, & imperterrita, indefessaque fortitudo : quorum diligentia, nutans primùm victoria, sese ad regios conuertit. Paulò pòst Antuerpiæ sumptum est supplicium de quibusdam non infimi nominis belli ducibus, qui proditionem arcis eiusdem vrbis moliebantur.

Ludouicus in Ericeto Moukensi cæditur.

1574

Edictũ remissionis omniũ antea actorũ scelerũ in Belgio promulgatur.

Rex Philippus pro innata ſibi clementia, qua ditiones Belgicas, auitas & hæreditarias complectebatur, omnem curam atque ſolicitudinem huc conuertebat, vt pacem illis, & optatam tranquillitatem reddere, chariſſimorum ſubditorum ſuorum fortunis & ſanguini parcere poſſet; præter nuper indultam omnium delictorum condonationem, nouam ἀμνηστίαν, ſcelerumque tam in Religionem, quàm in ſuam Maieſt. ab anno 1566. vſque in iſtam horam commiſſorum, vniuerſalem veniam omnibus cuiuſcunque ſexûs, ordinis atque conditionis ſubditis, qui deincèps catholicè viuere velint, 6. Martij in Hiſpania conceſſit; adiunctisque amiciſſimis literis, Requeſenio tranſmiſit, qui illud indultum menſe Aprili cum ſumma ſolennitate Bruxellis proclamari iuſſit. Addidit & Pontifex Rom. indulgentiſſimam ſuam poteſtatem, qua Belgas rebelles & hæreticos ad melıorem frugem redire cupientes, ſceleraque ſua confeſſos, in conſcientijs liberos atque tranquillos declarauit. Quo vnico facto vterque ſeſe à carnificina, quo nomine immeritò ab hæreticis ſugillabantur, vindicauit.

Hiſpani Antuerpiã hoſtilitèr inuadunt.

Milites Hiſpani numero circitèr quatuor millia tumultuantes, & de non ſolutis aliquot annorum ſtipendijs, cum ducibus ſuis, Ordinibusque patriæ expoſtulantes, ſeſe ad vrbem Antuerpienſem mouent, & impreſſione facta, iuxta arcem in vrbem perrumpunt: erectisque ſignis ad forum conuolantes, pecuniam poſtulant. Quæ cùm non repræſentaretur, diuiſis copijs in ciuium ædes ruunt, ſcrinia compilant, atque obuia quæque rapiunt, Gubernatori ipſo Champanio, eiúsve fortunis non parcentes. Sedata nonnihil iſtius furoris tempeſtate, Antuerpienſes aliquot florenorum millia tumultuanti militi numerârunt, qui accepta pecunia confeſtìm Lugdunum Batauorum contendit, vrbemque grauiſſima obſidione cinxit.

Henricus Andium Dux, Cracouiæ Rex inauguratur.

Dum hæc in Belgio geruntur, Henricus Caroli noni Galliarum Regis frater, ad decimumoctauum Februarij diem, incredibili cum ſolennitate, magnificentiſſimoque apparatu Poloniæ Rex Cracouiæ vngitur & inauguratur, poſtquàm anni ſuperioris 4. Calend. Octobris, relicto fratre infirmo, ex Gallia diſceſ-

cessisset. Sed iucundissimum hoc Polonorum gaudium insignis paulò pòst mutatio est subsecuta: de qua infrà dicemus. 1574

Maximilianus Imperator cùm quotidiè suo, totiúsque Imperij malo disceret, Turcam nullius iuramenti, fœderis, aut induciarum habita ratione, Imperij fines lacessere atque decerpere, Inutrium comitia indixit, omnesque Germaniæ Principes euocauit, vt de certa pace, aut de bello suscipiendo consultarent: sed nihil aut parùm propter sententiarum diuersitatem potuit hîc definiri.

Comitia in Mittenvvalt Bauariæ oppido.

Veneti non minùs quàm Germani imminentem Turcicam tempestatem metuebant: certis enim literis, certisque nuncijs intellexerant, Byzantij regalem classem quingentorum nauigiorum (inter quæ trecentæ triremes, multique liburni, celoces, dicrotæ, onerariæque naues esse dicebantur) singulari studio ac diligentia instrui atque comparari: quinquaginta etiàm naues rostratas, per Aegæum & Chalcidem omnis generis commeatum colligere, atque ad classis huius instructionem comportare: mussitari insupèr, tantam belli molem in Venetorum perniciem conflari. Veneti itaque, nè quid sua Respublica damni caperet, aduigilandum esse existimantes, duodecim millia peditum conscribunt, quos sub imperio Sfortiæ Pallauicino traijci in Cretam iubent, ad insulæ defensionem. Quibus militibus colligendis dum occupati sunt, noua in vrbe Brixiensi factio, celebrioribus ciuium familijs inter se dissidentibus, exorta est, quæ nobilissimæ istius ciuitatis exitium minare videbatur, nisi Venetorum Decemuiri Iacobum Superantium, summæ authoritatis virum, cum suprema potestate eò ad res componendas legâssent. qui vrbem ingressus, intempesta nocte furcis in omnibus vrbis celebrioribus locis erectis, manè edicto cauet, vt omnes exteri intra vigintiquatuor horarum spatium, sub pœna suspendij, vrbe exirent. Paruêre Superantij mandato, & octo millia armatorum sicariorum, qui à partibus dissidentibus intromissi erant, exierunt: altaque fuit in vrbe pax & tranquillitas. Præter hęc incommoda, & alia duo Venetorum res atque animos consternauerunt. nam & eodem ferè tempore augustum sancti Marci Palatium deflagrauit, & paulò

Status Reipub. Venetorum hoc anno.

1574 pòst forum, in quo nundinæ circa Ascensionem Domini solent exerceri, cum ligneis tabernis, mercimonijsque preciosissimis ignis depopulatus est.

Principes hoc anno mortui. Fuit hic annus multis quoquè Principibus funestus. abripuit è viuis Cosmum Medicen magnum Hetruriæ Ducem, & Guidobaldum Ducem Vrbini, cum Carolo nono Galliarum rege. Vitæ quoquè catastrophen hoc anno peregit Selymus Turcarum Imperator, & Carolus laudatissimus Lotharingiæ Cardinalis, vt suo loco dicemus.

Laus Frācisci Mariæ. Cosmus Medices Franciscum filium hæreditarijs prouincijs Ducem reliquit: & Guidobaldo Frāciscus Maria successit, qui initiò principatûs sui omnia vectigalia, ab auo imposita, subditis remisit, exules reuocauit, bona fisco subsignata dominis legitimis restituit, nouā Reip. faciem instituit, multaque peregit egregio principe digna.

Germani Patriarchā Constantinop. in suam opinionem pertrahere studēt. Germani aliquot Protestantium, duce Martino Crusio, partim in odium Rom. Ecclesiæ, partim vt antiquam suæ Sectæ successionem, legitimumque caput ostendere possent, per Stephanum Gerlacum variè de concordia suæ, Orientalisque ecclesiæ, apud Patriarcham Constantinopolitanum egerunt: eumque varijs artibus, multisque scriptis, vt in suam iret sententiam, solicitauerunt: quæ nundinatio cùm in multos sequentes annos protracta esset, nihil proficere potuerunt, Patriarcha luculēto scripto eorum errores demonstrante.

Status regni Francici. In Gallia, Donfrone auspicijs Mattignonij Hugonotis erepta, Mongomerio capto, Fano Landi expugnato, Carenta restituta, Lorgio profugo, Columberio occiso, compositoque tumultu Normandico, Carolus nonus moritur. qui cùm in extremis esset, publicis literis, & ab Alenconio, Nauarræo, & Borbonio Cardinali, regiæ stirpis principibus, confirmatis, regnum fratri Henrico reliquit: in eius verò absentia summam interregni authoritatem matri demandauit; totique regno imperat, Biragio Cancellario suadente, vt, quoàd frater rediret ex Polonia, matri omnis obedientia deferatur. Illa postridiè quàm Rex obijsset, Regis sententiam omnibus regni proceribus literis demonstrauit: Condæum etiàm ad pacem & concordiam est hortata. Matris verò authoritatem literis defendunt Alenconius & Nauarræus.

Caroli IX. mors.

Intereà

Intereà Regi demortuo funus magnificè procuratum est. Regina verò repetitis nuncijs & literis Henricum è Polonia vocat, ad auitum & illustrissimum regnum suscipiendum. quod vt clàm fieret, eum Belleurei industria vti mandauit. Paulò pòst Mongomerius, is qui Henricum II. vulnerârat, perduellionis reus, vltimo supplicio Parisijs afficitur: & Hugonotæ noua consilia captant, de rebus suis (dum Rex abest) stabiliendis. Conuentus indicuntur, nouæ conspirationes, societates, & coniurationes fiunt: de Anuillio & cæteris Politicis in fœdus recipiendis (eò quòd à regia familia viderentur abalienati) variè disputatur: nihilque prætermittitur, quod ad nouas factiones suscipiendas pertinere videretur.

1574

Regina Henricum filiũ è Polonia vocat.

Mõgomerij supplicium.

Condæus, Toræus, & aliquot Politicæ nouæ factionis nobiliores, eandem in Germania camerinam mouebant. Condæus Argentorato Gasquium cum literis ad Occitanicos confœderatos mittit. Toræus quoquè ad Anuillium scribit, eum, vt partes suas sectetur, adhortatus. Hæc liberalis Condæi oblatio, & spes quæ de Anuillio concepta fuerat, causam præbuêre Hugonotis, vt conuentum indicerent Milialdum Rhutenorum, ad decimum Iunij diem: in quo de duobus his capitibus disputatum fuit, & tandèm conclusum: Anuillium certis conditionibus, ijsque planè seruilibus, in fœdus recipiendum esse. ex quo fœdere id subsecutum est, quòd multis in vrbibus Catholicis execranda illa hæresis sit admissa. Nec honestioribus multò conditionibus Condæum summum belli ducem creârunt, & omne illi obsequium se præstituros testati sunt: modò Condæus anteà conditiones propositas se obseruaturum Palatino Frederico, & Casimiro filio, iureiurando polliceretur.

Hugonotarum, de recipiendis in fœdus Malecontẽtis Pontificijs, cõsilia.

Priusquàm hæc fierent, Monbrunius Hugonotarum Dux Diam nobilem vrbem obsidione tentat: sed Glandagij diligentia & fortitudine eam turpitèr deserere coactus est, multis è suis desideratis. Dalphinius parte aduersa Mompenserij filius, Alesium & Ostam in potestatem Regis, armata manu fortitèr redegit. indè Liberonem obsedit, & cùm summis viribus aliquandiù frustrà oppugnâsset, tandèm collectis vasis, oppidum reliquit, & exercitum in vicinas vrbes traduxit. In Occitania Hugonotæ Vessalium, Calanconium, & Nonæum oppida, partìm vi, partìm dolo Catholicis extorquent.

Dum hæc vltrò citroque geruntur, Condæus libel-

1574 lum edit; quo suam de bello suscipiendo voluntatem declarat, causas interferens, quæ illum eò commouerant. Guisios mirum in modum traducit, nihil calumniarum prætermittens, quo populo eos redderet odiosos. Indè ad Henricum regem, qui quotidiè expectabatur, conuersus, ei omnem obedientiam promittit, modò Rex, quæ ipse proponit, habere rata velit: tandèm omnes Reges & Magistratus appellat, & ad causæ suæ defensionem inuitat.

Henricus Poloniam deserit, & in Galliã redit.

Dum sic in Gallia tumultuantur, Henricus in Polonia de morte fratris iam factus certior, de auito regno repetendo consilia captauit. non enim minimæ res hæc erat difficultatis, eò, quòd non nesciret, Polonos in abitum eius non consensuros. Primùm itaque ad 15. Iunij Cracouiæ Optimates conuocat, quibus fratris obitum exponit, causasque addit cur sua in Gallia præsentia sit necessaria: intereà nihil se sinè Procerum & regni consensu agere velle simulans, Comitia mense Augusto indici cupit, in quibus ea de re ageretur. Respondet Senatus, dolere sibi fratris obitum, cæterùm se, sinè regni totius approbatione, de abitu Regis nihil statuere posse: orare igitur se Regem, vt Comitiorum sententiam benignus expectet, nec intereà noui quid moliatur. Interim Rex clanculùm mittit, qui fidem publicam à Maximiliano Imp. flagitaret, quam haud grauatè obtinuit. Paulò pòst Belleræus, cui omnis de abitu cura erat à matre demandata, Senatui valedicit, sibi in Galliam necessariam ob causam eundum asserens. is magnam regiæ supellectilis partem secum absportâsse dicebatur. Postridiè Rex, specie malæ valetudinis, solito maturiùs se somno componit, & nocte intempesta mandato Regis porta arcis aperitur, ipseque peregrino habitu tanquàm nobilis egressus, paucis comitatus, citatis equis, magnis itineribus Plezinam primum Austriæ Poloniam exeuntibus oppidum peruenit. Manè summus in vrbe tumultus erat: vndiquè Poloni conuolabant, vt Regem insequerentur: & quanuis ab vna turma, quam Tanchius regiæ custodiæ præfectus ducebat, anteuerteretur, tamen quia Austriæ fines ingressus erat, ex itinere retrahi non potuit. Plezina itaque statim, post siceræ atque aquæ haustum, celerrimo equorum cursu, Vescouium defertur, atque indè Viennam, vbi perhumanitèr à Maximiliano excipiebatur.

batur. Ex Auſtria ſtatìm literas dat ad Senatum Venetianum, Ferrarienſem, Sabaudum, aliosq́ue Italiæ Principes, quibus ſignificat: ſe in Galliam proficiſcentem, cupere per ipſorum ditiones iter inſtituere. Placuit Principibus, paraturq́ue ſtatìm ad eum excipiendum certatim vniuerſa Italia, ad omnem magnificentiam effuſa. Primùm Pontebæ à Venetis excipitur, indè deductus per omnia Venetorum oppida, Mergaræ à Ferrarienſi & Niuernico ſalutatur: mox conſcenſis nauibus, byſſino, ſericato, & omne genus phrygionico opere contectis, Muranum venit, vbi à Duce Senatuq́ue Veneto magnificentiſſimè exceptus, celebri illa Bucentauro ſeu Talamago nouo opere deaurato, Venetiam tranſportatur. Magnifica verò pompa tum in littore Murano, tum in vrbe ipſa illi exhibita, multò maior eſt, quàm vt noſtræ conueniat breuitati. Hoc tantùm addam: Regem cū Emanuele Duce Allobrogum, qui etiàm eò Regem ſalutatū venerat, poſt multas tragœdias, ludos, conuiuia, ſaltationes, variaq́ue acroamata, concilium acceſſiſſe: in quo ad beneuolentiæ ſignum creatus eſt nobilis, Venetaq́ue vrbe donatus, & ipſe, & Dux Allobrogum. Totos decem dies Venetijs commoratur: tandèm Patauium proficiſcitur, quem Dux & Senatus ad tria paſſuum millia comitabantur.

1574

Conſule inter alios Natalem Comitem lib.24.

Paulò antè quàm Henricus Poloniam relinqueret, Carolo Danzæo ad ſe vocato exponit itineris ſui conſilium: opùs eſſe celeritate ob periclitantem Galliam, Condæiq́ue ceruicibus celeberrimi regni incumbentis machinationes: literas ei diuerſas, tam ad Epiſcopum Ciuanienſem, quàm ad alios Regni Proceres tradit, in quibus rogabat eos, in fide & veteri in illum beneuolentia perſeuerarent. has poſt abitum literas ſingulis vt traderet, Danzæo iuſſit: addens inſupèr, velle ſe, vt coram Senatu & omnibus regni Proceribus ſuum diſceſſum declarata vera cauſa excuſaret. Acta ſunt hæc decimooctauo Iunij, cùm Danzæus ea in Senatum referret vigeſimoſecundo. Ad Senatum ſimiles literas Rex ipſe poſt abitum tradendas reliquit, in quibus Polonis ob ſummam eorum in ſe fidem gratias agit, dolore ſummo deſerere eos debere, excuſâſſe & diſtuliſſe abitum quamdiù potuit, matri mandatum (quod Regentiam Galli vocant) miſiſſe: Alenconium & Nauarræum monuiſſe, vt ſui deſiderium æquo animo ferrent, nec aduētum fruſtrà expectarent: Cæterùm nouas literas

1574 superuenisse, nunciantes actum esse de regno Galliæ, nisi ipse intra viginti dies in finibus Galliæ præsens adesset. Indè rationes adducebat, cur clanculùm abiuisset. Postea Procerum fidei in sua absentia regnum committit. Tandem petit, ex omnibus Ordinibus ad se in Galliam Legatos mitti, quibuscum de statu regni Polonici transigere possit.

Polonorũ ad Henricum legatio. Poloni itaque, vt Regi suo satisfacerent, postquàm datis ad eum Viennæ agentem literis, quibus eum perbenignè reuocabant, non rediisset, petitam legationem mittunt. Venêre Legati Ferrariam, vbi Henricum inter spectacula & ludicra inuenerunt: cui exponunt Polonorum in Regem fidem & beneuolentiam, conqueruntúrque inopinatum Regis discessum. Indè humanitèr petunt, vt ad regnum redeat, docentes pericula, quæ Rege absente suis, à Moscouitis, Scythis, & Turcis incumbebant. Tandèm obnunciant: nisi ad statum diem redeat, abdicatum iri ab illo regno, & comitia creandi regis noua esse indicenda.

Henrici responsio. Henricus lupum auribus tenens, (necdum enim Francici regni pacatum habebat imperium) timensque nè fortè vtroque regno excluderetur, callidè legatis respondet: Se breuì in Poloniam rediturum: non ideò Poloniam reliquisse, vt opulentissimum illud regnum penitùs desereret, sed ad componendas res Gallicas profectum, quibus pacatis, mox rediturum. quod etiam factum fuisset, si tutus pateret ad Gallos accessus: animos verò quorundam exacerbatiores esse, qui per amicos erant mitigandi. Hanc causam esse, cur tam diù in Italia hæreret.

Postquàm Legati discessissent, Rex Ferraria Augustam Taurinorum cum Emanuele Duce Sabaudiæ profectus est. Hinc literas iterùm ad Polonos mittit, eosque, vt priorem electionem ratam habeant, nec ad secundam transeant, nihílve in comitiis contra suam Maiest. statuant, hortatur. Cæterùm quia literæ istæ minaciores videbantur, animos Polonorum non leuitèr exulcerârunt. Eodem tempore Anuillius à Rege vocatus Taurinum venit, & Margareta vxor Sabaudi, (de qua nescio quid Hugonotici scriptores sibi pollicentur) Monbrunium ad pacem hortatur: sed ille conditiones respuit. Henricus posteà Emanuele Sabaudo (à quo etiàm equitatu, peditatuque, & maioribus tormentis adiutus erat) comitatus, Lugdunum venit.

Dum

Dum Gallus Italicis delicijs immersus luxuriaretur, alijs in locis periclitabatur Resp. Christiana. Selymus enim Turcarum Imperator indignum sua maiestate arbitratus, adolescentem Iohan. Austriacum, aut Regem Philippum reges sibi confœderatos bello premere, sibique subijcere: per hyemem instructissimam classem apparari iussit, scripsitque ad omnes Africæ proceres, vt funditùs euerterent, quidquid Hispaniarum Rex in Africa possideret: suam classem, ad Tunetanam expeditionem constructam, breuì affore pollicebatur. Huic classi Sinamum virum militarem præfecit: constabat autem 160. longis nauibus rostratis, 30. onerarijs, multisque alijs nauigijs. Hæc per Aegæum & Iônium nauigans, Cyprumque, Rhodum, Peloponnesum, Corcyram & Hydruntum præteruecta, tandèm in mare Punicum peruenit: & primùm Iulio mense à nostris est cõspecta. Quòd autem non citiùs appulsa esset, in causa erat, grauissima pestis quæ eam depopulabatur, plurimis quotidiè morientibus, & in mare proiectis. Eadẽ quoquè lues Cyprum insulam paulò antè inuaserat, eamque nunc penè præteriti belli calamitatum oblitã, iterùm Cilicibus, Pamphylijs, Cappadocibus, alijsque colonis, qui in eam transfretârant, desertam reddidit & deformatam.

*1574 Selymus Turcarũ Imperator Tunetano regno bell**u** parat.*

Antequàm classis Turcica in conspectu esset, terrestres copiæ conuenire visæ sunt, quæ ex Tripoli, Caruano, Iulia Cæsarea, Meninga insula & Constantina confluxerunt: his se Numidæ, Mauri, Alerbi, cum duobus Ianizarorum, & quatuor Hebræorum millibus adiunxerunt: ità vt exercitus ille 40000. armatorum constaret, qui ad Guletæ, Tunetique expeditionem concurrebant. Non latuêre vires Turcicæ Serbellonum Tuneti præfectum, qui Petrum Carreram Hispanum, cui Guletæ cura erat demandata, accessit, vt de Guleta munienda consilium simul inirent. Reparatis itaquè fossis, aggeribus & muris, nouisque propugnaculis (quod iamdudùm antè fieri debuisset) tumultuario opere pro temporis breuitate excitatis, vterque se ad defensionem parat; Serbellonus Italus ad Tunetanam & arcis nouæ, Carrera Hispanus ad Guletanam. Sinamus itaque terrestres copias omnes summis viribus Tunetum aggredi iubet: expeditioni huic præficit Aydarum purpuratum Caruanum. ille statìm 16. tormentis muro admotis eum disturbauit. Serbellonus hostium cognito consilio & viribus, vrbe cedit, & suos in arcem nouam ducit. Turcæ deindè Gu-

Tunetum capitur.

1574 letam, ea parte qua Carthaginem respicit, incredibili tormentorum tempestate verberare cœperunt: ità vt Carrera sibi metuens, noua à Serbellono auxilia petere cogeretur. Serbellonus ægrè tandèm 650. milites sub duce Petro Manuellio submisit. ipse verò Serbellonus munitioni perficiéndæ gnauitèr insistebat. Turcæ Guletæ partem, quæ mare prospectat, haud segniùs diuerberârunt, pontibusque ex antennis factis oppugnârunt. cadunt vtrinquè multi. Iterùm à Serbellono subsidia petit Carrera. intereà literæ Cardinalis Granuellani adferuntur, de nouis copijs mittendis. Martinus itaque Cagneus & Maldonatus cū suis Hispanorū cohortibus, & Hercules Pisanus iterùm Guletam intrant. Hostis impressiones geminās, munitionē quandā intrauit: sed præsidiariorū virtute iterùm in fugā reijcitur, & occupatam munitionem multo vtriusq; partis sanguine deserere coactus est. Cæterùm cùm quotidiè præsidiariorū numerus decresceret, iterùm à Serbellono petūtur auxilia: mittūtur aliquot Italorū manipuli, qui lintribus impositi, noctis beneficio, salui in arcē venerunt. Turca obsidionis diuturnitatē pertæsus, metuens etiā, nè fortè hyemis (quæ accelerabat) tempestate impediretur, quo minùs Guleta expugnata, arcem nouā occupare posset: summa vi & celeritate agendum ratus, innumerabiles copias Iulia Cęsarea iterùm in castra vocat, tantaq; contentione arcem oppugnauit, vt tandèm ea, cæsis penè omnibus Christianis, potiretur. Non desunt qui Carrerā proditionis insimulant: alij in simultatem, ęmulationem & inuidiam vtriusq; gentis, Hispanicæ atq; Italicæ, tantæ cladis causam reijciunt. Turcæ mox expugnata quoquè turri aquæ, omnes vires in Serbellonum, nouamq; arcem conuertūt, eamq; tanta tormentorum multitudine & violentia verberauerunt, tot impressionibus oppugnauerunt, vt præsidiarijs penè omnibus occisis, tandèm expugnârint: abductisque omnibus munitionibus, Guletam, vnà cum noua arce, funditùs euerterunt. Serbellonum autem, Carrerā, & duodecim alios duces, rasis barbis, catenis ad transtra alligatos, Byzantiū adduxerunt. Quo in itinere partē victricis classis in hyberna mittit Sinamus, partem ad insulā Corcyrā appellit, tanquàm omnes Venetorum naues vnà cùm insula vi occupaturus. Veneti iam paulò antè præsidium insulæ (200. tantùm militibus relictis) exauctorârant, fidei enim & societati à Selymo acceptę nitebantur. Turcę scaphis in terram expositi, agros vastare, ra-

Guleta capitur à Turcis.

Arx noua Tunetana capitur.

te, rapere quæq; obuia, multaq; hostilia exercere. Corcyræi cùm Turcarũ petulantiã diutiùs ferre nõ possent, erũpentes armati in Turcas, eos passim vulnerârunt & occiderunt. Nihilominùs Sinamũ & reliquos proceres amicè salutabant, & in vrbẽ recipiebãt, muneraq; qualia ab amicis accipi solent mittebant: at Sinamus spretis muneribus Corcyręis grauitèr minitabatur, quòd homines Selymi tam crudelitèr occiderant. Illi amicos se Selymi esse, defendi à suo milite debere non offendi; se lacessitos & graui damno accepto ad arma proruisse &c. Sinamus eorũ causę æquitate, iustisq; rationibus spretis, irato stomacho, hyẽmis iniuriã metuẽs, vela ventis dat, & magno cum triũpho Byzantiũ ingressus est. Veneti tyranni arrogantiam, implacabilemque iracundiã veriti, in præteritorum temporum fœdifragas Turcarum factiones, præcipuè verò in Iaderensis agri inuasionem, prospicientes, indictionibus per ditiones suas imperatis, de muniendа Corcyra consilium captare cœperunt. 1574 *Corcyræorum cum Turcis cõtentio.*

Mussitabatur etiàm eodem ferè tempore de expeditione noua, vere nouo, in Cretensem insulam suscipienda: omniaq; ad eam necessaria per omnes Turcarum ditiones inquiri, emi & comportari. Magna enim Selymus, hac victoria elatus, sibi in futurum annum pollicebatur: sed dissipauit Dominus consilium eius, & repentino morbo percussum, è viuis migrare iussit. Antequam moreretur, Cæsareæ Maiestatis Oratori dilatum diutiùs anno responsum, de prorogatione induciarum, tandèm dedit: & octo annorum pacem promisit. nec diù pòst Seraglium Portæ Imperatoris Constant. vicinum incendio perijt: quod intra biduum vix potuit restingui. Damnum, quod Selymus eo passus est incendio, deciès centenis aureorum millibus, multi pluris æstimabant. Papa quoquè seu sacerdos Turcarũ summus, quem Musti appellant, circa idem tempus mortuus, ipsorum more, inter eiulatus, choreas, cantus, & lamentationes est elatus. Hæc lætitiam è victoria conceptam nonnihìl moderârunt. *Byzãtinæ vrbis status.*

Dum hæc in Africa & Asia fiunt, Europę quoquè diuersæ partes armis ciuilibus feruebant. In Belgio Hispanus miles Lugdunum Batauorum arctissima obsidione premebat. Tanta erat in vrbe commeatûs penuria, vt multa millia fame perierint: tanta rei pecuniariæ, vt ex charta monetam cuderẽt: tam erant oppidani fame domiti & enecti, vt si Hispani oppugnatione vrbem tentâssent, *Lugdunũ Batauorũ obsessum.*

1574 ſent, vix pauci defendere muros potuiſſent. Sed cùm illi quotidiè deditionem expectarent, Baſſottus perforatis aggeribus, maris æſtu iuuante, cum 60. triremibus & biremibus, 3. Octob. obſeſſis ſubuenit. quo adueniente, Hiſpani obſidionem ſoluerunt.

Eodem menſe Octobri, mœſtum & ferale infortunium Coloniæ Agrippinæ accidit. Quidam in Gymnaſio Patrum Societatis Ieſu homo lunaticus, cùm diebus aliquot præteritis ſaniori mente vti videretur, cuſtodia dimiſſus, tres eiuſdem Societatis Sacerdotes, D. Ioannem Rhetium, Collegij Rectorem, Leonardum Louanienſem, & Nicolaum Fabrum, viros eruditione & pietate ornatiſſimos, vno eodemque momento confodit.

Tumultus Gallici.

In Gallia vtrinquè vires augebantur, apparatusque belli reliquias perſequendi fiebant. Rex 6. Septemb. Lugdunum ingreſſus, vbi à Regina matre, Alēconio fratre, Nauarræo, Cardinale Lothareno & Guiſijs fratribus ſalutatur. Poſt quatriduum Rex publico edicto amorem & beneuolentiam ſuam in ſubditos declarat: propenſum ſuum in pacem animum oſtendit, ἀμνηστίαν, omniumque delictorum obliuionem, cuiuſcunque conditionis hominibus offert, ſi in ſua redierint, arma depoſuerint, & tranquillè viuere ſtatuerint. Sed cùm Hugonotæ Regis voluntati obedire nollent, armis res tentata eſt: & primò Puſinum obſeſſum, oppugnatum, & in poteſtatem Regis, duce Dalphinio, redactum, tandèm ſolo adæquatum eſt. Qui felix Regis ſucceſſus, vniuerſæ regioni timorem incuſſit: primaque & ſola cauſa fuit, cur vicina oppida Cameracum, San vincentium, & Albinacum continuò ſeſe Regi dediderūt. Et quanuis res ex animi ſententia ſuccederent, tamen ſanguini ſuorum parcere volens Rex, ἀμνηστίαν illam, maioribus quàm anteà gratijs adiectis, ſecundò proclamari iuſſit: nihil tamen profecit. Traducto exercitu regio è Viuariatibus in Delphinatum, Loriolum, Grana, & Roynacum capiuntur. eratque conſilium, Liberonem expugnare, Monbrunij fidei commiſſam. Scribit itaque Rex literas ad Mombrunium, eum officij ſui admonens, vtque arma deponat, loca ſuæ Maieſt. per vim erepta reſtituat, & tranquillè deinceps viuat, iubens. Ad quas literas Mombrunius contumacitèr ſatis reſpondit. Interìm Hugonotæ Cruacum nobilem Abbatiam, arce & vico munitam, intercipiunt. Sanvincentium quoquè & Caſtra Albienſium ſibi ſubiugârunt. Celebrem deindè & frequentem conuentum

ad

ad 6.Nouemb. Monpessulum indicunt, in quo de nouo 1574
exercitu conflando actum est. prefectus est ei Anuillius, qui edito in hoc conuentu libello, causam reddidit, cur se Hugonotis coniunxisset. Intereà Rex Auenionem venit. Regina de noua conspiratione, deque animo Anuillij certior facta, Belloium Monpessulum ad Anuillium mittit, cum literis, illum ad pacem inuitans. res vltrò citroque acta est aliquandiù. Anuillius non inuitus de pace audire videbatur. cæterùm Hugonotarum animi, nimiùm exulcerati, nimiumque ad tumultum ac rebellionem propensi, nihil minùs quàm pacem meditabantur: id quod ex solis Sanromanij ad Belloium verbis liquere potuit. Tamen vt maleuolum animum fuco tegerent, miserunt aliquos, qui cum Rege de pace loquerentur: interim ea peterent, quę Regi non placitura sciebant, liberam scilicet per regnum religionem, & conuentum Nemausij publica fide approbatum, in quo ipsi ipsorumque socij, omnes inter se negocium pacis ventilare possent, aut veriùs (vt Regina interpretabatur) arctiora fœdera, & firmiora belli consilia captare possent. Hæc cùm à Rege negarentur, legati ad suos reuersi sunt.

Rex Bellegardio Mareschallo confestìm mandat, vt oppugnationem Liberonis maturaret; quæ incepta 17. Decemb. & in 20. Ianuarij anni sequentis continuata, cùm magnis sumptibus, multoque sanguine quotidiè tentaretur, vrbsque fortissimè à præsidiarijs, ciuibusque, tam fœminis, quàm viris defenderetur, tandèm vix sinè ignominiæ nota, regij obsidionem soluere sunt coacti.

Liberonẽ obsidet rex Henricus.

Hispani, Lugduno Batauorum (vt diximus) præter omnium expectationem liberato, cùm spes prædæ esset erepta, & stipendia tardè soluerentur, tumultuabantur, occasionemque prædiuitis alicuius vrbis inuadendæ captabant. Fugato itaque Valdeo cæterisque præfectis suis, qui Amorfortium conuolârunt, nouos præfectos creant, & 20. Decemb. intempesta nocte in suburbia Vltraiectensia venientes, cratem ante portam, arci vicinam, vi effringunt: admotisque scalis, in ipsa aurora mœnia conscendunt, & aliquot in vrbem præmittunt. Ciues nouitate rei perterriti, in fugam vertuntur. Sed arcis præfectus, Hispanus natione, quem metuebant ciues, atque huic oppugnationi fauere existimabāt, ciuium misertus, displosis aliquot tormentis, scalas disturbauit. Tunc ciues ad arma lęti concurrunt, & Hispanos qui in vrbe erant, cum ductore suo Blanco occidunt. Hispani acritèr se defendunt,

Hispani Vltraiectum diripere conantur.

1575 dunt, & impreſſionem aliquandiù continuant: donec non exigua vtrinquè data ſtrage receptui caneretur, reſque componeretur.

Vigeſimo verò ſexto die menſis eiuſdem, Carolus Lotharingus Cardinalis Auenione moritur, ſummo Caluiniſtarũ voto, ſiue quia prudentia, cõſilio & authoritate ſua conatus & conſpirationes illorũ ſemper interturbaret, ſiue quòd in cõuentu Poſſiaco, Petrũ Martyrem, Bezam, aliosque miniſtros decem, luculenta oratione lethaliter vicerat, & vniuerſo (vt Genebrardus loquitur) conuentui piaculares reddiderat. Exequiæ magna cum ſolennitate in æde Carthuſianorum celebratæ ſunt. Indè tamen paulò pòſt cadauer tranſlatum eſt Rhemos, ibique honorificentiſſimè ſepultum.

Amurathus fit Turcarũ Imperator, eiusq; parricidia

ANNO 1575. poſt obitum Selymi, filius eius natu maximus Sultanus Amurathus, tãto ſilentio à Baſſis ad occupandũ imperium vocatur, vt priùs Byzantiũ veniret, quàm adeſſe ab omnibus ſuſpicaretur. Imperiũ à cæde quinque fratrũ, matrisque ſuæ, & multorum procerum, more Turcicorum Imperatorum, nè quas domeſticas inſidias timeret, annos natus 27. auſpicatus eſt. Ianizaris, indignantibus eò quòd illis inſcijs imperium inuaſiſſet, multa priuilegia conceſſit, ſtipendia auxit, mutilatos in prælio immunes à bello fecit, victumque ad vitam tranſigendam eis dari iuſſit, numerumque eorum duobus millibus auxit: ità vt nunc ſedecim Ianizarorum ſint millia. Quanuìs pater à Sinamo perſuaſus, magnos belli apparatus comportari iuſſerat, tamen priuſquàm imperium domi ſtabiliuiſſet, nihil ſibi tentandum eſſe foris exiſtimauit.

Christiani Principes ſe contra Turcam muniunt.

Pontifex tamen Romanus Barbaro nihil confidens, Anconam vrbem maritimam Piceni, opera Pacioti Vrbinatis munitam, filio ſuo Iacobo Boncampagno cuſtodiendam dedit. Melitenſes quoquè, nè quid inſula detrimenti caperet, aduigilârunt: & Veneti claſſem, quam Amurathus Byzantij apparabat vt tyrones mari aſſueſcerent, metuentes, Ferdinando Vitellio mandârunt, vt Corcyram nouis propugnaculis, vbì opùs eſſet, muniret.

Diſſenſio inter Hugonotas Gallos.

Initio eiuſdem anni inter Anuillium, Politicosque Gallicos, & Hugonotas paulò antè confœderatos, querelæ & ſimultates ortæ ſunt, de religione, de moribus, de vectigalium exactionibus, & de quarundam vrbium imperio.

perio. Anuillius tamen nomine Hugonotarum, in Bliteratensi agro, aliquot oppidula parua capit, & Vticensis iam Regi reconciliatus, cum exercitu suas ditiones ingreditur, spe Vticæ recuperandæ. Castella plurima occupauit, & Sanferreolium oppidulum Vticæ proximum suo imperio subiecit, quod munitum Vticensibus plurima detrimenta importauit. 1575

Maximilianus Imperator, quia intellexerat Hollandos & Zelandos ad pacem procliues, Comitem Guntherum Schvvartzenburgium in Belgium ablegauit, vt pacem, si fieri posset, promoueret. appulit is Dordracum 20. Ianuarij, venit & eò Auraicus, coram quo causas legationis suæ explicauit. Locus colloquij in oppido Bredano dictus est. Legati vtrinquè nominati, dies constitutus, obsides dati, magnaque spes pacis affulgebat. *Imperatoris Legatio ad Belgas.*

Henricus interìm Galliarum Rex, ad 15. Februarij pro more atque instituto Gallorum inauguratur & vngitur Rhemis. Elizabetham verò Caroli IX. fratris viduam, mox ad Cæsarem Maximilianum, Cardinale Estense eam comitante, remisit. Nec diù pòst ipse Claudiam, Vaudemontij Principis Lothareni filiam, ducit vxorem, magna cum subditorum admiratione, quòd tantus Rex, tam humili natam prosapia puellam, matrimonio sibi copularet. sed quia ad miraculum vsque erat formosa, iamque nubilem erat ingressa ætatem, certa ex ea proles expectabatur. quæ tamen necdùm est subsecuta. Dum Vticensis in suis palatur ditionibus, Hugonotæ ducibus Geydano & Brochio, Alezium in agro Seuenatum vrbem primùm, deinde etiàm castrum adiunctum occupârunt : & paulò pòst arcem Pusini (oppidum iam antè inuaserant) nouo stratagemate & proditione rusticorum superârunt. Turingianus quoquè Comes, qui partes Anuillij sequebatur, Periguriam, Briuam & Vzerchium Catholicis extorsit : mox etiàm Bessium, Pusino vicinum oppidum, sceleratissima proditione (hæc enim omnis eorum est Achilles) Hugonotæ sibi subiugârunt. Melsſæus quoquè Andanziam ad Rhodanum arte simili præhendit : sed Lugdunenses, summa vsi celeritate, oppidum recuperârunt, captumque Melssæum cum suis Lugdunum abduxerunt. *Henricus III. sexagesimus primus Galliæ rex inungitur.* *Nuptiæ Regis Henrici.* *Bellũ Gallicum.*

Cùm autem Hugonotarum exercitus re iam pecuniaria laboraret, & licèt sæpè victor exultaret, tamen sæpiùs *Hugonotæ ad pacem adspirant.*

1575 piùs victus succumberet, belli pertæsus, ad pacem respiciebat. Rupellenses itaque, Delphinatum, Occitanicarumque Ecclesiæ, & Mombrunius ad Condeum, qui tunc Basileæ inter aulicos suos verè Epicureos, vitæque corruptissimæ Sardanapalos agebat, legatos mittebant. Misere & suos Anuillius & Politici, qui sese Catholicos vnitos appellabant, vt de pace impetranda consilium inirent. Hic enim istorum hominum mos est, id quod in Belgio sæpissimè vidimus, vt cùm ad fundum consiliorum, facultatumque suarum peruenerint, ad artes pacificatorias confugiant, vt interim nonnihil respirent. Condæus Legatos confestim Lutetiam mittit, ipse interim à Duce Sabaudiæ, Tigurinis, Bernatibus, Basileensibus & Schaffhusianis, vt apud Regem pro se intercederent, impetrauit. Legati 10. Aprilis Lutetiam venientes, magna cum gratulatione, multaque magnificentia sunt excepti: factaque postridiè ipsis Regem adeundi potestate, in præsentia vtriusque Reginæ, Alenconij, Nauarræi, Borbonij Cardinalis, Mompenserij, aliorumque regij concilij Senatorum, prolixum Condæi & Anuillij scriptum Regi obtulerunt. Continebat scriptum hoc articulos, quasi summa petitionum suarũ capita, LXVIII. quibus ea postulabant, vt si Rex ipse, si tota regia progenies, si omnes amici, si deniquè cuncti ipsius serui, quique Regi benè cuperent, ferreis vincti catenis in teterrimos carceres detrusi fuissent, nec iniquiora Regi potuissent, nec commodiora sibi postulâre. Facilè animaduertit illud Henricus: ideoque post Arennij Condæani legati orationem, lecto examinatoque scripto, respondit: peregrina nouaque sibi in illo pleraque videri: mirari quoque, legatos ea sibi offerre ausos, cùm non dubitaret eos ipsos illis consilijs interfuisse, quibus scriptum hoc fuerat adornatum. Legati vtcunquè potuêre se excusârunt.

Postridiè Arennius scriptum suo more defendere conatus est, & Clausonius Occitanicorum legatorũ vnus, in pleno consessu prolixum Catechistam egit, totam Caluini cyclopædian in medium producens: tanquàm Regem eiusque concilium latuisset, quæ catapotia prostent in Caluini myropolio. Rex ad omnia aut ipse aut per suos perbenignè respondet: pacem, libertatem conscientiæ, immò in quibusdam regni sui locis publicum suæ religionis exercitium illis voluit condonare: sed satisfieri illis necdùm potuit. Multis subsequentibus diebus disputatum est de Religione, de Iustitia, iurisque dicundi

dicundi modo: de Episcopis & clericis apostatis, præcipuè Sanromanio, sacerdotijs, fructibusque ecclesiæ relinquendis: de supplicio sumendo ab illis, qui cædem perpetrârant, in qua Admiralius & eius coniurati interfecti erant. quod vehementer vrgebant Hugonotæ: de vectigalibus, de restituendis in integrũ Admiralij prolibus, de comitijs habendis, de oppidis Hugonotis tradendis; de quibusdam è supremo regis concilio, huic colloquio excludendis, quę disputatio in apertam contentionem prorupit: de testibus deniquè pacificationis, si partes coëant, & de sacerdotiorum prouentibus in factiosos deriuandis. Post multorum dierum his de rebus altercationes, id tandem Regi extorserunt: 1575

Regem permittere Hugonotis, vt vbicunquè in regno cuperent habitare, fas ipsis sit ibì securè, & sinè metu periculi causa religionis habitare, modò ex edictorum præscripto modestè viuant. Ius quoquè esse religionem exercere, omnibus in locis, quæ in ipsorum essent potestate; Mompessulo, Castris, Aquis-mortuis & Bellocayro exceptis. Ius idem quoquè esse nobilibus, qui maiores haberent ditiones, sibi & familiæ, & omnibus qui domũ accesserint. Si minores habeant ditiones, licere ipsis tantùm nobilibus & familijs, dummodò nè illæ ditiones sint intra vrbium septa, vel in suburbijs, maximè quæ sunt Reginę & Andij: Lutetia verò decem leucis distent, & ab aula duabus. In iure dicundo modum quoquè statuendum esse: in Senatu Parisino, cæterisque iudicijs fore creandos, quibus potestas esset de Hugonotarum controuersijs iudicandi. Mompessuli quoquè inter iudices, nonnullos Hugonotas recipiendos, & cætera Parlamenta pro re nata in ipsorum fauorem mutanda.

Conditiones pacis Hugonotis à Rege oblatæ.

Magna profectò Regis in subditos indulgentia: sed nequaquàm ipsis hæc satisfaciebant, vt qui omnia pro suo voto postulabant, id quod Rex subiratus illis improperabat. Venerunt sub idem tempus Emanuelis Sabaudi, & Heluetiorum tam Catholicorum, quàm Caluinistarum legati, qui pro pace intercedebant, sed nihil ipsi efficere potuerunt: & cùm Hugonotarum legati impudentiam suam & præfracti animi peruicaciam tegere diutiùs non possent: Sibi quidem placere quæ Rex offerret, sed populum talem pacem ratam non habiturum, penès quem arma essent & ciuitates, dicebant, à se ad vulgus culpam deriuantes: Petieruntque veniam discedendi, eaque impetrata, re infecta ad suos reuersi sunt.

Hugonotæ pacis conditiones respuunt.

1575 Nec feliciorem successum habuit, de quo antè diximus, Bredanum inceptum colloquium. Postquàm enim, qui nomine Auraici, Hollandorum, Zelandorumque missi erant, libellum supplicem, in quo omnia quę à Rege postulabant, continebantur, obtulissent: ipsis à Sasboldo legato regio responsum est: Regē ad pacē esse propensum, quanuis difficulter agi de ea possit, priusquàm Hollandia & Zelandia cæteris prouincijs essent (vt solent) adiunctæ. Sed mirari Regem, quòd Auraicus & sui Hispanos haberent pro exteris, cùm Regi non minùs quàm Belgæ sint naturales. Vascones, Gallos, Anglos, & Scotos verè exteros esse, qui Auraico militabant. de illis conqueri legatos, de istis nullas in medium querelas proferri. Velle nihilominùs Regem Hispanos, composita pace, reuocare. Sed nec Ordinum Comitia Regem respuere, sed ea facturum quotiès & in quibus rebus fieri solent. Generalia verò fieri non posse, nisì positis armis, Hollandiaque & Zelandia cæteris prouincijs associata.

Cōuentus Bredanus.

Tamen vt via paci sterneretur, Regis indulto eius nomine data est Auraico & suis, id est, Hollandiæ, Zelandiæ, cæterisque oppidis omnium priuilegiorum, legum & iurium antiquorum conseruatio; omnium iniuriarum obliuio, sententiarum de confiscationibus bonorum reuocatio, bonorum ablatorum restitutio, captiuorum sinè lytro dimissio: ea tamen conditione, vt Regi oppida, arces, naues, tormenta bellica &c. quoquè restituantur, & in omnibus locis vna & sola Religio Catholica Romana exerceatur. quam qui colere nolit, ei fas fore, intra certum tempus, bonis suis diuenditis, aliò migrare. Si quæ dubia in his aut controuersa occurrerent, ea communi consensu determinanda: & si Auraicus & sui plura postulent, posse hæc ipsos proponere. Habita deliberatione, interrogant Hollandorum &c. Commissarij, habeant'ne Regij, præter hæc, alia mandata, an verò hæc definitiua sit Regis sententia. Cumque non alia expectanda intelligerent, primò mensis deliberationem postulant, indè obsides offerunt restituere: vltimò scripto quodam pacis negocium abrumpunt; dissolutoque sinè fructu conuentu, in sua quique redièrunt. Sic vno eodemque tempore duobus in locis, tam Principes, quàm subditi, pacis expectatione miserè sunt elusi. A pace igitur ad arma reuertamur.

Conditiones pacis à Rege Gensijs proposita.

Muleius Abdallas, Xequi pater, & Xarifij nepos, Fessæ &

sæ & Maroci Rex, postquàm contra præscriptum testa- 1575
menti (quo pater cauerat, vt omnes filij secundùm æta- *Causæ atque initia belli Fessensis.*
tem reges fierent, vnoque mortuo, non eius filius, sed frater succederet) filiùm suum, quatuor fratribus interfectis, regnorum suorum hæredem instituisset, in vrbe Maroco moritur. Muleius itaque Mahametus, mortuo patre, & Fessæ & Maroci regem sese inuitis subditis iubet proclamari: fratrum altero occiso, altero in carcerem coniecto, & patruo Muleio Abdelmelecho contra testamentũ aui excluso. Qui cùm id Amuratho Turcarũ Imp. apud quẽ magno erat in precio, conquereretur, à Barbaro obtinuit literas ad Purpuratos Argeliæ, Iuliæ Cęsarçæ & Tremissæ, quibus iubebantur Abdelmelecho equitatum peditatumque & cætera belli necessaria procurare, quæ ad restituendũ illum in regna paterna sufficerent. Summa id celeritate factum est. Mahametus de patrui apparatu certior factus, suos quoque euocat, & educens exercitum infensis signis patruo occurrit, multis numeris patrui exercitu copiosior. Fit pugna 17. mensis Martij. succumbente Mahameti exercitu, ipse elapsus Marocum venit, milites eius passìm trucidantur, capiuntur, & ad Abdelmelechum deficiunt: ipse Fessam profectus, cum magna lætitia excipitur, & Rex inauguratur.

Eodem ferè tẽpore, pestis Italiæ plurimas vrbes, maximè verò Tridentũ, depopulata est. Amurathus quoquè, qui magnã classẽ parari iusserat, cui Luzalin præfecerat, inter alias triremes vnũ nauigium fieri curârat inusitatę magnitudinis & pulchritudinis, quod habebat 36. trãstra, & singulis remis quinq; homines propter molis magnitudinẽ adiungebãtur: quam vt videret Amurathus profectus est, multoque bombardarũ strepitu salutatus, parùm abfuit, quin ipse cũ 30. Turcarũ proceribus, qui laniati occubuerũt, rupta quadã machina, interfectus fuisset. Dũq; Amurathus magna secum meditatur, & ardua bellorum initia, Deus tantã pestem, tantamq; famẽ in castra & totũ ipsius Imperium immittit, vt nihil tunc minùs, quàm de bello cogitaretur. Amurathus agnoscens iram diuinam, numen morum emendatione placandum censuit. Vetuit igitur, nè quis in imperio abominanda (Turcis familiari) Venere vteretur, nè quis Deum blasphemaret, nè quis plures vxores simul haberet. ipse aperto septo imperatorio, 500. mulieres formosas, prostitutasq; puellas dimisit. Forũ priuato habitu tanquàm mercator oberrans, vidensque prostare pauca, multã tamen in penuarijs

Pestis sæuissima per Italiã & Turciam.

1575 annonam inueniri, ob frequentiſſima hactenùs vſitata monopolia, omnes monopolas ſuſpendio necauit: quo facto, magna venum expoſita eſt in vrbe annonæ frequentia.

Induciæ Venetorũ cum Turca.

Veneti pacem, quam cum Selymo inierant, ab Amuratho confirmari cupientes, Iacobum Superantiũ Conſtantinopolim legârunt: qui licèt initiò, metuens ob plurima ſuperioribus annis à ſe claſſibus Turcicis damna illata, legationem obire denegaret, inductus tamen Senatûs precibus, eam ſuſcepit, veniensque Byzantium magnificentiſſimè exceptus eſt: nec tantùm pacis actutùm confirmationem, ſed & Iaderenſis agri obtinuit reſtitutionem. Rarum in Turcis exemplum. Intereà Veneti de apparatu Turcico certiores facti, dum abeſt Superantius, omnibus rebus, ad bellum neceſſarijs, ſibi proſpiciunt: Cretamque, Corcyram & Aſcriuium nouis præſidijs muniunt, nè imparati à Barbaris obruerentur. id quod Pannonibus tunc quotidiè penè accidebat.

Raſorum factio in Gallia.

Circa idem tempus in Gallijs noua eſt exorta factio. Maſſilienſes enim ægrè ferentes vectigalia, quæ ad ærarium vrbis referri ſolent, nunc fiſco regio ſubſignari, occluſis portis, armatis ciuibus forum complentes, per lictores publicanorum commentarios & pondera interceperũt, & in mare proiecerunt. Exemplũ id imitatæ ſunt multæ prouinciæ, & oppida, ſeſeque aduersùs ærariorum exactiones defendebant. Nata hinc eſt factio Raſorum, ſic dicta, eò quòd confœderati barbæ partem radebant: cui ſe ſtatim Hugonotæ, homines ad omnes ſeditiones prompti atque idonei, adiunxerunt. ſed inſtàr turdi, ipſi ſibi malum pariebant. compoſito enim Maſſilienſi diſſidio, ortaque inter Raſos contentione, Vinſio Regis præfecto magnarum victoriarum datæ ſunt occaſiones.

Auraici tertiæ nuptiæ cum moniali Galla.

Menſe Iunio princeps Auraicus, poſt diuortiũ Mauritij Saxonis filiæ, quam ob adulterium dimiſerat, quanuìs ipſa ſe eo defenderet, quòd maritus prior iura tori violâſſet, tertiam vxorem ducit, filiam Mompenſerij, Chriſto priùs deſponſatam.

Belli Gallici continuatio.

Eodem tempore in Gallia Lediguerius Caſtillionem vicum & arcem obſedit. Gordius propræfectus regius arcem liberare volens, aliquot Heluetiorum ſigna educit. Mombrunius, re intellecta, confeſtìm aduolat, & lætam ſibi promittens victoriam, tèr Heluetios aſſilijt, tèr fœdè ab ijs repulſus, tanto ſuorum damno, vt eos poſtridiè deſerere, & Monglonem contendens, exercitum nouis

nouis copijs resarcire, sit coactus. Gordius, Castallione militè & cõmeatu munito, castra Diam mouet: sed à Mombrunio loco incommodo interceptus, & in fugam versus est. Heluetij incredibili alacritate pugnantes, non leue damnum passi, Mombrunianis cruentam victoriam reliquerunt. Mombrunius Diam periclitari animaduertens, propiùs ad mœnia castrametatus est, spe vrbis potiundæ. Sed cùm aliquot peditũ equitumq; signa, Vrchio & Estano viris nobilibus ductoribus, Gordio in subsidiũ mitterentur, Dia relicta, eos ad Geruanam fluuium inuadens, cæditur, capitur, & Cestrum oppidum regium, atque indè Gratianopolim abductus, & perduellionis conuictus, extremo supplicio plectitur, Lediguerium relinquens successorem. 1575

Heluetij cæduntur.

Mombrunius capitur, & capite plectitur.

Dum hæc in Gallia fiunt, proceres in Polonia Steczisium euocantur, vt de nouo Rege creando consilium inirent. Henricus enim ad XII. Maij, qui dies ei dictus erat, non comparuerat. Non latuit istud Henricum Regem, misitque Pibrachium legatum (qui turpitèr à Condæanis in itinere spoliatur) ad Polonos, vt prorogationem creandi noui Regis vrgeret. Poloni Regis postulatum reijciẽtes, 15. Iulij publico decreto Regem Henricum exaugurant, declarantque eum non ampliùs Regem Poloniæ agnoscendum, atque interregnum esse, non alitèr àc si vita defunctus esset.

Poloni, reiecto Henrico Gallo, nouũ Regem creãdum decernunt.

Muleius Mahametus superiori prælio victus, in regno Marocensi clientes vndiquè cogit, & magna cura exercitum nouum instruit: vt primi prælij ignominiam secundi victoria resarciret. Triginta itaque hastatorum equitum millia, mille tyrones, & decem millia peditum sclopetariorum corradit: quas copias cum vigintiquatuor tormentis campestribus in castra educit. Sebastianus verò Lusitaniæ rex legatum hoc tempore ad Mahametum mittit, (quod & sub primum prælium factitârat) opem ei suam & auxilium deferens: sed Barbarus illud superbè contempsit. Abdelmelechus de nepotis conatu certior factus, viginti equitum millia, & octo millia peditum cogit, & Marocum contendit. Ad 29. itaque Iunij diem acies concurrunt. Nutans initiò victoria, nunc in hanc, nunc in illam inclinabat partem, donèc tandèm Abdelmelechus, tanta vi, tantoque conatu in hostes irrueret, vt eos in fugam verteret. Cæsi sunt è Mahametanis plùs quàm sex mille, ipse Mahametus incolumis Marocum venit, quem cum parte exercitûs Abdelmelechus

Secundum bellũ Marocense in Africa.

Lusitaniæ Rex Mauro suppetias offert.

Mahametus secundò cæditur

1575 fratrem suum Hametum insequi mandauit. Mahametus suis viribus diffidens, è thesauro Marocensi, quanto opus esse putabat, depromens, Maroco discedit, & in Atlantis montis iuga confugiens, ibidèm rapina & latrociniјs viuebat. Abdelmelechus 15. Iulij Marocum ingressus, regni gubernaculum, magna cum subditorum & procerum lætitia suscepit, legesque & Reipub. statum reformauit, Princeps ob eximias animi dotes, heroicasque virtutes, populo charus.

Mahametus fugit, & Abdelmelechus Maroci rex inauguratur.

In Belgio verò Requesenius videns pacis spem intercidisse, Hirgio Barlemontij filio mandat, vtì bellum promoueat. Ille dicto audiens, vndiquè copias colligit, & ante oppidum Buranum castrametatur: quod cùm occupâsset, seseque ad arcem munitissimam expugnandam pararet, præsidiarij vitam fortûnasq; pacti arcem dediderunt. Indè Aquas veteres, oppidum inter Vltraiectū & Goudam, regij obsidione cingunt. erant in eo lectissimæ aliquot Auraicorum cohortes, qui cùm sæpiùs ad deditionem solicitarentur, nihil præter sannas & conuicia regerebant: donèc tandèm mœnibus stratis, continuatisq; impressionibus, Hispani oppidum armata manu expugnarent, nullo sexûs aut ætatis habito discrimine, tam ciues quàm milites, toto oppido incenso, inter fumos ac flammas iugularent: atque ità eodem quasi tempore necessitati obtemperantibus parcitur, & peruicaces puniuntur. Qua victoria Hirgius potitus, exercitum ad oppidum Schonhouianum traducit, aduectisque aliquot tormentis in vlteriorem fluminis Lechæ ripam, muros sinè intermissione verberauit. Strata verò sufficienti ruina, cùm sese Hispani ad pugnam pararent, præsidiarij oppidum regijs condonârunt.

Bura capitur a b Hirgio Regis præfecto.

Oldevvater expugnatur.

Schonhouia deditur.

Septembris die 16. Alenconius Galliæ Regis frater, orta inter ipsum & Regem simultate, sub prętextu Venerem in Sanmarcellæo suburbio venandi, aula excessit: ædesque domestici sui famuli ingressus, dum à suis expectatur, per posticam erepens, equum conscendit, paululumque progressus, à multis nobilibus excipitur, Druydamque ditionis suæ oppidum deducitur, & postridiè scripto prolixo discesſûs sui causam diuulgat.

Alenconius à fratre ad Hugonotas deficit.

Genua nobilis & antiqua ad mare Ligusticum vrbs, postquàm ab anno 1498. vsque ad annum 1527. deciès Reipub. administrationem mutâsset, à Gallo tandèm capta, & ab Andrea Auria Carolo V. confœderato, pulsis Gallis, libertati est restituta. Qui Rempub. reforma-

Tumultus Genuensis

te volens, duodecim viros ex antiquis & nouis familijs elegit, Reformatoresq; appellauit. His datum est munus condere leges, & statuta. Inter alia & hoc fuit: quo perpetuum gubernatorum & procuratorum esset seminarium, statuêre vt quotannis è nouis familijs ciues decem in familias Veterum nobilium admitterentur, qui Noui vel Aggregati dicerentur, quia nomina pristinarum familiarum assumebant. Dimidium itaque gubernatorum & procuratorum è Veteribus, dimidium è Nouis constare decretum est. Sed cùm post gubernationem Triultij, Veteres multi peste perijssent, multique Noui etiam inidonei, & præter numerum aggregarentur, & capitibus & votis Noui Veteres longè superabant. Ex hac multorum gubernatione variè natæ sunt simultates, variæque conspirationes, non tantùm inter sese, sed & cum Gallis, alijsque externis Principibus: ità vt patriæ studiosi partim spontè, partim ab Imperatore Carolo compulsi sint, leges suas reformare, certosque concilij, electorumque terminos constituere. Actum est hoc anno 1547. quam legum moderationem homines inquietiores Garibettum appellârunt, magisque suffragijs & iudicio, quàm cæca sorte (vt antè) fiebat, neminique ius eripiebat. quarè ab anno 1547. ad 1575. fuerat continuata. Florentibus verò paulatim diuitijs, succrescenteque luxu & ambitione, cœperunt paulatim simultates & clandestina dissidia in animis Ligurum repullulare & accrescere, eò quòd Veteres Nouis viderentur prælucere. Hi ægrè ferentes se Nouos appellari & Aggregatos, cum Veteribus de nobilitate contendebant &c. Hæc initia æmulationum paulatim, nouis quotidiè oblatis occasionibus, tantas vires acquisiuerunt, vt latentia hactenùs in venis Reipub. tandèm anno 1570. palàm eruperint.

1575

Veterum & Nouorum seu Aggregatorũ factiones.

Io. Andreas Auria (Andreas enim iam obierat) cognita hac simultate, relicta Sicilia, Genuam aduolat, & Philippus Hisp. Rex Io. Idiaquecium Oratorem suum eò quoquè misit, vt litem componerent: sed nihil efficere potuerunt. Noui enim negabant se vllam concordiam admissuros, nisi Garibettum priùs abrogaretur, & electio Magistratûs per sortes, vt antè, fieret. quia cùm numero plures essent, sperabant maiorem partem ad se prouenturam. Idem & Popularibus, facta conspiratione, persuadebant. Sed paulò pòst inter Nouos & Populares orta discordia, Resp. in tres factionum partes est diuisa: quarum prima seu Veterum Porticus S. Lucæ, Nouorum Porticus

Ciuile Genuensium bellum.

1575 cus S.Petri, tertia Popularium est appellata. Excitati sunt in vrbe varij tumultus, ciuiliaque bella. Veteres domi inter præsidia armati latitabant, Noui & Populares per vrbem furiosi grassabantur. Tandèm Idiaquecij eloquentia id effecit, vt Noui arma deponerent; Veteres quoquè positis armis præsidia externa dimitterent: Populares verò exarmari noluerunt, imò à Nouis clàm armabantur, palamque vrgebant Garibetti antiquationem; quam cùm impetrarę consensu non potuêre, vi, multis egregijs viris reclamantibus, abrogârunt. Veteres per vim omnia geri considerantes, vrbe cedunt, & in oppidum Finale se recipiunt. Reuocantur à Nouis: cumque non redirent, alij factiosi in eorum loca surrogantur: qui vt imperium suum stabilirent, conscriptis militibus, vrbem & castella præsidijs firmis muniêrunt. Pontifex rem ad bellum spectare videns, nuncium suum Iohan. Franciscum Canobium Genuam præmittit, vt nunciaret Ioh. Moronum Cardinalem Legatum in procinctu esse, qui honorificè suscepti cùm nihil impetrare possent, Veteres ad arma respiciebant. Cæsar quoquè Episcopum Aquensem & Vitum Dorimbergensem Genuam mittit, & Rex Philippus Ducem Gandię eò legauit. Variè tractatum est, sed nihil effectum. Genuenses tam Veteres quàm Noui vicissim diuersas legationes ad Pontificem, Imperatorem, & Regem Hisp. miserunt, suam quique causam commendantes. Gallus quoquè, hac occasione oblata, per suos legatos Genuensibus opem & subsidium obtulit. Idem & Heluetij fecêre. quæ legationes Nouorum causam reddidêrę suspectam, Veteribusque ansam præbuêre, Philippum Regem ad arma concitandi, qui alijs rebus occupatus, opem suam honestè recusauit.

Venit intereà ex Hispanijs Gandiæ Dux, cùm paulò antè Veteres, facta cōtributione, collectisq; copijs, Porciferam vallem, Ligurumq; montes occupâssent: sed adueniente Duce, copias dimittere iussi sunt. Dux vrbem ingressus, Genuenses ad concordiam hortabatur, quod ipsum & reliquorum Principum oratores faciebant: sed illis pertinacitèr in opinione perseuerantibus, Veteres Io. And. Auriam summum terræ marisque Imperatorem creârunt, habitaque is insigni oratione Finali ad suos, sufficientique pecuniæ summa impetrata, militem colligit, à Iohanne Austriaco tunc Neapoli subsistente impetrat, vt suis Genuensiumque priuatorum triremibus duos menses pro arbitrio vteretur. Confestim erecto

in

in prætoria Reipub. Genuenſ. vexillo, belli dedit initi- 1575
um, portumque Veneris primùm, indè Clauarium & Seſtrium occupauit. Interim Oratores & miniſtri Principum pro pace laborabant: & 20. Septemb. anni 1575. à Senatu Genuenſi obtinuerunt facultatem inſpiciendi leges, abolendi, condendi, reformandique illas ad vtilitatem Reip. quæ facultas, certis additis conditionibus, & à Veteribus eſt confirmata. quas conditiones cùm Noui reſpuerent, iterùm ad arma curritur. Gandiæ Dux, Magnusque Dux Hetruriæ, de quo non exigua ſibi Noui pollicebantur, Auriam ab armis diſcedere iubent: ſed ille, quandiù concordia pacisque ſpes non affulgeret, id facere recuſauit.

Noui cùm Veterum victorias viderent, & neceſſaria multa deficerent, animum mutare, & de pace cogitare cœperunt. Sed ſeditioſi quidam ciues, pacem exoſi, tumultum concitârunt, & Cardinalem conuicijs tanquàm proditorem conſciderunt, ignique & ferro ni cederet interdixerunt. Cardinalis per literas conqueſtus à Pontifice reuocari flagitat: ſed Pontifex eum conſolatus, hortatur vt exitum præſtoletur. Interim Iohannes Manriques, qui cum aliquot legionibus Germanorum Veteribus militabat, Porciferam vallem capit: mox Nouium, Gauiũ, Borgetum, Petrã, Nolum, Vadum, Altumque oppida in poteſtatem Veterũ deuenerunt. Pontifex, nè ex hac ſcintilla tota tandèm flammis corriperetur Italia, ſerias literas ad legatos ſcripſit, vt pacis negocium accelerarent, & ſi quæ pars eam acceptare nollet, ſe ei hoſtem atque inimicum fore, atque alteri opem allaturum minatur. Fit itaq; colloquium inter Veteres, & Cæſareæ, Regiæque Maieſt. legatos, conditiones concipiuntur 17. Octob. Genuamque mittuntur, & paucis mutatis, à Nouis non tã volentibus quàm coactis, & Hiſp. Regis, vrbis potectoris, vires metuentibus, ſubſcribuntur, paxque compoſita eſt, & multa lætitiæ ſigna vtrinquè exhibita.

Veterum Genuenſiũ victoriæ.

Pax Genuenſibus reddita.

Intereà dum hęc geruntur, fama allata eſt Byzantio, nullam aut non formidabilem claſſem Turcicam hoc anno, ob nimiam peſtis ſæuitiam, exituram. Miſſus igitur eſt Iohannes Auſtriacus, cum 50. triremibus in mare Tyrrhenum, vt oras illas à piratis Turcicis tuerentur. Amurathus nihilominùs bello in futurum annum apparando inſiſtens, per mare Euxinum maximam annonam Byzantium conuehi mandauit. Sed diſpenſatione diuina factum, vt tam truculenta, tamque repen-

Res Turcicæ.

1575 tina ingruerit tempestas, vt 200. varij generis nauigia, commeatu onerata, & triremes 20. conuulsa sint & demersa.

Rudolph⁹ Rex Boëmiæ et Romanorum creatur.

Sub idem quoquè tempus Rudolphus Maximiliani II. Imp. primogenitus, in Comitijs Casurgij Rex Bohemiæ, & paulò pòst Augustæ Vindelicorū, Rex Romanorum declaratur. Intereà Turcarum Imperator, quatuor armatorum millibus multisq; colonis in Pannoniā missis, tempore induciarum, dolo quatuor oppida capit, quæ vt subdolè suppressa cùm ab Oratore Cæsareano Byzantij repeterētur, nihil nisì minas à Tyranno reportârunt.

Quin & memor Amurathus cladis, quam superioribus annis Iuonia cum Polonis Kosacis Turcicis ditionibus intulerat, vt Polonos vlcisceretur, hoc eodem mense Octobri, centum & vndecim millibus Scytharum Precopensium collectis, regiones Russicas quaquauersùm ad quadraginta milliaria vastauit. Ducētas domos equestris Ordinis, villasque plurimas immites ij hostes exusserunt: senes decrepitos, puerulosque ad vbera materna plorantes, trucidârunt, cæteros homines cum iumentis captiuos abduxerunt: lassis pecoribus crura succidebant, viuis coria ad vinciendos homines detrahebant. Poloni & Russi ad Nestrum fluuium hostes, sed paulò serjùs, assequuntur: tergumque agminis carpentes, multos Scythas occiderunt, inter alios præfectū quendam cum 700. quos ducebat: huius frons 24. digitos lata fuit, corpus integrum stupendæ magnitudinis, humi iacens cadauer, vmbilicum viri stantis attingebat. Dumque reliqui Nestro transmisso in Valachia prædam partiuntur, Kosaci Borysthenis accolæ, ductore Bogdano Rosinskio, in Scythiam irruunt, flamma & cædibus omnia complent, fœminarum vbera abscindunt, quasdam excecant, quasdam occidunt, liberos collidunt, veterum captiuorum multis liberatis.

Turca Scytharū Præcopensiū ope Russiā vastat.

Insitatæ magnitudinis homo.

Kosacorū in Scythas truculentia.

Fœdus Cōdæi cum Palatinis.

Sub id Condæus in Germania cum Frederico Palatino, & Casimiro filio, de exercitu in Galliam ducendo transigit: qui ditiones suas oppignorantes, vndiquaquè equitatum & peditatum numerosum conscribunt, & summa cum celeritate in Galliam transportant. Rex ad omnes regni proceres scribit de quorundam inquietorum hominum improbitate, quòd fratrem Alenconium à se abalienatum, seduxerint, & ex amico hostem fecerint: orat vt vbì ipse sit explorent, & omnem adhibeant operam, vt captiuus ad aulam mittatur. Iubet quoquè

què ordinarias cataphractorum equitum cohortes ad di- 1575
ctum diem adesse; nouos etiam è nobilium clientelis armari iubet, & simul conuolare. Magnus erat nobilium quotidiè ad Alenconium concursus: atque inter alios tandèm & Ventadorius à Rege deficiens, apud Alenconium scriptum edit, in quo causas defectionis reddit. Intereà Thoreus instructissimum exercitũ Germanorum, ducibus Clareuantio & Hafftineo, in Galliã cogebat: quem cùm Rhenum traiecisse, atque in Lotharingiam venisse intellexisset Guisius, magnis itineribus Castrothierrium peruenit, vbi Thoræum obuium habuit. Fit atrox pugna, sed Guisius lætam victoriam reportauit. cæduntur, vnà cum Hafftineo & Legato, Germani penè omnes: Clareuantius capitur, Thoræus elapsus incolumis ad Alenconium peruenit: Guisius in maxilla quoquè vulneratur. Regina mater nullum non mouebat lapidem, vt Alenconij animum pacaret, fratrique reconciliaret. Venit eò fine ad Alenconium Marigniaci, multisque hinc indè habitis colloquijs, inducias 6. mensium cum eo pepigit, quas tandèm Rex, neglectis Catholicorum querelis, 21. Nouembris confirmauit.

Thoræus cum Hugonotis cæditur.

Induciæ in Gallia.

Casimirus intereà legionem Helueticam conscribit, maximè in Bernatum ditione. Quod cùm Regi suboluisset, ad Bernates scribit, vt ex præscripto fœderis suos in patriam reuocent, nec patiantur arma in socium & confœderatum Regem mouere. Bernates Regem, cæterosque vicinos Catholicos metuentes, & tamen causæ fauentes, simulatè potiùs, quàm verè, publicè suos edicto reuocârunt. sed qui nomina iam Casimiro dederant, adductis speciosis verbis, legato misso facilè satisfecerunt. Condæus verò, spretis inducijs, cum Alenconio pactis, & iam secundò repetitis, bellum maturabat, omnique celeritate exercitum adornabat. Habebat sub signis equitum decem millia, peditum vndecim: tormenta maiora quatuor, minora sedecim. Sed & sinè intermissione ad confœderatos literas mittebat, pecuniam promissam, & iam iam repræsentandam, postulans: sed præter verba nihil illi remittebatur. Alenconius autem ex induciarum pacto, repetitis literis, ad Condæum scribit, nè exercitum in Galliam ducat, sed aut dimittat, aut in Belgium ad Auraicum ducat. Condæus verò has Alenconij literas facilè contempsit. quam ob rem, sub

finem

1575 finem anni, Rex omnia Lutetijs vicina oppida muniri iussit.

Mōdragonius Zelādiam inua dit, & Bōmenæam expugnat.

In Belgio dum Zelandi in vtranque aurem securè dormiunt, paludosis campis, stagnantibusque fossis & lacunis confidentes, Mondragonius vadi priùs altitudine tentata, mirabili dexteritate, præter omnem expectationem, exercitum per maris brachium, perque S. Annæ & Philippi insulas, sinè nauigijs in Duuelandiam traducit, & propugnaculum Bommenęum, nihil tale expectante præsidio, impressione facta, expugnauit. Nocte verò subsequente Sancio Dauila, & Mondragonius, mille quingentos pedites Bommença Ziriczeam transportant: qui castris in ipsis aggeribus, fluxu atque refluxu maris, stagnantibusque arundinetis positis, tota ad oppidum hyeme, magna cum patientia, substiterunt.

Ziricxea obsidetur.

Principū de regno Poloniæ contentio.

In Polonia verò de nouo Rege creando, magna erat, ob candidatorum frequentiam, altercatio. Amurathus, non ignorans de quibusdam Principibus sibi minùs amicis, atque inter alios de Austriacis, cogitari, aculeatas, minacesque ad Polonos literas mittit, quibus extremam ipsis vastitatem denunciat, si aut Cæsarem Maximilianum, aut Moscouiæ Ducem, & non potiùs Stephanum Battorem Transyluaniæ Principem, eligerent: & vt paratus in omnem esset euentum, ad proceres Scytharum, & vtriusque Mysiæ præfectos, literas indignationis plenas dedit, quibus mandauit, vt copias cogerent, & armarent, easque, si Poloni Regem Ottomannico nomini parùm amicum eligerent, in Poloniam statim ad regni depopulationem immitterent. Competitores huius regni erant Maximilianus II. & eius filius Ernestus, cum fratre Carolo, Archiduces Austriæ: Iohannes III. rex Sueciæ, cum filio Sigismundo, Duce Finlandiæ: Alfonsus Ferrariæ Dux: Iohannes Basilius, Magnus Moscorum Dux; & Princeps Transyluaniæ Stephanus Battor. Proceres vbi Varsouiam ad comitia frequentes cōuenissent, partim ob Amurathi minas, partim nè quem tantorum Principum offenderent, animis fluctuabant, omnemque diligentiam adhibebant, vt quem suę nationis eligerent: sed neminem habere potuerunt, qui id onus suscipere vellet. Tandèm Iacobus Vohanius Archiepisc. Gnesnensis, instante magna Senatûs parte, Maximilianum Imp. Regem Poloniæ proclamat. Cui proclamationi, vt loco & more non debito factæ, postmodùm est reclamatum: electaque est ab alijs Anna, Princeps ex illustrissima stirpe Re-

Principes qui ad Poloniæ regnū adspirabant.

Maximilianus II. Poloniæ rex proclamatur, sed illegitimè.

pe Regum Iagelloniorum; addita conditione, vt Stephano Battori, & nulli alij nuberet. Die deindè 15. Decemb. literæ ad Maximilianum cum legationibus mittuntur ab ijs qui Annam, & ad Battorem ab ijs qui Cæsarem elegerant, ad vtriusque animum placandum, & in 13. Ianuarij noua comitia indicuntur. 1576 *Anna Iagellonica eligitur cũ cõditione.*

ANNO 1576. initiò mensis Ianuarij, Alenconius ad Senatũ Parisinum literas scribit, quibus animi sui erga Regem candorẽ & beneuolentiam significauit: querelas intermiscens, de aduersariorum suorum malignis consilijs; ea causam sui decessûs esse, & quòd Germanorum exercitum in Galliam vocare, & ad vrbem Parisiensem propiùs debeat admouere, palàm profitebatur: orabatque Senatum, vt hanc animi sui voluntatem, Regi luculenter exponant, eiusque Serenitati commendent. *Alenconius se purgat.*

Condæus & Casimirus, summa cum celeritate, reliqua Lotharingiæ parte peragrata, ad XI. Ianuarij Galliam cum exercitu intrârunt: Lingonumque fines populabundi transeuntes, vbi liberiùs ad vrbem primariã accederent, Lingones egressi, & maioribus tormentis ex vrbe explodentes, non leue damnum Casimirianis intulerũt. Indè ad Diuionem peruentum, vbi iterùm captis & interfectis non paucis, Abbatiam Cistertiensem ditissimã, eiusque ordinis primariã, quæ in hoc agro est, contra publicam datam fidem, vnà cum arce eiusdem Gillia, turpitèr Casimiriani diripuerunt: occisis etiàm socijs, qui id impedire vellent. Indè in colonos quaquauersùm crudelitèr sæuitum, quidquid carris imponi posset auectum, homines & iumenta abducti, & miseris modis diuexati, ædes incensæ, sacra loca profanata, nihil intactum relictum. Indè Nuizum oppidulum Bibracti vicinum deditione capiunt, & contra fidem, qua de fortunis & vita pacti erant oppidani, ciues pasśim occiduntur, & bonis omnibus exuuntur. At Bibractenses & Cabilonenses, acceptum à Germanis incommodum, egregiè compensârunt, Casimirianos turmatim palantes, instàr pecudum pasśim trucidantes. Intereà dum Germani hîc illic paulatìm desiderantur, nec pecunia promissa repræsentaretur, quidam in castris tumultuari incipiunt, palàm vociferantes, nisi pecunia ex pacto soluatur, se alium dominum quæsituros. Condæus verò, diuiso exercitu, cum altera parte ad Ligerim contendit. *Cõdæus et Casimirus in Galliã exercitum ducunt.* *Abbatia primaria Cistertiẽsiũ contra datam fidem spoliatur.* *Perfidia.* *Germani tumultuantur.*

1576 Dum hæc in Gallia geruntur, ad Poloniæ oppidum Andreouiam proceres regni conueniunt, vt electionem Annæ & Stephani confirmarent. Imp. Maximilianus præclaram eò legationem miserat, petens vt residua procerum pars, his qui suam Maiest. elegerant, sua quoquè suffragia adiungeret. Responsum est, se id facere non posse, tum quia suffragatio de Cæsare facta libertati regni repugnaret; tum etiàm, quia Anna electa Polonis esset consanguinea, & inter mores & leges Polonorum nata atque educata: quæ cùm Battori desponsata quoquè esset, neque hunc, neque illam in liberis comitijs legitimè electam, saluo bonorum virorum officio, posse repudiari. Hæc vbì ad Cæsarem referri fidelitèr mandata sunt, comitia soluebantur. Stephanus autem Battor, decreti comitiorum certior per legatos factus, regnum Poloniæ in vrbe Transyluaniæ Megessi, cum magna solennitate, mense Februario, suscepit.

Polonorū electio de Anna Iagellonia facta confirmatur.

Intereà Pontifex Romanus, vt periclitanti in Gallia Reip. & Religioni opem ferret, vniuersis suæ ditionis vrbibus tributum indixit. Collecta sunt itaque breuì quadringenta millia nummûm, & sex decumæ ex sacris prouentibus imperatæ, copiæ quoquè in Italia collectæ, & in Galliam missæ; quæ regias res, contra Hugonotarum factiones, tuerentur. Eodem quoquè tempore Pontifex crudele Hieronymi Rasponi, in Barnardini Diedi familiam, Rauennæ institutum latrocinium, seuero, sed iusto supplicio vindicauit: quem tamen posteà pœnitētem, pro paterna sua bonitate, in gratiam recepit.

Pontifex Galliæ Regi auxiliatur.

Rasponi latrociniū vindicatur.

Nauarræus Rex, siue quòd Condæi viribus nimiùm fideret, siue quòd à sceleratis quibusdam hominibus esset instigatus, acceptorum à regia stirpe beneficiorum immemor, sub prætextu venandi, aula excedit, & citatis equis Ferræam venit, statimque certum hominem cum literis mittit ad Regem, suique abitûs causam fuisse dicit, quòd ex secretioribus quibusdam didicisset, constitutum Regi fuisse, paucos intra dies, se arctiori custodiæ mandare. Rex contrà affirmat, sibi id nūquàm in mentem venisse, oratque nè huic calumniæ fidem adhibeat. Indè ad totius regni præfectos & optimates literas dat, quibus sese purgat: Deum inuocans testem, nihil istiusmodi vnquàm se statuisse, aut cogitâsse.

Nauarrus ex aula clàm ad Hugonotas profugit.

Sed

Sed cùm Germanorum militum intemperies quotidiè incrementa sumeret, iamque omnis ager flamma & ferro æstuaret, pagos ac villas Vulcanius ignis fero spectaculo depopularetur, rustici in seruitutem abriperentur, aut mactarentur; viduæ miserando eiulatu circuncursitantes, illuderentur, & pedibus conculcarentur, ludibundi ab vberibus maternis pusiones abrepti in cœnum proijcerentur, virginibus ac matronis stuprum inferretur, nulla non domus lachrymis maderet, nullus non ager eiulantium ploratu resonaret, idque sinè huius vel illius religionis discrimine, nec socijs fidei plùs quàm hostibus parceretur, furorque iste in oppida etiàm & vrbes redundaret: Viuariates, immanis & plùs quàm barbaræ Germanorum crudelitatis pertæsi, vtriusque religionis homines, inter se re deliberata, fœdus, nequicquàm partis vtriusque præfectis reclamantibus, ineunt: Vt à bello abstineant, & communis pacis turbatores, veluti publicos hostes, coërceant: in Regis obsequio vtrique constanter perseuerent, Regem, eiusque præfectos agnoscant, Vticensem Catholici, Anuillium Hugonotæ: nullus à partium aliqua lædatur, nullis vrbibus vis inferatur; quod si fiat, communibus armis vis propulsetur &c. testanturque hunc sibi tantùm finem propositum esse, vt à communi patria calamitatem arceant. Intereà Condæus cum exercitu Aruernorum fines ingressus, ad Alenconium properabat. Aruerni data certa pecuniæ summa, se, suosque fines à militum direptionibus redemerunt. Alenconius, audito Condæi aduentu, legatos ei obuiàm mittit, qui peterent, vt cum Casimiro consulat, quid in negocio pacis factu opùs sit. Visum est ad Hugonotas & Politicos confœderatos, eorumque præfectos & oppida scribere, vt cum mandatis legatos mittant. atque hæc pacis faciundæ primordia fuerunt. Postulabat quoquè Alenconius promissam ex pacto pecuniam, sed nihil præter inanes pollicitationes annumeratum est.

1576

Germanorũ in Gallia insolẽtia.

Viuariatũ fœdus.

Nouæ pacis Gallis canæ initia.

Viuariates, beneficio fœderis prædicti, alta pace iam fruebantur: oppidorumque custodia paulatìm intermittebatur. sciebat id Geydanus, Hugonoticæ factionis præfectus: is itaque ex Vticensi agro excurrens, Viuarium primariam Viuariatis vrbem, quę Catholicis parebat, Episcopalisque sedes erat, pręhendit, nõ sinè suorum cæde,

Viuariũ à Geydano Hugonoto capitur.

1576 cæde, priuatoque incommodo. vrbem tamen obtinet, post variam dimicationem. Sed cùm Catholici conquererentur apud Hugonotas, fœdus in ipso limine violari, coacti sunt illi Geydano, vt vrbe cederet, imperare: & ni pareret, vim ei denunciare. Geydanus cùm se vrbem, quam legitimis armis occupauerat, iisdem defensurum renunciaret, ab vtriusque religionis confœderatis copiæ ad vrbem obsidendam parabantur. quod cùm Geydanus intelligeret, mutato consilio, Viuarium reliquit, & ad sua se præsidia recepit. acta sunt hæc Februarij XXVII.

Melitēses sese muniunt cõtra vim Turcarum.

Increbuerat iampridèm rumor, Byzantij numerosissimam classem instrui, omniaque ad bellum necessaria parari, & classem iam iam ad exitium Christianorum exituram. Melitæ insulæ multùm insidiabantur Turcæ. non latuit id Ordinis Magistrum, qui statìm Equitum Melitensium sumptibus sex millia peditum conscribit, totidemque Pontifex & Rex Catholicus suis stipendijs alendos addiderunt. Vt autem insula circunquaquè nouis propugnaculis muniretur, nullum tempus est intermissum. Nè verò Italiæ littora, aliæque in Siculo & Libyco mari insulæ, à Barbaris infestarentur, classem instrui iubet Rex Philippus, & magnas copias ei imponendas corradit. In huius classis vsum, trecenta millia nummûm ex Hispania misit, quæ sex triremibus aduehebantur. Sed exorta in Libyco mari subita tempestate, triremes non procùl à Villa Franca scopulis occultis adactæ, fractæ sunt & demersæ, pecunia tamen paulò pòst est recuperata.

Naufragium.

Crimponiæ obsidio et deditio.

In Belgio continuabatur Ziriczeana obsidio à regijs, & Auraicus vicissìm Crimponiam propugnaculum ad occidentale Rheni ostium arctissimè obsidebat, munitionibus in aggeribus excitatis, & flumine ipso per aggerum rupturas in campos intromisso, nè regijs accessus ad socios pateret. Missum est eò Hispanorum auxilium duce Petro de Pas, viro optimo, vt commeatum obsessis subueherent. Sed cùm ad eos peruenire non possent, Petrus Passius arrepto paruo nauigio, & 300. panibus impositis, per stagnantia pascua, intempesta nocte, ad propugnaculum defertur, & refertur. Sed cùm ea nauigatio posteà quoquè à Geusijs impediretur, præsidiarij, & se, & munitionem dedere coacti sunt, ad finem mensis Februari. Paulò pòst Requesenius Belgij Gubernator generalis,

Petrus Pas.

Requesenius Belgij

neralis, ardentissimo paroxysmo correptus, tandèm 5. Martij Bruxellis extremum clausit diem. quæ fama cùm in Hispanias esset delata, Rex Catholicus, optima quæque à suis Belgis expectans, nihilque diffidens, Ordinibus patriæ scribit, eos Patres suos appellans, & plenam gubernationem prouinciarum eis committens, donèc Austriacum fratrem suum amandaret.

1576

supremus Gubernator moritur.

Ordinibus Belgij Gubernatio defertur.

Condæus & Casimirus exercitum ad meditullium Galliæ promouebant. cumque in agrum Borbonium venisset, à Carossianis recipi postulauit Condæus: sed cùm ingressus in oppidum negaretur, vi aggredi illud mandauit. Carossiani tanti exercitûs vires metuentes, consilium mutarûnt, & Condæo sese dediderunt. Indè Condæus cum vniuersis copijs ad Alenconium proficiscitur, à quo perbenignè exceptus est. iunctis autem exercitibus, opportuno loco, ad triginta equitum peditumque millia, sunt recensita. Pòst simul Molinum adeunt, ibique de communi sententia libellum supplicem condunt, qui Regi offerretur. erant autem postulata huiusmodi, ex quibus pacem regno vtilem & salutarem componi debere arbitrabantur. Alenconius, Nauarræus, Condæus, & Casimirus huic machinæ ædificandæ insudabant: quisque sibi optimè cautum volebat, quisque in rem suam commodissimos pacis articulos comminiscebatur, perfectamque tandèm Chymæram hanc, Lutetiam miserunt per legatos suos, qui ibidèm mandata suorum præstolabantur, Regi offerendam. Rex postquàm semèl ad libellum hunc respondisset, nec illis satisfieret, nouas querelas audijt, aliud responsum postulantium. Respondet ergo secundò, sed necdùm satisfecit illis responsum. Intereà Casimirus Sanuerrinum, Niuernensis ditionis oppidulum, non sinè maxima suorum clade, tribus assultibus oppugnabat: cumque iam ruinæ maiores essent, & hostium vis maior, quàm quòd oppidani muros defendere possent, petunt cum hoste pacisci: dumque colloquuntur, nihil mali suspicati, perfidi milites, alia parte oppidum ingressi, armatos ciues omnes iugulârunt, inermes tam oppidanos, quàm colonos qui eò confluxerāt, oppido spoliato, in captiuitatem abripuerunt.

Noua pacis in Gallia licitatio.

Tertium deindè responsum ad postulationes aduersariorum cùm Rex reddidisset, illudque legatis etiàm minùs æquum videretur, ad Condæum & Casimirum profecti, de iniquis Regis responsis querebantur.

1576 Illi cum Regina primùm Castronyum vicum, deindè Etinij conuenére, vbi post varia verborum certamina, tandèm res transacta est, transactioque iuramento & sigillo munita, & per tubicines eo ipso die in castris proclamata. Paulò verò pòst, die scilicet 14. Maij, per totum regnum pacis edictum 60. articulis comprehensum, est promulgatum. Et quidem quantum ad Religionem, Rex iubebat, vt Ecclesiastici omnes in possessionem suorum sacerdotiorum restituerentur: Reformatæ (vt vocant) religionis exercitium liberum per vniuersum regnum esset, nullo temporum locorúm ve discrimine, dummodò per proprietarios locorum liceret. Sacramentorum, Scholarum, Concionum, Consistoriorum, Synodorum prouincialium aut generalium, omniumque quę ad istius religionis administrationem pertinent, liber vsus haberetur: modò ijs Synodis intersit vnus ex præfectis regijs. Lutetia & circunuicina loca à milliaribus quatuor, ab istius religionis vsu excipiebantur. Facultas ædificādi templa concedebatur: Matrimonia sacerdotū & monialium rata habebātur, liberi tamē eorū in acquisititia tantùm, non item hæreditaria bona succederent. Sancitum etiàm erat, vt vtriusque religionis incolæ, æquè ad publica munia in Scholas, Collegia, Gerontotrophia, Xenodochia, Nosocomiaque, nullo discrimine religionis, reciperentur. Decimæ tam Catholicis quàm Hugonotis soluerentur: Concionatoribus vtriusque partis, vt à seditiosis concionibus abstinerent, mandaretur: in publicis actibus non simplicitèr Reformata religio, sed reformata (vt vocāt) collocaretur. Fundorū ecclesiasticorū irritæ actiones, cæteræ Alenconij, Nauarræi, Anuillij, Optimatum, Nobilium, Vrbium & Prouinciarū ratæ haberentur. In reliquis similitèr abūdè illis à Rege satisfactum est. Turpes sanè pacis conditiones, sed quæ Regi violentèr, dum hostium viribus impar esset, extorquebantur.

Pax componitur, eiusq; conditiones inhonestæ & impiæ.

Pestis in Italia, Sicilia, Turcia.

Intereà tota Italia pestis vehementissima grassabatur, quæ Patauiū, Veronam, Brixiam, Ticinū, Vincentiā, Apuliam deniquè totam, Calabriam & Siliciā vastā penè, & hominibus reddidit desolatam. In vna Sicilię Messana, ad sexaginta hominum millia hac contagione moriebantur. Turcię quoquè quàm plurimas regiones idem morbus diuexabat. Barbari tamen, eo contempto, nihilo segniùs bellum adornabant, Christianorum tamen non leuitèr apparatum, quem à certis hominibus fieri didicerant, metuentes.

Hispa-

Hiſpani intereà cùm tota hyeme in littoribus, ripis & lacunis, inter fluctus marinos profundiſſimo in cœno, frigore ac pluuijs penè cõtabefacti, patientèr ad Ziriczeenſe oppidum in obſidione perſeuerâſſent, magnaque fortitudine & induſtria, nè quid commeatûs ipſi ſupportari poſſet, impediuiſſent: tandèm vrbe, extrema laborante neceſſitate, ſub finem Iunij potiuntur. *1576 Ziricxeã deditione recipiunt Hiſpani.*

Hiſpani tam inſigni parta victoria, tanti momenti oppido ſuperato, quo vno Hollandiæ Zelandiæque res penè erant labefactatæ, tantasque ærumnas perpeſſi, ſtipendium ab Ordinibus poſtulabant. tanto enim fideliores Hiſpani ſunt Germanis, quòd hi, ſi quid ipſis debeatur, id quandò cum hoſte congrediendum eſt exigant; illi verò non niſi poſt pugnam, aut hoſte deuicto. Sed cùm Ordines iampridèm felices Hiſpanorum ſucceſſus odiſſent, rationesque atque opportunitates captarent, eos ex Belgio eijciendi: ſtipendia quidem Germanis immeritis annumerârunt, Hiſpanis verò inanibus pollicitationum plauſtris ſatisfacturos ſe arbitrabantur. Indignè ferebant id Hiſpani, & coniuratione facta 25. Iulij Aloſtum Flandriæ ad Teneram oppidum ſuppræhenderunt, ciuesque immani crudelitate exagitârunt. Bruxellenſes, occupato ab Hiſpanis Aloſto, tumultuari cœperunt. Auraicus & ſui literis admonitionibusque aſſiduis furori populari fomentum ſubminiſtrabãt. Heſius & Dominus de Glimes, ſumma temeritate foribus effractis, Comitem Mansfeldium, Barlemontium, Viglium, Fonkium, aliosque Regis Conſiliarios ex ipſo ſanctioris concilij loco captiuos arripiunt, & arctiſſimæ cuſtodiæ tradunt. interim literis ad omnes prouincias miſſis, magiſtratus aut eorum legatos euocant, militem conſcribunt, Hiſpanos hoſtes patriæ publico edicto proſcribunt, debellandosque decernunt. *Cauſa tuę multûs Hiſpanorũ in Belgio. Hiſpani Aloſtum Flandriæ occupant. Bruxellẽſium ſeditio, et Cõſiliariorũ captiuitas*

Maximilianus, Artobrigæ comitijs conuocatis, expoſuit Imperij Principibus apparatum bellicum, qui Byzantij fiebat, petit ab eis ſubſidium ad Imperij defenſionem: ſignificat etiàm, ſe Regem Poloniæ electum, Lituaniam, Liuoniam, reliquasq; vicinas prouincias iam Imperij membra factas. petit nè quas Germanorum copias Imperij fines exire patiantur, multaque de veteri Iuſtitia Germanorum verba facit. *Comitia Artobrigæ habita.*

Stephanus intereà Battor per Myſiam ſuperiorem in Poloniã profectus, ad 9. Calend. Maij incolumis in regni fines peruenit: vbì honorificentiſſimè exceptus, vnctus

1576 & coronatus est ab Episcopo Vladislauiensi: Gnesnensis eum Archiepiscopus, cuius id muneris est, eò quòd Cęsaris partibus studeret, coronationi noluit interesse. Lascus Palatinus, multiq; è primarijs Cæsareanis sese subduxerant, atque aliò extra regnum commigrârant. Anna quoquè Iagellonica ipsis Calend. Maij Regina inauguratur. Battor mox à coronatione legationem ad Cęsarem mittit, orans, vt quoniam ipse per tot Principum inuidiam, factiosorumque ciuium dissensionem regnum illud assequi non potuisset, æquo animo ferret illud ad amicum, & sibi deditissimum regem peruenire, vt multorum sanguini parceretur. Similem ad Magnum Moscouiæ Ducem legationem mittit. Cæsar respondet, id fieri non posse honorificè, vt Polonos tam leuitèr pœniteat electionis, nulla prægnanti causa interueniente: neque se passurum, vt regnum illud ab alio occuparetur, in quod ipse legitimè fuerat electus. Moscus verò celebrem legationem ad Cæsarem mittit. quæ cùm admissa esset ad Cæsaris, tunc Iuliobonæ commorantis, colloquium, Ducis literas in aurea tela inuolutas, argenteoque vase amplissimo impósitas obtulerunt: tegebatur autem vas panno aureo tam longo, vt vtrinquè pauimentum attingeret. Summa autem legationis erat, Ducem Cæsari, si regnum Poloniæ armis sibi comparare velit, omne genus auxilij promittere. Cæsar Duci gratias agit, auxilium oblatum se acceptare dicit, sed in magis idoneum tempus id reseruare.

Stephanus Battor Poloniæ Rex vngitur.

Battoris ad Maximilianum legatio.

Ad Moscũ legatio.

Mosci ad Maximilianum legatio.

Erant induciæ inter Polonum & Moscum. Moscus nulla facta obnunciatione spetarum induciarum, cum filio natu maiori repentè Liuoniam inuadit, & barbarica crudelitate in ædificia, castra, pagos, pecora & homines debacchatur, omnia ferro, flammaque deuastans. Iussum est legatis, vt res ablatas repeterent: Moschus verò ad repetitionem superbè respondet, non modò res ablatas, sed & Lituaniam & Poloniam ad se pertinere, has prouincias per arma se petiturum. Pactæ sunt tamen aliquot mensium induciæ, ex quibus Dux Liuoniam & Curlandiæ Ducatũ excipi volebat, & quidquid ad Prutenorum fines pertingit: ea ad se pertinere contendens. Rex contrà sui hæc iuris esse, nec posse his legibus inducias acceptare. Dimissis itaque legatis, Moscus Vendã in finibus Liuoniæ obsedit, bisq; violenter oppugnãs, bis magna suorũ clade à mœnibus est repulsus. Liuones colle-

Initia & causæ belli postremi inter Moscouitas & Polonos.

collectis & ipsi copijs in hostem irruentes, Moscouitas 1576
penitus deleuerũt. Missæ itaq; binæ legationes à Mosco pro inducijs prædictis conditionibus impetrandis, quas cùm obtinere non posset Dux, indignatus non modò Liuoniam, sed & Vitepscenses, qui ditionis Lituanicæ sunt, cœpit infestare. quam ob causam Curlandiæ Dux, & Liuones Regem ad defensionem solicitârunt. Remissaitaque Mosci legatione, Rex illi manifestum bellum indixit.

Henricus Galliæ Rex quia re pecuniaria laborabat, Episcopum Parisiensem Romam mittit, impetratque à Pontifice, vt ecclesiastica bona ad centum & quinquaginta millia nũmûm vendere liceret. Galli verò Catholici nequaquàm tam pudendæ atque iniquæ paci, Regi violentèr extortæ, subscribere voluerunt: Parisijs templi Metropolitani Canonici, canticum in gratiarum actionem, canere recusârunt: qui hactenùs Regem & Religionem capitis & bonorum suorum periculo propugnârant, eum & clàm & palàm increpârunt. Hugonotæ quotidiè petulantiores fiebant, atque in multis articulos pacis infringebant: facilè animaduertebant Catholici, suam religionem breuì (hac pace incolumi) radicitùs extirpandam. Nouum itaque fœdus inter sese ineunt, quo sese, suas vxores, liberos & facultates, pro Religionis Catholicæ & Regis defensione, deuouebant. ad quod qui recipiebatur, ad sancta Dei Euangelia iurare debebat, se Catholicam Romanam Religionem, & Regem contra omnes aduersarios ad extremũ halitum propugnaturũ, idque sub pœna anathematis & æternæ damnationis. Fœdus hoc, Sacrum appellatum, in Picardia primùm inceptum est, & confestim ab alijs prouincijs alacritèr acceptum: nè tamen Gallia nouis belli difficultatibus implicaretur, decreuêre nihil tentare, antequàm Reformati (vt vocari volebant) nouum de pace edictum violâssent, & in nationali concilio de Religione decretum esset.

Ecclesiasticorũ bonorum in Gallia vẽditio.

Catholici Galli iniustam & impiã pacem noluẽt approbare.

Fœdus Sacrum in Gallia.

Condæus & Hugonotæ præpropero suo zelo, dum voluptatem belli & tumultuum decoquere nondùm possent, primùm Rupellæ insidiantur: sed cùm Rupellenses malo suo edocti, Condæum in oppidum recipere nollent, ille ope Mirembelli Broagium occupat, bellique sexti classicum cecinit, quod socij tamen minimè probabãt. Iterùm Rupellenses, vt in oppidum reciperetur, obnixè rogat: Prætor & ciues cordatiores, hoc tempore tam difficili aditum negârunt. Tribuni militares, & ecclesię Ministri,

Condæus Rupellæ insidiatur.

1576 quique seditionibus quàm paci magìs studebant, omninò Condeum recipi volebant: immò literas, vt aduentu accelerarer, ad eum miserunt. Qui cùm vrbem ingressus esset, mox calumniã struebat his, qui eum anteà admittere noluerunt, eosque proditionis insimulabat. Prætor & qui accusati erant, crimen negabant, accusatorem nominari cupiebant, diris se deuouebant, si quid vnquàm sinistri in patriam essent meditati. Vrbe exire vetantur, decernuntur iudices, qui hac de re quæstionem haberent: inuentum est, accusationem esse falsam, & merã in scholis Caluini vsitatam praxin. indè ciues suffascinauit, & de apparatu Catholicorum aduersùs Reformatos multa locutus, ad custodiam suæ ciuitatis eos hortabatur.

Calũnia.

Blesensis conuentus in Gallia.

Cùm autem nouæ quotidiè ad regem querelæ vtrinquè adferrentur, & edicti pacificatorij articulo LV. vniuersorum comitiorum conuocatio Blesis erat promissa, commodum Regi visum est, eam accelerare; vt quisque suas querelas in medium proponeret, & de authoritate Regis, regnique incolumitate conseruanda & stabilienda, consuleretur. Indicta itaque sunt hæc comitia, regijs codicillis per vniuersum regnum publicatis. Legati ad ea sunt à Catholicis, ex tribus Ordinibus, viri graues, prudentes, summæque authoritatis. Expectabatur Nauarræus, Condæus, Anuillius, cæterique istius factionis legati: sed prudentiam, authoritatemque Catholicorum metuentes, suæque causæ bonitati diffidentes, eò venire verebantur: & vt subterfugium haberent, aiunt, Comitia non legitimè conuocata. Legati ad Hugonotarum præcipuos Principes missi sunt, qui eos ad comitia inuitarent: sed nihil effecêre. Rex post ieiunia, amburbiasque supplicationes, felix Comitijs auspicium dedit. Actum est initiò de Religione. Orârunt trium Ordinum legati prolixè & grauiter: vnanimiterque suadent, nè Rex aliam in regno quàm Catholicam, Apostolicam, Romanam Religionem exerceri permittat: ostendunt multis rationibus & argumentis, nullam pacem esse posse diuturnam, quæ diuersis religionibus nitatur. Adducunt exempla Reginæ Angliæ, & Germanorum Principum, qui experti quanta mala pareret religionis diuersitas, seueris mandatis prohibuêre, omnem præter vnam, cuius ipsi erant, religionem. In hoc omnium Ordinum legati consentiebant, vnam Romanam, Catholicam religionem seruandam. Non reclamabat Nauarræus, non Anuillius licèt absentes: sed in modo, ad

Vnam Catholicam Religionẽ obseruandam, nec aliam admittendã.

do, ad euentum istius consilij perueniendum, non idem sentiebant omnes, dum quidam armis, si aliâs non liceat, id tentandum; alij pacem non interturbandam putarent. Vicit tamen eorum opinio, qui extrema quæque tentanda dicerent, priusquàm religiones diuersæ admitterentur. 1576

Philippus Hisp. Rex instructissimã classem in Africam misit, vt Susum & Archanchenẽ, Mauritaniæ insulas adiret. præerat Marchio S. Crucis. Luzalis Turcicæ classis præfectus, postquàm intellexit classem regiam in Sicilia ad anchoras stare, mittit eò triremem, quæ, quid consilij captarent regij, exploraret. Erat in ea Neapolitanus quidam adolescens captiuus, miræ pulchritudinis, quem nauarchus in delicijs habebat, cuiusque pudicitiæ insidiabatur. ægrè hoc tulit adolescens, conuenitq; clàm cum alijs captiuis, vt primùm nauarchum, deindè reliquos Turcas dormientes interficerent. euentus consilium secutus est. Captiui liberati cum naui salua Neapolim venerunt. nunciat adolescens ille, Turcas Melitensibus bellum parare: id se in triremi audiuisse. Quod vbì intellectum est, Marchio S. Crucis cum classe reuocatus est. Præfectus verò Zacynthi triremem emittit, vt quid moliantur Turcæ exploret. Illa postquàm redijsset, indicat Turcicam classem non esse metuendam: milites, qui in ea erant, tyrones esse, & tantùm se exercere in rebus nauticis, quo ad bellum fierent expeditiores.

Apparatus Hispani in Turcas & Mauros.

Insigne factum adolescentis Christiani.

Cæsar Maximilianus cùm in comitijs Ratisbonensibus auxilia Principum Germaniæ contra Battorem & Turcam plurimùm vrgeret, tandèm impetrauit à Boëmis, Pannonibus, Slesijs &c. certos armatorum numeros: sed dum metuit, nè si Battori bellũ moueat, omnes Turcicas vires in se cõcitet, tardè progreditur, & tandèm calculis & cordis palpitatione correptus, inter has solicitudines Ratisbonæ moritur. In cuius locum Rudolphus, eius nominis secundus, Maximiliani primogenitus, in iisdem comitijs Cęsar proclamatur, Battorique regnum quietum relinquitur.

Maximilianus II. moritur, & Rudolphus II. Imperator eligitur.

Tachmas Persarum Rex, qui anno superiori obierat, Caidari tertiogenito regnum reliquerat: sed cùm ignauus ille esset, & regno minùs dignus, Ismahel secundogenitus à sorore & proceribus regni carceribus, in quos iussu patris coniectus erat, eximitur, & decollato Caidare rex creatur. Qui vt regnum stabiliret, paulò post

Persici regni successiones.

1576 creationem se domi continuit, iussitque diuulgari, se mortuum esse. quod cùm iam crederetur, detecta sunt multorum occulta odia, & in regem conspirationes, quæ per coryphæos ad Regem perferebantur. Rex hostes suos vbiquè capi & necari iubet, collectisque copijs fugientes ad regni fines persequitur. Turcæ contermini metuentes sibi bellum parari, excursiones faciunt, & fines Persię lacessere cœperunt. Persę dum iniuriam vlciscuntur, belli noui initium dedére. Sed Ismahel cùm sex menses regnâsset, à sorore veneno extinguitur, cui Hodabendes primogenitus successit. is Emircano Mirisi filio suo cœpti belli contra Turcas continuationem demandauit: conscriptisque magnis copijs, Babylonem proficiscitur, vt pro more regni illic se gladio accingeret. Quæ fama cùm Byzantium esset perlata, Amurathus veritus, nè Persa loca sibi olim sublata, bellica manu repeteret, exercitum collegit, & in fines Persarum misit.

Ismahelis callidum factum.

Persici & Turcici belli initia.

Belgæ ab Hispanis prope Louaniũ cædũtur.

Incrudescebat quotidiè magis magisque Belgarum in Hispanos odium, & aperto bello res gerebatur. Dn. de Glimes milites pro Ordinibus collegerat, quos in Hispanos duceret: sed cùm inter Louanium & Thenas concurrerent, Hispani Belgas fundunt & profligant. qua in pugna multi ciues & Studiosi Louanienses, rei nouitate exciti, periêrunt.

Gandauẽsis conuentus.

Multas & æquas conditiones in conuentu Bredano à Rege Geusijs propositas diximus suprà. cumque primum Auraicus responsum dilatorium misisset, & morte Requensenij, Ordinumque (quibuscum tacitam conspirationem fecerat, sibique ex ijs quamplurimos fauere non ignorabant) gubernatione, causæ suæ feliciorem euentum speraret, legatos nouem Gandauum mittit. Ordines quoquè reliqui, qui Regi parebant, quosdam viros Ecclesiasticos, Nobiles, Doctores, aliosque viros magnæ authoritatis nominârunt, qui cum Auraicis de nouæ pacis nundinatione conuenirent.

Traiectẽsiũ ad Mosam cum Hispanis simultas.

Traiectenses intereà ad Mosam Montesdocã præsidij Hispanici præfectum, ad se in curiam vocantes, vbi comparuisset, in vincula coniecerunt: qui verò ei operam vicariam in militia præstabat, Martinus de Ayala, statim cum Hispanis vrbe expellitur. Sed Alonso de Vergas, & D. Ferdinandus, hic peditum, ille equitum præfectus, statim aliquot copias contrahentes, in suburbia

ducunt:

ducunt: & portam Bruxellensem clàm, quibusdam Hispanis intromissis, occupantes, Montesdocam liberant, vrbemque in suam redigunt potestatem. 1576

Sub finem verò Octobris Hispani cum Polvvilero, Obersteinio & Carolo Fuggero, Germanorum chiliarchis, fœdus ineunt: iurantque se communibus armis Religionem Catholicam, & Regis authoritatem, contra coniuratos Ordines defensuros. Sed Obersteinius datam fidem Ordinum corruptelæ paulò pòst prostituens, vnà cum Egmundano Comite, Hauereo, & Champanio nobilissimum emporium Antuerpiam ingressi occupant; arcemque expugnare volentes, omnem operam in propugnaculis, aggeribusque excitandis insumpserunt. Cæterum Hieronymus Rhoda præses, Sancho Dauila arcis præfectus, & Alonso Vergas, statim ad arcis defensionem cum omnibus Germanorum, Hispanorum, Italorumque copijs conuolantes, primumque maioribus tormentis vallum recèns ædificatum conuellentes, posteà eruptionem faciunt; magnoque impetu in vrbem incurrentes, fugant, capiunt, & iugulant quoscunque obuios habebant: vrbemque ipsam armata manu Ordinum imperio eripuerunt, sibique subiecerunt, magna cum vicinorum populorum admiratione, quòd vrbem populosissimam, tot præsidiariorum equitum & peditum millibus munitam, non noctù, sed multa luce; nõ clàm, sed palàm; non insidijs, sed aperto Marte Andabatarum more audirent expugnatam. Sæuitum est in vtriusque sexûs homines, omniumque ædes direptæ. Capiuntur Egmundanus, Capreus & Goignius: Obersteinius in aquis suffocatur: Hauereus verò & Champanius fuga elapsi, ad principem Auraicum salui peruenerunt.

Hispanorũ & Germanorum confœderatio.

Antuerpia ab Hispanis occupatur et diripitur.

Eodem die quo hæc fierent, Iohannes Austriacus, duobus tantùm comitatus socijs, mutato habitu, velocissimis equis Luxenburgum venit, Belgij gubernaculum, quod ei à fratre Rege Hisp. commendatum erat, arrepturus. Octauo deincèps mensis Nouembris die, Ordines vtriusque factionis Gandaui in publico conciliabulo inter sese de pacis conditionibus, 25. articulis comprehensis, conuenerunt. Summa pactorum erat, vt Hispanos, aliosque exteros milites Belgio eijcerent: ijs eiectis, Ordines generales coirent, agerentque de statu Religionis & Reipub. in Hollandia, Zelandia, locisque confœderatis: vt in alijs prouincijs Religio Catholica Romana inuiolata maneat, nec contra eam aut eius cultores

Iohannes Austriacus Luxẽburgũ venit.

Pax Gandauensis.

1576 vlla petulantia exerceatur: vt Regi ſua authoritas maneat: vt iniuriæ vtrinquè perpetua ſepeliantur obliuione: captiui vtrinquè dimittantur: fortunæ, fama & honor priſtinus omnibus partis vtriuſque hominibus reſtituantur: vt æs alienum à Principe Auraico hactenus in vſum belli contractum, ab omnibus ſimul prouincijs ſoluatur: Buranus Comes ex Hiſpania remittatur &c. Subſcripta ſunt hæc à trium Ordinum legatis, partis vtriuſque, & per omnes prouincias promulgata.

Gandauēſes arcem expugnāt

Poſtridiè arx Gandauenſis à 10000. ciuibus obſidetur, & maioribus tormentis grauitèr concutitur, donec Hiſpani, qui in præſidio erant, ſeſe dedere cogerentur. Idem eodē ferè tempore Valencenis in Artheſia factum. Hiſpani verò & hìc, & illic, illæſi ſunt dimiſſi.

Patriarcha Conſtantinop. Germanis reſpondet. Orietalis & occidētalis Eccleſiæ cōſenſus.

Conſtantinopolitanus Patriarcha ſæpè nunc à Cruſio & Chytręo prouocatus, vt ad articulos fidei, qui etiā Luteranis erant tranſmiſſi, reſponderet; tandèm hoc anno cenſuram ſuam abſoluit, & Germanis tranſmiſit. Quam cùm legiſsēt Germani, nec obſcurè intellexiſſent, Orientalem Eccleſiam cum Romana (quatuor antiquis Græcorū erroribus excluſis) optimè conuenire, cum Luteranorum verò doctrina toto cælo diſcrepare: pœnitentia ducti, & rubore ſuffuſi, & ſua & Patriarchæ ſcripta ſupprimere ſtuduerunt; nè, ſi ederentur, & Romanæ religionis vetuſtas & ſynceritas, & ſuæ nouitas ac peruerſitas toti mundo conſtaret; vt ſatìs liquet ex epiſtola Cruſij ad Chytręum poſteà tranſmiſſa.

Belgarum Ordines in Hiſpanos ſe armant.

In Belgio verò quotidiani conflictus inter Ordines patriæ & Hiſpanos conſpiciebantur: nunc hi, nunc illi ſuperiores. Sed quia Ordines re pecuniaria laborarent, miſſi ſunt legati ad Reginā Angliæ, aliosque Principes ad pecuniam ab illis æruſcandam: quod Angla non difficulter ipſis conceſſit.

Ordines Belgici Stellam quendam, hominē ſuæ factionis ſtudioſiſſimū, Groningā miſerunt, vt clàm, non cum Gubernatore & præfectis primarijs, ſed cum certis militibus ageret, quô in verba pacis Gādauenſis iurarent, eamq́; per Friſiam & Groningenſe territoriū promulgarent. Sed cùm Gubernator Caſpar de Robles, Dominus Byllius, hanc conſpirationem intellexiſſet, Stellam comprehendi, & in vincula conijci mandauit, atque militibus ſuis nouum ſacramentum propoſuit: quod cùm quidam acciperent, alij à Stella corrupti negarēt, Gubernator Loſyum capitaneū menſe Nouēbri ad ſe vocat, eiq́; ſacramen-

Groningēſiū tumultus.

mentum hoc proponit. quod cùm ille improbaret, reuer- 1576
sus ad suos, cum Villerio atque alijs factiosis in Byllium
coniurârunt: eum in vincula cõiectum, durissimis indi-
gnisque modis tractârũt. Mox etiam Dominum dè Rijs-
broeck generum Byllij apprehenderunt. Stellam liberâ-
runt, & cum literis ad Ordines Bruxellas remittunt, eis
omnem obedientiam promittentes. Paulò pòst cõspira-
tionis, proditionisque authores Villerius, Monceauius,
Champyus, & Losyus in carceres detrusi sunt.

Dominus Byllius capitur.

Vltraiectenses, audita castrorum quorundam expu-
gnatione, omnem apparatum faciunt, vt suum quoquè,
pulsis Hispanis, occuparent. Franciscus Dauila arcis præ-
fectus, cùm tormenta in vicinas turres, locaque editiora
cerneret à Magistratu comportari, nec obscurè intelli-
geret bellum sibi parari: ipso die D. Thomæ, meridiano
tempore, quosdam Hispanos ex castro in vrbem mittit,
qui quid in vrbe ageretur explorarent. Hi cùm in proxi-
mas plateas venissent, & in ijs excubias dispositas cerne-
rent, ijs aut interfectis, aut fugatis, ignem in ciuium ædes
conijciunt, & se in castrum recipiunt. Mox præfectus in
vrbem maximis tormentis detonare, & ad vicinas do-
mus fulminare: ciues cum Germanorum præsidio, quod
in vrbe erat, mox aggeres erigere, propugnacula extrue-
re, ædes proximas terra opplere, & tormenta in arcem
dirigere cœperunt. Nocte Hispani exiguam scapham
conscendentes, fossam traijciunt, & ædes ciuium in-
iecto igne inflammârunt. Ciues cùm accedere ad in-
cendium restinguendum non auderent, Franciscanos
& Dominicanos, quos parui faciebant, compulerunt
ad illud periculum adeundum. Tormenta quoquè cùm
ad arcis pomœria essent pertrahenda, eosdem mona-
chos adegerunt, vt cum periculo vitæ huic operi se-
se accingerent. erat autem in arce Franciscanorum
Guardianus Godefridus Leodius, cuius auspicijs hæc ge-
ri ciues existimabant. Dauila cùm per aliquot dies à
tormentorum maiorum explosione non desisteret, mul-
tos ciues, ciuiumque splendidas ædes perdidit, atque
prostrauit. Turrem alteram insignis Ecclesiæ Diuæ
Mariæ Virginis, & partem turris Diui Iacobi, eò
quòd ex ijs multum damni inferebatur Hispanis, dis-
turbauit.

Vltraiectẽses Hispanos in arce obsident.

Tota hac æstate pestis per Italiam, Siciliam, &
Turciam ità desæuiebat, vt solis Venetijs centum ho-
minum millia interierint: sublata sint vbiquè commer-
cia

Pestis in Italia.

1577 cia cum exteris. Clathri in vijs publicis exædificabantur, nè vnius vrbis ciuibus ad alterius pateret accessus. Nosocomia procùl extra vrbes construebantur, ad quę, qui lue hac infecti erant, deportabantur. supellectilia eorũ concremabantur, & illorum precia ex publicis ærarijs, hæredibus restituebantur. Sæuitum est in canes & feles: Literæ nè mitterentur interdictum, nisì ad Summum Pontificem, nec eæ quidem, nisì absque cera & lineis vinculis obsignatæ. Hac exportationis, importationisque denegatione, tandèm factum est, vt multis in locis, & præcipuè Mediolani, summa esset rerum omnium penuria, & fames durissima, adeò vt nisì Cardinalis Borromæi liberalitate (qui omnia sua in hac necessitate profudit) Parmensiumq; bonitate, Mediolanenses adiuti fuissent, fame interijssent penè omnes.

Persa Turciam depopulatur.

Persarum Rex collectis octoginta equitum millibus fines Turcicos cœpit depopulari. Sed cùm Amurathus maximam suorum cladem ex peste accepisset, & cum fame confligeret; cumque ex Battore intellexisset, Imperij proceres Christianos arma parare, non ausus erat eas quas decreuerat copias in Persas mittere.

Catholici in Gallia vnam religionem seruandã statuunt.

ANNO hoc 1577. bella in Francia iterùm recruduerunt. Nam cùm superiori anno in conuentu Blesensi, Petrus Epicanacus Lugdunensis Archiepiscopus, pro primo Ordine disertè, atque celebri, sui, totiusque ordinis Ecclesiastici nominis palma, perorâsset; pro secundo, qui Nobilium est, Claudius Baufremontius, Senescei Baro; pro tertio verò Varsorius Parisiensis patronus; omnesque irrefragabilibus argumentis docuissent, nullam aliam Religionem, præter Romanam, in regno Gallico admitti debere: ab omnibus legatis in eorum itum est sententiam, quam & Regina, Mompenserius, Cossa, Bironius, Moruillereus, & Bellieureus, vnà cum Rege ipso approbârunt. Missi sunt legati ad Nauarręum, vt & ipse huic sententiæ subscriberet: qui id facere recusauit. Initio itaque anni huius 1577. Rex Ordinum delegatis proponit, si regnum denuò in tumultus bellicos incideret, vndè auxilia essent petenda: declaratque, de Nobilium alacritate, bonaque voluntate, se non dubitare: de Ecclesiasticis quoquè, & prouinciarum vrbiumque Magistratibus benè sperare. Se verò dominij sui bona trecentis librarum millibus annui censûs, cum Ordinum tamen cõsilio & assensu, vendere decreuisse. Petere itaque se, vt

se, vt & illi Regiam Maiest. pecunia iuuent, & postridiè reuersi ad hæc respondeant. Reuersi altero die triũ Ordinum legati, omnem opem, si arma sint resumenda, pollicentur. Tertius verò Ordo, in vendendis dominijs ipsius Regis, sinè maiori prouinciarum mandato, noluit, assentiri. Paulò pòst, dimisso conuentu, Rex prouinciarum Gubernatoribus scripsit, Ordinum trium legatos orâsse, vt vna tantùm Catholica Romana Religio, per totum regnum exerceretur: eorum postulato se annuisse. cauerent igitur, nè aliarum Religionum exercitia permitterentur. 1577

Aegerrimè tulerunt hoc edictum Hugonotæ, & publicis scriptis querelas suas instituebant, & Catholicos publicæ quietis hostes esse proclamabant. Catholici scriptis & viua etiàm voce sese defendebant: Non tantùm propriorum malorum causas esse Hugonotas, sed omnium miseriarum, quæ in vniuersum regnum exundabant: ipsos æquissimis conditionibus in præteritis bellis non contentos, nouos semper tumultus excitâsse. Superioris pacis decretum violenter Regi, inuitis Ordinibus, fuisse extortum: ob id, & quia regno esset perniciosissimum, iure posse abrogari. Ex edicti sententia, vnanimi Francorum omnium consensu, à Rege comitia fuisse conuocata, vt ipse subditorum suorum querelis & necessitatibus prouideret, & quod regno commodissimum esset, ex trium Ordinum suffragijs statueret. In his autem comitijs tres Ordines decreuisse, Regemque approbâsse, vnam tantùm Catholicam, Apostolicam, Romanam religionem seruandam esse, & huic contrariam, quam Reformatam vocant, abolendam: hoc ad conseruationem cuiusque Ordinis fore vtilissimum. Prætereà notum esse omnibus, aduersarios ante comitiorum decisionem, primos arma mouisse, vrbes intercepisse, pecuniæ summas non mediocres subditis regijs violenter extorsisse, magnos belli apparatus fecisse. His de causis dici non posse, Regem iniquè agere, si aduigilet, nè quid aut ipse, aut fideles subditi sui, capiant ab hostibus detrimẽti. Ad hæc aduersarij respondebant, Comitia non esse legitima, secundùm sacros Canones non posse res Ecclesiasticas à personis laicis disputari, aut tractari: aliaque multa absurda, suo se iugulantes gladio, spargebant: vt qui laici & profani omnes, nouam religionem instituere sibi fas, ordinique Ecclesiastico veterem suam defendere nefas esse, sustinebant. Intereà dum partes dissidentes scriptis hoc modo contendunt, Hugo-

Bellum Franciců recrudescit.

Catholici se purgãt.

1577 Hugonotarũ principes copias cogunt, seq; ad nouum bellum parant. Rex ad Condæũ mittit legatos, qui declararent, eum iustam causam belli gerẽdi non habere. Varias quoq; legationes ad varios Principes decreuit, quę ostenderent, quàm iustã haberet causam, nouitiã tollendi religionẽ: peterentq;, nè hostibus suis, quos ferro persequi decreuerat, si edicto suo parére nollẽt, auxiliarẽtur. Similes legationes ad Comitẽ Palatinum Ludouicum, eiusq; fratrem Casimirũ, & Hassiæ Lantgrauiũ Guilielmum misit. Casimirus nomine suo & fratris acerbè satis & minacitèr respondit. Lantgrauius modestiùs: causam quidem Reformatorum (vt vocant) exercitiumque vtriusque religionis propugnabat, tamen se ipsis opitulaturum non esse, pollicebatur. Sub istis legationibus Nauarręus Aquitaniam ad bellum armat, & Condæus cum Rupellanis, vicinisque populis, nouam confœderationem contrahit, postquàm iam antè protestationem, contra comitiorum definitionem, publicârat.

Amstelredamenses Auraicum Gubernatorem nõ recipiunt.

Dum Condæus & eius cõplices sese in Regẽ armant in Gallia, Princeps Auraicus Gãdaui nouas Regis excludendi, Religionisq; Catholicę extirpãdæ, machinas meditabatur: misitq; literas ad Status Hollandię, vt Amstelredamenses ad Satisfactionẽ petendam, & suas partes sectandum allicerent. Definitũ enim erat 7. pacificationis articulo, vt Princeps Hollãdiæ, Zelãdię, & diœceseos Vltraiectensis gubernaculũ reciperet, ea lege, vt ciuitatibus, quę hactenùs Regi, sub Catholica religione paruerant, in ijs quæ ab eo peterẽt, tam quo ad Religionẽ, quàm quo ad illarũ priuilegia, satisfaceret. Amstelredamenses, qui incredibili fidelitate, & Regẽ, & Religionem Catholicam propugnabãt, cùm qualem optabant Satisfactionẽ ab Auraico impetrare non possent, vrbem suã, nobilissimũ emporiũ, & ad recuperandam Hollandiã Regi commodum, aduersùs omnes Auraicorũ insidias, alacritèr tuebantur.

Mensis Ianuarij 20. Pacis Gandauẽsis decreta, per Frisiam, territoriumq; Groningẽse promulgãtur: & Comes Renneburgius harũ regionum administrationẽ suscepit.

Iohannis Austriaci in Belgium aduentus.

Iohannes Austriacus, Octauio Gõzaga, alioq; Hispano comitatus ignoto habitu (vt diximus) magnis itineribus per Galliã, vbì Regem prandentẽ vidisse dicebatur, tandèm Romanduorum Augustam, sub finẽ anni precedentis peruenit. Misit istinc, qui Ordinibus significarent, se adesse: ægerrimè ferre casum & direptionem Antuerpianam. Omnium tamen miseriarũ & calamitatum

Bel-

Belgicarum iam finem aduenisse: nihil aut Regi, aut sibi 1577
gratius esse, quàm prosperitatem, felicitatemque Belgij videre. Prouincias hanc habere posse, si æquitatem priuatis quorundam hominum affectibus velint anteferre: si nolint, se non minùs ad bellū, quàm ad pacem missum.

Austriaci cum Belgis pactū.

Ordines ad Austriacum mittunt: petunt, vt si in Gubernatorem acceptari cupiat, Gandaui factam pacificationem approbet. Conuentum est inter Austriacū & Ordines, paucisq; mutatis, quibusdam latiùs expositis, nouam pacis formulam, re, non verbis eandē, XIX. articulis comprehensam, & Perpetuum Edictum appellatam, condiderūt. Quod cùm à Rege, Ordinibus, & Austriaco esset confirmatum, Bruxellis mense Februario, paulò pòst vnionem, inter Ordines & Auraicum factam, proclamatur. Et quoniam articulo XI. istius edicti, Ordines Deum erant hominesque testati, se integrè, incontaminateq; nostram sanctam, Catholicam, Romanam Religionem seruaturos, obedientiamq; Regi non violaturos; Antuerpienses, vt huic articulo satisfacerent, omnes concionatores hæreticos, ad se vocatos, vrbe excedere iusserunt, Iohāne Saligero reclamāte, & dira minitante, quasi indignos se verbo Dei redderent, iramq; Dei in se prouocarent. Faxit Deus, nè reuocando concionatores istos, quàm expellendo, vindictam Dei sibi concitauerint maiorem.

Iohannis Saligeri protestatio.

Vltraiectensiū ciues, ductore Comite Bossuuio, iam beneficio pacis è vinculis libero, adhuc arcē obsidebant, magnā in vrbe cladem ab Hispanis accipientes: qui cùm Austriacū ad pacem & Hispanorū dimissionem propensum cernerent, longaq; obsidione, multis vigilijs, quotidianisq; pugnis penè enecti, vitā, fortunasq; suas pacti, eodem mense Februario arcē ciuibus condonârūt. Et quanuis in Comitis à Bossu verba ciues iurâssēt, & se Regi castrū illud fidelitèr seruaturos & tutaturos esse sanctè promisissēt, tamē aliquot eius moles & ędificia priùs demoliti sunt, q̄ in eorum manus traderetur. Posteà verò furioso quodā & violēto impetu, in sumę ędis Exedrā (quod cathedralis Ecclesiæ Capitulū vocāt) irruperūt, & ab Ordinibus Diœceseos cōgregatis extorserūt, vt quanuis nolētes & inuiti, tormēta bellica, & alia omnia ad arces muniēdas necessaria, eis permitterēt, ex castro in ciuitatem transferēda. quod cùm fecissēt, nō ità diù pòst, arcē ipsam, tantis sumptibus à Carolo V. ędificatā, funditùs euerterunt. Multi insignes & patriæ salutis studiosi viri, ciuium suorum petulantiæ non ignari, arcem non ciuium libidi-

Vltraiectenses castrum deditione occupant.

Vltraiectenses Vredenburch diruunt.

1577 libidini, sed militum patriæ fidei committendam suadebant. ruinam arcis, sinè qua ciues ęgrè in officio contineri possent, iam quasi præuidentes. Sed cùm eorum consilium reijceretur, in spontaneum exilium abire maluerunt, quàm rebellium insolentiæ exponi. Inter quos primus fuit Reuerendus ac nobilis vir D. Ioannes Bruhesius templi Metropolitani Decanus & Ordinum patriæ primus, qui secunda Martij, cùm iam arx ciuium potestati tradita esset, relictis omnibus fortunis, sedeque magnificentissima, Vltraiecto Amorfortiam cōmigrauit. Vbi cùm biennium ferè vixisset, nec ibi ab Vltraiectensium violētia tutus, Embricam profectus, tandèm Coloniam venit, multa pro Religione, multa pro Principe suo passus. Eodem quoquè tempore Groningenses Ordinibus fidelitatis iuramentum præstiterunt: in cuius rei gratiam, ipsi vicissìm Groningensibus concedunt, vt arcem regiam, anno 1570. ædificari cœptam, demolirētur. Paulò pòst Edictum perpetuum Austriaci proclamatur, Byllius que & alij captiui dimissi sunt.

D. Iohannes Bruhesii Decani exilium.

Groningēse castrum diruitur.

Austriacus interim Louanium venit, vbì à multis Comitibus, Baronibus, & nobilibus magnificè excipitur: qui ab ipso vicissìm tam liberalitèr habiti sunt, quàm si nunquàm in Regem peccâssent. immò Hesium ipsum, qui tam grauitèr deliquerat, 2000. ducatorum annuè donauit: conuiuia, ludos, festiuitatesque, tali cum comitate, familiaritate, atque discretione exhibuit, vt omnes in suî desiderium, atque amorem raperet. Liberalis erat in pauperes supra modum, atque erga eos non minori quàm erga diuites affabilitate, benignitate, clementiaque vtebatur; malens prudenter aliquid suæ authoritati derogari, quàm cuiquam crudelis, aut barbari ingenij dare suspicionem. In grauioribus consilijs & actionibus expediendis, tanta vtebatur celeritate, dexteritate, atque prudentia, vt tantas animi dotes admirarentur omnes. Qua gratia omnium oculos, animosque in se conuertit: totusque eum populus, non secùs, quàm Machabæum quendam, cælitùs ad pacem stabiliendam, & Ecclesiam restaurandam, missum suspiciebat.

Austriacus Louaniū venit, eius q; laus.

Inuidebant hunc populi fauorem optimo Principi Auraicus & sui, metuentes se neglectum iri, aut res suas deteriores in posterum fore, si Austriaci virtutes omnibus innotescerent. Curritur itaque ad familiarem veteratoriarum artium officinam, habetur concilium, excogitantur calumniæ, struuntur insidiæ, spargitur in vulgus,

I. Austriaco insidiæ structæ.

gus, Austriacum non tam benè velle Belgis, quàm simu- 1577
labat: inire clandestina fœdera cum externis Principibus, clàm nouos exercitus conscribere, extremam Belgij perniciem moliri: nunquàm Ordines stabilem pacem habituros, priusquàm Austriacum comprehenderent, atque in custodia detinerent. Credebant Delphico suo vati Hollandi, Zelandi, & vicini populi, quibus Austriacus non nisi per nomen innotuerat; Brabantini non æquè.

Non ignorabat hæc Austriacus: vt itaque sinistram suspicionem tolleret, cùm iam 20. Martij, pactus scilicet dies adesset, Philippo Croy cum suis Gallis Belgicis arcem Antuerpianam tradit, Hispanis euocatis. Cui traditioni Sancio Dauila interesse noluit, præuidens quid indè futurum esset: sed negocium Martino del Hoyo, vicario suo commisit, qui Arschottano cum clauibus obuiàm procedens, in arcis ponte, cum Secretario Oscouedo iuramẽtum fidelitatis, pro more, postulauit. Arschottanus autem per Deum, Virginem Mariam, super quatuor S. Euangelia iurauit, se arcem fidelitèr ad vsum Regis Hispan. defensurum, nec cuiquam, præter ipsius Regis personam, aut eius successorem, idque cum eius expresso mandato, patefacturum. Ad quod Oscouedum respõdisse nonnulli scribunt: Si sic feceris, Deus te adiuuet: si alitèr, auferat te Diabolus, non corpus tantùm, sed & animam. acclamatum ab adstantibus, Amen. Deindè apertæ portæ, & pontes dimissi sunt. Arschottano claues traduntur, Galli intromittuntur, Hispani egrediuntur. Dici non potest, quanta tunc Antuerpiæ, vicinisque in locis fuerit communis populi lætitia, quanta vbiquè festiuitas. Sed qui prudentiores erant, quibusque Auraici & quorundam Ordinum consilia perspecta, non magnoperè gestiebant, interrogatique,

Austriacus externos milites è castris oppidisq; euocatos, Belgio excedere iubet.

Bætica gens abijt, cur plores Belgica? respondebant, *dicam:*

A quòd in O non sit litera versa, queror.

Putabant enim, etsi abijsset, tamen non obijsse: fieríque posse, vt si consilia, quæ coquebantur, ad effectum prodirent, gens hæc reuerteretur.

Paulò antè Rex Hispan. aduersa licèt valetudine, ad fratrem scribit, vt quis rerum Belgicarum status sit, nunciare non intermittat. se enim de Belgio valdè solicitum esse. Cui Austriacus statim respondens, inter alia scribit, consultum sibi videri, si se in locum conferat tutiorem, quo commodiùs atque liberiùs res regias posset administrare.

Aliæ insidiæ Austriaco intentatæ.

1577 strare. Dicebatur enim, Austriaco insidias strui à Bonivetio, & Bellingeruillio Gallis, ab Auraico subornatis: easque ab Haueræo & Monducetto Galliæ Regis legato detectas. Harum, aliarumque insidiarum, cùm tot, tantaque indicia essent, vt authores earum meritò examinari potuissent, (quod quidam ex Ordinibus fatebantur) tamen ab ijs nil actum est, atque interpellati, respondebant: hos clientes esse magni cuiusdam Principis vicini, cuius indignationem nollent subire. Eodem penè tempore & Secretarius Oscouedo literas ad Regem scribit binas: in prioribus conquerebatur, Austriacũ in periculo versari: in alijs, Ordines solutionẽ promissę pecuniarum summę differre, libertatẽ suo more viuendi asseruare, spẽ exiguã rerum benè gerendarũ affulgere. Vtrasq; literas ab Auraici fautorib⁹ interceptas, Aldegũdus & Tironius Bruxellas perferebãt. Varius de ijs rumor erat. Auraic⁹ veras Oscouedi esse asseuerabat: cui verò Auraici cognitę erant versutię, hi subornatas esse dicebãt, quô sic Austriaco notam diffidentiæ, aut maleuolentiæ probabiliùs inureret.

Austriacus etsi quasi priuatus negligeretur, nec vt tãtum Principẽ & Gubernatorem decebat, ab Ordinibus haberetur, quanuis multę insidiæ detegerentur, tamen se ea negligere simulauit: nihilque illi prius, nihil erat antiquius, quàm Edicto perpetuo satisfacere: omnibus ex locis Hispanos euocauit, & tandèm etiàm Traiectum ad Mosam Hispanico præsidio denudauit, seseque penitùs dearmauit: vt & captiui vtrinquè dimitterentur, imperauit. Cumque Ordines sexcenta florenorum millia, ad profectionem Hispanorum promissa, soluere non possent, ipse ex suo peculio, summam ingentem ipsis mutuò dedit. Inuitatus tandèm, Louanio Bruxellas venit, Legato Pontificio, Episcopo Leodiensi, & Legato Cæsareo comitatus: quos equites 4000. pedites verò 6000. subsequebantur. ab Ordinum verò principibus, & Magistratu ciuibusque Bruxellensibus magna cum pompa exceptus est, die Maij prima.

Bellũ Gedanense. Stephanus Battor Poloniæ iam, cæterarumque Prouinciarum suarum tranquillum nactus imperium, vnicum Gedanum sibi non potuit subiugare. Est autem Gedanum Prussię ad Vistulam fluuium, Germanię limitem orientalem, ciuitas celeberrima, & Septẽtrionis emporium nobilissimum, à Getis & Danis ædificatum, ab ijsque coniunctim nomen habens: nunc Dantiscum appellant. Huius vrbis incolę, cùm superiori anno in Imperij partes, quàm

partes, quàm alterius magìs propenderent, in electionem 1577
Battoris consentire noluerunt. Cùm autem Senatores mense Septembri à Rege interpellarentur, vt ad coronæ Poloniæ redirent obedientiam, id facere noluerunt, nisì multis ijsque iniquis conditionibus præscriptis. Multa falsa per Germaniam de optimo Rege spargebant, militem colligebant, portas interdiù clausas detinebant, magnamq; petulantiam, ciuium multitudini, vrbisq; firmitati confisi, exercebant. Iritatus Rex, hostes eos declarat: Grebinensem arcem territorij Gedanensis caput, in quam præsidiũ deduxerãt, occupat: præsidiũ cędit, fugatque, & multos pagos Zulęvvallorũ deuastat. Gedanenses accepta hac clade erumpunt, suburbia, pagos & monasteria, inter alia Oliuense Principum Pomeraniæ sepulcris clarum, quæ omnia iuris erãt Episcopi Vladislauiensis, Poloniæ Senatoris, exurunt. Quo facto, legationẽ ad Regẽ mittũt, cum eo pacisci volẽtes. Disceptatũ est mẽse Octobri, Nouẽbri, Decẽbri: actũ nihil. Vltimi legati 25. Ianuarij huius anni, cũ mandatis, à Regia dignitate alienis, venêre. Rex vidẽs se ab eis illudi, Bidgostiæ legatis vltimã suã voluntatẽ scripto porrigit, & sex dierũ deliberationẽ ciuitati largitur. Reuersi ad suos legati, Regis mandata legunt. Duodecimo pòst die ad Regem Rosenbergius veniens, planè à regijs mandatis, quæ tamen omnia pro ęquitate, vrbisq; priuilegijs militabant, aliena reportauit. quibus auditis, Rex colloquiũ abrũpit, indignatusq; ob speciales causas vtrunq; consulẽ in carcerẽ conijcit: Lemkã Iurisconsultũ remittit: Gedanẽses perduellionis damnat: illis omnẽ securitatem, terra mariq; adimit: aqua & igni interdicit: Belli curam Zborouio ordinis senatorij viro demandat.

Gedanenses, quia Battor in Grebino & Zuaua parua pręsidia reliquerat, rati se eos, priusquàm nouæ copiæ ijs iungerentur, obruere posse, 7. Aprilis, ipso Paschatis festo, cum ductore suo Iohãne Coloniẽsi, quẽ magnis stipẽdijs euocârant, omibus ad bellũ necessarijs instructi; magna manu vrbe exeunt, Grebinũ recuperaturi, Dersauiã, Gnieuum, Nouum, Staragardum oppida regia, euersuri. Vix omnes portis exierant, & ecce tanta (Deo prophanati festi, & Regis contẽptûs vindice) exorta est tempestas, tanta ingruebant tonitrua, tantus decidit cum vento imber, vt propugnaculi vnius pars auulsa, equus ductoris fulminis ictu corruerit. Ductor ipse semiuiuus in vrbẽ reductus: duo equi alij in fluuium præcipitati. Reducto igitur in vrbem exercitu, secunda, tertia, & sequentibus ferijs idem ten-

Gedanenses ad bellum se parant.

Nota Dei vindictã.

1577 tentârunt: ſed ab imbribus (Deo ſic diſponente, quod illi veneficijs adſcribebant) ſunt impediti. Inſtructis tandèm duobus nauigijs, impoſitisque militibus, 16. April. ventis ſecundis, flumine Viſtula aduerſo, Derſauiam oppugnatum veniunt: ab altera parte terreſtris exercitus ſubſequebatur. Zborouius horum certior factus, ſuis auxilium ferre maturauit, & 16. Aprilis ad Rokitki caſtrametatus eſt: miſit 60. Tartaros, qui nauibus imminerent, ipſe cum ſuis totam noctem in equis tranſegit. Manè oriente ſole 17. Aprilis, Colonienſis caſtra mouit: cumque hoſtes multis millibus ſe inferiores ſuas copias expectare auſos cernit, conſternatus eſt. Inita pugna leuis fit velitatio, Koſaci Poloni equitibus Germanis inferiores, initiò laborabant: ſed Zborouius eis 20. Vngaros & 50. alios equites ſubmiſit, magnaque animi alacritate aliquandiù pugnatum eſt. Poſteà canitur vtrinquè receptui. Colonienſis ad obſidendum Derſauiam ſe parat. Sepimentum ex lignis facit, in illud ſuos collocat, partem exercitûs, vt Zborouianos à tergo aggrederentur, mittit. ferra diù pugnatum eſt. tandèm Zborouius adductus in ſpem victoriæ, inſigni oratione ſuos alloquitur, vt alij alijs offenſas condonent, Deo animas commendent, opem eius implorent, gloriam morti anteponant, hoſtem non numerent, ſed inuadant, hortatur: finita oratione, omnem equitum, peditumque globum in hoſtem immittit. Haidones (Hungaros eſſe puto) primam impreſſionem faciunt, in eam partem, vbì tormenta erant: ſclopis, ſariſſis, & venabulis obuios quoſque ſternunt: Centuria Struſſij à tergo hoſtem adoritur, magno ſublato clamore timorem incutit: Haidones eorum Dux moribundus monet, vt ſi vincere vellẽt, ſclopetarij ſclopos ſuos abijcerent, acinacibusque cominùs pugnarent. Parent illi monitori, & Germanorum poplites paſsim ſuccidunt. Cæteri haſtis & gladijs nunc pectora tranſuerberant, nunc capita petunt. Vna hora incerto euentu pugnatũ eſt. Vrgẽtibus Polonis ferro, equis, clamore, primores Germanorũ cadunt: tormentis Gedanẽſes ſpoliãtur, & in fugam verſi, aut occidũtur, aut in proximo lacu ſuffocantur. Quidã in Caſſubicis & Pomeranicis abdũt ſe ſyluis, indeq; extracti, interficiuntur. quibus vt parceretur, oranti Zborouio Haidones reſpondent: Si nos hoſti parceremus, ille victor, eodem modo quo nos, nunc in te ſæuijſſet. atque illud dicentes, hos detruncabant, illos mutilabant. Occubuêre in acie 4427. viri, præter eos

Pugna.

Gedanenſes cæduntur.

qui

qui in via & syluis cæsi, & in lacu sunt demersi: ità vt è 1577
14000. Gedanensium pauci subterfugerint. Carnifex oppidanis, lætam victoriam extra vrbem expectantibus, acceptæ cladis nuncius primus in vrbem venit. è Polonis, qui 2027. erant, 58. tantùm pedites, equites 38. cæsi, & 65. læsi sunt. ità vt Rex admiratus, cùm ad pugnæ locum venisset, exclamauerit: *Non nobis Domine, non nobis, sed nomini tuo da gloriam* Zborouius victor vrbem Gedanensem obsedit: oppidani eruptione facta regios adoriuntur, sed cęsis quàm plurimis in vrbem repelluntur. Secundò erumpentes, ducentis è suis amissis, ex hostibus cæsis pluribus, in vrbem alacres reuertuntur. Rex arctissimè portas atque itinera omnia obsedit, nè quid obsessis subuehi posset. Gedanenses rem ad longam obsidionem spectare videntes, se tandèm Regi, acceptis conditionibus dediderunt: I. Vt omnia nomina, quæ fecerat Sigismundus II. dissoluerent. II. vt Regi darent duodecim tormenta bellica, quæ Rex eligere vellet. III. vt certæ cataphractorum equitum turmæ ad Regis denunciationem semper præstò sint. IIII. vt munitionem, quæ fluuium prospiciebat, demolirentur.

Gedanum obsidetur.

Pacis Gedanensis conditiones.

Sed nec Gedanenses, nec ipse Battor, ad tam humiles conditiones descendissent, nisi illos clades Dersauiensis, & Regem Moscus coëgisset. Dum enim in obsidione hac esset Polonus, Moscouiæ Dux etiàm flumine Dina rapidissimo atque latissimo superato, Liuoniam latè vastabat. Quarè Administrator Liuoniæ Ioannes Kotchiewitz, celeribus equis in castra ad Gedanum profectus, cum Rege expostulauit, quòd necessario bello neglecto, minùs necessario se implicaret. Sed Rex eius expostulationem spreuit: Quarè Administrator in Liuoniam reuersus, communem patriæ salutem non esse negligendam ratus, contractis exiguis copijs, Mosco extorsit, quotquot arces expugnârat. Tridam arcem stratagemate, & Vvendam etiàm recuperauit. Est autem Vvenda metropolis Liuoniæ, vrbs munitissima, quā Moscus paulò antè, non tam vi, quàm proditione occupârat: tantamque in illa tyrānidem exercuerat, vt fœminæ correptis prolibus, tormētario puluere seipsas omnes interficere, quàm in illius manus viuæ venire, maluerint.

Moscus Liuoniā vastat.

Vvenda recuperatur.

Dimisso (vt diximus) in Gallia conuentu Blesensi, partes vtriusque religionis arma resumpserunt. Hugonotæ opera Sangelasij Ciureum in Pictonibus oppidulum occupāt, fratrique Seneschallo custodiendum tradūt, qui illud

Bellū Gallicum.

1577 illud paulò pòst Catholicis restituit. Vigna quoq; nobilis quidã Brito, Concarnellũ maritimũ oppidum astu capit, opemq; à Condęo, vt defendere posset, implorat: sed antequàm subsidiũ mitteretur, à regijs est recuperatum. Burdegalẽses, accepto in vrbẽ præsidio, eam aduersùs Hugonotarũ vires muniunt. quod quia inscio Nauarręo vrbis Præfecto fecissent, Nauarræus indignè tulit, illisq; literas aculeatas scribit, subiungens, se in vrbem recipi postulare. illi negocium excusant, Propræfecto sciente id actum esse, & Ammirante iubente, cuius est ius absente Nauarræo, res Aquitaniæ procurandi. Addunt se nondùm paratos ad eum pro dignitate recipiendum.

Condæi & Mirẽbellij contentio.

Mirembellio è comitijs reuerso, maximę à Condęo & suis agũtur gratiæ, quòd Hugonotarũ res defendisset. Condæus illi Broagium restituit. Sed cùm posteà rumor increbresceret, eum cum Lansacco agere, de Broagio Regi vendendo, Condæus astu oppidũ in suam potestatem, excluso Mirembellio, redegit. Doluit Mirembellio, tantam iniuriam, pro tot beneficijs, sibi rependi. Condæus versùs Ligerim castra mouet, ibique varias vrbes, oppida & castra tentat: sed vbiquè cum ignominia repellitur. Interìm Mirembellius Pontibus cohortẽ vnam euocat, opemque Lansacci & Vilacci regiorũ implorat: qui statìm collectis copijs, vnà cum Mirembellio Broacũ contendunt, illud ex inopinato aggressuri. erat enim præcipua Mirembellij possessio. Sed dum cohors Põtibus euocata pugnam detrectaret, eo quòd contra Condæum se militaturam intelligeret, res euentu caruit. Condæus, audito hoc Mirembellij conatu, tam celeritèr aduolat, vt Mirembellius cum suis vix in arcem suam eiusdem nominis se recipere potuerit. Condæus mox Rupella tormenta aduehi iubet, vt arcem euerteret: ita enim in Mirembellium æstuabat, nec ab ipsis Ministris potuit leniri. Antequàm tormenta vento aduerso aduehérentur, obsessi erumpentes, insignem stragem in castris Condæanis ediderunt. Intereà Cœnomanius regij exercitûs antesignanus, Mirembellio opem allaturus, Xanctium venit: quod cùm intellexisset Condæus, obsidionem soluit, exercitusq; sui partem Carentam, partem Marennas, & in proximas insulas, fatali quodam consilio, dimittit: equitatũ in præfecturã Rupellensem ducit. Regij Sansanianũ intercepêre, & Thonã summo impetu adorti reijciuntur. Nauarręus vicissìm Reolam occupat, & ad Marmandam, Fanumque Macarij infelicitèr pugnat.

Magni tunc temporis apparatus Lutetiæ fiebant, ad Carentam expugnandã : cui expeditioni Alēconius præficitur. Omnis Hugonotarũ spes in prẹsidio erat. Sed cùm vrbs oppugnaretur, & præsidij præfectus auxiliũ à Condęo (qui se id mittere nõ posse respõdit) frustrà petijsset, regijs vrbẽ condonauit. Intereà Mõpenserius assiduis de pace persuasionibus Regis animum tandèm expugnauit. Datę sunt vtrinq; à Principibus 15. dierũ induciæ: sed non ità strictè obseruatæ. Sub finem induciarum, regij Mellam in Pictonibus, & Merpinum deditione capiunt. *1577* *Carenta in Regis Galli potestatem redit.* *Mella & Merpinũ capitur.*

Condæi interim exercitus, non minùs in amicos & socios, q̃ in infensissimos hostes deseuiebat: quotidianæ querelæ ad Condæũ adferebãtur, sed ille aut conniuebat, aut remediũ adhibere nõ potuit. Tandèm cùm in Præfectura Rupellẽsi, vicinisq; locis omnia exedisset miles, in Pictorum inferiorem regionem ire cogitur. Cumq; Olonensium portus in conspectu esset, diues & opulentus, in quo tunc temporis multæ stabant naues, frumento, alijsque mercibus onustæ; Moyanæ & Lorgianæ copiæ, nequicquàm reclamantibus Rupellanis, (qui vicinis & amicis bellum inferendum iniquissimum esse dicebant) Condęo conniuente, portum expugnantes, diripuerunt. *Ollonem portũ capiũt Condæani.*

Cœnomanius verò promotis castris, Thonam oppidum, & arcẽ vi expugnauit: Lucassio Tribuno capto, & fugã moliente occiso. Quod cũ audîssent qui Rupeforti erant, relicta arce fugiunt. quam statìm regij occupârunt. Condęani felicẽ Cœnomanij progressum considerãtes, dilabebãtur, & certatìm ad regios deficiebant. Cœnomanius optimo victoriæ cursu vsus, quinque dierum spatio omnes vrbes & arces, quæ ad Carentã fluuium sunt, Regis imperio subiecit. Condęus Insulanis metuens, eos ad commeatum, classemque parandam, hortatur. Rupellenses opem ipsis offerunt. quod dum fit, Cœnomanius numerosissimũ exercitũ (Strozza enim in eius castra paulò antè venerat) Maransiũ, quod Popiliniereus defendebat, ex inopinato ducit. Rupellenses suis subsidium mittunt: sed Cœnomanius, extructo ponte, paludẽ traiecit. quod cùm præsidiarij viderent, tanto terrore correpti sunt, vt nullis monitis, nullis precibus, nullis minis Popilinierei in officio retineri potuerint; sed intempesta nocte, effusa fuga, relicto hosti Maransio, Rupellã peruenerint. Condęus & Rupellenses inexpectato casu consternati, portas fugiẽtibus occludunt. solo Popilinierẹo intromisso, qui se turpitèr relictum à suis conquerebatur. Cœnomanius *Cœnomanij felices victoriæ.*

1577 postquàm intellexit fugitiuis ad vrbem aditum non patere, sequenti nocte partem exercitûs in eos ducit, multisque trucidatis, in conspectu vrbis stetit, oppidanos ad pugnam prouocans: qui erumpẽtes, dum in apertum campum prodire non auderent, leui damno accepto, datoque, in vrbem reuersi sunt. Magno etenim numero exire non audebant, ob dissidium quod in vrbe inter nobilitatem & populares erat, nec alter alteri confideret. Cœnomanius antequàm discederet, tibicinem ad Cōdæum misit, petens, vt in campum prodiret, & cum ipso lanceam, procurrentibus equis, aduerso pectore frangeret: sed Condæus singulare hoc certamen recusauit. Cœnomanius itaque collectis copijs, firmatoque Maransio sufficienti præsidio, exercitum in Pictones reducit. Rupella terra iam vndiquè obsessa.

Cœnomanius Condæum ad duellum prouocat.

Persici apparatus.

In Persia noui apparatus, ad bellum Turcis inferendum, fiebant. Reges enim Persarum, se iura belli contra ingluuiem Ottomannicam habere dicunt, ob ereptam sibi à Turcis Babyloniam, Chilortum, Argas, Adilgæum, Bergerium, Cassanum, Chiesam, Esrunum & Vanum, magnæ dignitatis vrbes. Persæ fœdus iam olim contraxẽre cum Christiano Principe Leuenthbegio, Georgianorum, qui Colchidem, Albaniam & Iberiam incolunt, Duce, qui ad decem millia egregiorum equitum, numerosumque peditatum semper ad nutum in armis habet. His accedebant nonnulli Turcarum principes, in Armeniæ minoris montibus habitantes, & cum Amuratho dissidentes, cum octo equitum millibus. Scythę cùm conditiones fœderis à se Amuratho propositas obtinere non possent, ad Persam quoquè defecerũt. Cudabenches itaque filius Tachmæ, filij Ismaëlis primi, cuius pater Seida Caidar, auos ab Ali, genero Mahometis pseudoprophetę, 990. annorum serie numerabat, Rex Persarum, interfectis fratribus, Sultanos suos conuocat, qui repentè centum peditum millia ad bellum educebant. Amurathus sciens non contemnendas esse Persarum vires, naualem expeditionem in Christianos intermittit, & omnes vires ad fines suos contra Persam tutandos mittit. Sed Scythis & multis Emericæ Turcis deficientibus, & in Persarum castra fugientibus, Cudabenches Turcarum prouincias inuadit, & obuia quæque in suam redigit potestatem.

Georgiani Persis cōfœderati.

Persæ Turcicos fines diripiunt.

Iohannes Austriacus iam omnes copias externas dimiserat, Ordinumque voluntati satisfecerat. Auraicus

verò

vero non tantùm non Anglos, Scotos, Gaſcones ſuos 1577
exauctorauit, ſed & quotidiè collapſa propugnacula per Hollandiam & Zelandiam reſtaurauit. Miſſæ ſunt itaque legationes, quibus Arſchotiæ Dux præerat, ad Auraicum, vt ſe dearmaret, pacisque conditiones ſartas tectas conſeruaret. Negauit ille hoc fieri poſſe, nisi Auſtriacus nouitias arces demoliri mandaret, Buranum Comitem ex Hiſpanijs reuocaret, & Germanum militem ablegaret.

Auſtriaci ad Auraicũ legatio.

Intereà dum Auſtriacus Bruxellis agit, Vicecomes Gandenſis multa nocte eum decumbentem lecto conuenit, eique exponit, nouas inſidias Auraicum ſtruere, & nisi maturè rebus ſuis conſulat, fieri poſſe, vt & ipſe, & tota eius familia, trucidetur. Spreuit hæc Auſtriacus, magnaque patientia & lenitate Bruxellenſium pertulit inſolentiam, donèc tandèm illinc digreſſus, Mechliniam commigraret, tanquàm ad locum rebus gerendis magis idoneum. Accidit autem dum Mechliniæ hæret cum curia Auſtriacus, Miniſtrum quendam Caluinianæ factionis, hominem temerarium, contra pacem Gandenſem & Edictũ perpetuum, in vrbe Catholica, ſuæ hæreſeos publicè venenum diſſeminare: quem Auſtriacus captum iuſſit detruncari, iuxta pacis initæ præſcriptum. quod factum illi apud Geuſios magnam peperit inuidiam, odiumque capitale. Et licèt Auſtriacus populum Mechlinienſem ſibi benigniorem haberet, quotidiè tamen inſidiarum noui rumores adferebantur. Quin & Arſchottanus Dux, deambulanti Auſtriaco ſignificat, tempus eſſe, vt vitæ ſuæ conſulat: ſibi certò conſtare, eum Mechliniæ tutum non eſſe, ſed opportunitates quæri, vt à quibuſdam, qui ſe Antiiohannitas appellabant, quorum primarius erat Auraicus, capiatur, & in vincula conijciatur. Roganti Auſtriaco, quid à capto petere vellent? ait, Religionis libertatem. Quid, inquit, ſi eam illis condonare nollem? reſpõdit Arſchottanus, eam aut concedendam eſſe, aut Suæ Celſ. moriendum. Perpendens ſecum Auſtriacus, quantum intererat Regis & prouinciarũ, ſua vt ſalus ac libertas non periclitetur, tertiam admonitionem non eſſe expectandam arbitrabatur, ſed primo quoque tempore ſeſe ad locum tutiorem & ſecuriorem trãſferre decreuit. Oblata eſt confeſtìm occaſio: Domina enim de Beirna, Princeps Illuſtriſſima, Vendomiorum Dux, Leodium iter inſtituebat, vt aquas Spadani fontis biberet. Hanc, cùm Namurcum perueniſſet, ſalutatum pro-

Inſidiæ detectæ Auſtriaco per Vicecomitem Gandauenſem.

Auſtriacus ſecũdò, vt ſibi caueat, monetur.

Dominæ de Beirnæ in Belgiũ aduentus.

1577 proficiſcitur Auſtriacus, atque Principem prædictam honorificentiſſimè excipit. qua diſcedente, nonnulli ſuadent Auſtriaco, vt Namurci tanquàm loco tutiori maneat, nec propter inſidias latentes in Brabantiam reuertatur. Augebat inſidiarum ſuſpicionem, quòd Egmondanus & Heſius, Auſtriaco inconſulto, militem in agro Namurcenſi conſcriberent, quodque 400. pedites in procinctu eſſent, qui eum captum Vliſſingam abducturi dicebantur. id per literas ei, dum in venatione eſſet, ſignificabatur. Statim itaque Namurcum reuerſus, comitante nobili familia, arcem occupauit: Comes Laleinius ad S. Celſ. literas dedit, cupiens certior ab eo fieri, quandò in Brabantiam redire vellet, ſe ei occurſurum: habere enim quædam non minimi momenti, quæ debeat illi ſignificare. Auſtriacus illi, nihil mali ſuſpicatus, reſpondet, incertum eſſe reditum ſuũ: rogare, vt Comes Namurcum ad ſe veniat. Intellecto Auſtriaci de non breuì reuertendo in Brabantiam animo, milites Ordinũ, qui in Pervveano vico, alijsque locis erant, Namurco vicinis diſperſi, dato ſigno, in Brabantiam reuertuntur.

Auſtriacus arcẽ Namurcẽſem occupat.

Legati ab Ordinibus confeſtìm mittuntur, qui conquerantur, famã ſpargi paſsìm, Ducem Guiſium, & Baronem Billium exercitum corradere, in Belgas ducendum. Negat Auſtriacus, & falsò id Regiæ Maieſt. & Suæ Celſ. impingi, affirmat. Legatoſque Bruxellas ablegat, qui Ordinibus rationem reddant, cur arcem Namurcenſem occupauerat. Ordines, vt in Brabantiam redeat, poſtulant. Auſtriacus, ſe ſalua Regia & Sua dignitate Bruxellis in tuto eſſe non poſſe, reſpondet. Hæc pleraq; ex Apologia, quam Auſtriacus typis excuſam edidit, excerpſimus.

Ordinum poſt Auſtriaci diſceſſum conatus.

Ordines cùm ſe ſpe ſua eluſos viderent, omnes proceres & nobiles, qui Auſtriacum erant ſecuti, reuocant, vrbes paſsìm occupant: in eos, qui à Rege ſtabant, manus inijciunt, in exilium mittunt, bona diripiunt, & inuſitata in eos atrocitate dæſeuiunt. Terlonium arcis Antuerpianæ præfectum capiunt, milites exturbant, præſidiarios Germanos, qui in vrbe erant, eijciunt, apertiquè belli initio menſis Auguſti dant claſſicum. Auſtriacus verò ad ſingulos Ordines literas mittit, quibus ſe purgat à calumniatorum mendacijs, qui eum militem Hiſpanum reuocare, Ordinibusque bellum parare nouum fingebant: affirmatque ſibi nihil antiquius eſſe, quàm pacem Belgij ſartam tectam conſeruare, ſi id liceat, Catholica, Romana Religione & obedientia Suæ Maieſt. ſalua.

Si ſua

Si sua persona Belgis aut inuisa sit, aut suspecta, se datu- *1577*
rum operam promittit, vt alius regiæ stirpis Gubernator constituatur, se non inuitum in Hispanias reuersurum. Nè autem populi facultates penitùs ab insolenti milite consumerentur, petit, vt omnis vtrinquè miles dimittatur: multaque offert animi in subditos beneuoli testimonia.

Intereà dum Antuerpienses in arce sua euertenda occupantur, Ordines ad Regem literas miserunt, quibus sese ab insidijs Austriaco structis purgare volentes, vel inuiti præclaras animi illius dotes prædicârunt: nihilominùs testabantur sese ab Austriaco animis esse alienis, aliumque Gubernatorem regij sanguinis petere, nec quidquam moliri, præter pacis publicæ, salua etiam Catholica Rom. Religione, Suæque Maiest. obedientia, conseruationem. Scriptæ sunt literæ mensis Septembris die octauo. Quàm parùm autē de Religione Catholica fuerint soliciti, vel ex eo patuit, quòd eodem tempore, per literas & legatos suos, Auraicum iuratum religionis hostem & tyrannum, Bruxellas ad concilium suum inuitârunt. Auraicus hanc occasionem minimè sibi negligendam ratus, statìm Antuerpiam aduolat, indè Bruxellas pompa regia deducitur. Quam autem obedientiam Regi præstandam censerent, significârunt, dum Matthiam Austriacum, Maximiliani II. filium, priusquàm Rex respondere potuit, ex Austria euocârunt, inscioque Rege ad Belgij gubernaculum capessendum postulârunt.

Ordines se Regi purgant.

nota bene ...

Ordines Auraicum ad concilium suum euocant.

Magna hoc tempore lis erat de Frisiæ gubernaculo, dū alij Arscotiæ Ducem, alij Comitem à Bossu, ad illud promouere; alij verò Comitē Renneburgium, qui tūc in administratione erat, retinere vellent. Fauebat tunc Renneburgius populariū factioni, & Hispanos vehementer oderat, quas ob causas erat populo gratissimus. Intereà scribit Austriacus ad conciliū Regium in Frisia, Cōsiliariosq; monet, populū in officio retineāt: quod quidē illi, sed frustrà, facere conabātur. Quod cùm intelligeret Reinerus Dekema, qui à Rege stabat, propugnaculum in Oostmahorn, munire cœpit. Frisij Reclamātibus Consiliarijs illud obsederunt, & paulò pòst interueniente Doco Martena, inito pacto, obsidionē inuitis Ordinibus patriæ soluerunt. Intereà Vvibe à Goutū astutis rationibus Matenessio persuaso, clàm arcē Leovvardiēsem ingressus est, quā tamē, postquam ciues ingēti pecunia emunxisset,

Lis de gubernatione Frisiæ.

iterum

1577 iterùm deseruit: & Reinerus Cammigaciuium præsidium postridiè induxit. priùs tamen quàm illi admitterentur, concilio regio fidelitatis iuramentum præstiterunt. Indè Renneburgius Bossuuij ambitionem metuens, milites illius omnes, qui in vrbibus & munitionibus relicti erãt, pacto cũ ijs inito, & stipendij parte numerata, dimisit: in eorumque locum rusticos armauit, magistratus & ministros regios officijs suis deiecit, nouosq; creauit. Paulò pòst antiqua illa simultas, inter vrbẽ Groningensem, eiusq; territorij pagos, atq; oppida vicina, recruduit. Vrbis enim Magistratus, atq; ciues, pactum anno 1482. eum pagis initum seruari oportere sustinebant, Pagi verò negabant: atq; hoc dissidium intestini belli dedit occasionem. Paulò enim pòst pagorum legati à Groningensibus capti, & munitio in Delfzijl inuitis illis disturbata.

Salẽtinus Elector Coloniensis ab Archiepiscopatu discedit.

Salentinus Comes ab Isenburg, Elector Coloniẽsis, cùm decem annis summa cum laude Ecclesiæ præfuisset, & diœcesin à graui, quo premebatur, ęre alieno, penè liberam reddidisset; arces quoquè collapsas per ditiones restaurâsset, multaque egregia & magnifica ædificia diuersis in locis construxisset: conuocatis Ordinibus hoc anno, XIII. Septemb. in pleno conuentu Archiepiscopi & Electoris titulum, honorem, & administrationem deposuit. Nam cùm Isenburgici generis nullus, præter eum, masculus superesset hæres, nè id penitùs extingueretur, animum (nondùm enim sacris erat initiatus) ad matrimonium adiecerat. Hanc ob causam paulò pòst Antoniã Vvilhelmam, Comitis Arenbergij filiã, vxorem duxit.

Broagium obsidetur.

Atque hæc quidem in Belgio gerebantur, dũ in Gallia Catholici de Rupellensibus in ordinem redigendis consilia captabant. Visum est insulas & Broagium expugnare, nè quid commeatûs Rupellam posset aduehi. Lansaccus cũ classe 60. nauiũ missus est, vt oram maritimã, Rupellæ proximam, cum insulis occuparet. Rupellenses, visa classe regia, naues aliquot & ipsi adornant, cui Clarmontium præfecerunt. Lansaccus iuxta Rhetiam insulam in anchoris stans, ab incolis deditionem postulauit: sed quia milites littora tuebantur, nihil impetrauit. Verso itaq; cursu ad Garumnæ fluuij ostium peruenit. Rupellenses rem in celeritate positã esse existimabant, ideoque

Bellũ nauale inter Catholicos & Hugonotas.

confligendum cum Lansacco, priusquam maiori classe augeretur. expectabat enim Lãsaccus triremes, & celsam nauim 1200. culleorum capacem. sed Lansaccus, donèc eę suis coniungerentur, prælium detrectabat. Aucta paulò pòst

pòst regia classe, Rupellenses cõsternati, ideò quòd se im- 1577
pares agnoscerent, in Zelandiam ad Auraicum mittunt, qui tunc nouã classem instruxerat, opem implorãtes: sed quia Auraicus domi nondùm tutus erat, foris bellum gerere non audebat. Cœnomanius interìm nouos apparatus facit, vt Broagium expugnaret. erat in oppido commeatûs copia non magna, & ciuium non occulta dissensio, ob Mirembellum dominum suum eiectum. Condæus id non ignorans, eò proficiscitur, & Mongomerio oppidanis inuiso destituto, Manducagium oppido pręfecit, præsidioque nouis cohortibus adaucto, ipse Rupellam reuersus est. Paulò pòst Cœnomanius cum copijs Broagiũ venit, occupatoque molendino, fossas ad vrbis mœnia ducit, & pluteos erigit, vt tormenta propiùs ad oppidum promoueret. Intereà nunciatum est Rupellensibus, prætoriam nauem in Cantabrico pelago velificare, & triremes regias in Ligeri instructas, in mare venisse, vt se Lãsacco coniungerent. Condæus conscendens nauim cum classe Rupellensium, eas intercipere voluit: sed vt obsessis animum adderet, cùm prope Broagiũ venisset, aliquãdiù ibì substitit. In hac vana interìm viriũ ostentatione, naues regiæ coniunguntur, & Condæi conatus eluditur. Qui in terram descendens, Clarmontio negocium classis mandauit.

Cœnomanius crebro tormẽtorum reboatu Lansacco indicat, vt classem propiùs Broagium admoueret. qui sublatis anchoris, in conspectum Rupellensium venit: ibique iterùm iactis anchoris cõsedit. Clarmontius ei magna celeritate obuiàm aduolat, adeò vt prætoria cum tribus alijs nauibus in sabulum impegerint, vndè tamen, vna excepta, accedente æstu, sunt expeditæ. Aliquot pòst diebus inter vtranque classem, maiori sumptu, quàm damno, certatum est. Clarmontius se nihil proficere vidẽs, aliquot minora nauigia fasciculis, pice, resina, fulsure, & alia materia, quæ facilè flammam corripit, impleuit, & rudentibus inter se alligauit, æstuq; maris, ventique impetu in hostium classem immisit, sperans eam aut incendi, aut perustis rudẽtibus dissipari, & in sabulosum littus illidi posse. Sed nec isto stratagemate quicquam profecit Clarmõtius. Nouæ intereà triremes cõspectæ, quæ Lansacco iungerẽtur. has Clarmontius intercipere conatus, aliquandiù Carentæ fluminis ostiũ obsedit, vt eas ab exitu prohiberet. sed nec illud consilium successit. Indignabãtur Rupellẽses, tantis sumptibus tantoque tempore nihil

1577 hil præclari actum esse. quarè Clarmontius primo æstu accedente, ad regiam classem properauit: Triremes aliquot illi obuiàm procedũt, tantamq́; globorũ procellam in Clarmontij classem effundunt, vt multis occisis, prætoria & Florescente (sic appellabatur secũda post prætoriam) vix salua, ægrè manus Lansacci euaserit.

Ollerẽses ad Regem deficiunt. Ollerenses, intellecta Rupellensiũ clade, sese Regi dedunt, & ab eo præsidiũ accipiunt. Lansaccus non ignorãs hostiũ perturbationẽ, eos insequitur, depressaq́; primùm, & pòst incensa prætoria, Florescente cũ multis alijs nauigijs, naucleris etiàm, epibatis & militibus captis, reliqua classe dissipata, Broagiũ cum maximo triumpho venit. Terra iampridèm obsessis nihil aduehi potuit, classe nũc Rupellensium disiecta, nec è mari commeatus expectabatur. Cœnomanius vrbem arctiùs obsidere, & muros tormentis verberare non destitit. Oppidani tandèm inedia domiti, & metu fracti, cùm hostis quotidiè acriùs instaret, ipsorũ res deterior fieret, iterumq́; Condæus subsidiũ mittere nequicquàm tentâsset, vitã & fortunas pacti, sese Cœnomanio dediderunt. quę deditio Hugonotas, præcipuè Condæũ & Rupellenses, vehementer consternauit. *Broagium in potestatem Regis venit.*

Mompenserius animum Regis solicitare non intermisit, donèc tandèm pacem vtcunquè honestã extorsit: & quantũ ad Religionem, statutũ est, Catholicam, Romanam in omnibus regni prouincijs, vrbibus & locis seruãdam; vbi extincta fuerat, restaurandã: Hugonoticæ exercitium iuxta Catholicam permãsurum, in locis quæ Hugonotis parebant, exceptis ijs, quæ vltimo ab ipsis bello erant intercepta, in cęteris nõ item. liberũ tamen ijs esse, habitare vbicunquè velint, sinè exercitio: nec ad aliquid contra cõscientiam cogendos: ritusq́; Ecclesię Catholicę in consanguinitatis gradibus & matrimonijs obseruãdos esse. Quæ pax sub finẽ Septembris, à Condęo, omnibusq́; suę opinionis hominibus, rebus suis planè deploratis, etsi dura, tamen lætãter accepta est, dũ nec Anglię Regina petitam pecuniã, nec Auraicus classem mitteret. Auraicus enim suũ imperium stabiliendũ ante omnia censuit. 60. naues ad classicos apparat[9] habebat instructas, & pedestrẽ exercitũ conscripsit, Comitiq́; Holachio ducendũ tradidit. Bruxellã profectus, magnificẽtissima põpa except[9] est. *Pax in Gallia.* *Auraicus se armat.*

Austriacus etsi indignissimè ferret Auraicũ concilio Ordinũ intromitti, tamen pacẽ non esse violandã duxit: quod & Rex per literas ei mãdauit, modò Ordines ipsi in Religione Catholica, & obedictia regia permanerẽt; Auraicum

1577

raicum ad cōſilia ſua non admitterent, Amſtelredamenſes non vexarent, populū dearmarent &c. Multis literis docuit Regē Auſtriacus, nihil horū Ordinibus eſſe cordi; bello, nō pace, ſeueritate, nō clementia opùs eſſe, ſi in ordinē ſint redigēdi. Harū literarū quædam interceptæ, typis excuſæ, & in vulgus diſperſæ ſunt, vt tyrannidē Auſtriaci populo perſuaderent. Rex Auſtriaco benignè ſempèr reſpondit: ſe noſſe Belgarū ſynceritatē, nolle Auſtriacū nomē ſibi glorioſum ſanguine ſuorū ſubditorū parare, id in hoſtibus, in Mauris, Turcis & infidelibus debellādis eſſe quęrendū: non dubitare ſe, quin Ordines pollicitationibus ſuis eſſent ſatisfacturi. Has literas, etſi interdū nōnullę interciperētur, ſuppreſſerūt, nè populo Regis clemētia, atq; in ſuos beneuolētiſſim⁹ affectus, innoteſceret.

Auſtriacus Regi perſcribit Ordinū perfidiam.

Fama iā frequēs erat in Belgio, Hiſpanos ex Italia reuocatos, & maximos fieri ab Auſtriaco belli apparatus. Ordines itaq;, vt Principibus Chriſtianis, iuſtas belli gerēdi cauſas oſtēderent, Gallicā edunt apologiā, in qua Auſtriacū multis argumētis criminantur, tanquàm violatæ pacis authorem. Auſtriacus cōtrà, literis ad eos miſſis, ab obiectis calūnijs ſeſe defendit, & Namurco Auguſtā Romanduorū proficiſcitur, noua Regis mādata expectatur⁹.

Ordinum apologia.

Menſe deincèps Octobri, Ordines, cùm aliquādiù Bredanū oppidum, quod Fronsbergeri miles adhuc tuebatur, obſediſſent, deditione tādèm receperūt. quo tēpore Principem Auraicū Rovvardū, id eſt, tempore interregni Ducem Brabantiæ, creârunt. cui creationi cùm Dux Arſcottanus, Flandriæ tunc gubernator, multiq; alij Nobiles & Eccleſiaſtici, inter quos Iperenſis & Brugēſis Epiſcopi, reclamarēt, Gandaui capti ſunt. Ijs in cuſtodiam abductis, Princeps Auraicus Gandauū venit: vbì honorificè excipitur, corde aureo, adaperto, cui SYNCERITAS erat inſculptum, donatur: & Iudas (pro Iſchariote) Machabæus publica comœdia ſalutatur.

Bredæ oppidum capitur.

Auraicus fit Rovvardus Brabantiæ.

Matthias Archidux Auſtrię, 20. circitèr annos natus, poſtquā 3. Octob. Viēna, inſcio fratre Imperatore, diſceſſerat, tandē Lirā, indè Antuerpiā venit, & certis cōditionibus Gubernator generalis Belgij, magno cū triumpho, multiſq; ſpectaculis exhibitis, inauguratur. ridente clanculùm Auraico, & ſibi gratulāte, quòd clientē nactus eſſet, ſub cuius tutelæ prætextu ipſe ſuas nūdinationes poſſet exercere. Cæſar literis ad Ioan. Auſtriacū datis, oſtendit, quòd irato ferret ſtomacho fratris diſceſſum, quantūque apud Principes Imperij laborauerit, vt in itinere interceptus, ad ſe reduceretur. Vnde-

Matthias Archidux Auſtriæ in Belgiū venit.

1578 Cometa. Vndecima mensis Nouemb. hora post meridiem 6. Cometes longè lateq; accensus, visu horrendus apparuit, multisque post septimanis lucens, Belgis fatale malum minitabatur.

Geusij Amstelredamũ per insidias ingressi, acceptæ clade reijciũtur. Amstelredamenses adhuc in fide Regis, eiusq; obedientia permanentes, comprouincialium suorum conatus improbabant: Regem legitimum suũ Comitem, Austriacum Gubernatorẽ agnoscebant: Matthię imperiũ, & Auraici impotentem dominationẽ repudiabant: Catholicã religionem incontaminatã seruabant. Quamobrẽm digna atq; indigna ab Auraico & suis complicibus patiebãtur. Tandem 23. Nouemb. chiliarcha Helling & capitaneus Ruich-hauer per insidias, cum aliquot militibus vrbem ingressi, cæsis in porta excubitoribus, ad forum procurrunt, obuios quosque occidunt, Senatoriã domum occupare tentant, vrbemq; suam esse vociferãtur. Ciues attoniti confestim ad arma ruunt: fit atrox multis in locis pugna. succedunt nouæ hostiũ copiæ; ciues in eos impetũ facere, retardare, in fugã vertere; hostes audaciùs resistere, munitiones ligneas extruere, in ciues glandiũ imbrẽ effundere, multi vtrinq; cadere. Sed cùm iniuria vẽti expectatæ vires tardiùs aduentarẽt, post aliquot horarum pugnã, Geusij vrbe eiecti, in naues, vtroq; Capitaneo interfecto, multisq; suorũ desideratis, se turpitèr receperũt.

Gebhard⁹ Truchsesius fit Elector Coloniensis. Mensis porrò Decembris quinto, Canonici Ecclesiæ metropolitanæ Coloniensis, vt nouum crearent Archiepiscopum, cõgregati; Gebhardum Truchsesium, pestem suæ diœceseos, & titionẽ elegerunt. Qui cùm omnes animi dotes, quæ in principe viro requiri possent, haberet, eã foris præ se modestiam & pietatẽ ferebat, vt oculos omnium perstringeret, & maximã de se expectationẽ præberet. Quo fuco deceptis suis electoribus, cùm Illustrissimo Duci Bauarię Ernesto palmã preripuisset, & à Põtifice confirmatus esset, paulatìm venenũ, quod in animo latebat, deprõpsit, & tãdèm, insano Agnetis Mãsfeldicę amore correptus, simul effudit. Qua de re suo loco dicemus.

ANNO 1578. Cometa, cuius suprà mentionem fecimus, ferale suum virus disseminare cœpit. Nouum enim & fatale bellum, non clàm, sed apertum, inter Regem & subditos Belgij iam gerebatur. Ordines Namurcum & Ruræmundam arcta obsidione premebant, & à vicinis circunquaquè Principibus maiores copias, iustas belli rationes proponentes, impetrabant. Au-

Namurcũ obsessum.

striacus

ſtriacus quoquè Hiſpanos iam reuocârat, & vt ſumma 1578
cum celeritate iter maturarent, inſtabat. nouas quoquè Sequanorum, Gallorum, Italorum, Germanorumque copias collegit, magniſque itineribus ad ſe in caſtra venire iuſſit.

Intereà Ordines Auraicum, Matthiæ Vicarium, in gubernatione Belgij, creant. Vtrunque Bruxellam vocant, in conditiones à ſe Auraici auſpicijs conceptas iurare faciunt, & poſtridiè ſplendidis epulis, ſumma feſtiuitate, magniſque lætitiæ ſignis excipiunt. Angliæ regina non contemnenda Belgis mittit auxilia: & Auraicus omnes Hollandiæ, Zelandiæque munitiones recognoſcere, & ſi quid collapſum erat, iubet reſtaurare. Ad oppidum quoquè Namurcenſe ſæpè leuibus prælijs pugnatum eſt, victoria nunc in hanc, nunc in illam partem inclinante. cecidit in his Barlemontius, & plures Hiſpani.

Auraicus Archiducis Matthiæ Vicarius.

Non latebat Auſtriacum, vires Belgarum quotidiè accreſcere: maturandum itaque prælium eſſe ratus, copias vndiquè cogit. Hiſpani in caſtra iam redierant: Princeps Parmenſis cum ſuis Italis erat in procinctu: Pontifex & Hiſp. Rex omnem ſuam operam pollicebantur. Habito delectu, vt humanitate & æquitate priùs, quàm bello, rem tentaret Auſtriacus, Marchiæ in Faminia publico Edicto Belgas adhuc ad obedientiam reuocat. ſi venerint, omnem beneuolentiam illis offert: ſin minùs, belli incommoda, non ſibi, ſed ipſis imputanda proteſtatur: ſimulque Dominum de Hirges cum expedito exercitu mittit, vt Polevvilerum, & obſeſſos Ruræmundenſes, liberet. quod ille citiùs fecit, quàm aduenire in caſtris Ordinum nunciaretur. Qui in obſidione erant, ad hoſtis conſpectum omnibus tormentis atque impedimentis relictis, ſeſe in fugam coniecerunt.

Auſtriacus nouas copias accipit.

Ruræmunda obſidione liberatur.

Auſtriacus interim, tentato Moſæ fluminis vado, exercitum traducit. Erant in eius caſtris variarum nationum peditum millia ſedecim, equitum verò duo. Ordinum exercitus 56. vexillis peditum, quatuor cataphractorum equitum, 400. ferreolis, & duabus cohortibus ſclopetariorum equitũ conſtabat, qui Goignyo, Villæo, Hauereo, & Laleinio parebant. Premiſſis aliquot equitum turmis Auſtraicus, quid in caſtris Ordinum ageretur, iubet explorari, ipſe cum Parmenſi ſubſequitur. cognitum eſt ex captiuis, hoſtem caſtra mouere, & ſe in tutum recipere decreuiſſe. Miſit itaque Auſtriacus ante ſolem exortum, Hernandum Acoſtenſem, Antonium Oliueram,

Auſtriacus Moſam traijcit.

1578 & alios nonnullos, qui vias, quâ ituri essent hostes, lustrarent, diuisoque equitatu peditatuque in tres globos, ipse nemus propinquum, cum reliquo equitatu, peditatuque ingreditur, vt terga tueretur.

Ordines ad Namur cum cædũtur. Manè succẽsis castris Ordines sese mouent: præmittunt pedites, equites subsequuntur. Cùm verò in Octauium Gonzagam incidissent, cœptum est prælium leue initio, sed increscente paulatim, nouis ab Austriaco turmis submissis. Parmensis cùm Gonzagam & Mondragonium eò processisse cerneret, vt sinè periculo pedẽ retrahere non possent, ipse cum equitatu Barnardini Mendocij, Curtij, Martinengi, Fernandi Toletani, Camilli, & Ioannis Baptistæ Montiorum, Alõsi Varge, Georgij Macutæ, Antonij Auilæ, Ascotensis, Oliueræ, Falconeti, custodijsq; Austriaci aduolat, & tanta contentione in equitatum hostilem irruit, vt vim eius sustinere hostes non possent. turbato itaque agmine fugientes, peditatum suum citatis equis perrumpunt, ordines interrumpunt, & socios equinis vngulis conculcant. Cæsa sunt (vt quidam scribunt) hoc prælio à duobus tantùm equitum regiorum millibus, 10000. pedites, equites non pauci. Captus dominus Goignyus, & in gratiam receptus. capti 600. milites Belgæ, qui Namurcum ducti, extemplò suspendio necantur, eò quòd ipsi paulò antè captis Austriaci militibus, nares, aures, ac digitos præcidissent, immaniq́ue in eos crudelitate desæuijssent. Venerunt quoquè in manus Austriaci 30. vexilla peditum, & 4. equitum, cum tormentis campestribus, alioq́ue apparatu non contemnendo.

Gemblacũ capit Austriacus. Parta hac victoria, Austriacus hostem, qui se ad oppidum Gemblacense receperat, insequi iubet: vbì prælio redintegrato, superati tãdèm qui Ordinibus militabant, effusa fuga Bruxellam versùs properârunt, regijs eos insequentibus, & passìm trucidãtibus, donèc profunda nox eos, qui supererant, ex hostium conspectu exemerit. Desiderati sunt (vt quidam scribunt) vtroque hoc prælio ex Austriacis tantùm decem. Austriacus interim Gemblacense oppidum deditione capit: in quo multa tormenta bellica, commeatus in multos menses, omnisq́ue apparatus bellicus inuentus est. erat enim oppidum hoc, vt Namurco vicinum, ab Ordinibus electum, vt eorũ esset & penus & armamentarium. Acta sunt hæc 31. Ianuarij, 1. & 2. Februarij. Curia quæ Bruxellis erat, cum Matthia Archiduce, Auraico, cęterisq; aulicis, omnibus cõuasatis, audito

audito nouo infortunio, sese Antuerpiam transfert. 1578

Ad hanc Austriaci victoriã consternatis Belgarum animis, Louanium, Arschotum, Diesthemum, Thenæ, & Levven oppida Brabantiæ, confestim se Regis fidei commiserunt, eius præsidia accipientes. Sichemenses cæteris peruicaciores, obsidionem expectant: in quos Hispani expugnato oppidulo insigne temeritatis exemplũ statuerũt. *Oppida quæ se Austriaco dederunt.*

De nouo tumultu Groningensium, contra circuniacentes pagos, quorum legatos captiuos detinebant, diximus antè. Quarè ijdẽ pagi in Vvinsum noua comitia indixerũt, & pòst multas disceptationes, Bartholdo Entio authoritatẽ & mandatũ dedêre, duodecim peditum signa conscribẽdi. Quod cùm ille fecisset, Groningam contendens, primùm in Velua cæditur ab Hegemanno. Deindè à Zuollensibus ei transitus negatur: causa erat, quia Entius nullum mandatum ab Ordinibus haberet, militem colligendi: paruis tamen copijs in territorium Groningense traductis, monasteriũ Asch inuadit, illudq; munit. Sed Groningenses sub centurionibus Vinkenburgio & Suartzio eruptione facta, monasteriũ capiunt, milites cędunt, capiuntque: Entiũ fugientẽ insequuntur, & in Coeuerden capiunt, cæterosq; centuriones, qui cum eo erant. *Bellum intestinum Groningense.*

Porrò cùm fama de victoria Austriaci ad Namurcum, in Frisiam esset perlata, Renneburgius, qui in disponendo præsidio arcis Harlingensis, contra P. Sickingam ab Archotio præfectum arcis creatũ, occupabatur, Consiliarios, Regisque ministros Leovvardiæ comprẹhẽdit, & in eorum locum Eisingam, Raldam, Steueren, & istius farinæ homines alios surrogauit. Deindè & Episcopum Petrum Cunerum, virum eruditum, grauem & pium, capi iubet: sed ille nefariorũ hominum manibus elapsus, Coloniam venit: vbi cum Academiam restaurâsset, piè in Domino obdormiuit. *Consiliarios Regis Leovvardiæ cũ Episcopo capit Renneburg.*

Adhuc Amstelredamenses in obedientia Regis persistebant. Consul eorũ Petrus Petri apud Austriacum diù multumq; intercedebat, vt subsidiũ ipsis mitteretur. Austriacus literis obsessos cõsolabatur, viã tamen modumq; illis succurrẽdi nõ inuenit. Sed & arctissimè terra mariq; itinera ab Auraico intercludebantur, vt nihil oppidanis cõmeatûs aduehi posset. Cùm itaq; multũ solicitarẽtur, & rerũ necessariarũ copia deficere inciperet, magistratus inter se ciuesq; dissentire clãculùm cœpêre: his pacẽ petẽdã esse suadentibus, illis verò reclamãtibus. Vicit opinio illorum qui pacem desiderabant. mittuntur Consules & *Amstelredamũ venit in potestatem Geusiorũ.*

1578 Senatores in Hagam Comitis qui conditiones pacifcerentur. Diù multumque deliberatum, licitatum, oblatum, repudiatum est, antequàm partes inter se potuerint conuenire. Tandèm inuentum est medium, atque Amstelredamenses vtcunquè voto & religioni suæ accommodatam pacem acceperunt, si apud aduersarios fides atque integritas fuisset. Vt autem, quod pactum erat, ratum esset, facta sunt publica instrumenta, ea ab Archiduce Matthia, & Principe Auraico sigillis muniuntur. Ordines quoquè Hollandiæ, Zelandiæ, atque Vltraiectensis diœceseos, tanquàm fideiussores sua sigilla adiungunt: quam autem huic hominum generi fides, religio, iuramentum, acta publica, subsignationes & sigilla sint sancta, paulò pòst Amstelredamenses suo malo didicerunt, vt in sequentibus ostendemus. Illi tamen sua synceritate Ordinum fidem dimetientes, exules in vrbem recipiunt, Auraico tanquàm gubernatori iuramentum præstant: singulisque reconciliationis capitibus satisfaciunt, multis id ægrè ferentibus, & quosdam non sinè proditionis nota sugillantibus. atque hoc modo nobilissimum emporium mensis Feb. die 5. in manus hæreticorum, rebelliumque peruenit. Postridiè Niuellam Austriacus capit, partamque victoriam, nouis quotidiè auspicijs reddit illustriorem.

Literæ Philippi Regis ad Ordines.

Sub finem anni præcedentis ad literas Ordinum responderat Rex Hisp. Philippus: sibi, si Ordines in Catholica religione permaneant, Suæque Maiestati debitam obedientiam præstent, satisfactum: de cæteris nullam inter ipsos & S. Maiest. fore quæstionem. Has literas Domino de Selles in Belgium dederat perferendas, cum additamento, cætera Ordines, ex ijs quæ idem Dominus in mandatis habebat, intellecturos. Sub hoc itaque tempus inter Ordines & Dominum de Selles de pace agi cœpit componenda. Sed post multas disceptationes, absque vllo fructu colloquium est diremptum. Quid autem actum esset, Ordines per literas Regi nunciârunt.

Mechliniensium animi de præsidio recipiendo dissentiebant. quod cùm Auraico indicatum esset, Bossuum eò mittit, qui vafra quadam industria, clàm milites in vrbem introduxit, forumque occupauit, donèc Antuerpienses maius præsidium submitterent. Post horas duas Hispani, intellecta in vrbe contentione, eò cum copijs aliquot contendunt: sed cùm præsidium admissum cognouissent, ad suos reuersi sunt. Lirése quoquè oppidum firmo

firmo satis præsidio Belgæ muniêrunt: & quia miles pecuniaque deesset, Haueræus ad Angliæ Reginam missus erat, eius opem imploraturus; vt vel nunc tandem laboranti Belgio, contra Hispanorum immanem crudelitatem, opem non denegaret. Philippum Marnixium ad Principes Germaniæ, & Aluarum Pereram in Hispanias ad Regem quoquè ablegauerunt. 1578

Austriacus interim exercitum in tres turmas diuidit; vnam sub Principe Parmensi Limburgum misit, alteram sub Octauio Gonzaga Niuellam, cum tertia ipse Namurcum proficiscitur. Paulò pòst Soigny & Engiam in fidem regiam recepit. Eodem tempore, qui in præsidio Traiectensi erant, de Hesio vrbis præfecto capiendo, & vrbe Austriaco condonanda, consilium inibant: sed coniuratione detecta in authores animaduersum est. Intereà Dominus de la Motte ab Ordinibus deficiens, Greuelingam oppidum paruum, sed totius penè Flandriæ munitissimum, clade Gallorum nobile, ad mare Britannicum, haud procùl ab Iccio portu situm, astu occupauit: & paulò pòst Regi reconciliatus, egregiam in hoc bello operam nauauit. Auraicus iam sese Ordines satis superque dementâsse ratus, suumque imperium satis stabiliuisse, sceleratas machinationes comminiscitur, quibus paulatim Catholicam religionem exscindere, suosque errores introducere posset. Visum est initiò ad iuramentum Catholicos, & præcipuè Ecclesiasticos compellere, vt Austriacum hostem iurarent. Propositum est hoc iuramentum Patribus Societatis Iesu, & Franciscanis in vrbe Antuerpiensi: qui post maturam deliberationem, responderunt; se Pontifici obstrictos teneri; eius hostes, suos esse, eius amicos, hos & suos: Pontificem autem non Austriacum, quē milite & pecunia iuuabat, sed Auraicum hostem habere. proindè hoc iuramentum suæ professioni non conuenire. A quo proposito cùm nec intercessione Abbatum, Nobilium, aut Magistratûs abduci possent, ipso Pentecostes à signo peditum, nè ab externo milite (qui eos per triduum ad supplicium poposcerat) in itinere occiderentur, ad Scaldim deducti, & naui impositi, Mechliniam, atque indè Louanium, sub fide publica proficiscuntur.

Greuelingam capit Mottæus.

Antuerpienses cogunt Iesuitas & Frăciscanos ad iuramentū.

Fœdius adhuc & proteruius Vltraiectensium facinus, qui 15. Aprilis, indicta causa, ornatissimos, consultissimosque viros, Susium Hollandiæ præsidem, Ratingium, Grisperum, & Ioannem Lentium, Vltraiectensis curiæ

Catholici qui Vltraiecto eijciuntur.

1578 curiæ Consiliarios; Fredericum Vtenhammium Nobilem, D. Voeselium Decanum S. Petri, illorum per quinquennium in Hisp. legatum, Bartholomæum Goussæum, V vikerstotium Canonicos D. Mariæ, & M. Euerardum Molengrauium ecclesię ciuilis pastorem, eijcientes, vrbe interdixerunt. Vt autem populo, id ægrè ferenti, satisfacerent, insulsus quidam asinus anonymus, scriptum edidit, quo eas causas referebat, quæ ab omnibus meritò ridebantur: dignus ipse qui pileo, quod Geusijs vitio datum conqueritur, insignitus, auriculis etiàm & nolis ornatus, in proscenio illudendus omnibus propinaretur.

Philippopolus capitur. Obsidebat intereà Austriacus Philippopolim, quę vulgò Philippi villa dicitur, oppidulũ munitissimũ, in finibus Hannoniæ. quod à Florinæo Eburone defendebatur. Sed annona tandèm cõpressi pręsidiarij, cùm Ordines per Rossellium frustrà commeatum importare tentâssent, sese Austriaco dederunt. *Billij reditus ex Hispania.* Quo tempore Dominus Billius ex Hispanijs redijt Namurcum, nuncians in Hispania singulis mensibus trecenta coronatorum millia esse decreta, ad hoc bellum continuandum; Regemque totum in hoc propendére, vt tumultus Belgicos, si non pace, bello atque armis tandèm componat.

Nascitur circa idem tempus in Hispania Philippo Regi, ex Anna Austriaca cõiuge, filius, quem Vencessaus Cæsaris frater è sacro fonte suscepit.

Catholici eijciuntur in exiliũ. Auraicus verò & sui cõplices, per omnes passìm ciuitates primùm Franciscanos, aliosq; mendicantium Ordinũ Religiosos, deindè etiã Pastores, Cõsiliarios, Nobiles, Magistratus, & quotquot suo minùs fauebant instituto, indicta causa, aut armata manu in exiliũ eijciebant, aut missis libellis, vrbibus spontè excedere mandabant.

Limburgũ recuperat Austriacus. Regij intereà obsessum aliquandiù Limburgum ciuitatem, totumque Ducatum, & cætera Transmosana dominia, partìm armata manu, vt Dalen; partìm deditione recuperabant: & frendentibus nequicquàm Hæreticis, magnis fortunæ fauoribus, belliqúe successibus vtebantur.

Moscus Liuonibus minatur. Atq; hæc agebantur in Belgio, cùm nouæ interìm trepidationes in Polonia exorirẽtur. Magnus enim Moscouię Dux, cùm nõdùm irã decoquere posset, ex eo conceptã, quòd in petitione regni Polonici spretus esset, quotidianis excursionibus Liuoniã infestabat, calamitatum plenis. Sed & frequens rumor erat, Moscum Scytharum principes solicitâsse, vt coniunctis viribus Liuoniam expugna-

pugnarent: cum in finẽ Scytharum triginta millia iam conuenisse. Quarè legationibus Liuonũ permotus Rex, comitia bellica Varsouiã indicit, vbì de Liuonia defendenda, copijsq; militaribus conscribendis actũ est, priusquàm Scytharũ vires appropinquarent: niues enim densissimę impediebant, quo minùs suis finibus exire possent. 1578 *Comitia Varsouiæ.*

In superiori Mysia quoquè tumultuatũ est. Scander & Bogdanus fratres erãt, Mysię Despotæ. Scãdero principatus iure cõpetebat, Bogdanus tamen initiò cum fratre de eo contendebat: at posteà captus Hierapoli est asseruatus. Scãder custodes corporis sui Turcas delegerat: sed cùm illi insolétiores essent, quàm vt à populo, vel ipso Despota ferri possent, dimissi sunt. Indignè ferebant hoc Turcę, & querelas, occusationesq; varias apud Imperatorem de Scandero instituebant. Quod cùm in vinculis nũciatum esset Bogdano, is hanc opportunitatem non negligẽdam sibi ratus, varijs muneribus animos Turcarum solicitauit, vt eiecto fratre, ipse in Despotian admitteretur. Scander cùm Turcarum, fratrisque machinationes intellexisset, ad Amurathen proficiscitur, partìm vt se purgaret, partìm vt muneribus cum fratre contenderet. Cumq; ad suburbia Byzãtina venisset, pręmisit qui munera cũ tympanorũ pulsu ad Imperatorẽ deferrent: sed Turcę obuiam miserunt, qui tympana fregerũt, munera diripuerũt, ipsumque Scanderum captiuum Byzantiũ adduxerunt. Bogdanus extemplò libertate donatus, & in Mysiæ præfecturã missus est. Sed quia multi proceres iniuriã hanc grauitèr accipiebãt, parùm aberat, quin res ad ciuiles discordias deuenisset. Intereà Mustapha purpuratus, metuẽs Regis Catholici classem, & Persicos apparatus, cũ Hispanis de inducijs agere cœpit, quę res Persarũ animos nonnihil labefactauit, eo quòd crederent Regem, Belgicis tumultibus defatigatum, has inducias non repudiaturum. *Scanderi & Bogdani Mysiæ Principiũ controuersia.*

Vigesimotertio Maij, pius atque eruditus Laurentius Surius, Carthusianus, in cuius hìc laboribus continuandis desudamus, cùm diuina illa de Sanctorum vitis volumina absoluisset, lenissima morte in Domino obdormiuit. Patria Lubecensis erat, inter hæreticos natus & educatus: de quo tamen dici potest, quod olìm de Malachia dixit Diuus Bernardus, quòd nihil magìs de hæresi contraxerat, quàm pisces de sale marino. Quantos labores in veterũ Conciliorum decretis, & Patrum scriptis emendandis, recudendisque, & in lucẽ proferẽdis exãtlauerit, frequentissima ab eo relicta monimenta testantur. *F. Laurẽtij Surij mors.*

1578 Dauentria & Campi in Transiselania adhuc in officio Regis, propter præsidia quæ in ijs erant, manebant. Quarè Transiselani Renneburgium vocant, petuntque vt ipse gubernaculum ditionis arripiat, easque ciuitates ad obedientiam Ordinum compellat. quod ille non inuitus fecit. Mittit itaque Hegemannum, hominem quendam obscurum, Harderuicæ natum, sed bello notum, qui Campensibus insidias strueret. quæ cùm detectæ essent, obsidionem aperto Marte auspicatur. Hagam suburbium inuadit. Sed qui in vrbe erant erumpentes, acerrimè cum ipso dimicârunt, multosque trucidârunt: adeò vt Hegemannus, quo periculum euaderet, suburbium incendere sit coactus, & Germanos igne à suo capite propulsare. Posteà Renneburgius Campos veniens, ad Brunopium, virginum monasterium, castrametatur. Paulò pòst venit Vlietius, Snoius, Vvingardus, & Dunéuoortius, qui suis vexillis Renneburgij castra auxerunt. Præsidiarij frequentes eruptiones fecêre, & multi vtrinque ceciderunt.

Campi obsidentur.

Suollani, qui initiò in admittenda Renneburgij gubernatione tergiuersabantur, tandèm certis cum eo conditionibus conuenerunt. Deindè conuentus Zutphaniæ habitus est, cui & Transiselani interfuêre. Definitum est in hoc conuentu, obsidionem Camporum & Dauentriæ communibus Geldrorum, Zutphaniensium, & Transiselanorum sumptibus faciendam esse.

Cõuentus Zutphaniensis.

Mense Iunio, cùm Amsteltedami alta pax esset, & summa vt putabatur ciuium concordia, Geusij clàm introductis multis suæ factionis hominibus nequissimis, Catholicos ex improuiso adoriuntur: in Minoritarum cœnobiuum irruunt, Monachos (quibusdam vulneratis, alijs grauitèr pulsatis) vrbe eijciunt: Magistratum, optimatesque Catholicos, cum furore arreptos, ad mare trahunt, in naues coniectos exportari iubent, nulla honestate, pietate aut veneranda illorum canitie moti. Non effugere illorum truculentas manus potuit D. Martinus Dunkanus, Hagę Comitis Decanus, Amstelredamẽsium pastor, vir octogenarius, in sacris & prophanis scientijs doctissimus: sed & ille cum cæteris exterminatur. Indè cum impetu in reliqua monasteria, templa, sacella, locaque alia sacra phanatico spiritu acti feruntur: Altaria exscindunt, Sanctorum imagines deijciunt, frangunt, exurunt. Sacram supellectilem diripiunt: Sacramenta polluunt, in Deum impij, in homines scelerati, in proprium iura-

Insignis perfidia Geusiorũ Amstelredamensiũ.

iuramentum, & conſcientiam periuri. Aequis hæc oculis intuebatur Auraicus, cæteriq́ue qui pactum Amſtelredamenſium ſubſignârant, & ſigillis ſuis, dignis quæ cataſtæ affigerentur, confirmârant: æquis oculis hanc perfidiam intuebantur, qui fidem ſuam interpoſuerant, Vltraiectenſes. 1578

Quomodò Muleius Mahametus, Feſſæ & Maroci Rex, regno à fratre Abdelmelecho ſit expulſus, & in iuga Clarij vel Atlantis montis ſeſe receperit, diximus anteà. Cùm verò ſeptem aut octo menſium ſpatio, in hoc monte cum ſuis prædonibus, latrocinio atque rapina loca viciniora infeſtâſſet, Abdelmelechus Muleiũ Hametum fratrem iuniorem contra illum cum expedita militum manu miſit, omneſque copias Mahameti deleuit, ipſo vix pugnæ elapſo, annumq́ue integrum denſiſſimis teſquis latitante. Frigore tandèm, niuibuſque tantùm nõ enectus, Mahametus legatos ad Sebaſtianum Luſitaniæ Regem miſit, opem eius (antè bìs oblatam, ſed contemptam) vltrò implorauit. Sebaſtianus iuuenis belligerandi in Mauros percupidus, accepta Muleij legatione, gauiſus eſt, & diſſuadente plurimùm Rege Catholico, 5000. peditum Germanorum conſcribit. Veteranos ex Andaluſia vocat, regium exercitum in Luſitania cogit. 600. quoquè Itali ductore Comite quodam Hiberniæ illi in auxilium tribus nauibus Vlyſſibonam aduenêre. Omnes clientes, fiduciarios, atq; vaſallos regni euocat; iubetq́ue, vt niſi redditibus & priuilegijs à Rege conceſſis ſpoliari mallent, ſeſe in Africam comitarentur. Instructa itaque ingenti claſſe, comportatiſq; tormentis, commeatu, cæteriſque rebus neceſſarijs, ad Iunij 24. omnes vndiquè copias conuenire mandat. Quod cùm Abdelmelechus per nuncios intellexiſſet, vehementer, Chriſtianis non infenſus, doluit: præſagiens quodam modo, optimum Regem, iuuenili & imprudenti ſua magnanimitate, ad iniuſtę cauſæ defenſionem incitatum, in ſuum, ſuorumq́ue exitium præcipitem ruiturum. Per totum itaq; regnum, bellum Chriſtianis publicè iuſſit denunciari: Conuocatiſque Mauris ſuis, exercitum corradit, & Arzillam verſùs ſub ſignis agmen promouet.

Bellũ Africanum in quo Sebaſtianus Luſitaniæ Rex occubuit.

Sed & vigeſimoquarto Iunij, poſt celebrem ſupplicationem Vlyſſibonæ habitam, exercitus regius nauibus imponitur: poſtridiè oram cum 1300. nauigijs ſoluens, vbi aliquandiù Gadibus ſubſtitiſſet, tandèm 9. Iulij Rex Tingin appulſus eſt, vbi Mahametus eum ſolicitè expectabat.

Sebaſtian⁹ in Africã nauigat.

1578 ſtabat. Habito inter eos pacti cuiuſdam colloquio, datoque filio Muleio Xequo Regi Luſitaniæ obſide, quem ille Mazagam miſit, ſimul Arzillam perrexêre. Abdelmelechus interim, ex lacte auidiùs ſumpto, & in ventriculo coagulato, languidus, exercitum ſuum luſtrauit, & 15. millia peditum, & 44. millia equitum, cum 26. campeſtribus tormentis, in caſtris inuenit. omnes pro ſalute Regis erant vitam cum ſanguine profundere parati: ſed quòd valetudinarius eſſet, grauitèr ferebat, ardentiſſimumque Caniculæ ſydus, morbum augebat. Sebaſtianus quoquè luſtrato ſuo exercitu, inuentiſque quatuordecim peditum millibus, & equitum duobus, foſſorumq; tribus, præter eos quos ad cuſtodiam claſſis & Mazagæ reliquerat, præter inconditam quoquè & maximã lixarum, calonum & mulierum turbam, caſtra poſuit ad Alcazarem. Potuiſſet quidẽ plures copias Rex Luſitanus eduxiſſe, ſed conſilio Mahameti, qui Abdelmelechi exercitum ad ſe defecturum perſuadebat, multos dimiſerat, & ad ſua reuerti mandârat.

Sebaſtianus à Mahameto deceptus.

Abdelmelechus cùm per exploratores cognouiſſet, quis militum numerus, quæ militaris diſciplinæ ataxia eſſet, & quid in caſtris ageretur: infortunium hoſtis non obſcurè prȩuidens, miſertusq; iuuenilis Luſitani ætatis, per mercatores clàm ei perſuadere conabatur, vt ab inſtituto deſiſteret, nec Mahameti præpoſteris conatibus patrocinaretur. Idem quoquè Conſiliarij Regis Luſitani ſuadebant. ſed fatum & magnanimus Regis ſpiritus obſtabant, quo minùs ſaniori huic cõſilio acquieuerit. Perſuaſus tamen nè acie cum Abdelmelecho cõfligeret, claſſem Lariſſam versùs nauigare iubet, ipſe cum exercitu ſubſequens, ad fluuium vrbis Lariſſæ Mazagam conſedit, vt Lariſſam oppidum munitum occuparet: quod Abdelmelechus permiſiſſet, ſperãs ea occupata, Luſitanum, yndè venerat, eò reuerſurum, ideoque caſtra non mouit. Sed Mahametus, intellecto cõſilio Luſitani, metuens nè occupata Lariſſa, cognitaque exercitûs hoſtilis multitudine, Rex prælium detrectaret, ſeſe mœnibus contineret, & à ſuſceptæ cauſæ defenſione reſiliret; vafris atque ementitis rationibus eum ab hoc itinere retraxit, & vt Alcazaram versùs tenderet, perſuaſit. Abdelmelechus igitur, cùm hoſtis conſilium nunciatum eſſet, ſuos quoquè educit, & in monte, in conſpectu Luſitanorum caſtrametatur.

Ad diem 4. Auguſti, poſtquàm Rex Sebaſtianus, Cõ-

miſſa-

missarius Pontificius, & Episcopus Conimbricensis, atque Portuensis, qui Regem secuti erant, totum antemeridianum tempus adhortationibus, diuersis militum animos erigendo contriuissent, aciebus vtrinquè ordinatis, hora circitèr duodecima, præliū est initum. Dux de Auero cum quingentis equitibus primam in sinistrum Maurorum cornu impressionem fecit, plurimisq; Alarbis occisis, plus quàm octo millia sclopetariorū, & viginti millia equitum in fugam coniecit. Abdelmelechus suorū fugam cernens, confestìm accurrit, è fuga retrahit; stare, ordines reparare, & fortitèr dimicare iubet. Sed cùm vehementer ægrotaret, hac diligentia tantum se defatigauit, vt ex equo sublatus, & in lecticam repositus, paulò pòst animam efflauerit. cuius mors ad exitum prælij est dissimulata. Lusitani victores, cùm nemo esset qui consilium daret, nemo qui subsequeretur, ad suos reuersi, optimam victoriæ occasionem prosequi non potuerunt. E Mauris itaque mille Argoleti in Christianos emissi, tanta vi victores anteà in fugam coniecerunt, vt in peditum aciem irruentes, eam penitùs perturbarent. Res in conspectu Regis gerebatur: qui extemplò cum Auero aduolans, impetum Maurorum quidem repressit, eos tamen in fugam vertere non potuit. Intereà omnes Maurorum copiæ, è monte tanto cum furore in nostros irruerunt, vt fugientium suorum equis, pedites Christiani passìm protriti sint. qua in pugna Dux de Auero, alijque multi viri strenui ceciderunt: equus quoquè regius, Rege tamen saluo, globo traiectus est. Dextrum Maurorum cornu indesinenter glandium procellas in nostros effundebat, & seruata perpetua Lunæ forma, reliqui Mauri Lusitanorum exercitum circuire, postremamque aciem adoriri cupiebant. quam cùm laborare vidisset Rex, raptis 500. equitibus, Mauros qui sub Hameto erant adortus, strauit, & inordinata fuga cedere coëgit: sed cùm nemo è suis sequeretur, dolens ad suos reuertitur.

1578

Pugna Marocensis.

Abdelmelechus moritur.

Dux de Auero cadit.

Mauri, captis Lusitanorum tormentis, cæsisque ijs qui in ripa fluminis erant, in exercitum Mahameti incidunt; Maurisque, qui sub illo erant, cæsis, atque fugatis, magnam quoquè Christianorū stragem edunt. Muleius Mahametus fugiens, dum fluuium tranare voluit, equo cœnoso vado infixo excussus, aquis absorbetur. Mauri victores, cùm ad Hameti stationem venissent, principes Christianos, quasi indagine cinctos vel occiderunt,

1578 vel captiuos abduxerunt. In hac necessitate Christiani puluere tormentario destituti, tanto impetu fugerunt, vt plures è suis, quàm ex hostibus, conculcârint, atque extinxerint. Tunc tandèm Rex seriùs didicit, nullum hastatorum equitum in Mauritania esse vsum. Ipse tamen fugere indecorum existimans, cum paucis Tingitanis equitibus tam strenuè contra hostes rem gerebat, tot cædes faciebat, tot Orco demittebat, vt multi fulmen ipsum appellarent: pauci adspicere, & contrà tueri auderent. Tandèm à 60. hostibus circunseptus, cùm nullam elabendi rimulam videret, candidam fasciam erigi iubet, deditionem offerens: sed hostes hoc signo auxilium vocari existimantes, impetu in eum facto, crudelitèr occidunt. Hametus receptui canẽs, cum cadauere fratris sui Abdelmelechi, in castra reuertitur: publicataque morte fratris, ipse in eius locum rex proclamatur. Cæsa sunt hoc prælio 12. Christianorum millia, capta verò 14. inter primos Sebastianus Rex, Episcopus Conimbricensis, & Portuensis, Commissarius Pontificis, Comes Hiberniæ & Dux de Auero. Ex hostibus quoquè multi ceciderunt: agniti & sepulti mille quingẽti. Cadauera Lusitani Regis, & Muleij Mahameti, inuenta & ad regem Hametum delata in tentorium, vbì Abdelmelechi quoquè cadauer iacebat. Triste erat spectaculum triũ Regum cadauera loco tam indigno conspicere. Cumque captiui Lusitani Regis sui cadauer, non nisi Tingis aut Arzillæ cessione redimere possent, id impetrârunt, vt Alcazaræ sepeliretur. Muleio verò Mahameto Hametus, eius patruus, cutem detraxit, eamque stramine suffultam, & salitam, ad deterrendum alios, nè similia tentarent, per omnes regni prouincias iussit circunferri.

Sebastianus Rex occiditur.

Mahameto cutis detrahitur.

Veterum Germanorum, & maximè Aquilonarium populorum, mos olim erat, vt reges & principes, vxores ducturi, sibi aut duello sponsas vincerent, aut matronas bello raperent. Belgica sponsa prædiues, nobilis, & formosa, nunc sponso suo ab Auraico erepta: cùm is ignobilior, superbum eius dominatum ferre, nec solus aduersùs sponsi vires tueri posset, tres competitores euocat: è Gallis Alenconium, ex Pannonia Matthiam, & Casimirum è Germanis, vt de huius virginis thalamo decertent: ipse interim, tanquàm versipellis impostor, amplexus & delicias eius, ad satietatem clanculùm paciscitur. Quid agis ô Belgica? cur virum optimum deseris, & aligenarum iungeris amplexibus? Erit, erit aliquandò illa dies, quo depi-

Vide Krãtzium in Dania lib. 1. cap. 5. et in Suecia lib. 1. cap. 12.

depilata & expilata, diuitijs tuis dissipatis, & monilibus 1578
distractis, lachrymis perfusa, & sordibus obsita, inter feras pessimas, & satellites nequissimos, quasi captiua sedebis, & clamabis: *Reuertar ad virum meum priorem, quia multò melius erat mihi tunc, quàm nunc.* & non poteris, nisi ille tuî misertus, mœchatam te cum amatoribus multis, recipiat: immò extrema vi ex constupratorum manibus eruat, vindicetque pristinæ libertati. Sed ad rem.

Osee 2.

Erat iam præsens in Belgio Matthias, aduolat cum suis Gallis Alenconius, Casimirus quoquè, tanquàm ad nuptias lætus cum suis Germanis accurrit. Hic Zutphanium appulit, ille in Hannonia substitit. legati eis gratulatum mittuntur, magnifici tituli, & promissiones offeruntur regiæ: nulla verborum erat caritas, sed omnia liberalissimè Ordines pollicebantur. Alenconio 100000. nummûm quotannìs, & tres munitiones, Landresium, Quesnoy, & Bapalma addicuntur, & Protector Belgij salutatur. Ille vicissìm, vt omnia iure fecisse videretur, publicum scriptum edit, quo casum Belgij deplorat, tyrannidem Hispanicam exaggerat, & quanti intersit Galliæ, Belgium esse pacatum, demonstrat.

Rex Hispaniarum cùm diuersis literis ac nuncijs didicisset, Belgis magna ab Angliæ Regina auxilia mitti, ad eam legationem decreuit, cum petitione; Ne illa alterius subditos rebelles, contra legitimum suum Principē, armare ac tueri pergat. Honorificè accepta est hæc legatio, promissumque neutri parti Reginam in posterū magis fore addictam: & literæ mox ad Belgas scriptæ, quæ eos ad pacem componendam hortabantur.

Philippi Regis legatio ad Angliæ Reginā.

Austriacus intereà circa oppidum Louaniēse castrametabatur: ipse Louanij authoritate Cancellarij Brabantiæ, eiusque concilij abrogata, nouum creat. D. Desiderium Testich Cancellarium nominat, eique Consiliarios Doctores ac Licentiatos Iuris, viros clarissimos adiungit. Mense tandèm Iulio D. de Ville Comes Renneburgius, post diuturnam obsidionem vrbem Campensem in Transiselania, quæ à milite regio Germano hactenùs defendebatur, deditione cepit, & in eisdem oris Dauentriam arctiùs obsedit. Casimirus autem lustrato exercitu inuentis in eo septem equitum & viginti peditum millibus, relictoque Vicario in obsidione Dauentriensi, cum suis in Brabantiam venit, eo consilio, vt Diesthemium expugnaret.

Austriacus curiā mutat.

Comes Bossuuius summus exercitûs Belgici Imperator,

1578 rator, Riminanti, inter Arscotum & Mechliniam, castra habebat. Austriacus hostis vires tentare volens, cum expeditis copijs eò contendit: sed hostem altissimis aggeribus inclusum inuenit. cui cùm sæpiùs pugnam obtulisset, nec voti compos fieret, qui cum eo venerant, fossas transiliunt, aggerem superant, & intra hostium septa fortissimè dimicant. desiderati sunt ex Austriacis 20. vulnerati 50. ex hostibus plus quàm 300. ceciderunt. Austriacus cùm ab hora octaua matutina, ad primam pomeridianam, aleam belli frustrà periclitatus esset, suos in castra reduxit: munitoque Louanio firmis præsidijs, & sufficiēti commeatu, Namurcum proficiscitur. quo absente, Bossuuius sæpiùs Louanienses adortus, semperque repulsus, tandèm in crure vulneratur.

Austriacus Ordinum castra oppugnat.

Legationes in Belgium.

Mense Augusto Imperator Comitem Schvvartzenburgium ad Austriacum mittit, eum ad pacem adhortaturum. Idem ad Ordines fecit Rex Galliæ, per Bellieurum, & Angla per Colbanum & Valsinganum. Vtrinquè se pacis studiosos ostendere volentes, per legatos & internuncios, quid fieri posset, experiuntur. Proponit Austriacus conditiones, proposuerunt & Ordines. horum examinat Austriacus, illius Ordines expēdunt. Ponderant, consulunt, offerunt, recipiunt, abijciunt, licitantur vtrinquè diù: tandèm, re infecta, ad arma reuertuntur, Ordinumque milites Arscotum oppidū occupatum iniecto igne exusserunt. Circa idem tempus Casimirus cùm in Brabantiam venisset, quasi alter Esau, fructum suæ benedictionis è bellis petiturus, edito publico scripto suæ in Belgium profectionis dat rationes multas, sed parum prægnātes. Cùm autem Liram intrâsset, à Matthia Archiduce magnificētissimè excipitur, & tanquàm amicus salutatur.

Austriacus Casimiro occurrit.

Austriacus metuens, nè, si Casimiri exercitus cum Ordinum iungeretur, vires hostium suis multò forent superiores, Casimirianos nouo stratagemate aggredi statuit. Sed illi per exploratores certiores facti, in armis excubabant, dispositisque loco opportuno tormentis, aduenientem hostem grandioribus pilis ità excipiūt, vt non pauci Hispani miseris modis dilaniati occubuerint: pugnatum dein est leuioribus per totum diem prælijs, non sinè leui partis vtriusque damno, in qua pugna Scoti & Angli, sub Norits & Stuart, egregiam Belgis operam præstiterunt.

Die pòst 29. Augusti Antuerpiæ in foro publico pa-

ctum

ctum cum Alenconio proclamatur: ipſe autem Alenconius, dum in Hannonia hærens apud Laleinium, plura ſibi oppida tradi poſtulat, ne id quidem impetrare potuit, vt ab Ordinibus conceſſa, ſuum præſidium accipere voluerint. 1578 *Pactũ Ordinũ cum Alẽconio.*

Auſtriacus cùm omnium Principum legatos, ad iniquas conditiones vrgere ſe animaduerteret, negocium pacis ad Imperatorem remittit. Gandenſes interim pro innata ſibi conſuetudine, tumultuabãtur: & ex captiuis, quos aſſeruabant, Catholicis, viros optimos, præfectum Viſch, & Senem Heſſelium Conſiliarium ad extremum ſpiritum in Catholicæ fidei profeſſione perſeuerantem, laqueo ſtrangulabant. Poſt tantum perpetratum facinus Caſimirum, Embieſio & Borluytio impulſoribus, vocant: qui ſtatìm aduolans, primùm Bruxellas contendit, ibique publicè conciones Caluiniſticas, anteà nunquàm ibi factas, publicè inſtituit, ſuaque præſentia in Carmelitarum cœnobij templo cohoneſtauit. Cumque ibidèm fundamenta nouitiæ religionis, aliarumque rerum Gandenſium per aliquot dies ieciſſet, Gandauum profectus eſt. vbì cùm conciones Caluiniſticas introduxiſſet, ità ſe ciuium beneuolentiæ inſinuauit, vt in illius gratiam, Germano ſuo militi pecunia laboranti, omne ſacrum aurum & argentum, cruces, calices, aliaque eccleſiæ cimelia, ſacrilega manu rapientes, ex ijsque pecuniam cudentes, liberalitèr donârint. indè in templa & monaſteria furorem ſuum conuertentes, Chriſti, Sanctorumque imaginibus bellum inferunt, Altaria euertunt, Sacramenta conculcant. Septa Virginum, Monachorumque clauſtra ingrediuntur, omnia confringunt & demoliuntur, Sacerdotes & Monachos vrbe eijciunt, nihilque, quod ſacrum erat, intactum, impollutumque relinquunt. *Auſtriacus negocium pacis Cæſari committit.* *Gandauẽſes tumultuãtur, et Caluiniſmum amplectũtur.* *Gandauẽſiũ in Catholicos inſolẽtia.*

Hoc Gandauenſium immane exemplum vicinæ vrbes imitabantur, & tandèm vltra Rhenum in Geldriam, atque Vltraiectenſium meditullia proſerpſit. Vltraiectenſes enim Minoritas vrbe mox eiecerunt, ſublatisque altaribus & imaginibus, templum contaminârunt: hominem Caluinianum introduxerũt, eique munus concionandi dederunt. *Vltraiectẽſes Minoritas expellunt.*

Erat tunc temporis Amorfortium commune Hollandorum atque Vltraiectenſium exulantium receptaculum, ſacrumque Aſylum, eò quòd Magiſtratus & ciues penè omnes Catholicæ religioni, eiusque profeſſo- *Amorforꝛia commune exulũ Catholicorũ aſylũ*

1578 fessoribus plurimùm fauerent. Latitabat hîc R. ac Nobilis D. Iohannes Bruhesius, Decanus templi metropolitani Vltraiectensis, quem illi odio plùs quàm Vatiniano persequebantur: latitabant exacti Amstelredamenses ecclesiastici, & seculares, multique eorum qui Vltraiecto vel vltrò excesserant, vel erant expulsi. Partìm itaque ob hanc causam, partìm ob id quòd Amorfortij in multis, Vltraiectensium noua studia, & præcipuè religionis mutationem improbarent, à vicinis Vltraiectẽsibus multis molestijs, falsisque criminationibus incessebantur. Cumque Vltraiectenses omnes suos conatus eludi viderent, (Amorfortij enim sese præscripto Satisfactionis, ab Auraico anni superioris mense Decembri impetratæ, defendebant) tandem apud Auraicum instant, vt Magistratus pro suo voto crearetur, & ciues sub certos capitaneos & signa militaria legerentur. Erat tunc temporis supremus in oppido Consul Petrus Clemens, ex antiqua Vvestrenensium familia, vir senex, constans, grauis, & imperterritus Catholicæ religionis assertor, is neutrum eorum quæ petebantur admittere voluit. priuilegijs enim oppidi, in Satisfactione Auraici renouatis, vtrunque palàm aduersari demonstrauit. Missus est ab Auraico ad Amorfortios aliquotiès hac de re Paulus Busius, ipse Amorfortius: quo conciues ad ea quę petebantur quoquo modo induceret. Et vt erectio signorum militarium fuco aliquo tegeretur, petitum est, vt sodalitates duas, quæ antiquitùs Scutterten appellabantur, cõflarent. Responsum est à Consule: si sodalitates has more antiquo erigi cuperent, se non obstare. eum fuisse, vt sub vno curione sodales toto anno quietè viuẽtes, semèl quotannìs auem in altissimo fastigio positam, sagittis, proposito præmio, deijcerent: indè conuiuaturi coirent. quo peracto, singuli ad sua munia reuertebantur, nullum in Reip. administratione ius, nullámve authoritatem habentes. Hæc si restaurari peteret Auraicus, se non denegaturos. Cæterùm vt ad eum modum, quem Vltraiecti, quem Amstelredami, cæterisque in locis hac tempestate in vsu esse cernerent, has sodalitates instituerent, id facere non posse. didicisse huius anni plùs quàm Tragicis motibus, quàm inconditam licentiam horum signorum erectiones in Resp. introduxerint, quamque Magistratus exiguæ sint authoritatis, vbì ciues sub his signis hactenùs militârũt. Nec propitium magis responsum Busius ad Magistratus alterationem tulit. Re itaq; infecta ad suos redijt. Vltraiectenses

Amorfortiorum & Vltraiectensium contentio.

Petri Vvestrenensis laus.

Paulus Busius.

iectenses cùm viderẽt persuasionibus Amorfortios mol- 1578
liri nõ posse, insidijs rem tentârunt. In suburbanos agros milites mittunt, qui captata occasione oppidum inuaderent, & ciues ad mandata capessenda compellerent. tentatum id aliquotiès, sed irrito conatu, aduersariorum consilio semper patefacto.

Circa idẽ tempus Turcæ Cæsareanos fines depopulabantur, pagosq; Canussę vicinos sub Polono spoliârũt. Rex Philippus classem instruxit, vt in Africa bellũ Mauris moueret, ad quam expeditionem Dux Hetrurię Montacutum, cum tribus millibus & septingentis peditibus misit. Moscouię verò Dux centum millia virorum in castris habebat, quibus Liuoniam & Prutenorũ fines vno eodemque tempore inuadere decreuerat. Conuocatis itaque comitijs Varsouiam amplam Liunonię vrbem, decretum est, vt 15. millia Polonorum, 10. Lituanorum, 3. Germanorum, totidemq; Aidulchorum colligerentur, & viciès centena millia nummûm, proximo decennio, in belli Moscouitici vsum numerarentur.

Turcarum eruptiones.

Comitia Varsouiæ.

Persarum Rex Turcicos fines plurimùm infestabat, Vanumq; vrbem Armeniæ vi cepit, atque inuentos Turcas, tãquàm pecudes occidit. Amurathus magnos Byzantij belli apparatus faciebat, eosque in Syriam multis nauigijs misit. ipse quoquè ad Persicum bellum profecturus dicebatur. Cùm autem felicibus Persarum victorijs partìm, partìm multarum gentium ab amicitia Turcarum ad Persas defectionibus, Turcarum belligerandi alacritas non parùm retunderetur; missa sunt ex castris Byzantium multorum Turcarum rasa de more Persarum capita, amputatæ nares, auresque abscissæ, cum vafro commento, hæc membra esse Persarum, à Turcis interfectorum, quo nouo hoc stratagemate Turcas ad bellum redderent alacriores. Spargitur etiàm in hunc finem, Cudabendum Persarum Regem obijsse, non contra Persas, sed Georgianos posthàc pugnandum, eò quòd à fide Turcarum ad Persas defecerant. Qui verò in cõfinibus Archiducis Austriaci Caroli erant Turcæ, Rapizum, eius oppidum astu intercipiunt: sed Carolus collecto milite, antequàm munire illud potuerunt, recuperauit, omnesque in eo Turcas inuentos trucidauit.

Persæ Vanũ capiũt.

Vafrities Turcica.

Moritur intereà apud Florentinos Ioanna Austriaca Magni Ducis vxor, postquàm per dies nouem pariẽdi difficultate laborâsset: & apud Venetos Sebastianus Venerius, in cuius locum Nicolaus Pontius Venetorum Prin-

1578 ceps est suffectus. Detecta quoquè est in Magnū Hetruriæ Ducem coniuratio, & in authores istius animaduersum. Orta est & inter Bononienses, Ducemq; Ferrariæ, de dominiorū limitibus contentio, quæ penè in bellum apertum erupisset, nisi prudētia Pontificis sopita fuisset. Maiores quoquè his tumultus erant in Cypria: Purpuratus enim Cypri præfectus, cùm multa nummûm millia ex stipendijs Ianizaris deberet, illiq; tumultuari inciperent, quibusdā aures ac nares præscidit. id commilitones ægrè ferentes, impetu facto in præfectum irruunt, atque occidunt. Amurathus Ianizaros iure præfectum occidisse spargit, nouumq; præfectum in Insulā cum decem triremibus & multis militibus misit: quibus interim in cōmissis dederat, vt appulsi authores cædis caperent, & trucidarent. Nunciatum id est Ianizaris, qui amicitiam initiò cum classiarijs simulant, insiliētes interim in eos, ingenti clade interficiunt, & triremibus potiūtur. Amurathus, licèt non parùm rei indignitate commoueretur, tamen ob victorias Persarum, qui iuxta Babyloniā 70000. Turcarum occidisse dicebantur, iram dissimulare, factique veniam Ianizaris condonare debebat.

Cōiuratio in Ducem Hetruriæ.

Tumultus in Cypria.

Malecontentorum origo.

Dum hæc apud Italos & Turcas geruntur, apud Belgas multi ex Hannoniæ & Arthesiæ nobilitate, indignati, quòd Ordines aliarū prouinciarum, contra commune fœdus, vbiquè Caluinianā factionē introducerēt, ecclesiastici atq; secularis ordinis viros Catholicos exterminarent, tēpla violarēt, & in Diuorū imagines sacrilegè grassarentur; defectionē meditabantur, celebremq; Flandriæ pagū in Cortracensium finibus, Menene dictū, occuparunt. atq; hinc orta factionis pars tertia, quę Malecontentorū dicta, ideò, quòd neutra pars, nec Regis, nec Ordinū, ipsis satisfaceret. Horū duces Hesius & Capres sese profitebantur, qui Gaijonis castrū intercipiebant, in quos Gandensium copiæ bìs missæ, bìs etiàm cæsæ sunt, & profligatę. Capta sunt ab ijsdē Malecontētis Bellæ, Poperingē, & Mortaigne, Flādrię oppida. Tandē Greuelingēsis vrbis gubernator Dn. de la Motte eos ad suas partes pertraxit.

Auraicus cùm non obscurè intelligeret, hanc Malecontentorū factionem sibi exitiosam tandèm fore, ex eo quòd non ità dissentirent à regijs, quin facilè (dum religionis vtrinquè sit idem consensus) cū ijs coalescere possent; Aldegundiū Gandauum mittit cū mandato, vt Catholicis tria templa restituant, captiuosq; liberos dimittant. Gandauenses aūt Principis imperio obedire noluerunt,

tunt, nisì Hannones & Arthesij Caluinismũ quoquè am- 1578
plecterentur, & bellũ peractũ esset. Quod responsum cùm Apologia
Hãnonibus & Arthesijs relatũ esset, inter se fœdus reno- Hãnonensium
uârunt, & de fide Catholica se non discessuros iurârunt. & Atrebatensium.
Editis itaq; libellis, Ordinum aliorũ temeritatem & leuitatẽ incusantes, qui ad omnes totius Christianismi Principes datis literis erant protestati, sibi nihil antiquius esse, quàm Religionem Catholicã, & obedientiã Regis sartam tectam seruare, nec arma ob aliam causam, quàm ob tyrannidem Hispanorũ retundendam sumpsisse; nũc exuta regis obedientia, fidem cum perfidia, veram Religionem cum hæresi permutarent. Qua perfidiæ, leuitatisque labe, nè ipsi adspergerentur, palàm profitebantur se eiusmodi hominũ fœderibus renunciare, perpetuoq; Catholicã fidẽ propugnare, & pro ea sanguinẽ cũ vita non tantùm sua, sed vxorũ & liberorũ suorũ fundere decreuisse.

Moritur intereà in Hispanijs Cæsaris frater Vvenceslaus, cuius cùm ętas adhuc immatura esset, minùs erat mors eius deploranda. Sed lamentabilis & plangẽda magis erat obitus D. Iohannis Austriaci, qui initio Octobris est subsecutus. Varij de eo erant rumores, dum alij eum mortuum esse, alij viuere asseuerarent: quidam clàm in Hispanias profectum, quidam in insidijs esse assererent: nonnulli eum peste sublatum, alij ardentissima febre extinctum dicerent. Cordatiores verò, & qui in castris erãt, mera phthysi emarcuisse, quam ex animi dolore contraxerat, eo quòd Rex Ordinum phaleratis verbis potiùs, quàm suis fidelibus narrationibus crederet: quodq; benignitate & clementia vti iuberet, cùm armis opùs esset, si Belgæ in ordinem redigerentur. Cùm vltimùm vitę terminũ instare sentiret, in lectica decumbẽs, per totũ exercitum sese circunferre iussit, & singulos milites suaui voce compellauit, eos ad Catholicæ religionis, Regiæque Maiestatis defensionem hortabatur, & vt, se defuncto, nepoti suo Alexãdro Principi Parmensi, non secùs atquè hactenùs sibi fecerãt, deincèps pareant atq; morem gerãt, obtestabatur. Prorupêre milites in vberrimas lachrymas, durissima pectora mota sunt, atque optimi Ducis fatalem diem deplorârunt, eiusque vltimę voluntati audientes se fore promittentes, cum suspirijs & lachrymis lecticã in hospitium deduxerunt. Paulò pòst moritur, iuuenis dignus qui Nestoris annos vixisset, moritur inquam Maurorũ terror, Turcarũ fulmen, Hereticorũ pestis, Catholicorũ defensor, Asiæ, Aphricæ, & Europę domitor: atq; in

[Margin notes: Vvenceslaus Rudolphi Imp. frater moritur. — Luctuosa mors Iohannis Austriaci. — Parmẽsis princeps Austriaci successor.]

1578 Gubernatione post se Illustrissimũ Principem Parmensem relinquit: de quo Genebrardus non insulsè vaticinatur, in eo complendum illud Esaiæ: *Nè læteris Philistæa tu, quòd comminuta sit virga percussoris tui* (Iohãnis Austriaci) *de radice enim colubri egredietur Regulus, & semen eius absorbens volucres.*

Cap.14.

Spreto tamen hoc vaticinio, Matthias, Alenconius, & Casimirus cum Ordinibus plurimùm Austriaci morte lætati, omnes vires ad ciuitates, ab hoste occupatas, recuperandas, hostilesque copias Belgarum finibus eijciendas conuerterunt. Gemblacum, Niuellam, Binsium, Mabuge, aliaque loca non munita, confestìm, sed non sinè suorum sanguine, receperunt.

Ordinum victoriæ.

Eodem mense Octobri Atrebatẽses tumultuati sunt, & Magistratum sub prætextu quòd clandestinas conspirationes cum hoste foueret, comprehensum in vincula coniecerũt. Pestis quoquè & dysenteria per omnes Flandriæ & Brabantiæ ciuitates, atque in vtrisque castris horrendum in modum grassabantur, multaque hominum millia suffocabant.

Tumultuantur Atrebates.

Cæso, vt diximus anteà, in bello Africano Rege Lusitaniæ Sebastiano, Henricus Cardinalis ei in Regno (dispensatione Pontificis accepta) succedit. Sed cùm is iam senex & matrimonio ineptus esset, à proceribus regni, vt vxorem duceret, non potuit persuaderi. Petitum igitur ab eo, vt viuus successorem nominaret. Erant autem duo Regiæ stirpis competitores, Antonius Lodouici Henrici Regis fratris filius, sed illegitimus: & Hispaniarum Rex, Regis è sorore Nepos, sed toro natus legitimo. Cæterum cùm inueteratum inter Lusitanos & Castilianos sit odium, procerum animi in Antonium magìs illegitimum, quàm in Philippum legitimum propendebant. Henricus tamen non obscurè ei fauebat, cui ius ipsum naturale subueniebat. Ad hanc quæstionem 24. è primarijs Iurisconsultis ab Ordinibus nominati sunt, ex quibus Rex 11. elegit, qui controuersiam deciderent, & sinè vllo affectu, ei cui iustiori titulo regnum deberetur, adiudicarent. Qui Antonij partes sequebantur, electionem & nominationem Regis, vetus esse ius in Lusitania, non successionem sustinebant. Hispani contrà multorum seculorum exemplis successionem ostendebant. Sed cùm Iudicum definitio protraheretur, & Henricus in ipso mortis limine esset constitutus, rogatus est, vt septem

Controuersia de regno Lusitaniæ.

ptem gubernatores crearet, quos penès interregni tempore summa rerum esset. Acquieuit Rex, & quinque nominauit, inter quos primus erat Archiepiscopus Vlyssiponensis, qui regni gubernationem viuo adhuc Rege susceperunt. Sed & cùm tres Lusitaniæ sint Ordines, quorum alij Principes & nobiles, quos Fidalgos appellant; alii Antistites, atque inter hos etiàm quidam Fidalgi; alij Populares: Fidalgi plerique iustiori causę fauebant, Castilieq; Regem legitimum regni successorem iudicabant. Populares affectibus plùs nimio indulgentes, vt Philippum excluderent, ad electionem adspirabant. Quarè factum est, vt hoc anno certi nihil de nouo Rege sit constitutum. 1578

Persarum de Turcis victoria.

Mustapha, cui ab Amuratho Persicum bellum erat demandatum, Scytharum Ottomannicis rebus studiosorum multa millia iussit fines Persarum, ad Derbentum inuadere: ipse in regnum Siruanum irruptionem parabat. Cumque illi per fines Georgianorum, gentis amplæ, cuius imperium ab Hircano mari ad Mœotin extenditur, transeundum esset, multis beneuolentiæ significationibus ab ijs exceptus, & ponte extructo, per latissimum fluuium deductus est. Mustapha, sinistra de Georgianis suspicione concepta, 30. armatorum millia ad pontis custodiam reliquit. id grauitèr accidit Georgianis. Ipse populabundus ad Sammachium, eius regni metropolin, nullo resistente procurrit, vrbemque facili negocio capit; relictoque Achmete cum viginti-quinque millibus hominum, ad illius vrbis custodiam, in Armeniam pergit. Persæ de aduentu Mustaphæ & Scytharum certiores facti, diuisis copijs, alteram partem in Scythas, alteram in Mustapham immittunt. Pugnatum est cum Scythis acritèr: sed victi Scythæ, paucis fugientibus, reliqui trucidati sunt. Qui Mustapham insectabantur, eum altissimis aggeribus inclusum inuenerunt: cumque oblata pugna, in campum non descenderet, varijs contumelijs atque conuicijs à Persis proscinditur. Turcæ contumeliarum quotidianarum impatientes, pugnam sinè tormentis bellicis accipiunt, inque planitiem venientes, sese aduersùm Persas sistunt, manumque conferunt. pugnatur totis viribus vsque in multas horas: sed superiores Persæ, Turcas fundunt, fugantque. Cuius victoriæ Georgiani certiores facti, collectis ilicò copijs, ab altera parte, & qui ad pontis custodiam relicti erant, & qui ex acie profugerant,

 omnes

1578 omnes occiderunt. Cæsa sunt ea victoria 80. millia Turcarum, proceres omnes aut capti, aut trucidati: Sammachium recuperatũ, bellicus apparatus interceptus. è Persis 44. millia desiderabantur. Amurathus, accepto cladis nuncio, multa per imperium lætitiæ signa edi iubet, & Persas debellatos iam esse diuulgat, nè animi suorum à Persico bello abhorrerent.

Circa idem tempus Veneti, vt iratum numen placarent, & huius, præcedentisque anni luis causas præscinderent, leges in subditorum ac procerum vtriusque sexûs luxum, tam in mensis, quàm in vestibus ac supellectilibus vsitatum tulerunt, eum certis limitibus circunscribentes, & ad moderationem reuocantes.

Alenconius Belgio excedit.

Hyems erat iam proxima, quod anni tempus in Belgio militiæ, propter pluuias ac niues, cœniqúe profunditatem, est ineptum. Ordines itaque & temporis iniuria, & pecuniæ pressi penuria, de milite dimittendo cogitare cœperunt. Quod cùm Alenconius animaduertisset, tria Gallorũ millia per fines Sequanorum, magno prouincialium detrimento, in Galliam remisit: ipse paulò pòst subsecutus est. Casimirus quoquè, cum vix magna importunitate aliquid pecuniæ ab Ordinibus extorsisset, in Angliam proficiscitur. eius milites, qui ex tot millibus, gladio, fame, dysenteria & peste mortuis, pauci supererant, qui non solùm ipsi, sed & eorum calones, & lixæ, preciosissimis vestibus, aureis catenis, argenteis de more gentis pugionibus, (vt ipse aliquotiès ex ducibus audiui) in Belgium venerant, fame enecti, seminudi, pessimè nummati, consumptis omnibus, ad suos reuersi sunt. Mirandum sanè, in regione aquilonari, tantum hac æstate ardorem fuisse, vt omne hoc aurum, omne argentum, tam repentè liquefactum, diffluxerit, non Solis fortassè, sed belli Hispanici feruore exustum.

Gandenses in Auraicum inuehuntur.

Auraicus, contractis aliquot ciuium Antuerpiensium signis, Teneremundam proficiscitur, vt litem inter Gandenses & Malecontentos consopiret: sed animi nimiùm vtrinquè exacerbati, ad concordiam redigi non potuerunt. Variè populus tunc de Auriaco mussitabat, varia clàm conuicia in illum iaciebat: sed & palàm aliquandò criminabatur, quòd tot sumptibus, tam instructo exercitu, tanto tempore nihil præclari gessisset. Ille contrà vt effugium haberet, prouinciarum in numerandis pecunijs tergiuersationes obijciebat.

Ordines

Ordines patriæ conditionem deploratam conside-rantes, animum Imperatoris solicitârunt, vt pacem Belgio à Principe suo exoraret. Fecit id Imperator non illibenter. Sed & Rex Cęsari omnem, suam in pacis compositione tradit per literas authoritatem, spondetque se rata habiturum omnia, quæ Cæsar in hoc negocio statueret. Legationem quoquè hac de causa ad omnes Principes Imperij decreuit, eamque Raymiro Guzmano dedit. Missus quoquè ad Pōtificem ab Ordinibus Elbertus Leoninus, eius apud Regem intercessionem petiturus. Ad id confestim tam promptum se Pōtifex exhibuit, vt statìm Baptistam Castagnam Episcopum, in Belgium miserit, vt pacis transactioni interesset. Interim ab armis non desistitur. Ordines Thenas recipiunt: Malecōtenti Gandensium duo millia peditū, & octingentos equites occidunt.

1578 Ordines Belgici Cæsaris intercessionem implorant.

Parmensis Princeps, occupato Limburgo, cæterisque vltra Mosam ditionibus, vna Karpena excepta, hāc quoquè expugnare, licèt hyems esset, decreuit. Legatū itaque Coloniā Agrippinā misit, qui à Magistratu petijt, nè exercitui regio cōmeatum, cæteraque ad obsidionem arcis Karpenæ necessaria, quæcunque data pecunia sui possent redimere, denegaret. id nō grauatè in gratiam Regis concessum est. Auraicus cùm se viribus regijs imparem sentiret, oppida Flandriæ & Brabantiæ, Hollandis, Zelandisque viciniora munit. Lanuuium Britonem, bello Rupellensi Hugonotico clarum, nouis copijs recèns collectis præfecit, eique oras istas defendendas commisit. Mottæus Greuelingæ præfectus, acceptis à Rege literis, quibus ei potestas quosuis ex Ordinibus ad se venientes, in gratiam recipiendi conferebatur, trecentaque florenorum millia, ad nouum exercitum conscribendum assignabantur, oppidum S. Vinoci obsedit, Montegnium quoquè regulum, Ordinum archistrategum, proposita venia, ad defectionem solicitauit. cuius petitionem ille, vt immaturam, tunc contempsit.

Auraicus oppida maritima præsidijs munit.

Regis ad Mottæum literæ.

Renneburgius totus erat in oppugnatione Dauentriæ. Est autem Dauentria Transiselaniæ vrbs primaria, ad Rheni brachium orientale, quod Iselam vocant, sita, & Hansaticarum ciuitatum fœderi adscripta: munita satìs loci natura & arte. Erat in ea gubernator Hauricourt, Centuriones Augustinus Rijc à Richenstein, Michaël Ieger, & vicarius Frederici à Schonauvven: ipse enim ante obsidionem discesserat. hi nongentis penè militibus Germanis imperitabant. Ciues plerique, partìm

Succincta Dauentriensis obsidionis narratio.

1578 partìm quia Ordinibus fauebant, partìm quia metuebãt, vrbe excesserant. Sed quia pulueris tormentarij maxima erat militibus raritas, rem pro voto agere nõ potuerunt. Snoius Augusti 6. colliculos duos, qui singuli singulas molas habent, occupauit. Sed oppidani molarum alteram disturbârunt; quæ dum caderet, multos milites oppressit. Est & ad vrbis mœnia turris excelsa, quam Norimbergensem vocant: ex ea obsidentibus multum detrimenti inferebant. Hanc cuniculis euertere frustrà contendebant obsidentes. Augusti 14. præsidiarij butyrum caseumque ad certum pondus quotidiè distribuendum decreuerunt, vt obsidionem diutiùs ferre possent. Calendis Septemb. Hegemannus metu potiùs, quàm consilio, pontem, quo Isela sternebatur, incendit. Post octiduum verò præsidiarij erumpentes, multos cunicularios, Ordinumque milites occiderunt. quo metu territi rustici, qui in castris erant, diffugientes, operam imperfectam, à Snoio institutam, reliquerunt. Quarè cùm cuniculi non succederent, 20. Septembris obsidentes maioribus tormentis turrim Norimbergensem concutere cœperũt. sed 24. eruptione horribili facta, Germani tantam stragem in Ordinum castris ediderunt, vt oppugnatio aliquandiù iterùm sit intermissa.

Buscoducũ proditione tentatum. Intereà nouus miles Buscoducis, quam vrbem astu occupare, & proditione, Ordines irrito conatu tentârant, in castra Renneburgij venit. Tertio itaque Octob. cuniculi eò producti erant, vt hastis cominus sub terra res ageretur. Oppidani iniectis materijs venenosos fumos excitârunt, qui hostem cuniculos deserere compulerunt. *Pugna sub terranea.* Postridiè etsi induciæ erant in castris, tamen horribilis subterranea pugna commissa est. victores oppidani cuniculi os ianuis ferreis obstruxerunt. *Hollandi militẽ suũ reuocant.* Hollandi audientes periculosam obsidionem, atque veteranos suos paulatìm cadere, suas copias in Hollandiam reuocârunt. Aegerrimè ferebat Renneburgius, Hollandos, limitibus suis Camporũ occupatione iam tutis, *Pugnæ sub terraneæ.* communem causam deserere. Die 12. & 13. Octobris iterùm in cuniculis pugnatur. victores iterùm oppidani. Posteà Renneburgij milites per cuniculos in turrim Norimb. venientes, Germanos ibì compotantes inueniunt. qui exilientes maiora aliquot tormenta explodunt, multosque hostium, qui in cuniculis erant, occidunt, cæteri fugiebant.

Eodem tempore Leovvardiç templa diripiuntur; & Campis

Campis ob militum petulantiam ciues tumultuantur. 1578
quarè Renneburgius præsidia reuocauit. Intereà mors
D. Iohãnis Austriaci in castra venit. In diœcesi Coloniensi
milites conscribebantur, qui obsessis subuenirent.
stabat in anchoris Coloniæ nauis armis onerata, quibus
isti milites instruerentur: sed ab hostibus præcisis rudentibus
nauis abducitur. Paulò pòst copiæ istæ auxiliares
inermes cæduntur. Quod cum Renneburgius intellexisset,
11. mensis Nouembris muros sternere, & vi vrbem
aggredi cœpit. cæterùm cùm latæ ruinæ iam stratæ essent,
& hostis forìs oppugnationem pararet, intùs verò
pulueris tormentarij, commeatusque esset penuria, auxilium
nullum speraretur, ciues tumultuarentur: Germani
deditionis conditiones Renneburgio proposuerunt,
quas ille, reclamante Corenputtio, paululùm mutatas,
19. Nouembris acceptauit, vrbemque in Ordinum fidem
recepit.

Leowardiensium iconomachia.

Dauētriæ deditur.

Auraicus cùm nihil in concordia inter Malecontentos
& Gandenses stabilienda efficere posset, Philippum
Sant Aldegundium, cum alijs Gãdauum mittit, vt, quod
ipse non potuisset, huius opera atque industriá perficeret.
Frequens enim fama erat, Hannoniam & Arthesiam
ad partes regias accedere velle. Vltraiectenses cum Hollandis
& Zelandis circa idem tempus nouam concordiæ
machinam fabricati sunt, in articulo Religionis,
alijsque multis Gandauensi paci contrariam.

Vnio Vltraiectensis.

Orator Cæsaris Comes Schvvartzẽburgius cùm intellexisset
Ducem de Noua terra, aliosque legatos Cæsareos,
breui Coloniam cum plena de pace agendi potestate
venturos, nomine Imperatoris pacis negocium apud
Ordines pro virili promouit: impetrauitque, vt illorum
consensu Louanium ad Parmensem proficisceretur. Partim
mensis verò expugnationem arcis Karpenæ maturabat,
vt ea occupata, initio anni futuri, Traiectum ad Mosam
tutiùs obsidere posset. misit itaque ad huius arcis expeditionem
Octauium Gonzagam, & Mandragonium, viros
militares, multisque victorijs claros.

Schvvartzenburgius ad Austriacũ proficiscitur.

Moritur intereà Maximilianus Comes Bossuuius,
per æstatem summus Ordinum exercitûs Imperator.
Malecontenti cùm à Santaldegundio plurimùm interpellarentur,
vt ad vnionem Ordinũ redirent, simulârunt
tandèm se conditiones ab illis accepturos, re vera autem
de stabili cum regijs pace ineunda cogitabant.

Mors Comitis de Bossuy.

Acta sunt hæc mense Decembri, ad cuius diem 24.

1579 qui Natalitijs Domini profestus erat, quidam Minister Caluinianus Amorfortijs ab ęmulis clàm submissus est, vt postridiè, tranquillã alioquin Remp. suis concionibus interturbaret. exceptus is hospitio à quodã suæ factionis homine (quales hoc oppidũ paucissimos habet) quid, & quomodò postridiè negocium institueret meditabatur. Venit ad Consulis Vvestreni aures, eius in vrbẽ aduentus. is statim Senatum cogit, aliquot ciues in armis adesse iubet, per apparitorem hospitem & Ministrũ vocat. Qui cùm in publicum prodirent, ità ciuium exacerbati sunt animi, vt vix se à cæde potuerint cohibere. in Senatum venientes, & examinati, hospiti, nè quid in posterum simile audeat, addita pœna, prohibetur. Ministro statim vrbe exire mandatur. at ille furorem populi metuens, à satellitibus ad portam deduci petit: id illi denegatum non fuit, sed ab ipso Consule, alijsque nonnullis, fremente interim populo, extra oppidum ductus, cùm se viaticum non habere conquereretur, dalero donatur, & nè hoc rerum statu rediret, illi interdicitur. Hinc Vltraiectensium in Amorfortios creuerunt odia, cùm Vnioni à se nuper fabrefactæ id facinus aduersaretur, quam quia Amorfortij acceptare nollẽt, Vltraiectenses de bello ipsis sequenti anno inferendo consilia captârunt: de quo suo loco dicemus.

Amorfortij Ministrum Caluinianum expellũt.

ANNI 1579. primo die Henricus Gallorum Rex Ordinem equitum S. Spiritûs instituit, cuius approbationem anno superiori (cùm Poloni Regis Orator Romæ suæ Sanctitati de more obedientiã præstaret) à Põtifice per legationẽ impetrârat. Institutus est Ordo iste ad defensionẽ Catholicæ religionis, hoc modo: Post vespertinas preces Rex in tẽplo Augustinianorũ manu Episcopi ductus, ante altare in genua procũbit, acceptoq; religionis ordine, tunicã talarẽ induit, torquẽ sumpsit, & cruce crocea pectus armauit. quo facto, Magister summus Ordinis dicebatur. Deindè postquàm iurâsset se vitam & regnũ pro fide Catholica, quibusuis periculis expositurum, in throno pãno aureo tecto cõsedit. Accesserũt ad eũ istius Ordinis candidati, stolis argenteis induti, qui acceptis insignibus Ordinis singuli, talari scilicet tunica, torque aurea, sacroq; libello cum integumento aureo, iurârunt se prõptos fore, ad Catholicæ Romanæ fidei defensionẽ: nec in Regem vnquàm arma sumpturos. Aderãt solenni huic actui Bãdinus Apostolicus Nũcius, & Oratores Scotiæ,

Rex Galliæ Ordinem S. Spiritûs instituit.

tiæ, atq; Venetiarum. Equites qui creabãtur erãt numero 1579
26. inter eos Dux Augustonemetanus, Mariscallus Rentius, Philippus Strozza, Comes Philiscus &c. Peracta solẽnitate, discessũ est, hoc ordine: Custodię Heluetiorum præcedebãt, eas Germanorũ subsequebantur, inde nobiles 200. Heraldi, ęneatores & tubicines festiuo sonitu actum condecorabãt: post hos equites aulici, & magistri instruendarum acierum, quos noui Equites S. Spiritûs bini & bini, pallia aureis lilijs intertextis conspicui sequebãtur. Postremo loco Rex auro fulgidus incedebat, quem multi Principes & Nobiles Galli à tergo comitabantur.

Karpe expugnatur.

Beilius quidã Consulis Traiectẽsis filius, qui Ludouico Nassouio nuper militârat, astu superiori anno arcẽ Karpenã occupârat, Bloemiumq; Regis præfectũ laqueo strãgulârat. Erat hic Beilius homo maganimus, multi vini potẽs, & crudelis. is arce munita, prędas circũquaq; plurimas agebat, agrosq; latissimè vastabat, & villas, pagosq;, inter alios etiã pagũ Karpenũ, cum magnifico, in quo celebre erat Canonicorũ collegiũ, templo, incẽdebat. quarè Ordinibus gratus fuit, vt qui ex prędis multũ in ipsorum fiscũ inferebat. Ad arcẽ hanc expugnandã missum à Parmẽsi Octauiũ Gonzagã & Mondragoniũ diximus anteà. hi ad arcẽ castrametati, postridiè triũ Regũ, tribus in locis 12. maioribus tormẽtis muros verberârũt, stratisq; ruinis latissimis, vno assultu sequẽti nocte inuadunt. milites in vicina salicta ex arborib⁹ suspendũt. Beiliũ verò ad 13. diẽ post captã arcẽ reseruatũ, in patibulo ab ipso põti sublicio superstructo, suspendio necârunt. Referunt Bloemium, cùm ab eo laqueo suffocãdus esset, hũc infra annũ ante supremi iudicis tribunal citâsse, vt iniusti supplicij redderet rationẽ: atq; diuina dispositione factũ, vt eodẽ die, sequẽtis anni, eodẽ supplicij genere, eodemq; loco, sit enecatus.

Mors Comitis à Bossu.

Occupata Dauentria, Renneburgius in Brabantiam profectus, magna omnium illic gratulatione acceptus est. Audiuit hic competitorem suum Bossuuium ardenti febre extinctum esse: cuius officium nonnulli Renneburgio demandare voluerunt. Paulò pòst alius ei adfertur nuncius: Milites nimirùm suos sub centurionibus Vlitio, Vtervvikio, Vvarmelo, & Vveda, à rusticis in Drenta, eò quòd nimiam petulantiam atque violentiam exercerent, cæsos partìm, partìm fugatos esse. Præterea tanta erat præsidiariorum Dauentriæ relictorũ, tamque inaudita insolentia, vis, atque impietas, vt hostes improbitate vincerent, nec ciues diutiùs ferre possent. quarè coacti

Dauentrienses præsidio exonerari postulant.

1579 coacti sunt scribere ad Renneburgium, vt nisi suos periclitari velit, præsidium ex vrbe vocet, eamque pristinæ restituat libertati. quod ille non tam volens, quàm coactus fecit.

Groningensium cum vicinis secunda simultas.

Pace inter Groningenses & circuniacentes regiones, vt diximus, inita, cùm hæ minùs fideliter eam colerent, sed præter ius & ęquum nouum fœdus cum alijs prouincijs, nimirùm cum Vltraiectensibus & cæteris Vnitis, percuterent, idque non parùm in Groningensium (qui se Duci Matthiæ & generali confœderationi submiserant) præiudiciũ, simultas est renouata. Dum enim Groningenses se isti Vnioni adscribi recusarent, statim mandatum est Renneburgio, vt Groningenses obsideret, atque in suam potestatem redigeret. Cùm tamen ipsi & in officio manerent, & omnia facerent, quæ pacis conditionibus erant cauta, Entium dimisissent, & Archiduci omnem obedientiam pollicerentur.

Hannoniensium & Atrebatẽsiũ fœdus.

Anxium reddebant Auraicum Hannoniẽsium, Arthesiorum & Malecontentorum confœderationes, qui coniunctim ad Ordines reliquos scripsêre, se, si pacem Gandensem in omnibus, præsertim in articulo Religionis, obseruare velint, in fœdere permansuros: si autem mutationem Religionis promouere pergant, se à fœdere resilire, & meliorem fortunam sequi decreuisse. Ad quas literas cùm gratum responsum non acciperent, cum Duacensibus, Insulanis, & Orchesijs fœdus ineunt: in quo duo, Religionem scilicet Catholicam, & Regis obedientiam, à se mutuò stipulabantur. Perlata quoquè ad Ordines fama est, Malecontentos cum Mottæo, qui nouas reconciliationum literas à Rege denuò acceperat, consilia communicare, quæ vt interturbaret Auraicus, in Flandriam frustrà profectus est.

Ordines pacem nolunt, scribit Sanct. Aldegundius.

Comes Schvvartzenburgius adhuc Louanij hærebat, vbi (vt quidam scribunt) illi exhibitæ sunt à Parmensi literæ, à Sanctaldegundio ad quendam Senatorem Gandensem scriptæ, atque interceptæ: quibus inter alia disertè fatebatur, Ordines pacem nolle, sed eius desiderium tantùm simulare. Quod cùm Schvvartzenburgius Antuerpiam reuersus ad Ordinum Senatum retulisset, acritèr increpatus Sanctaldegundius, literas à se scriptas negauit.

Casimiri in Angliã profectio.

Frequens in ore Geusiorum erat, Casimirum breui ex Anglia, cum magno Scotorum atque Anglorum exercitu, ad quem colligendum eò profectũ sibi ipsi somniabant,

abant, reuersurum. Alij, quibus negocia patriæ magìs erant perspecta, eum ad Angliæ Reginam profectum aiebant, vt stipendia sibi debita postularet, ab ipsa, quæ illum è Germania ad Belgicam expeditionem euocârat. 1579

Iohannes interìm Comes Nassouius, Auraici frater, Geldriæ nuper Gubernator fratris promotione factus, nulla studia, nullósve labores intermittebat, vt ad exitiosam illam Vltraiecti conflatam Vnionem, nouos quotidiè proselytos adduceret, eamque venalem quibusuis regionibus & oppidis obtrudebat. Tergiuersabantur Flandri, Brabantini, Geldri &c. Cùm autem Nassouius partìm dolo, partìm persuasionibus Geldros huic Vnioni subscribere compulisset; Auraicus, cùm integras prouincias ad eam suscipiendam adigere non posset, singulas ad eam approbandã ciuitates solicitauit, suaque diligentia effecit, vt in Flandris Gandauẽses, in Brabãtinis Antuerpienses, Vnitorũ albo sese adscripserint. quotiès aũt noua ciuitas adlegeretur, magna lętitię signa Vltraiecti, alijsque in locis confœderatis, audiebãtur, videbanturque. *Iohannes Nassouius Vnionis Vltraiectẽsis promotor.*

Amorfortij, Zutphanienses, & Montfortij, qui Catholicam adhuc religionem incontaminatam seruabãt, omnemque nouitatem exosam habebant, huic Vnioni se aggregare noluerunt. Ea de causa quotidiè Ordines coadunati conuentus agebant: literis, internũcijs, blanditijs, minisq; eos ad se pertrahere nitebantur. Habebant Montfortij Dominum, qui illos defendebat. Habebant Zutphanienses munitam, & ad vires Ordinum repellendas, firmam satìs ciuitatem. Ab Amorfortijs igitur initium faciendum esse arbitati sunt.

Cùm ergò iam sępiùs illos ad Ordinum conuentus, quos singulis penè septimanis habebant, vocâssent, & quæ ad nouitates, consensumque Vnionis facerent proposuissent, Amorfortij iustis semper rationibus ea diluerunt. quibus in legationibus obeundis, Gerardus ex antiqua & nobili familia Spueldiorum, & Guilielmus Pilanus, egregiam sæpè operam patriæ præstiterunt. Tandèm in hunc finem iterùm in 20. Ianuarij diem euocantur, vtque Vnioni subscribant, iubentur. Respondent Amorfortij, se non antè de Vnione probanda, vel improbanda, agere posse, quàm liquidò constaret, Geldros, Transiselanos, & Frisios eam amplexos, eamque tam ab Ordinibus Generalibus, quàm ab ipso Archiduce Matthia approbatam esse: Generali fœderi se subscripsisse, & proindè, sinè communi sociorum consensu, nouum fœdus inire non posse. *Amorfortiorum & Vltraiectensium cõtrouersia.*

1579 posse. Vbì ab his approbatam esse Vnionem demonstratum fuerit, velle se, salua tamen Religione Catholica, saluis antiquis iuribus, immunitatibus, ac priuilegijs suis, cum Vltraiectensibus, de Vnione recipienda seriò tractare. Debebat hæc responsio, vt æqua, ipsis satisfecisse: sed inuidia & æmulatio inter vtranque vrbem, omnem rationem explosit.

Legatio Amorfortiorum.

Venit sub finem Ianuarij Arenaco Vltraiectum Comes Iohannes Nassouius, huius Vnionis prodromus. Suboluit Amorfortijs nouas insidias sibi strui, codicillos, libellosque ad ipsorum immeritam atque iniustam accusationem, ab occultis hostibus concinnari, Nassouio exhibendos. Decernunt itaque nouam legationem, dant eam primario Consuli M. Gerardo Scadikio, & nobilissimo viro Ottini ex Comitum Egmondanorum prosapia, nunc Sallandiæ Satrapæ, duobusque Scabinis, Antonio Brantio, & Iohanni Vvestrenensi: mandatum est ijs, vt inimicorum calumnias coram Nassouio diluerent, & æquitatem suæ causæ demonstrarent: peterentque, Nassouius adlaboret, vt, sopitis inter vtranque vrbem controuersijs, in vnitate & concordia coalescant.

Vltraiectenses Amorfortiorum legatos capiunt.

Cùm itaque qui ab Amorfortijs missi erant, ad Comitem venirent, causam legationis proponerent, audiri se ad inimicorum calumnias postularent, priusquàm Comes acerbius aliquid in oppidum Amorfortium statueret: respondit Comes, ad se singulares aut capitales criminationes delatas non esse, tantùm nonnullos ad se venisse, qui quod in mandatis habebat, cuperent expediri. id se facturum, postquàm P. Busius, sibi adiunctus, aduenisset: redirent itaque legati ad hospitia sua, & postridiè reuerterentur. quod & factum est. Reuersi ad ædes, in quibus diuersabatur Comes, captantes illum conueniendi occasionem, à militibus eum in finem missis appræhensi sunt, & in captiuitatem, solo Egmondano dimisso, abducti. Cumque in itinere dicerent, se in legatione esse, iniquum & omnium gentium iuri contrarium legatos violari: respondit Pilius Canonicus, qui huius author erat: se in mandatis habere, vt eos abduceret: ignorans homo, chorum non forum sibi commissum. Cùm Amorfortij rogarent, à quo id mandatum esset, & quam ob causam caperentur: nec authorem, nec causam potuerunt extorquere. In carceres itaque aut publicā custodiam abducti, ibique

ibique detenti sunt, donèc data dextera, & decem flore- 1579
norum millium fideiussione facta, quòd vrbe non exi-
rent, in publicum hospitium dimitterentur.

Magistratus Amorfortius iniuriam conquestus, literas ad Vltraiectenses scribit, suos liberos dimitti cupit, aut causam dici. Responsum est, se authores captiuitatis non esse, nec suo mandato illos posse dimitti. Similes literæ datæ sunt ad Nassouium: sed & ipse negat, se authore illos captos esse. Detenti sunt itaque optimi viri per aliquot septimanas, nec cuius mandato, vt cum eo iure agerent; nec ob quam causam, vt se purgarent, indagare potuerunt. Intereà Nassouius interpellatus, ad Amorfortios scribit, se iam diuersis locis de Amorfortijs querelas audiuisse; Vltraiectenses, & vicinos populos, eos suspectos habere: nolle eos communi Ordinũ conclusioni acquiescere: mandatis Auraici non satisfacere: factis & verbis indicare, se Auraicũ, eiusque mandatũ floccifacere: ab ijs tam in Principem, quàm in suã personam contumelias varias proferri: indictos census nolle pendere: quosdam Ordinibus militantes vrbe expulisse: contra pacis Gandauensis præscriptum concionatorem eiecisse, & cum hostibus patriæ clandestinas conspirationes fouere. Eadem & vocatis captiuis exposuit, illud tanquàm capitale addens: quòd Amorfortij D. Decanum I. Bruhesium, aliosque exules Catholicos, in vrbem recepissent, & adhuc sustinerent. Senatus, acceptis literis, ad singulas calumnias grauitèr, prudenterque respondit, eas irrefragabilibus argumentis diluens. Horum omnium, literarumque & actionum præcedentium, authenticæ apud nos apographæ reseruantur. Sed postquàm Senatus cerneret, nullum apud vicinos iustitiæ locum reliquum esse, Doct. Godefridum Stegium, & Assuerum Santvvichium, ad Archiducem, & Auraicum (vbì adhuc vmbra iustitiæ relicta esse videbatur) eis iniuriam exposituros legârunt.

Vltraiectẽses nec causam, nec authorẽ captiuitatis dicere volunt.

Dum sic inter sese Ordines altercantur, potioribus rebus neglectis, Parmensis felici auspicio bellum prosequitur. Oppidum Vverdense capit, vnà cum arce, rebellesque aliquot mulctauit: ad Endouiam felicitèr pugnat: Turnhout, vbì Ordinum milites hybernabant, occupat, atque indè ad mœnia vsque Antuerpiensium excurrebat.

Vveert capitur.

Vicecomes Gandensis Robertus de Meleun, & D. de Capres, circa idem tempus cum Motteo contrahũt: protestan-

Fœdus Malecontentorũ cum Mottao.

1579 testantes se Religionem Catholicam, & obedientiam Regis propugnaturos, si Rex promissis steterit, atque Hispanos, Italos, Sequanos, aliosque milites, patriæ minus gratos, promptè dimittat: Si id facere detrectet, se bellum cum cæteris prosecuturos. Huic pacto se Montygnius subscripturum pollicetur, sexto die, postquàm illud horum duorum, atque ipsius Mottæi manu subsignatum vidisset. Mottæus conditionibus ad votum eorum subscripsit. Intereà literas ad Atrebates atque Hãnonios dedit Rex Philippus, quibus eos in gratiam recipiens laudat, quòd alijs prouincijs exemplum pietatis, Religionem Catholicam obseruando, & fidelitatis, in Regis sui obedientia perseuerando, præbuissent. Quarum literarum copiam vt ad Ordines Antuerpiæ congregatos mitterent, à prædictis prouincijs Mottæus impetrauit.

Vltraiectenses Amorfortios hostes proclamant.

Vltraiectenses, vt ad libidinem suam in Amorfortios diuexãdos commodiùs peruenirent, ad diem 14. mensis Februarij, publico edicto Amorfortios hostes patriæ declarârunt, & nè quis cum eis negociaretur interdixerunt. Nè quis autem hoc mandatum violaret, aliquot manipulos sicariorum & prædonum emiserunt, qui quicquid ipsis adueheretur interciperent. Tulêre patienter illud Amorfortij, & apud Gubernatorem iniuriam conquesti sunt. Septimo deindè mensis sequentis, collectis aliquot copijs, profunda adhuc nocte, ante oppidum Amorfortium castrametati sunt. Erat tunc temporis secundarius in vrbe Consul Cornelius Reinerius, is, capto collega ab hoste, vrbis tuendæ curam suscepit: iubet confestim in armis adesse ciues: dein quicunque suspecti erant, in curiã duci mandat, ibiq; in libera custodia asseruari: pòst ad mœnia defendenda simul cum reliquis ciuibus aduolauit. Hostis gerras ex vasis vinarijs disponit, iniectaque terra complet, dum alij liberiùs ad mœnia procurrentes, ciues prouocarent. Hi è mœnibus ac turribus eiaculantes, multos interfecerunt. atque ita leuitèr pugnatum est, ad horam secundam pomeridianã. Tunc globo facto, aliquot signa hostili impetu in mœnia ducunt, fossam exteriorem tranant, vallumque occupant. Oppidani, emissa glandium maxima procella, ingenti illos tempestate è vallo proturbant, & pedem referre compellunt. qua in pugna multi ex hostibus ceciderunt, vno tantùm ex oppidanis vulnerato. Accrescebant hostium copiæ, Geldris, Hollandisque nouas submittentibus. Circa vesperẽ septem maxima tormenta, ad muros concutien-

Vltraiectenses et cõfœderati Amorfortiã obsident.

cutiendos, eosque aperiendos, in castra hostium attracta 1579
sunt. Erant frequentes eo die pluuiæ, ità vt hostis puluere madefacto, extinctoque fomento igniario, ad pugnam ineptus esset. Id non ignorantes oppidani, Consulem rogant, vt ducentos aut trecentos (qui operam suam offerebant) emitteret in hostium castra: non redituros se aiūt, nisi hoste castris exuto, tormenta, omnemque apparatum bellicum in vrbem referrent. Sed Consul prudentior vrbem, ciuesque periclitari noluit; non ignorans hostium damna, nouis accitis copijs resarciri posse, obsessos à nemine subsidium expectare.

Intereà qui in obsidione erant, literas ad Magistratum mittunt, quibus deditionem oppidi postulabant, in medio leuitèr Ordinum diœceseos mentio fiebat: initium & finis illam postulationem ex nomine Nicolai Zulenij, Frederici Vtenengij, & Henrici Buttij, priuatorum hominum, fieri arguebat. Magistratus, lectis literis, respondet, se immeritò ab inuidis & clancularijs hostibus accusari, iudicio Archiducis Austriaci & Auraici Principis se sistere velle, coram his sese purgare, & illorum decisioni acquiescere: petere itaque, nè quid hostile in oppidum moliantur.

Authores obsidionis.

Media nocte Doctor Godefridus Stegius, legatus oppidi ad Principem Auraicum, ad portam magno suo periculo venit. in vrbem receptus est, ciues bono animo esse iubet, ingens oritur in vrbe lætitia. Is literas Auraici attulit, quibus Vltraiectensibus mandabat, omnem hostilitatis denunciationem abrogare: captiuos Amorfortios cauta fideiussione dimittere: vtrinquè legatos ad se cum authoritate sufficienti amandare, qui coram se & Archiduce arbitro litem exponant, iudiciumque & sententiam audiant. Dum leguntur literæ, hostes in suburbium ignem conijciunt, & ædes quasdam incendunt, maiusque tormentum explodūt. Magistratus literarum copiam cum certis hominibus in castra mittit. legunt qui præclaræ huic præerant expeditioni. Respondent illi, se Auraici mandato nolle refragari, placere sibi vt vtrinquè ad ipsum legati mittantur: interim oppidum ad suum imperium, aut vi, aut deditione cogere velle. Manè expeditis atque dispositis machinis, ità ad oppidum fulminabant, ità intonabant, vt circa meridiem portam vnam disturbauerint. Venit intereà Comes Nassouius in castra, cuius aduentus non minimas turbas in oppido concitauit. qui enim anteà, visis Auraici

Auraici literæ de hostilitate reuocāda.

Nota.

1579 literis, credebant Vltraiectensium priuatam esse factionem; nunc literas istas fictitias, & Auraici mentem longè aliam esse existimabant. & sanè Auraici synceritatem non parùm aduentus iste reddidit suspectam, dum scriptum à mente discreparet. Adduxerant & hostes Consulem, cæterosque Senatores in castra captiuos, ijsque dira minabantur, nî se dederent oppidani.

Magistratus cùm synceritatem nullā, nullam fidem aut iustitiam, neque apud principes, neque apud subditos inueniret, nec aliundè se auxilia expectare, nec hostis violentiam sustinere posse, facilè animaduerteret; satis se in defensionem iustissimæ causæ suæ fecisse arbitratus, de deditione facienda cœpit cogitare. Intereà hostis dato signo impressionem facit, totisque viribus muros oppugnat: Ciues accurrunt, fortitèr resistunt, fit atrox pugna, multi ex hostibus cadunt, è ciuibus nullus desideratus.

Oppugnatur Amorfortia.

Reiecto hoste, Magistratus in castra mittit, qui conditiones acciperent, priuilegiorū obseruationem paciscerentur, de Religione nullam facerent mentionē: si vltrò Catholicæ conseruationē hostes offerrent, eam acceptarent. Prudēter enim Magistratus sibi persuadebat, id quod factum est, statìm Caluinismum introducendum. ne ergò sub prætextu vtriusque religionis pacti, Magistratus in illam consentire videretur, cum qua suā diù stare non posse, aliorum exemplo didicerat; maluit vim sustinere, quàm aliquid in suæ fidei præiudicium statuere.

Magistratûs de deditione cōsilium.

Transacto deditionis negocio, acceptisque conditionibus de conseruandis priuilegijs, promissaque liberalitèr Catholicæ Religionis conseruatione, oppidum Vltraiectensibus traditum, ac decimo die Martij præsidium acceptum. Mox patibulum medio foro erectum, ex quo suspenderentur ij, qui in Catholicos (scilicèt) insolentiores essent. Mox Senatum, contra præcedentis diei pactum, mutârunt; Prætore officio suo deiecto, alium in eius locum surrogârunt, vrbique ab eo tempore huc vsque, pro sua libidine dominantur.

Deditur Amorfortia.

Hæc ideò latiùs referre volui, vt patriæ meæ innocentia toti mundo constaret: nihilque ab eo tempore in administratione Reip. actum, quod non ab Vltraiectensibus directè aut obliquè sit profectum. quæ si laudanda vel improbanda sint (id enim iudicium aliorum esto) præmium libenter illis cōdonamus. Id autem non de omnibus dictum velim, sed de quibusdam. magna etenim Vltraic-

traiectensium pars, viri probitate conspicui, & tranquillitatis amantes, quorundam conciuium suorum studia detestabantur. 1579

Renneburgius intereà Groningenses ad confoederatorum partes cogere volens, copias suas in vicinos pagos duxit. Groningenses beneuolentissimis literis Renneburgium inuitant, vt ipse in vrbem veniat, querelas audiat, & æquitatem causæ cognoscat. Sed ille venire nolens, iudicium Cameræ regiæ suspendit, multaque hostilitatis indicia præbuit. ad quæ non ille natura sua propendebat, (erat enim optimè in fide Catholica, suique principis institutus) sed à confoederatis & Consiliarijs Vfkens & Entes, hominibus perditissimis, incitabatur. Confoederati paulò pòst mandant Renneburgio, vt Delfzijl & Vvinsem muniat, sumptus vicini circuniacentesque regiones faciant. Ille verò rem cominùs aggrediendam ratus, in Selvvart, Virginum monasterio, non procùl ab vrbe, munitissimum propugnaculum ædificauit, in illudque omnes copias suas deduxit. Nihil adhuc hostile tentabant Groningenses: immò hostibus commeatum submittebant. Primo verò die Iunij, dum hostes liberiùs ad portas excurrunt, & procacitèr cum oppidanis contendunt; oppidani eos in fugam vertunt, & tres in vrbem captiuos reducunt. atque ita primum huic belli classicum datum est.

Groningẽses iterùm obsidentur.

Dum hec vltra Rhenum fiunt, ad Scaldim, in suburbanos Antuerpiensium agros excurrentes regij, munitionem firmissimam in Burgerholt, quam Ordinum milites Galli, Angli, & Scoti defendebant, adorti capiunt: præsidiarios ad fossas vrbis insequentes, trucidant, atque suburbium incendunt. Arthesij atque Hannonienses ad literas suas quotidiè responsum ab Ordinibus expectabant: sed pridiè quàm constitutus terminus expiràsset, Ordines Mottæum Regis nomine hostem patriæ declarârunt, quem diuersis literis Rex ipse amicum agnoscebat. Angli, Scoti, Galli, Ordinibus militãtes, cùm stipendia non annumerarentur, præfectos suos Antuerpiæ ante ædes, in quibus Ordinum senatus erat, appræhensos, ad solutionem vrgent: sed interuentu custodiarum Archiducis & Auraici, lis sinè sanguine est dirempta. Milites tamen furore incitati, Abbatem S. Michaëlis compræhendunt, iniectumque in celocem Anglicam, nisì Auraicus interuenisset, captiuum auexissent.

Burgerholt capitur.

Tumultus Antuerpiæ.

1579 Paulò pòst Pontificis, Imperatoris, Regis Hispaniarum, Belgarumque Legati, Coloniam venerunt, vt negocium pacificationis Belgicæ tractarent. Pontifex eo cum potestate legauit D. Io. Castaneum Episcopum Rossensem; Cæsar Coloniensem & Treuirensem Electores, Herbipolensem Episcopum Iulium, Comitē Ottonem Henricum Schvvartzenburgium; Dux Iuliacensis Vvernerum Gymnicum. A partibus dissidentibus & quidem à Rege Catholico missus est Carolus Arragoniæ, Princeps Castri veteris, Nouæque terræ Dux, Marchio Abulæ, Comesque Bergedij. Ab Ordinibus autem Dux Arscottanus, Abbas S. Gertrudis, Abbas Marollius, Bucho Ayta Præpositus S. Bauonis, Caspar Scetz D. in Grobbendonk, Adolphus Meetkirchen, & alij nonnulli. Dies comitiorum ad 29. Martij dictus erat: sed quia non omnes tunc conuenerant, terminus est prorogatus.

Legati ad pacificationem Coloniensem missi.

Eodem ferè tempore Atrebates, Hannonij, Duacenses, Insulani, atque Orchesij de paciscendo certis conditionibus cum Rege Hispaniarum Principe suo conuenerunt. Ordines verò ad Alenconium in Galliam legationem mittunt, se excusantes, quòd post abitum eius nunquàm ab ipsis salutatus esset: renouantesque omnia quæ hactenùs inter Belgas & Alenconium acta & conclusa erant, se iam Duci abundè satisfacturos pollicentur.

Malecontenti cum Rege paciscuntur.

Mottæus omni diligentia Regis mandata faciebat, vi atque deditionibus vicina loca in fidem ac tutelam Regis afferebat. cuius beneuolentiam cùm Audomarenses conspicerent, se, suamque vrbem eius defensioni condonârunt: & amicissimo fœdere Montygnius Regulus, cum eodem Mottæo, societatem confirmauit.

Audomarenses se Regi dedunt.

Princeps Illustrissimus Parmensis toto pectore expugnationi vrbis Traiectensis incumbebat. Initiò Aprilis vtranque Mosæ latissimi fluminis ripam tribus stratis pontibus iungebat, vt exercitum ducere ac reducere posset, quam in partem velit. Castris deindè dispositis, aggeribus inclusis, propugnaculis, apparatuque bellico munitis, occultum iter Bruxellensis portæ intercipit, impeditque, nè munitione iuxta eam excitata oppidani vti possent. Dispositis tandèm tribus in locis maioribus tormentis, vrbem concutere cœpit, ad diem Aprilis octauam.

Traiectū oppugnatur.

Hannonienses & Atrebatenses, cum confœderatis, vltimò ad Ordines Antuerpiæ congregatos scribunt, si fortè eos ad saniorem mentem reuocare possent; sin minùs,

Malecontenti ad Ordines scribunt.

nus, saltèm omnibus testatum relinquerent, se nō præcipitanter, aut temerè à fœdere Belgico resilijsse. Eodem tempore & Parmensis Ordines ad pacem admonebat, & Legati Principum Coloniæ Belgarum legationem expectabant. quæ quia non mittebatur, Colonia nūcius cum literis ad Ordines expeditur, in quibus, vt legationem maturarent, hortabantur. Multis enim procrastinatio hæc suspecta erat, scrupulumque inijciebat, verum esse, quod Sant Aldegundus Senatori Gandensi nuper scripserat: Sed priùs quàm literæ Antuerpiam allatæ sunt, Archidux & Ordines, ijs quos paulò antè enumerauimus, legationis negocium dederant. Sed Auraicus intellecto, quod in pleno Senatûs Ordinum Hannoniæ, Arthesiæ, & ciuitatum Flandriæ Gallicæ consessu, articuli pacis & reconciliationis regio Gubernatori proponendi concepti & definiti essent, eosque suis studiis parùm conuenire, scribit Arscottio indignabundo stomacho, non Coloniam, sed Atrebatum legatos mittendos esse: ibi enim & citiùs & faciliùs pacis negocio per Parmensem, quàm Coloniæ per Cæsarem, finem impositum iri. Qui autem Coloniam legati erant, 8. Maij tandèm ad comitia venerunt. 1579

Traiectū oppugnatur. Parmensis cùm iustam ruinam strauisset, Traiectum oppugnauit. Duo Germanorum signa, mœnia iam superârant: sed præsidiarij tanto in eos impetu ferebantur, vt retrocedere cogerentur. plumbi liquefacti, & feruentis olei tantam vim in oppugnantium densissimos cuneos effuderunt, vt receptui canere regij compulsi, plurimos è suis desiderauerint. Cui incommodo hoc accedebat, quòd puluis tormentarius malè custoditus, igne correpto, Hispanis non leue damnum intulerit.

Tumultus Antuerpiæ. Sub idem tempus Antuerpiæ in publica supplicatione, quam & Archidux Matthias sua præsentia condecorabat, subitus tumultus à Caluinianis concitatus est, & postridiè decretum, vt omnia templa occluderentur, diuinus cultus cessaret, 18. sacerdotes & religiosi in exilium eijcerentur. Mechliniæ quoquè inter ciues & præsidiarios tumultuatum est: sed intercessione Domini de Merode, controuersia sinè cæde sopita, sic tamen vt præsidiarij vrbem relinquere cogerentur.

Pax Malecontentorum. Dum hæc apud Ordines aguntur, Atrebatensium, Hannoniensium, & confœderatorum legati, in castra ad Illustriss. Principem Parmensem veniunt, pacem postulantes. Excepti sunt magna cum gratulatione: & quia can-

1579 candidè agerent, & in duobus præcipuis controuersiarum capitibus cum Rege, eiusque Gubernatore consentirent, nullo negocio pax definita, & 27. articulis comprehensa, ipsis est concessa, & à Parmensi confirmata.

Supplicatio Coloniẽsis pro felici pacificatione. Vltimo Maij Gebhardus Elector Coloniensis, vt felix faustumque daret pacifcendi Belgico negocio auspicium, insignem Coloniæ, assentiente amplissimo vrbis Senatu, Supplicationẽ instituit. in qua, præter infinitum vrbis Clerum, præter Magistratum, innumerabilemque piorum hominum multitudinem, Pontificis, Imperatoris, Regis Hispaniarum, aliorumque Principum Legati, viri Illustrissimi, summa humilitate, deuotione, raraque pietate videbantur, benignitati Domini supplicantes, vt suæ indulgentię clementissimis oculis, in suam perniciem præceps ruens, Belgium respicere dignaretur.

Tumultus in Normãnia. In Gallia, præsertìm Normãnia, noui tumultus circa idem tempus exorti sunt. Nam cùm Rex, ob continua præcedentium annorum bella, multa nomina fecisset, vt tandèm nonnihil se expediret, grauique ære alieno regnum releuaret, indictiones fecit. quæ quia fortasśis grauiores erant, & subditis superioribus bellis penè exhaustis intolerabiles, Normãni tumultuari cœperunt. quod cùm Rex ægrè ferret, magnam equitum, peditumq; manum misit ad eos compescendos. hæc Natalis.

Competitorum regni Lusitanici genealogia. In Lusitania, Regni Competitores inter sese certabant. Vt autẽ, quale cuique ius fuerit, lectori aliquo modo constet, hîc Regũ Lusitaniæ genealogiã lubet paucis recensere. Alphonsus sextus Hispaniarũ Rex, spuriã habuit filiam, nomine Teressiam. eam Lotharingo Hẽrico Gallo in vxorem collocauit: idq; ob egregiã in bellis operam nauatam. Dedit huic in dotem Lusitanię Ducatum, *Portugallia olìm Ducatus.* qui posteà in regnum cõuerso nomine mutatus est. Multis intercedentibus regibus, & annis interiectis, tandèm Regnum successione ad Emanuelem deuoluitur. cuius filij, filiæq; ordine fuêre Iohannes, Isabella, Beatrix, Lodouicus, Alphonsus Cardinalis, Henricus Cardinalis, qui huius anni initio vitæ fabulam Rex vltimus peregit, & Odoardus. Iohanni primogenito nati sunt Iohannes, & Maria, quæ Philippo Hisp. Regi nupsit. Iohannes Sebastianum genuit, quem Maurorum armis occubuisse diximus. Ex Isabella, Carolo V. nupta, Philippus Hisp. Rex natus est. Lodouicus legitimam sobolem non reliquit; filium tamen Spurium, Antonium nomine, quo cum Philippus posteà bellum gessit, ex Iolenta ignobili fœmina pro-

na procreauit. Natæ sunt tamen fœminæ ex Odoardo, Maria, Raynutij Principis Parmensis vxor, & Catharina Bragantię Ducissa. Ex Beatrice natus est Allobrogū Dux: sed is de regno noluit cum Philippo contendere, eò quòd mater posterior esset nata. Antonius itaque Spurius, & Bragantię Dux, iura sua colligunt, & postulant regni successionem. Antonius famulum testē produxit, qui illum non spurium, sed legitimo natum toro demonstrare conabatur. Quod cùm Antonius patruo suo significaret, successionemq; peteret, Henricus eius impudentiam adeò indignè tulit, vt eum confestìm in exilium eiecerit. Lusitani interìm sublata successione, vrgebant electionem: & quia comitiorum de nouo Rege creando dies iam instaret, Philippus eò misit, qui sua iura tueretur. 1579

Antonius testimonio serui se legitimum probare vult.

In Belgio, qui in obsidione Groningensi erant, varias ex suburbanis prædas agunt. multæ eruptiones, multæ fiunt velitationes. Cumque Groningenses 5. & 6. Iunij parùm felicitèr pugnâssent, de pace cogitârunt, & legatos in castra miserunt. Quod cùm audîssent Reinerus Azuuijn, Loefius Verhaer, & Reinerus Cant, qui Vltraiecto Leovvardiam missi erant, vt Leovvardiam, Franekeram, Sneekam, Boelsvveerdam, Ylst, Staucrē, aliaq; oppida Frisiæ ad fœdus suum adducerent (quod & Iunij primo fecerant) statìm in castra proficiscuntur. Fama enim erat Traiectenses extremè periclitari, & Malecontentos Regi esse reconciliatos. metuentes igitur nè Groningenses Parmensem inuocarēt, suadent quoquo modo cum illis paciscendū esse. Transacto itaque pacis negocio vndecimo Iunij, dati sunt ab oppidanis obsides Ioachimus Vbbena, Christophorus Deest, Ioa. à Ballen, Euerardus Simonius, Gerbrandus Heynents, & Popko Euerardus, qui 14. die traditi Campos abducti sunt. Eodem ferè tempore Renneburgius Vnioni subscripsit in Vvinsum: eiq; promissio sex florenorū milliū, à Florentio Tin paulò antè oblata, nūc est cōfirmata. atq; ità 18. Iunij obsidio Groningensis soluitur, & exercitus in vicinos pagos, illis nequicquàm fremētibus, tātis sumptibus nihil aliud actū esse, distribuitur. Renneburgius, dissuadētibus Vfkens & Kornputtio, suadētibus verò Oyenbruggio & Gruytero, ipso die S. Ioānis Baptistę (quo Maria Regina, quo Comes Buranus, quo Arēbergius Gubernatores vrbē hāc ingressi erant) cū familia sua intrauit: Magistratū mutauit, Ordinū partes sequētes cōstituit. Indè Religionis vtriusq; permissio promulgatur, & Caluinianis templa concedūtur.

Groningēses cū Renneburgio paciscuntur.

Frisij Vnioni subscribunt.

Idem facit Rēneburgius.

Rēneburgius Groningā ingreditur.

 Hære-

1579 Hærebat adhuc Parmensis in obsidione Traiectensi, nec muros verberare, nec cuniculos agere intermittens. Cæsar, persuasus à Belgis eam oppugnationem negocio pacis obesse, scribit ad Ducem Terranouanũ, petitque vt Parmensi imperet, obsidionem vt soluat. Sed Parmensis, vt cui diuturnitate consuetudinis Belgicæ, Ordinũ consilia magis erant perspecta, in incepto perseuerauit. Intereà Egmondanus Comes adspirans & ipse ad Regis amicitiam, collectis aliquot militum signis, Bruxellas astu non infelici inuadit, vrbemque occupat: sed pessimo vsus consilio, dum moram trahit, agitque segnitèr, præsidiarijs ad arma currentibus, in ipsa vrbe obsidetur, & vitam, fortunasque pactus, cum milite suo discedit.

Cæsar petit, vt Parmensis ab obsidione Traiectẽsi discedat.

Initio mensis Iunij, in ferijs Pentecostes, per diœcesin Vltraiectensem incolæ templa violârunt, Sanctorum imagines deiecerunt, structis medijs templis lucu- lentissimis ignibus, omnem in eos ecclesiasticam supellectilem coniecerunt, Catholicæque religionis exercitium interdixerunt. Vbì hìc pactum Gandauense? vbì Religionis concordia? vbì tua Florenti, quam enixa es, Chimæra? Vnionem dico Vltraiectensem. Vbì conscientia? fides? iuramenta tactis Euangelijs, augustissimique Dei nominis appellatione confirmata? Deus, ó Belgæ, non irridetur. Qaurto pòst die sententia in me, aliosque nonnullos fertur, ante occasum solis oppido cederemus. Ego non obscuris indicijs præuidens futurum, quod tunc euenit, triduo antè, quàm sententia ferretur, rus me contuli, è longinquo furoris euentum expectans. Profectus deindè Amstelredamum, in ipsa hora, qua in vrbem veni, mihi nuncius exilij est allatus, in quo sextum iam annum sinè magno tædio aut molestia dego. Duo enim me consolantur: primum, quòd non magis vbì nunc sum exulo, quàm ibi, vbì me ciuem esse putabam. patriam vnam agnosco, vnam expecto, ad quam anhelamus omnes, vndè vbicunquè terrarum sum, æquali me credo distare interuallo. Secundum: quia etsi patiamur, non tamen patimur vt homicidæ, aut fures, aut maledici, aut alienorum appetitores, sed vt Christiani: ideoque non erubescimus, sed glorificamus Deum, in isto nomine. Quid enim non patiamur pro Ecclesia Catholica, quæ nos Christo, & æternitatis gaudio regenerauit? Sed ad historiam reuertamur.

Vltraiectensium sacrilegia & Iconomachia.

Authoris exilium.

1. Pet. 4.

Princeps Parmensis, postquàm bìs irrito conatu, nec leu suo damno, Traiectum oppugnâsset, cuniculos promouit:

Traiectũ expugnatur.

mouit: petijtque, vt 20. maiora tormenta, sibi ab Episco- 1579
po Leodiensi, præter ea quæ in castris erant, mitterentur.
qui, quia ciuitatis pars altera Eburonum iuris est, nō tantùm id non grauatè fecit, sed præter tormenta, 4000. cuniculários, & diuersum belli apparatum misit. Iubet & Parmensis ex proximis munitionibus plures copias in castra venire: quibus viribus auctus, propugnaculum excelsum excitari iubet, quod ciuitati imminebat, & vndè facilimus in vrbem erat prospectus. in hoc tormenta aptè disponi mandat, & sinè intermissione ciuium ædes disturbari. nec segniùs alijs locis muros conuellit, tamque latè aperit, vt tandèm 29. Iunij, die Petro ac Paulo sacro, post diuturnam atque cruētam pugnam, vrbe sit potitus, & lege belli, omnes qui in armis erant, trucidauerit: cum cæteris verò clementer actum est.

Antequàm Traiectum occuparetur, Caluinianæ factionis homines, qui Buscoducis erant, sibi à Catholicis metuētes, clàm milites in vrbem introducere studebant: vt sic liberiùs Catholicos diuexarent. Catholici huius rei certiores facti, Caluinianos anteuertunt, tormenta bellica, locumque in vrbe commodissimum armati occupant. Ad arma ventum est, in sanguinem ciuilem ferrum seuit: cadunt ex Caluinianis 170. Catholicorum verò triginta, & cētum vulnerati. depositis tandèm armis, publicum edictum promulgatur, daturque omnibus eundi & redeundi licentia. cuius edicti beneficio, Caluinianorum ij quos scelerum arguebat conscientia, conuasatis omnibus aliò commigrârunt. quæ res Brabantinorum animos non parùm consternauit. *Buscoducēses suos seditiosos ciues eijciunt.*

Magis autem per omne Belgium, & prçcipuè in Geldria & Transiselania trepidatum est, ob captum à regijs Traiectum: & si Parmensis victorem exercitum in Geldros cum celeritate duxisset, vrbium incolas supplices habuisset, & fortè non fuisset, qui eius imperio restitisset. Sed obstabat Hannonēsium & Arthesiorum fœdus, cum Parmensi initum: quo cauebatur, vt omnis miles externus, relicto Belgio, ad sua rediret.

Qui in comitijs Coloniensibus erant, quotidiè conueniebant, & quæ ad pacem spectare videbantur, in medium consulebant. Intereà Legati Ordinum alterius partis Principibus, missas sibi ex Belgio literas ostendunt. in quibus præter alia, sibi gratulabantur Ordines, viam nūc defendendi Belgij inuentam esse, si Rex Philippus tolerabiles nolit concedere pacis conditiones: Alenconiū An- *Comitia Coloniensia.* *Cōmentū Ordinum.*

1579 gliæ reginam sibi matrimonio iuncturum: Belgas Regis Hispan. imperium eiuraturos, & Alenconij protectioni se submissuros. Sed hæc à prudētioribus facile contemnebantur, qui longo iam vsu Belgarum didicerant nundinationes.

Pacis Coloniensis articuli. Proponuntur itaque conditiones à Regijs, proponuntur & ab Ordinū legatis: ex quibus ab Imperij Principibus inter sese collatis, excerpti sunt vtrinquè viginti-quatuor articuli, quibus ea pacis forma comprehendebatur, quam æquā, quam iustam, quam vtriq; parti vtilem fore Principes iudicabant. Hæc ad Ordines Belgicos missa est, petitumque vt ab ipsis approbaretur.

Martinus Schenkius, vir in disciplina militari exercitatissimus, fortis & imperterritus miles, idē & dux victorijs multis clarus, ad Mosæ ripam, infra Venlonem in *Doetekū occupatur* castro Blyenbekano stationem titulo Regis habebat. Is occasionem nactus aliquot ex suis militibus Rhenum traducit, & summa celeritate Doetecomium, Comitatus Zutphaniensis oppidulum, occupauit: sed quia satis munitū non erat, & vicinæ ciuitates, antequàm muniri potuit, obsidione cinxerunt; tam imperator ipse, quàm milites, in hostium manus deuenerunt: lytroque paulò pòst annumerato, dimissi sunt.

Dum in Belgio pacis negocium ventilatur, in Polonia fremunt arma, & bellici inhorrent tumultus, exercitus coëunt, signa explicantur, sub finem Iunij Rex agmina in Moscum ducturus, Vilna Suirum profectus est. *Polonorū contra Moscos expeditio prima.* Mensis deincèps Iulij duodecima, edicto publico militibus Germanis, Vngaris, alijsque externis, quos in castris habebat, iustissimas belli suscepti causas exponit: quas me alio loco memini recensuisse. Habito deincèps maturiori consilio, quò primùm exercitus duceretur, decretum est tandèm, Polociam esse ducendum; tum quia arx illa hostilis Vilnæ proximè immineret; tum, vt si quandò in Moscouiam expeditio suscipienda esset, Rex belli officinam haberet, & Moscis viciniorem, & sibi commodiorem. Est autem Polocia arx munitissima, ad Duinam fluuium, Vilnensibus septentrionalis, non procùl à Nisca lacu posita. Statìm itaque Rex Palatinum Vilnensem cum aliquot Lituanorum, & Gasparum Bekkies cum Vngarorum copijs præmisit: vt itinera, nè quid auxilij Polocensibus aduehi posset, obsiderent. quod & factum est: licèt aliquot pedites & equites ante horum aduentum in arcem essent admissi. Rex cum exer-

exercitu propter tempestatis iniuriam, & viarum iniqui- 1579
tatem, cum tormentis bellicis, minoribus itineribus est
subsecutus. quo in itinere Kosianam, Krasnan, & Sith-
nam arces satis munitas cepit, atque incendio deleuit.

Rēneburgius Frisiæ gubernator, vt vindicaret Dren-
tanos, eò quòd milites suos initio huius anni malè mul-
ctârant, copias suas in Drentam mouet. Lingensibus & *Transise-*
Oldenzalensibus quoquè minatur, eò quòd Caluinismũ *lania mi-*
acceptare nollent. sed paulò pòst Vltraiectum profectus, *serè deua-*
eos in sua sententia reliquit. Eodem penè tempore, Præ- *statur.*
ses & Consiliarij Frisiæ, qui hactenùs in carceribus deti-
nebantur, in exilium eiecti sunt. Intereà Entius Comita-
tum Montensem & Zutphaniensem, cum Diœcesi Mo-
nasteriensi miserè depopulatur: & Snoy Zutphanienses
præsidiũ accipere cogit. Paulò pòst multę Casimiri, Hen-
rici Nothi Brunsuicensis, Barcmoorsij, & aliorum Ordi-
nibus militantium copiæ, quæ multo tempore stipendia
non receperant, & fame propemodùm erant enectæ, in
Transiselaniam cum impetu veniunt, atque omnia cir-
cunquaquè vastant, diripiunt, exedunt. Quæ violentia
pòst occasionē dedit Transiselanis, vt rusticos in Ordinũ
milites armarent, exactiones repræsentare noluerint, &
in conditiones pacis Coloniensis viderentur proniores.

Sed ad Polonos reuertamur. Vndecima mēsis Augu- *Progressus*
sti, Rex cũ exercitu Polociā venit, & sub ipsa mœnia ca- *belli Polo-*
strametatus, tribus in locis ciuitatem atque arcem obsi- *nici.*
dione cinxit. Postridiè impetu in ciuitatē facto, eam in-
cendit, & paucis horis euertit, eò quòd accessum Polonis
ad arcem prohiberet. Castris deindè propiùs ad arcē ad-
motis, summis eam viribus oppugnabat. Erant autē con- *Polocia op*
tinui imbres, qui non parùm Polonorum conatus impe- *pugnatur.*
diebāt. Mosci quoquè tanta fortitudine tela, ac flammas
hostiles, omnemq; belli ardorem sustinebant, vt in arci-
bus defendendis, nullis se gentibus ostenderēt inferiores.
Vigesima verò nona Augusti, quæ dies cæteris præceden-
tibus erat serenior, Poloni in fossas desilientes, Polottam
fluuium superantes, arduumq; cliuum, cui impositũ erat
propugnaculum, magna contentione, magnoquè discri-
mine subeuntes, ignem in propugnaculum illud infe-
runt: qui cùm vehementiùs exarsisset, in anteriori parte,
vbi sclopetariorum erat domicilium, aditum patefecit.
Poloni in ruinas desilientes, acerrimè inter fumos ac
flammas pugnâtunt: sed hostili impetu, ignisquè ardore
sunt reiecti. ex Polonis vigintiseptem ceciderunt, plures
vulne-

1579 vulnerati sunt: è Moscouitis ducenti occubuerunt. Rex nullum quiescendi, aut iterùm se muniendi spatium hostibus concedendum ratus, postero die in alias munitionis partes ignem conijcere iussit, iterumq; pars igne correpto deleta est. equites desilientes equis suis, & pedes manusque cum hostibus conferentes, tanta vehementia pugnârunt, vt hostis tandèm superatus, in illorum manus venerit. Rex Christianorũ sanguini parcere volens (sunt enim Mosci, etsi schismatici, tamẽ Christiani) omnibus facta vitæ gratia, qui sibi militare velint, stipendia decreuit: qui in Moscouiam redire mallent, viarum præstitit securitatem. Erant nonnulli ex ducibus & præfectis, qui se dedere noluerunt. hi captiui aliquandiù detinebantur. Atque hoc modo Polonus arcem hãc, quę à sex millibus (vt postea compertum est) armatorum defendebatur, sibi subiecit. Ingressi tandèm victores magnam cadauerum insepultorum numerum repererunt: tormentorum verò, pulueris, globorumque tantam vim inuenerunt, quanta in arce aliqua Christiani orbis, his rebus instructissima, posset reperiri. Ad huius victoriæ monimentum, Rex actis Deo summo imperatori gratijs, non statuas vel trophæa (quod Christophorus Vvarseuicius, in sua ad Battorem Poloniæ Regem parænetica, in illo laudat) non mutum, aut tacitum aliquid, sed domum orationis, sacrarium pacis, templum Deo Opt. Max. Patribusque Societatis Iesu, in eodem loco extruxit.

Polocia capitur.

Patribus Societatis Iesu collegium extruit Battor.

Rex belli fortunam prosecutus, Podoliæ Palatinum Mielecium cum equitatu peditatuque Polonico, atque aliquot Germanorum cohortibus Socolam misit, arcem munitissimam, ad Nisciæ ac Dryssæ fluuiorum complexum exædificatam. quæ tunc à multis Palatinis, propinquitate Ducis Moscouiæ, atque magno nobilitatis numero (qui quòd Polociam obsessam intrare non possent, hîc consederant) defendebatur. Vngaris verò Torouliæ occupandæ mandatum dedit: ipse Polociam flamma exustam, tormentorumque procellis stratam atque collapsam, curat quàm celerrimè restaurari. Turoulienses pręsidiarij conspicati turmas aliquot leuioris armaturæ peditum atque equitum, quos illi Cosacos vocant, rati totum adesse exercitum, nouaque clade Polociæ exanimati, per auersam portam erumpentes, relictis in arce suis Palatinis, fuga saluti cõsuluerunt. Palatini arcem defendere volentes, ad 4. Septembris ipsi cum arce, bellique apparatu & commeatu omni, regiam in potestatem deuenerunt.

Toroulia capitur.

nerunt. Sed miles qui arcem ceperat, custodiæ relictus, *1579*
igne malè custodito, paucis pòst diebus eandem incendio
rursùm, magno Regis dolore, amisit. Qui ad Socolæ ex- *Socola capitur.*
peditionem missi erant, transmisso Dryssa fluuio, oppor-
tunitate cui Socola adiacet syluæ, castra propiùs hostem
mouent. Munitionibus, præfectis, tormentisque disposi-
tis, globis candentibus rem periclitantur. tribus itaque
in hostiles munitiones perlatis, dum restinguendis duo-
bus occupantur, tertius vires cepit, ingentemque fumum,
mox flammam excitauit, quæ magnam munitionum
partem absumpsit. Præsidiarij dum vim incendij sustine-
re non possent, erumpunt, fugamque moliuntur: sed à
Polonis & Germanis reiecti, rursùm ad arcem recurrunt.
Poloni eos à tergo insequentes, se atque signa portæ ar-
cique inferunt. Sed qui supra portam erant in excubijs,
cataractam è turri portæ imminentem, in erumpētes de-
mittunt, aliosque receptu, alios verò subsidio atque adi-
tu excludunt. atrox fit pugna, æquata vtrorunque despe-
ratione, ob incendium, quod victos paritèr atque vincen-
ces extinguebat. Intereà qui foris erant, quanta vi pote-
rant cataractam conuellunt, adituque facto, Poloni qui
supererant saucij omnes atque ambusti, paritèr cum ho-
ste erumpunt. arx ipsa conflagrauit, & Moscorum qua-
tuor millia ceciderunt. Supererat arx Sussa, ad quam, ob
profundissimas in quibus sita est paludes, perdifficilis est
accessus: tamen cùm obsessi viderent, Polonum nihil re- *Sussa capitur.*
mittere de sua diligentia, lapsi animis, in potestatem Re-
gis veniunt, certis conditionibus præscriptis. Rex arcem
euertit, inuentaque in ea tormentorum, commeatusque
copia, cæterorum locorum præsidia communiuit. Ca-
ptis tam breui spatio septem munitissimis locis, Battor
milites in hyberna dimittit: comitiaque Varsouiam ad
Calēdas Decembris indicit. Intereà Philo Kmita, Smo-
lensciæ suburbia populatur, & Constantinus Ostrogiæ
Dux Czenihouiensem agrum vastat. Mecislauiensis ve-
rò præfectus, Iaroslauam oppidum cum pagis euertit.
Moscouitæ vndiquè se infestari sentientes, literas ad *Mosci pacē petunt.*
quosdam Poloniæ Palatinos mittunt, rogantes vt Regi
persuadeant, nè Moscouiticas ditiones bello deuastare
pergat: idem nè Magnus Dux Polonicis agris faciat, se
impetraturos pollicētur. Philo quoquè Kmita Orcacen-
sis præfectus, à Smolēsciano Palatino literas accepit, qui-
bus significabat, sibi à Duce mādatum esse, nè quam vim
aut iniuriam Polonici regni terminis inferat: Petere ita-
que

1579 que à Philone, nè quid & ipſe hoſtile in Magni Ducis prouincijs committat. quas literas Philo Regi tranſmiſit: ſed ille deliberationem omnem in proxima comitia reiecit.

Groningæ tumultuatur.

Duodeuigeſimo die Auguſti, Groningæ rursùs tumultuatum eſt. Venerat eò paulò antè Conſiliarius Rorda, vir nobilis, eruditus, prudens, & ſalutis patriꝗ ſuæ ſtudioſiſſimus. Miſſus is erat à Legatis regijs Colonia ad Groningenſes, cum conditionibus pacis Coloniæ conceptis, vt eas Magiſtratui, populoque exhiberet. Qui cùm Groningam veniſſet, ſtatim à Magiſtratu, qui è Caluinianis erat conflatus, apprꝗhenditur: Rogatur, quæ ſit eius audacia, vt eam pacis nundinationem obtrudere audeat hoſtibus, quæ ne ab ijs, qui neutri parti fauerent, approbaretur: eam nec ipſos Colonienſes ferre poſſe, qui Typographum, horumque articulorum impreſſorem, publico in foro cum omnibus ſuis libellis exuſſerint. Obſtupefactus Rorda, & impudens hominum mendacium admiratus, rogat quo die id factum eſſet? nominant diem, nominant horam. At, inquit Rorda, poſt id tempus ego Coloniæ fui, & ne tale quid ibì eſt ſomniatum. Illi in ſua impudentia perſeuerantes, eum in vincula coniectū, miſerè habuerunt. XVIII. igitur Auguſti, cùm idem Magiſtratus intolerabiles exactiones à populo poſtularet, populus partìm ob hanc cauſam, partìm ob ſcelus in Rordam perpetratum, ad arma ruunt, concurrunt, Curiam inuadunt, Magiſtratum pulſant, cogunt vt pacem Coloniæ factam amplectatur, Rordamque liberum dimittat. Sed dum alij factioſi ciues armati ad forum veniunt, res eſt compoſita. Rordam Senatus Renneburgio mittit, qui eum Pipenpoyo arcis Staueren ſis præfecto tranſmiſit. Intereà Legati Coloniæ congregati, eoſdem articulos ſecundò Groningenſibus miſerunt, cum ſeria admonitione, vt eas acceptarent, & Rordam è vinculis liberum reſtituerent.

Rorda capitur.

Legati Colonienſes Groningēſes ad pacem hortantur.

Dum hæc aguntur, Ballyus Renneburgio à ſecretis è Gallia Belgica venit, & pacem inter Malecontentos & Regem pactam, ab omnibusque penè Renneburgij cognatis & amicis ſubſignatam, ſecum adfert. monetur à diuerſis, huic vt ipſe quoquè ſubſcribat. Ille quid ageret initiò dubius, tandèm cùm conditiones illius pacis tàm æquas eſſe cognoſceret, de illis amplectendis cogitauit. Diſſimulans nihilominùs illud, cum aula ſua è Vollenhoof, in monaſterium Eſſenſe, quod eſt in

Rēneburgius Gallorum Belgicorū paci ſubſcribit.

agro

agro Groningensium suburbano, profectus est, & tandem mense Decembri rebus priùs compositis Groningam ingressus est. 1579

In Brabantia Comes de Reux, intercessione D. Petri Lupi, Carmelitarum ordinis Prouincialis, Mechliniam in fidem Regis Hispaniarum accepit. & paulò pòst Vvillebroeck occupauit. quo capto, facilè impediebat, nè quid commeatûs Bruxellensibus posset aduehi. Sed nō ità diù pòst, nescio quo consilio, munitionem hanc, maximi tamen momenti, reliquit.

Mechlinia se Regi dedit.

Hannonienses intereà, Arthesij & confœderati, pacem cum Rege initam promulgant: frequentesque in cęteris prouincijs conuentus quotidiè fiebant. expendebantur singula conditionum à Legatis Coloniæ missarum verba: literæ vltrò citroque missitabantur. Quædam prouinciæ, inter quas Transiselania, ad eas acceptandas pronæ videbantur: quædam ciuitates, vt Mechlinia & Buscoducum, sinè vlla difficultate huic Regis gratiæ sese condonârunt. Aliæ prouinciæ, quibus saniora deerant consilia, hanc pacis formulam fastidiebant. Illi qui postremæ Vnionis, Vltraiectensis nimirùm, vinculo erant colligati, publico scripto eam insectabantur. Nulla verò vrbs petulantiùs in conditiones huius pacis inuecta est, Arnemiensi, quæ ne à maledictis quidem sese potuit temperare, se etiàm mortem oppetere malle, quàm has conditiones approbare, contestata. Valencenenses verò ad conuentum Agrippinensem scribunt, sese conditiones Hannonensium acceptare decreuisse.

Buscoducenses Regi reconciliantur.

Arnemiensium contumax responsum.

In tanta prouinciarum dissensione, Legati quid agerent dubij, nè frustrà tempus tererent, & sumptus inutiles facerent, duos præscribunt Belgis terminos: priorem ad decimumoctauum Octobris, posteriorem ad vltimum mensis eiusdem, infra quos, quid de pace decreuissent, absolutè responderent. Expirauit tandèm constitutum tempus, nec ab Ordinibus Belgicis quicquam certi ad Legatos est relatum. Quarè Principes longioris moræ pertęsi, pacis negocio infecto, colloquium abrumpunt, & ad sua reuertuntur. Nuncius tamen Apostolicus, & Dux Terranouanus, cæteris omnibus abeuntibus, aliquandiù pòst Coloniæ permanserunt: expectantes, si fortè Ordines resipiscerent, & in æquissimas pacis conditiones tandèm concederent. quod quia facere noluerunt, & ipsi re infecta discesserunt. Qui verò ab

Comitiorum Coloniensium euentus.

1579 ab Ordinibus missi erant, cùm æquitatem Regis, Ordinumque peruicaciam ex comitiorum actis non difficulter intelligerent, ad suos reuerti noluerunt: sed plerique Regi reconciliati, partes deinceps illius sequebantur.

Philippus Rex Lusitanis bellũ parat.

Philippus Hispaniarum Rex, tum quia potiora iura in Regnum Lusitanicũ habebat, tum etiàm quia viuens adhuc Henricus Philippum tanquàm legitimum successorem nominauerat, Iurisperitos ad comitia Lusitanorũ misit, qui suum ius defenderent. Quidam Odoardi filias præferendas iudicabãt, & quidem Mariam Principis Parmensis vxorem, Catharinæ Bragantiæ Duci. Populus in Antonium Spurium propensus, ad electionem exclusa successione adspirabat. Quin & Angla & Galla ius in regnum hoc prætendere, ideoque res Lusitanicas defensuræ, dicebantur. & iam omnes viæ, quibus in Lusitaniam erat accessus, ab armatis obsidebantur. Philippus considerans negocium ad bellum spectare, iubet suos proceres ad omne mandatum esse paratos. Duci Medioli, Albuquercio, Francæuillæ Ducibus, alijsque, vt sese ad bellum accingant, imperat. rationes Siuiliæ & Marchionis Annonij recognoscit: omne aurum, ex America aduectum, ad se deferri mandat, magnamque pecuniæ summam, à Magno Duce Hetruriæ mutuò, nequicquàm Lusitanis apud Gallum conquerentibus, accepit: septuaginta peditum cohortes conscripsit, Lodronius octo millia peditũ colligit in regione Tiburtina. Petrus quoquè Medices cum decem millibus Italorũ, & Prosper Columna cum suis adesse iubentur. In mari mediterraneo classis centum & quinque triremium, octoginta nauium onerariarum, duarum quinqueremium, myoparonum, aliorumque nauigiorum apparatur, omniaque ad grauissimum bellum necessaria comportantur.

Bellum inter Turcas & Persas.

Turcæ cùm viginti millia equorum, & septem camelorum in fines Persarum (vt fieri solet per æstatem) adiuncto decem millium armatorum præsidio pabulatum misissent, à Persis ex improuiso circunueniuntur, omnesque, nullo fortitudinis edito signo, trucidãtur, armentaque diripiuntur. Hæc, & superioribus temporibus accepta damna, Amurathem permouerunt, vt de Mustapha Byzantium reuocando, & Sinamo Guletæ expugnatore, in eius locum surrogando, cœperit cogitare. Vt autem Georgianorum vires à Persicis disiungeret, eò quòd Persis auxiliari viderentur, in finibus maioris Armeniæ munitionem fortissimam iubet excitari. Persæ, cognito Tur-

Turcarum consilio, copias suas in duas diuidunt partes: 1579
alteram in hanc munitionem immittunt, qua & leui
prælio potiuntur: altera ad Vanni Babyloniæ oppidi expugnationem
proficiscitur. Intereà aduenien Sinamus
cum nouo exercitu, cùm intellexisset Persarum copias
auctas esse, prouocatus, cum ijs belli aleā periclitari non
est ausus: sed conuasatis omnibus, campum deseruit,
& Argironem se recepit. Insequentes eum Persæ, exercitûs
tergum adoriuntur, multosque cædunt, alios in fugam
vertunt. Indè ad munitionem Carsi, paulò antè ad
mare Euxinum extructam, proficiscuntur: quam breui
tempore, decem millibus Turcarum & Ianizarorum trucidatis,
expugnârunt. Sed & paulò pòst, cùm Sinamus Argirone
penuria plurimùm laboraret, Mahometi filium
in Persiam cum 13. equitum millibus abire iussit, & vt obuia
quæque diriperet, Argironemque cōportaret, mandauit.
ille non segnitèr imperata facit, prædaque onustus
maxima, cùm socia castra iam quasi in conspectu haberet,
à Persis, nil tale suspicatus, intercipitur, qui Turcis
omnibus occisis, prædam & captiuos recuperârunt. Dux
ipse, quatuor acceptis vulneribus, equi bonitate periculum
mortis euasit.

Decē millia Turcarum cæsa.

Dum tam felicitèr in Asia à Persis pugnatur, in Gallia
Bironius regulus Flauiobrigam ad Pyrenęos montes
vrbem, de nocte scalis admotis tentauit: sed quia scalæ
murorum summitatem attingere non potuerunt, conatus
eius elusus est. Fessensis quoquè Rex, à Lusitanis, Gallis,
& Anglis interpellatus, res Lusitanicas iuuare decreuerat:
sed Hispaniarum Rex, missa ad eum legatione,
causæ, iurisque sui bonitatem in regnum Lusitaniæ demonstrauit.
qua intellecta, Rex omne consilium belli
deposuit.

Sub finem anni, etsi Nuensis regulus multis in locis
felicitèr pro Belgarum Ordinibus pugnaret, Malecontenti
tamen Parmensem vrgebant, vt Hispanos, Italos,
Burgundos, aliosque exteros, à se dimitteret, initæque
pacis conditiones obseruaret. Prudentiores, etsi considerantes
Malecontentorum imbecilles vires, pugnandique
infelicitatem, Ordinum verò potentiam, & in regios
odium, Malecontentorum postulata iniqua iudicabant,
Parmensis tamen, nè querelarum alicui occasionem relinqueret,
Hispanos, aliosque externos milites, ad sua
remisit.

Hispani secundò è Belgio vocantur.

Sed & in Sicilia mons Aethna horrendis sub id tempus

Cōflagra-

1580 pus ignibus, magno fremitu, terræque motu exarsit: apertis quinque hiatibus maxima flammarum vis erupit, quę ad decē ferè millia passuum, fluminis instàr, magno cultorum locorum cum detrimento, profluxit.

tio montis Aethnæ.

ANNO 1580. Robertus Personius & Edmundus Campianus, sacerdotes Societatis Iesu, Angli natione, cum quibusdam alijs sacerdotibus Anglis, in patriam suam missi sunt, vt Catholicos, quorum in Anglia tunc maximus adhuc numerus erat, auxiliumque spiritale magno cum ardore sitiebant, verbi Dei Sacramentorumque administratione, alijsque rebus ad functionem Ecclesiasticam pertinentibus, adiuuarent. Erant tunc hæretici Angli in duas diuisi Sectas: quarum altera CaluinoPapistarum, eò quòd cum Catholicis aliquam haberent in diuinis rebus similitudinem; altera Puritanorum dicebatur, eò quòd puram sectentur Caluini doctrinam, nec quicquam cum Catholicis velint habere commune. Hæ Sectæ licèt capitali odio inter se diffideant, euulgatisque libris sese mutuò dilacerent: in persequenda nihilominùs & opprimenda Ecclesia Catholica conueniunt optimè, inque eius propugnatores grauissimis tormentis discruciandis conspirant.

Anglicanæ Ecclesiæ status & crudelitas.

Quarè cùm vtriusque arbitrio regatur Anglia, rogatæ sunt multæ leges, multa in Catholicos statuta supplicia: quorum alia pecuniaria sunt, alia sanguinaria dicuntur. Pecuniarijs mulctantur, qui ad Protestantium Ecclesias venire nolunt, aut exercitio ipsorum interesse: qui Missas audiunt, qui non publicam fecerint Religionis & Pontificis Romani detestationem, qui Reginam Anglicanæ Ecclesiæ supremum esse caput negauerint: qui res à Pontifice Romano consecratas gestârint: qui pædagogum Catholicum, aut ab episcopo Caluiniano non approbatum, domi aluerint: qui Romanæ Ecclesiæ reconciliatos aut reconciliantes non prodiderint: qui, vt aliquis eidem Ecclesiæ reconcilietur, procurauerint, consilium dederint, aut alium dedisse nouerint nec prodant: qui aliquem sciuerint persuasisse, procurâsse, aut consuluisse alicui, vt Romano Pontifici obediat, nec accusauerint: qui nouerint sacerdotem aliquem alteri absolutionem dedisse, aut dandi potestatem habere, etiamsi non exerceat, aut iactare se eam habere, licèt non habuerit: qui absolutum aliquem; qui deniquè dissuasorem

Leges & supplicia Catholicis in Anglia statuta.

tem Caluiniani dogmatis cognouerint, nec huiusmodi 1580
ad Iudicem detulerint, reumque peregerint. Omnibus his peculiares mulctæ sunt statutæ, alijs pecuniæ, alijs infamiæ, alijs incarcerationis, alijs exilij, alijs duæ simul, tres alijs, alijs omnes. Qui sciuerit aliquem Caluinismum dissuasisse, nec eum viginti dierum spatio ad Iudicem traxerit, amittit omnia quæ hæc vita potest dare commoda. qui verò Puritanismum, Anabaptismum, Arrianismum, aut Atheismum persuaserit, ad nullius tribunal vocatur. hîc leges silent, hîc iudicia aranearum telæ sunt.

Sanguinarijs verò pœnis in Anglia plectuntur, qui Pontificis Rom. authoritatem confitentur, qui eum appellant, aut eius diploma impetrant: qui res ab eo consecratas in Angliam importauerint: qui abiurationem Pontificis tèr oblatam recusauerint: qui Reginam Angliæ dixerint, scripserint, significauerint, aut rogati confessi fuerint, hæreticam esse: qui aliquem Ecclesiæ Rom. reconciliauerint, & qui reconciliati fuerint, quiq; eam reconciliationem procurauerint, aut ad eam instigârint: qui alicui persuaserint, cōsuluerint, aut sibi persuaderi passi fuerint, vt Rom. Pontifici obediant. Sacerdos qui aliquem absoluerit, qui absolutionis authoritatem habuerit, eam non exercens: qui habere se falsò præsumpserit, qui absolutus fuerit, qui procurauerit, aut consilium dederit, vt quis absoluatur: tandèm qui à Caluinismo aliquem dehortatus fuerit, vltimo supplicio punitur.

Lector hæc cum Inquisitione Hispanica, quā multi adeò detestantur, conferat.

Pœna autem eorum, qui in aliquod horum impegerint, hæc est: Condemnatus terraque protractus ad locum supplicij, in crucem rapiatur; viuus in ea pendeat aliquandiù, nec stranguletur: deposito posteà, paululumque respiranti, virilia amputentur, & igne in eius conspectu comburantur: cultro venter aperiatur, erutis ilijs etiàm cor & viscera, spiranti adhuc & reluctanti, manu carnificis euellantur, & in ignem iuxtà positum proijciantur: deniquè vt elixus, & in partes dissectus, ad varias vrbis portas suspendatur. Bona autem eius, & possessiones, ad fiscum transeant, nec eorum quicquam ad vxorem, liberos, aut consanguineos descendat, sed & ipsi illius ob causam perpetua infamia notentur, & omnis mortui posteritas sanguine degradetur. Antequàm autē ad hoc supplicium deueniatur, horrida sunt & inaudita, quæ in carceribus, præcipuè Londinensi, Eboracensi,

1580 Hultonensi, & Lansonensi, fidei Catholicæ assertores patiuntur. Quæ omnia latiùs in libello de Concertatione Ecclesiæ Anglicanæ, Treueris anno 1583. excuso, recensentur.

Non horruerunt immania hæc supplicia, quos modò diximus, Robertus Personius, Edmundúsve Campianus, quo minùs in Britanniam transfretarent, & pueris petentibus panem frangerent: qui multos ad fidem Catholicam reducẽtes, plurimos in ea corroborantes, Ecclesiam Christi mirum in modum amplificârunt, multísque gloriosissimæ martyrij coronæ causam dedêre: de quibus suo loco dicemus.

Mors Sabaudi & Regis Portugalliæ. Mense Ianuario Emanuel Philibertus, Sabaudiæ Dux, è viuis excessit: quem insecutus est Henricus olim Cardinalis, tunc Lusitaniæ Rex, vita cum morte commutata, & litigiosa regni relicta successione.

Aquisgrani hæreticæ conciones. Cùm Albanus Dux primùm Belgij administrationem suscepisset, multi alterius quàm Catholicæ religionis homines, relictis sedibus suis, Aquisgranum commigrârunt, eò quòd liberiùs ibi se viuere posse existimabãt. Qui cùm clàm hactenùs multos in vicinijs suis hæreseos veneno infecissent, rati suas iam res optimè stabilitas esse, apertiùs concionabantur. Magistratus verò partim proprio consilio, partim vicinorum Principum, Eburonum Episcopi, & Cliuiæ Ducis, admonitione motus, publicis edictis interdicit, nè quis huiusmodi factiosis concionibus sese im misceret. quod senatusconsultum paulò pòst singulis familijs seorsìm est denunciatum.

Cortracũ recuperãt regij. Per id tempus quidam sub Malecontentorum imperio militantes, Cortraci, Centronum oppido, sese occultantes, per noctem apud Scabinum, aliosque Catholicos diuersabantur. Erat in oppido frequens satìs Scotorum præsidium, quod in mœnibus ac portis excubabat. Manè facto Malecontenti, qui in oppido erant, ad portam Insulanam armati cõueniunt, & custodijs quæ in porta erant occisis, incendio signum dant Egmondano Comiti, qui in suburbanis campis illud obseruabat. Ille, viso signo, mox cum copijs ad oppidum accurrit, & portam occupat, suosque ad forum ducit. Scoti quoquè armis arreptis hostem oppido repellere contendunt: fit atrox pugna, regij superiores, Scotos passìm interfecerunt, & vrbe potiti, suam causam multò quàm anteà reddidêre meliorem: nisì quòd Catholici in hæreticorum vrbibus latitantes, in magno versabantur metu, aut mortem, aut certum exilium

um veriti, eò quòd hoc facto Catholici omnes in prodi- 1580
tionis venissent suspicionem.

Eodem tempore obsides Groningensium Campos nuper abducti, in patriam vrbem reducuntur, magnaque cum lætitia excipiuntur, cùm vigesimoprimo mensis eiusdem, Cornelia Lalcinia, soror Renneburgij, cum coniuge suo Barone de Monceau Groningam venit, fratrique reconciliationem cum Rege Hisp. attulit. Rustici intereà Drentani, equitum Ordinum violentiam diutius ferre, cùm nec possent, nec vellent, armati magnis globis conuenientes, Dodonem à Laer, & Rijnsvvondam cum suis Drenta eiecerunt.

Leovvardienses castrum expugnant.

Frisij clandestina consilia Renneburgij suspecta habuerunt. Quarè Leovvardienses Cal. Februarij, dispositis in suburbio duobus militum signis, qui à tergo castrum obseruarent, ipsi à fronte, præmissis, qui in vrbe erant monachis, gerras extruunt, & castrum obsident. Scagen præfectus territus, mox castrum dedidit. Aedificârant illud anno 1499. Leovvardienses, compulsi à Vvilebrordo Scouuenburgio, archistratega Ducis Saxonis Alberti, & hoc anno, partem quæ vrbem spectat, diruerunt. Paulò pòst Franciscanos magna cum insolentia vrbe eiecerunt: eorum monasterium, in quo patris mei, olìm vrbis huius Medici, monumentum erat, miserè diripuerunt.

Harlingensis arx deditur.

Renneburgius, audito hoc tumultu, atque Leovvardiensium temeritate, Ballium Secretarium suum eò misit, vt populum compesceret, atque in ordinem redigeret: cum in finem dederat ei instrumenta, sigillo & subscriptione sua munita; munda tamen, vt ipse quæ è re essent inscriberet. Sed in vrbem venientem Secretarium capiunt, captumque in mundis istis instrumentis mandatum ad Oyenbrugij arcis Harlingensis Satrapæ Vicarium scribere compulerunt, vt arcem obsessam in manus obsidentium condonaret. quod cùm Vicarius accepisset, non expectans secundum mandatum, statìm hostibus arcem tradidit. Ea anno 1496. à Groningensibus, tunc Frisiæ totius victoribus, erat ædificata, posteà diruta, & ab Alberto Saxoniæ Duce reædificata, nunc quoquè est maiori ex parte deiecta, aliquandò fortè restauranda. Pipenpoius quoquè ex mandato Auraici arcem Staurensem, ab Alberto Bauaro, Comite Hollandiæ, anno 1396. conditam, & 1522. à Georgio Schenkio, ex mãdato Caroli V. restauratam, Ordinum militibus dedit, qui eam nimis immaturè atque imprudenter euerterunt.

1580 Vſkens & Korenputtius coniurati Religionis Cathol.&Regiæ Maieſt.hoſtes, quomodò Renneburgiū laqueis Auraici induerēt,cōſilia captabant.videbant enim ciues ei plurimùm fauere,ciuitatē eſſe firmā,& Gubernatorē in partes regias propendere. Accedunt eum,ſuadent vt ad Auraicum & confœderatos proficiſcatur, querelas ibì deponat ſuas, quòd Friſij rebelles ſua mandata contemnant, caſtra intercipiant &c. ſed Renneburgius horum ſtudiorum non ignarus, monitores tales contempſit.

Mittitur intereà à confœderatis Abel Frankena, qui in Groningenſium portis interceptus eſt. inuenta ſunt apud eum mandata ad Bartholomæum Entium contra Renneburgium, & ciuitatem Groningenſem. quæ cùm ad Renneburgium delata eſſent, atque ipſe legiſſet, Senatum conuocat, ea in pleno Senatûs conſeſſu legit, quæ animos omnium,tam Caluinianorum, quàm Catholicorum,plurimùm exacerbârunt.

Auraicus proſcribitur.

Philippus Hiſp.Rex,cùm Auraici principis Guilielmi Naſſouij flagitia iam per totum terrarū orbē volitarent, portentū hoc diutiùs ferendū nō eſſe ratus, publico edicto,libelloq; typis excuſo,hominē dānat &proſcribit. qui aūt eum interficere, aut viuū in ſuæ Maieſt.poteſtatē tradere poſſet,25.aureorū millibus donaretur,ipſeq; & tota familia in nobiliū albū referretur. Auraicus hanc ſententiam ſe indignā iudicans,apologiam edit,multiſq; calūnijs & cōuicijs Regem, eiuſq; proſcriptionē inſectatur.

Campis tumultuantur ciues.

Campis, Tranſiſelaniæ oppido,ciues in diuerſas factiones propēſi,inter ſe diſſidebāt.Geuſijs enim non ſufficiebat, quòd publicū & tranquillū ſuæ Religionis habebant exercitiū: ſed Romanā, Catholicā funditùs eradicatā & eiectam volebant. quarè ad finem ſuperioris anni Frāciſcanos oppido expellere conati erāt:ſed illi tam alacritèr à Catholicis defendebātur,vt ſi ſimili ſanguinario ſpiritu vel œſtro,quo Caluiniani,perciti fuiſſent,omnes hæreticos vno die, aut eijcere, aut interficere potuiſſent. Vitæ etenim necisque eorū poteſtas erat in manibus Catholicorū.Aegrè ferebāt hoc Caluiniani,plurimumq; laborabant, vt immiſſo in vrbem præſidio, coniunctis viribus Catholicos opprimerent.id contrà nè fieret Catholici aduigilabant. atque hinc quotidianę lites. Auraicus itaq; metuens, nè hæc ciuitas à ſe deficeret,eo profectus, præſidium ſub vmbra ſui ſatellitij introduxit: atque ità Catholicæ religionis exercitium ibidèm extinxit.

Eodem

Eodē ferè tempore Ordines per Lannoiū Ninouam recuperârūt, in qua duo fratres Egmondani capti, Bruxellas mittūtur. Nec multò pòst Anglia, Hollādia, Zelādia, aliaq; maritima loca, præter rerū naturam, triduano terræmotu inhorruerunt, adeò vt & tellus tremeret, & supellex in ędibus exposita loco moueretur: cū regiones istę paludosæ, nec mōtes habeant, nec ventos alant inclusos. 1580 *Ninoua capitur.*

Aquisgranenses grauitèr ferentes cōciones nouitias sibi interdictas esse, cùm neq; Senatûs mandato publicè refragari auderent, nec obedire vellent; sperantes se ad quosdā in Magistratu receptū habituros, libellos supplices Senatui exhibuerūt, Luterani quidem suæ, & Caluiniani suæ Sectæ publicum exercitium deprecantes. Scabinorum verò præfecti, ipsi Scabini, totaque ciuium Catholicorum communitas, à Principibus vicinis, atque Decano eiusdem vrbis Vossio, viro nobili, pio atque erudito, admoniti, nè qua nouitas introduceretur, audacter sese opponebant, donèc Senatus preces Protestantium abijceret. Illi quod precibus obtinere non poterant, impudentia atq; audacia obtinere se posse rati, contempto Senatusconsulto, publicos cōuentus agebant, suamq; religionem exercebant. Quod cùm vicini Principes, & maximè Philippicarum ditionum Gubernatores intellexissent, propter vicinitatē, & veterem Aquisgranēsium cum domo Burgundica confœderationem, ad Cęsaream Maiestatem querimonias deferunt, eiusq; authoritatem, vt hęc audacia puniatur, implorant. Cæsar negocij cognitionem Reuerendissimo Episcopo Leodiensi, & Illustriss. Duci Iuliæ Guilielmo commisit, qui Consiliarios suos magnis suis impensis Aquisgranum legantes, toto penè hoc anno plurimùm laborârunt, vt ciuitatem in antiqua Religione continerent.

Petrus quidā Elcius Madritij in Hispania natus, cùm Maroci in Mauritania Tingitana aliquandiù habitâsset, fidemque Christianam, indicijs quibusdam externis religionis Mahometicæ, occultâsset, Hameter ab incolis est appellatus. Hic vitam illam pertæsus, clàm fugiens Fessam primùm, indè Azamorum venit, vbì à Mauris captus, in vrbemq; protractus, ad Regem mittitur. contigit hoc die 16. Ianuarij anni præsentis. In carcerem detruso Petro venia culpæ promittitur, si ad Mahometica sacra velit redire. Quibus Petrus, se & esse, & semper fuisse Christianum, neq; vnquàm veri Dei fidē abnegaturum, etsi præ timore anteà eius indicia quædā dedisset. Refer, *Constātia Martyris Hispani.*

1580 inquit, Regi, neque vnquàm me corpore circuncisum fuisse, & semper animo meo fidem ac religionem, quam puer in Hisp. professus sum, impressã retinuisse: neq; me latere huius rei gratia mihi grauia supplicia, necẽque imminere; sed hæc supplicia & hanc necem vitam mihi allatura sempiternam, quam ego longè pluris æstimo, quàm omnia imperia & regna huius mundi. Indè conuersus ad Christianos, quorum illic erant multi, qui à fide defecerant, eumque defixi intuebantur, insigni oratione adhortatus est, vt excusso Mahometano onere, ad suaue Christi iugum redirent. Mauros etiàm & Iudæos appellans, simili oratione incitabat. Erat tunc in palatio Regis consobrinus Oratoris Hispani, qui Regem conuentum cupiebat, vt ei literas traderet. Rex putans eum pro Petro intercedere velle, mandat cohortis præfecto cuidam, nomine Manserico, vt postico egressus, nè ab Hispano videretur, Petrum subitò iubeat quàm crudelissimè mactari. Ille imperata facit. producitur Petrus, & ad carnificinæ locum abripitur. quo in itinere multa salubria documenta, monitaque pio è pectore deprompsit, quæ ille dum alta voce concionabundus iactaret, pugnis & calcibus, colaphisque tota via tundebatur. Vbi ad locum ventum est, nè ampliùs loqueretur, linguam ei præciderunt, vestibusque nudàrunt. Indè quatuor circitèr vlnas solo eleuatum, portæ cuidam vtraque manu clauis trabalibus affixerunt, vndè pendens (mirum dictu) etsi lingua iam carebat, in hæc verba prorupit: O mi Deus bone, esto meî memor. nam hi mihi claui, non claui sunt, sed flores; rosæ, non spinæ; gemmæ & margaritæ, non ferrum durum. Tum satellites vtrunq; pedem quoquè grandibus clauis confixère. Et ille: Tu nôsti bone Deus, me in hoc toto supplicio nullum omninò doloris sensum percipere, quin potiùs mirificam voluptatem, atque dulcedinem. Omni illo tempore cum solo Deo loquebatur. Exasperati Mauri, præsertìm miraculo linguæ tam euidẽti, calceos ipsi detractos in os eius cõijciebant. quidam duris fustibus tibiarum eius ossa grauitèr tundebant, acclamantes, vt Mahometem inuocaret. Quibus ille: Nè me ampliùs tentate. Difficile est vincere, qui Iesum Christum habet protectorem, vt ego habeo: & sanctissimam Virginem eius matrem, omnesque Sanctos deprecatores. Percontantibus quis eum seduxisset: Vos, ait, seducti estis & erratis, qui veritatem non nouistis, & cæci ad infernum curritis. Multò ego maiorem ex vestra mise-

miſeria, quàm ex omnibus meis ſupplicijs capio, ſentio- 1580
queque dolorem. Mauri magis magisque frementes, caput ingenti clauo transfuerberantes, portæ adegerunt. Sed ille caput leuitèr quaſſans facilè auellit à porta, ceruicemque modicè flectens, viſus eſt ore pulcherrimo renidere, rurſusque oculos in cælum attollens, preces Deo faciebat. Carnifices clauum capiti atque oſſibus infixum, vi quadam extrahentes, iugulum terebrârunt, & tabulis portæ compegerunt. atq; ità martyr egregius felicem animam ſuo reddidit Creatori. Rex vbi eum expirâſſe cognouiſſet, Hiſpanum expectantem ad colloquiũ admiſit: qui re intellecta petijt martyris corpus, quod Chriſtiani clàm in ſacello B. Virginis, vbi Miſſas audire & cætera ſacra ſua obire ſunt ſoliti, condiderunt.

Cameracum Gallo proditur.

Quidam hoc tempore ex Belgicis, Gallicarum rerum nimiùm ſtudioſi, Belgicas patrias ad Gallos tranſferre conabantur. Inter hos Inſius regulus Cameracenſis vrbis, ac diœceſeos præfectus, qui Cameracum Alenconij præſidijs tradidit, ciuibus & Eccleſiaſticis, qui in eius verba iurare nollent, inter quos primus Epiſcopus, exactis.

Groningæ Korenputtius fabulam ſuam agens, præcipuos Geuſios, atque inter hos Iacobum Hillebrandum Conſulem adit, ſuadetque vt Renneburgium appræhendat, ſe anteſignanum fore promittit. Sed Conſul cæterique, quorum fortaſsis maior erat in vrbe, quàm Korenputtij poſſeſſio, metuentes, vitamque & bona periclitari nolentes, tergiuerſabantur.

Factio Deſperatorum in Tranſiſelania.

Intereà Ruſticorum factio exorta eſt; per Friſiam enim, Drentam, & Tranſiſelaniam multis in locis, multa confluebant ruſticorum millia, qui ſub centurionibus & ſignis militaribus, oras ſuas contra immanem militum, ſub Ordinibus merentium, tyrannidem defendebant. In vexillis enſem cum dimidia oui teſta effuſo iuxtà vitello, habebant. dicebant enim ſe hactenùs pro ouo integro dimicare noluiſſe, nunc pro inani teſta dimicare compelli. Ad hos domandos miſſus eſt Comes Holachius: ſed tam probè ab ijs eſt exceptus, vt fugiens, & in fuga multis ſuorum occiſis, ipſe vix ſaluus in Comitatum Montenſem venerit. Inſignis certè illius fuga, ſed nec prima, nec poſtrema. nec id imprudenter, cùm vir fugiens denuò poſſit pugnare: quod & factum eſt. Paulò enim pòſt reuerſus, ruſticos loco pellit, & multos occidit. Sed ſunt non pauci, qui dicunt Ho-

1580 lachium, cùm vi nil posset, astu eos circunuenisse: Satrapis enim aliquot intercedentibus, res inter ipsum, atque inter rusticos cùm transacta esset, & rustici nihil mali sibi metuerent, aiunt, Holachium eos ex improuiso adortum occidisse. Coloni tamen qui in Mastenbroekio pascunt, habitantque, arma deponere noluerunt. quibus ad cataracta nigra (sic enim locus incolis dicitur vbi aquæ nigræ & paludosæ sese in Aā fluuium exonerant) Snoius est oppositus.

nota Auraicum

Intereà fama adfertur, Auraicum Campos venisse, & indè Groningam profecturum. Non ignorans Renneburgius sibi insidias vndiquè strui, iam tempus adesse ratus, postposita omni simulatione, Regi se fidelem declarandi, merumque Vrbis imperium, antequàm Auraicus cum frequenti sua aduentet familia, ad se pertrahendi; tertio Martij tota nocte consilia captans, familiam armat, milites clàm introductos suis iungit, ciuesque Catholicos adesse iubet. Cumque illi nunciatum esset, crepusculum adesse, ciuium excubias, relictis stationibus, domum abijsse; manè quinta hora, cum suis, qui candidis fascijs brachio læuo erant insigniti, prorumpit: in forum equitat, ipse ductor, gladium strictum rotans, exclamat: Adeste, adeste ciues, hodiè verus sum vester Gubernator. Satagamus nunc, quæ ad Regiæ Maiest. commodum, & nostram conducant salutem. Classica diuersis in locis canuntur, pulsantur tympana, captæ vrbis imaginem fuisse dixisses. Caluiniani rei insolentia stupefacti, armati prodeunt, & sub Hildebrando congregati, cum furore in Renneburgium feruntur: sed cùm fortè quidam ex asseclis Renneburgij, in Hildebrandum collimans, eiacularetur, eum traiecit, atque prostrauit; cadente duce & antesignano, cæteri diffugiebant: qui vbicunquè inueniri poterant, capti sunt & in vincula detrusi. Mox hæreticus Senatus exauctoratur, & Catholicus constituitur, Reconciliatio à Parmensi missa proclamatur, & iureiurando confirmatur. Quod factum cùm hostium expectationem venustè admodùm elusisset, attoniti primùm spem abijciunt: Korenputtius tamen ratus aliquam adhuc spem superesse, mox partem copiarum Olthouij in suburbia ducit, indè Vlitij, Scagenij & Vvedæ signa euocat. Aelke, Onsta & Asinius Entius, cum suis quoquè Groningam aduolant, vrbemque cingunt, sperantes fore in vrbe, qui seditionem moue-

Groninga in partes Regis concedit.

mouerent: sed profunda erat in vrbe pax, & altum silentium. 1580

Vicinæ prouinciæ, huius rei fama percepta, furere, & tanquàm œstro perciti, debacchari, cùm in homines iram suam effundere non possent, in statuas & Diuorum imagines effuderunt. Sæuitum est in templa, monasteria, Diuorumque simulacra Dauentriæ, Suollæ, Campis, in territorio Groningensi, non tantùm in oppidis, sed & pagis omnibus, ad quos sacrilegorum rabies potuit peruenite. In Diœcesi Vltraiectensi, erectis signis, mulctaque indicta tam Catholicis quàm hæreticis, qui præclaræ huic pugnæ interesse nollent, in singulas ecclesias furibundi irruunt, infandoq; sacrilegio, quidquid supellectilis ecclesiasticæ relictum erat, frangunt, cōscindunt, & in ignem (maximos enim & luculentos rogos ante sacras ædes extruxerant) conijciunt. Indè vicatim, ostiatimq; Catholicorum ædes scrutantur, & si quid ecclesiasticum vspiàm abditum erat, minis, terroribusq; ingeminatis, is qui abdiderat, prodere cōpellebatur. Vidisses per plateas passìm ambusta sanctarum imaginum capita, crura, pectora: altarium pallas, sacras vestes, insignes picturas, aliaque templorum ornamenta, ædibus exturbari, lacerari, per cœnum trahi, & pedibus conculcari. Vno hoc prælio plures imagines, quàm toto belli tempore hostes viuos superârunt. Catholici qui furijs istis interesse noluerunt, mulctamque non grauatè soluerunt, sannis insupèr & contumelijs indignis, ab iconomachis istis, subagitabantur. Caluiniani verò non ipsi tantùm, sed & pueros suos ad manus trahentes, etiàm eos nobili huic spectaculo interesse voluerunt.

Insignis Iconomachia.

Oppida tamen nonnulla Transiselaniæ, vt Hasletum, in qua tranquilla & optimè constituta erat Respublica, Catholicorum tunc temporis Asylum, Steenvvichiū, Oldenzalia, & in diœcesi Vltraiectensi Montfortum, profanorum istorum hominum impietatem imitari noluerunt. Intereà princeps Auraicus Campos deserit, Holachium in rusticos mittit, Snoium Couerdæ præficit, qui illam muniuit. Barth. Entius cum tredecim signis peditum, equitumque duobus, Groningam premit, fame ciues se domare posse existimans, cùm alij vim adhibendam esse dicerent. Aprilis decimo Holachius Oldenzaliensibus persuadet, vt præsidium recipiant. Cùm verò Confœderati animaduerterent obsidionis Groningensis tardos progressus, eò quoquè

Groninga obsessa.

1580 quoquè Holachium cum suis equitibus, Yselsteinium cum septem signis, & Vvilhemum-Lodouicum Comitis Ioannis Nassouij filium, cum nouem peditum vexillis miserunt. Cùm autem 27. Maij Bart. Entij consilio propugnaculum vrbis oppugnarent, temeritate quadam assilientes, Entius globo per cranium adacto percussus, animam efflauit, pirata omni scelere, omni flagitio, omni libidine contaminatissimus. cui iam penè per decennium mercatorum bona diripere, mercatores ipsos in mare proturbare, fœminas nuptas & innuptas constuprare, ludus erat: eoque impudicitiæ, inuerecundiæque deuenerat, vt Brilis Hollandiæ non erubuerit, honestam honesti ciuis filiam, tandiù per vim impudenter detinere, quandiù Lummęus Comes eam constuprâsset. Narrari solet, inter multos mercatores, quos innocentes aquis suffocârat, vnius cadauer eum, quocunquè nauim suam flecteret, esse per aliquot dies insecutum. Hęc, & fœdiora sceleratioraque, ab ipsius commilitonibus narrantur & scribuntur.

Mechlinia capitur. Intereà Mechlinia, proditione quadam, Anglorum ope ab Ordinibus occupatur: ciues diù sese defenderunt: quia verò hostium vires suis essent maiores, occisis multis, multis vulneratis, tandèm ciuitas in hostium venit potestatem, qui magna in ea atque immani tyrannide debacchati sunt. Parmensis sæpè Senatui præsidium tolerabile obtulerat, quod illi semper suis freti viribus respuebant.

Parmensis Princeps postquàm Auraici proscriptionem promulgâsset, Montes Hannoniæ proficiscitur, vbi magnificè exceptus est. *Lannoius capitur.* Lannoius verò, summus exercitûs Ordinum in Flandria ductor, populabūdus in agrum Cortracensem excurrens, à Malecontentis interceptus, funditur atque fugatur: ipse captus Limburgum mittitur, miles imperterritus, prudensque imperator, multis Hugonoticis pręlijs clarus, qui strenuam Ordinibus Belgicis operam nauârat. quo capto, illi posteà, aut rarò, aut nunquàm felicitèr pugnârunt. Quidam tamen Hispanus trāsfuga, nomine Alphonsus, tunc Auraicas partes sequebatur. is coniuratione inita (vt dicebatur) cum quibusdam malæ fidei ciuibus Diestēsibus, clàm aliquot Gallorum copias cogit, & admotis ad mœnia scalis Gallos intempesta nocte muros conscendere iubet, portamq́; Sichemensem aperire, ad quam ipse cum equitatu Herentalensi præstolabatur. Germani, quorū curæ vrbis custodia

dia erat demandata, aut rari, aut nulli excubabant. Quarè 1580
ingressi Galli, ope coniuratorũ ciuium, portam non difficulter aperuêre, & copias, quæ forìs erant, in oppidum intromiserunt, Diesthemiumque in suam potestatem redegerunt.

Groningenses diuturnam obsidionem sustinentes, auxilia Regis expectabant. Iunio tandèm mense, collectę aliquot peditũ copiæ, quæ ex Frisica nobilitate ferè conflatæ erant, Rhenum traijciunt, & Groningam magnis itineribus, summaque celeritate proficiscuntur. Addit se his Martinus Schenckius, cum suo equitatu; & Thomas Epirota Græcus, equitum ductor celeberrimus, de quo asseritur, quòd ex pugnis statarijs sex, victor euaserit. is tria hastatorum equitum signa ducebat. Qui in castris Ordinum erant, postquàm intellexissent hostem in procinctu esse, duce Holachio obuiàm ei proficiscuntur, vt in viarũ angustijs eum opprimerent. sed priusquàm locũ opportunum nacti essent, regios in ericeto Hardenbergensi, in Busactoribus, nunc Transiselania ditione, siti, fame, atq; æstu penè enectos obuios habuêre. instruuntur acies, galeæ demittuntur, librantur hastę, fit equorum concursus: pedites quoquè regij vim hostiũ sustinent fortissimè. dimicatum aliquandiù summis viribus: sed cùm Holachius suos passìm cædi videret, paululùm initiò cedit, indè effusa fuga se in tutum recepit. Regij terga hostium insequuntur, passimq; occidũt. Periêre hac pugna ex Ordinũ militibus mille quingenti, ex regijs quinquaginta quinq; tantùm desiderabantur. quod tanto illis accidit fœdius, quanto regios peditatûs equitatusque numero superabant. Ex Ordinum exercitu Vvingarden, signifer Niueldius, multi præfecti & nobiles occubuêre. Niueldius alter centurio, cum Renoyo, atque aliquot vicarijs capti sunt. Ex regijs nullus cuiusquam authoritatis cecidit, nec captus vllus. Vfkens altera belli huius (prior enim Entius iam erat extincta) fax, non actor, sed pugnæ huius spectator aderat. is curru, in quo sedebat, fugere cùm vellet, à regijs compręhensus, occiditur. Omnia tormenta bellica, omniaque impedimenta in potestatem regiorum venerunt. Qui fuga elapsi erant, nullis minis, nullis verberibus sisti potuerunt. Regij interìm Couerdam occupant, cuius arcem ab Ordinibus restaurari cœptam, Euerardus Entius Satrapa perfecit. Indè Groningam mouent. quod vbì illi qui in obsidione erant intellexissent, relictis omnibus, ipsi quoquè fugerunt. Asinius

Geusÿ cæduntur in ericeto Hardenbergensi.

Entius

1580 Entius cum Bormanio & Vogelio, munitionem in Delfzijl suscipit defendendam: Iohannes Robertus Harlingam mittitur, alij aliò ablegantur.

Groninga ab obsidione liberatur. Regij victores Groningam veniunt, vbì à Renneburgio totaque ciuitate magno cum triumpho excipiuntur. Post vnius aut alterius diei quietem, Renneburgius cum suis ad obsidionem munitionis in Delfzijl profectus est: priùs tamen locum Den Opslach vulgò dictum, intercipiendum esse visum est: ad quem defendendum missa sunt ab Ordinibus duo signa, quibus ad internecionem deletis, regij propugnaculum occupârunt. qui in eo erant, præstito iuramento se trimestri spatio Ordinibus non militaturos, dimissi, ad Holachiumque profecti, ab eo Steenvvichium missi sunt. Renneburgius Collum contendens, Dockomium capere gestiebat: sed Ordines oppidum hoc munierant, & fortissimum præsidium imposuerant. quarè post primum assultum Renneburgius suos Collum reduxit. Entius Couerdæ Satrapa dum Meppelium, anno 1536. à Georgio Schenkio deiectum, reædificat, ab Ordinibus cæditur, fugaturque. Intereà præsidiarij qui in Delfzijl erant, extrema laborabant rerum penuria: (solo enim caseo & butyro aliquandiù victitabant) Hollandi eò naues quasdam bellicas mittunt. Holachius 50. naues cogit, easque omni apparatu bellico, omnique commeatu onustas, ad obsessis auxiliandum velificare iubet: ipse quoquè illuc proficiscitur: sed & Hollandiæ Archithalassus Duuenuordius, eiusque vicarius subsidio venerunt, die Iulij 23. Sed cùm omnia itinera, ipseque portus, ità esset obsessus, vt nusquàm aditus pateret, nauibus in altum reductis, spem succurrendi abiecerunt. Cumque obsessi aliquandiù pullo vexillo erecto, calamitatem suam significâssent, tandèm cum hoste paciscuntur: Depositis armis, albis virgulis exirent, tribus mensibus ab omni militia conquiescerent, capitaneos omnes in Renneburgij potestatem traderent. His confirmatis, Delfzijl in regiorum manus venit. *Delfzijl occupatur* Intereà Noritz cum decem Anglorum, & Michas cum sex Gallorum peditum signis, & aliquot Germanorum equitũ cohortes, se Holachio iunxerunt.

Stephanum Poloniæ Regem, rebus superiori anno contra Moscouiæ Ducem feliciter gestis, Varsouiã Ordines ad comitia conuocâsse, diximus anteà. In his comitijs de bello diutiùs sustinendo actum est. Rex itaque nihil prætermisit, quod posset ad illud rectè administrandũ, & inpri-

Inprimis ad exercitus, cùm veterem retinendũ, tum no- 1580
uum conſcribendũ,pertinere.quibus omnibus cùm certo
die ad Czaſniciam conuenire edixiſſet, ipſe paulò pòſt
equum in gyros tortũ conſcendens Vilna egreſſus eſt, &
tandem 8.Iulij die in caſtra venit; & congregato Senato-
rum, hominumq; militarium cõuentu, quò potiſſimùm
arma inferẽda eſſent, proponit: tres peramplę & celeber-
rimæ ciuitates proponuntur, Smolenſca ad Boyſthenẽ ſi-
ta,Pleſcouia Niemo fluuio impoſita,& Vielicolucum in
Louati ripis extructũ. Sed priorum duarũ expeditio im-
probata eſt,eò quòd itinera eſſent periculoſa,commeatus
deficere poſſet,& Rege in locis nimiùm remotis militan-
te,ſubditi periclitarentur. quarè eò tandẽ deſcenſum eſt,
vt Vielicolucũ cum exercitu mouendũ, eamq; vrbem &
arcem omni conatu oppugnandã concluderetur; tũ quòd
ex hoc loco Ruſſia defendi,exercitus Lucenſis agri fertili-
tate ali, ſigna penitiùs in hoſtilia loca hinc inferri,& ho-
ſtis ad apertã dimicationẽ prouocari poſſet. Habito itaq;
exercitûs delectu, ex agro Czaſnicienſi,Vitepſcũ profecti
ſunt.Quo in itinere,cùm Rex arces duas hoſtiles,Vieliſi-
um vnã in Dhunæ ripa, Vitepſco ex ſuperiore fluminis
loco oppoſitã,atq; alteram Vſvviatũ,quę ad amnẽ eiuſdẽ
nominis in Dhunã illabentem ſita eſt, prohibituras alio-
quin Polonorũ exercitui tormentorũ,& cõmeatûs in ca-
ſtra ſupportandi commoditatẽ, accepiſſet; Iohannẽ Za-
moſciæ,regni Cancellariũ, cũ ſuis,alijsq; adiunctis copi-
js, ad Vieliſiũ oppugnandũ præmiſit. qui tribus in locis
arcẽ verberare volens,vnã Pannonibus, aliã Polonis, ter-
tiã Ridulphino Camerinenſi mandauit. Qui in præſidio
erãt, videntes propugnacula ſterni, ignẽ aſſiduè in arcem
intorqueri,Polonos ſe ad oppugnationẽ parare, pacti in-
columitatẽ, deditionẽ fecerũt.Rex loco perluſtrato, præ-
miſſisq; Lituanicis copijs, Vſvviatũ cum exercitu cõten-
dit.Moſci obſidionẽ expectandã decernentes,oppidũ arci
ſubiectũ, admiſſa in arcẽ oppidanorũ turba, ſuccendunt.
Cumq; Rex obſeſſos per caduceatorẽ ad deditionẽ horta-
retur,illi acerbè reſpondent,& petulanter. Sed poſtquàm
hoſtiũ in oppugnando alacritatẽ, atq; impetũ experti eſ-
ſent,ſponte fidei Regis ſeſe cõdonârunt. Rex,cõtractis in
itinere copijs omnibus,quas duarũ iſtarũ arciũ oppugna-
tio diuiſerat, Vielicolucũ mouit: ac ſuperata locorum à
Czaſnicia,incredibili vaſtitudine,itinereq; ſummo cũ la
bore militũ,ac ingẽti difficultate,per aſſiduas dẽſiſſimaſ-
que ſyluas (quę in Moſcouia frequẽtiſſimę ſunt)facto,ad
arcem

Polonorũ in Moſcouia victoria.

Vieliſium capitur.

Vielicolucum obſidetur.

1580 arcem Vielicolucensem 26. Augusti castrametatus est.

Galli opẽ implorant Belgæ.

Ordines intereà Belgici, vires suas regijs impares esse iam sæpiùs experti, atque ærarium suum exhauriri animaduertentes, de potenti aliquo Principe, loco Hispaniarum Regis assumendo, consilia captabant. Neminem verò & ad Belgij defensionem potẽtiorem, & Burgundico nomini infensiorem Gallo, inuenire potuerunt. Cæterùm cùm non ignorarent Regem diuturnis bellis exhaustum, nec pacem cum Hispano initam violare, nec Hispanum ad nouum bellum concitare posse, aut velle: inuentus est Alenconius Regis Galliarum frater, sub cuius vmbra Rex (vt ipsi arbitrabantur) Belgas, ab Hispanorum tyrannide, in libertatem assereret, pactisque prouincijs quibusdam, regni pomœria produceret. Missa est itaque in Galliam honorifica legatio, quæ Duci Alenconio Belgium, Rege Hispaniarum repudiato, certis conditionibus offerret. Archidux Austriæ Matthias hoc se indignũ ratus, nonnullos ex Ordinibus ad se vocat, ijs beneficia sua in Belgium collata cõmemorat, suum, domusque Austriacæ erga Belgas affectum exponit: rogat, nè antiqua cum Austriacis fœdera dissoluant, animũ suũ Collegis, cęteris Ordinibus, demonstrent, operãque omnem suam illis offerant: petitque, vt quo vicissim in suam sint Ordines affecti personam, quæ consilia moliantur, & quid de se statuere decreuerint, apertis verbis declarẽt.

Dum Polonus ad Vielicolucũ subsistit, Moscus Legatos in castra mittit. quos Rex nulla interposita mora audiuit. Verùm cùm ab eo contra omnes illius gerendarum rerũ rationes, contraq; dignitatem regiam postularent, vt in Lituaniam cum exercitu se referret; negarentque, nisi id ante omnia faceret, se per Principis sui mandata quicquam de ipsa legationis causa dicere posse: Rex, repudiata illorum tergiuersatione, munitis castris, extructisq; propugnaculis, ipsis Calend. Septemb. oppugnationem auspicatur. Cæterùm cùm præsidiariorum summa loci retinendi pertinacia esset, & vltima periclitari coniurâssent, arx quoq; & arte, & natura loci esset munitissima: nè suorum maximo detrimento diutiùs in obsidione permanerẽt, necessariò Polonis res ignitis globis tentãda fuit. Id quomodò fiat, in gratiã lectoris, hîc adijcere visum fuit. Tormẽto bellico puluis ad solitã mensurâ inijcitur: pulueri fœnũ, aut alia arida materia superadditur: fœno multũ terræ superintruditur, nè candẽs globus adactus ignem excitet. Deindè tormẽtum dirigitur ad locũ,

Strategema nouũ.

ad quem

ad quē globum ferri velint. quo immobili stante, ignitus 1580
cādensq; è furno allatus globus, instrumēto quodā in tormentum ad terram illā vsq; impellitur. tādem magister igni de more admoto, globū in materiam aliquā aridam, ad quam anteà collimauerat, intorquet. Tale incendium cùm magna Pannonum virtute primùm, deinde à cæteris toto penè triduo illatum esset, & obsessi pro viribus flammarum initia restinguerent, tandèm pluribus in locis, ignis incrementa sumens, ingens excitat incendium. Ab altera parte cuniculi ad ligneas vsque substructiones agebantur, quibus immisso puluere incensis, magnum arcis propugnaculum est euersum, in cuius ruinas Pannones desilientes, acriterque pugnantes, multis occisis, repulsi sunt. Spirante autem vehementiùs Africo, tantas incendium vires concepit, vt non priùs extinctum sit, quàm tota munitio, vallo tantùm exteriori incolumi, flammis fuerit absumpta. Qui in arce erant, partìm quia in Polociæ deditione vita donati, nunc de venia desperarent; partìm nimia sua pertinacia ignibus absumpti sunt: cæteri omnes occisi. post primum tamen impetum, fœminarum & puerorum habita est ratio.

Vielicolus cum capitur.

Hac ratione Vielicoluco in ipso conspectu legatorum Moscouiæ expugnato, Magni Moscouiæ Ducis oratores iterùm apud Regem dicendi potestatem sibi fieri petiêrunt. qua impetrata, cùm ea exponerent, quæ honestæ paci minimè satisfacerent, leuioraque omnia quàm Regia dignitas & iura Reip. paterentur, proponerent: ostendit Rex, se ad ea descendere non posse. Cumque illi mandata alia sese hoc tempore non habere dicerent, peterentque, vt ipsis ad Ducem literas mittere liceret, quibus eum de conditionibus, Regisque voluntate redderent certiorem: Rex vt ne in medio cursu, & quasi ardore belli, se ab honestæ pacis conditionibus alienum esse contestaretur, & proprias dedit ad Moscum literas, & oratores dare suas permisit. Dum responsum Ducis expectatur, Rex ad præcipua regni loca literas mittit, belli felicem successum subditis exponit, supplicationes publicas instituant, Deoq; Opt. Max. propugnatori gratias agant, hortatur. Deindè arcis ruinas recognoscit, opus restaurandum in partes quatuor diuidit: duas sibi reseruat, tertia Lituanis, quartam Polonis assignauit, vt mutua nationum æmulatio conduceret ad celeritatem operis conficiendi. Quinetiàm vt victoria prudenter vteretur, bellique fortunam prosequeretur, Bornemizzam Pannonem,

1580 Palatinumque Polociæ ad Neuelam oppidum expugnandum mittit.

Moritur Patriarcha Constantinop. & nouus eligitur. Moritur intereà Patriarcha Constantinopolitanus Ieremias, in cuius locum vir sanctissimus (schismate excepto) Metrophones successit. Is ante Ieremiam Patriarchalem sedem occupabat, sed Cantacuzeni priuato odio eiectus, in monte Sancto toto Ieremiæ tempore exulaucrat. Reuocatus posteà nepotes duos Romam misit, in Catholica Romana religione enutriendos & instituendos, tanti ingenij, pietatisq; adolescentes, vt nō minima spes affulgeat, horū aliquādò laboribus, consilijsque, ecclesiā Orientalem, sublato schismate, Occidentali fore iūgendam. Idem Patriarcha cùm aliquoties à Germanis Luteri opinionem propugnantibus (sicut & eius decessor) interpellatus esset, tandèm videns nullam in illis resipiscendi spem esse relictā, in hanc sententiā ad eos scripsit: *Rogamus itaque vos, nè posthàc labores nobis exhibeatis, neque de ijsdem scribatis Nam Theologos, qui Ecclesiæ lumina fuerunt, aliàs alitèr tractatis, & verbis quidem honoratis eos, factis verò reijcitis, armaq; nostra inutilia nobis efficere vultis: excutere scilicet de manibus nostris verba eorum sancta, & diuina, quibus nos ad scribendum, & contradicendum vobis vti potuissemus. Quamobrèm quantum ad vos attinet, liberâstis nos curis.* Hęc Patriarcha. Gabriel quoquè Archiepiscopus Philadelphensis, hoc anno ad Martinum Crusium scribens, non multò leuiùs Luteranos notauit inter alia scribens: *Si verò cognoscere cupis, quomodò se res nostræ habeant: scias nos veram doctrinam, & sanctorum Apostolorum* TRADITIONES *sequi, & non illos qui verborum ambagibus, & sermonibus in aërem euanescentibus operam dant, & quotidiè additiones & detractiones proferunt.*

Status Ecclesiæ Orientalis. Sed quia in Orientalis Ecclesiæ mentionem incidimus, lubet hìc nonnulla de statu eius, qui nunc est, ex literis indè non ità nuper missis excepta, subiungere. Ecclesiasticarū dignitatum gradus & ordo hic est: Patriarcha, Metropolita, Archiepiscopus, Episcopus, Hieromonachus, Presbyter, (his consecrare, id est, Missas celebrare licet) Monachus, (non consecrans) Diaconus, Hypodiaconus qui altari ministrant; Anagnostes, qui Epistolam legit Dominicalem, aliaque nonnulla; & Archimandrita, hoc est, monachorum Abbas. Patriarcha secundùm antiquos Canones (quos Cantacuzenus iam plurimùm labe-

labefactauit) à Metropolitis, Archiepiſcopis, Epiſcopis 1580
eligitur, & à ſupremo Baſſa Regis vicario confirmatur.
Metropolitæ proximam à Patriarcha ſedem, ſed ordine,
habent. Primus horum Theſſalonicenſis nunc eſt, qui
metropolin frequentiſſimam, & decem Epiſcopatus habet.
Athenarum metropolis ſexEpiſcopatuum, & 150. Ecclesiarum etiamnùm extat. in ipſa autem vrbe Athenarum infra decennium adhuc, 250. ſacerdotes in publica viſi ſunt proceſſione, ſimul incedentes. Eſt & Mitylenæ Metropolita, ſed Epiſcopos habet ſub ſe nullos. Chalcedonenſis 60. prĉeſt Eccleſijs, vbi ruinæ templi D. Euphemiæ, in quo Concilium celebratum eſt, adhuc viſuntur. Nicæa Metropolis adhuc, ſed abſq; Epiſcopatibus eſt, vbi etiàm templum τῆς παναγίας, vel Mariæ, iuxta quod Patres in Concilio fuére congregati, viſitatur. Metropolita Epheſinus 50. præeſt Eccleſijs, Philippenſis 150, Antiochenus in Piſidia 40, Smyrnenſis 80. Eccleſijs præſidet ſibi ſubiectis. nullos verò habent Epiſcopatus, ſolo Corinthiaco excepto, cui præter centum Eccleſias, quatuor quoquè parent Epiſcopi. Horum omnium religio, prĉter tres aut quatuor veteres Græcorum errores, per omnia cum Catholica conuenit Romana: vt ex Cenſura Orientalis eccleſiæ, à Ieremia Patriarcha Germanis ad eorum petitionem nuper miſſa, & ab illis ſuppreſſa, ſuperiori verò anno ab Archimandrita in regno Poloniæ detecta, luculentiſſimè probatur.

Ochiali Baſſa ſuperioribus annis in Colchidem nauigans, Phaſidis amnis accolas domuit. Sed & Muſtapha poſt eum contra Perſas miſſus, primùm Georgianos Iberos, qui Chriſtum Grĉcorum more colunt, eò quòd cum Perſis ſentire viderentur, inuaſit, atque inopinantes ità oppreſſit, vt bonam eorum prouinciæ partem, cum ciuitate Tifli occupârit, ijsque tributum annuum impoſuerit. Quarè Principes eorum Conſtantinopolim ad Imperatorem elapſi profugerunt, vrbemque magno & ſplendido comitatu ducentorum circitèr hominum ingreſſi, ſolennitèr à Turcis excepti fuêre, deficiente paulò pòſt iuniore fratre, cum ſua cohorte ad Mahometiſmum: non aliam ob cauſam, quàm vt hoc modo Turcarum fauorem aucuparetur, occaſionemque & opportunitatem captaret, fratrem ſeniorem Quarckvvare Arabac imperio & principatu Iberiæ exturbandi. quod & actum eſt. Qui cùm aliquandiù Byzantij commoratus eſſet, rebus deſperatis, & nullo eorum quæ petierat impetrato, vnà cum

Turcæ Georgianos oppugnāt.

1580 fratre apoſtata dimiſſus eſt.

Legatio Perſarum.

Perſarum Imperator, etſi multis victorijs Turcas fuderat, tamen quia regni proprij fines ipſe, ad excludendum hoſtem inopia commeatûs, deuaſtârat, pacis erat cupidus, & ad Muſtapham aliquotiès miſit, qui de pace cum eo agerent. Cæterùm ille homo truculentus, & inquieti ſpiritûs, omnem pacis mentionem reiecit, nec legatos admittere voluit. Quod cùm ad Amurathum per nuncios allatum eſſet, Muſtapham reuocauit, & Perſæ licentiam dedit, legatos ad ſe mittendi. Venerunt illi Byzantium circa menſem Auguſtum, cumque aliquandiù de pace diſceptâſſent, nec inter ipſos conueniret, (Turcæ nanque Mediam ſibi concedi poſtulabant, & Perſi Mediæ cauſa omnia facere videbantur) in Perſidem reuerſi ſunt.

Gensij cæduntur in Friſia.

Auguſti quarto in Friſia Holachius ſuas copias cogit. euocârat aliquot peditum ſigna, quæ iuxta caſtrum Nienort conſederunt. Non ignorans hoc Renneburgius, eò magna cum celeritate contendit, manusque cum illis conſerens, fudit. qua in pugna Cornelius Vveda Amorfortius, homo nouus, & ſub Ordinibus centurio inter alios eſt occiſus. Holachius auctus nouis Anglorum & Gallorum copijs, Renneburgium inſequebatur: qui Groningam reuerſus, mœnibus ſe continebat. Ordinum milites ad vrbis mœnia excurrentes, ſępè cum oppidanis velitabant, & exercitus ipſe diù in conſpectu vrbis caſtrametabatur. Vrgebant confœderati, vt Holachius vrbem obſideret. ſciebant enim non magnam in ea eſſe frumenti copiam. Sed quia in exercitu Holachij non frumenti ſolùm, ſed omnium rerum eſſet penuria, & eruptiones hoſtium metueret, Couerdam mouet: Bouvvingam & Reinerum Ietzen cum ſuis ſignis in Aduerderzijl mittit, vbì ſtatim ſuperuenientibus regijs, cæſi ſunt, ipſeque Bouvvinga interfectus. Holachius verò Couerdam obſidione cingere volens, dum arcem luſtrat, qua parte munita minùs eſſet, Ludolphus Ricoldi, paſtoris Bunſchotini filius, magni inter illos nominis Tribunus, capitur, & Naſſouius Comes in læuo crure, globo ferreo grauitèr ſauciatur. decimo tamen quinto Auguſti arcem deditione receperunt. Dum Renneburgius in obſidione Delfzilana eſſet, Holachius munitionē den Opſlach dictam, recuperârat; propugnacula firmârat, 6. peditum ſigna in ea deduxerat, commeatu, rerumque ad obſidionem ſuſtinendam neceſſariarum copia inſtruxerat. Renneburgius,

cùm

cùm sua plurimùm intereſſet, hoſtíſne an ipſe loco iſti 1580 præeſſet, eò attractis maioribus tormentis copias aliquot duxit, munitionemq́ue oppugnat: ſed præſidiarij trepidantes, mox veniam poſtulant, & in gratiam recepti, ſe dedunt. Indè in Slochteren profectus, Naſſouij & Michę pedites inuenit, qui audito hoſtium aduentu fugiunt in Bortangam, locum anguſtum & paludoſum. Regij illos inſequentes, eo loco Holachij quoquè copias inuenerũt. Inſtructis ordinibus grauiſſimum hìc commiſſum eſt prælium: initiò vtrinquè multi ceciderunt, tandem victores regij in hoſtium aciem impreſſionem facientes, magnam illi cladem intulerunt. Cæſa ſunt 8. peditum ſigna, & vna equitum cohors, ex alijs ſignis non pauci, capti plurimi. Acta ſunt hæc 3. Septemb. cùm Renneburgius 9. Couerdam iterùm oppugnat, quam 20. deindè recepit. qui in arce erant, plerique relictis Ordinibus partes Regis ſequebantur. id multis alijs in locis contingebat, ità vt hoſtium exercitus decreſceret, Regisq́ue augeretur. Felices Renneburgij ſucceſſus cùm Holachiani, qui ad obſidionem Lingenſem miſſi erant, audiuiſſent, relictis caſtris fugerunt. Rebus Couerdæ conſtitutis, Oldenzaliam mouet, quæ metropolis eſt totius Tvventæ. Erat ibì relictus ab Holachio oppidi præfectus Baro quidam Auſtriacus Eck, adoleſcens imberbis, ſed præſidium è veteranis erat conflatum. Vexillum enim Domini de Svviten, Viſcherus item Amſtelredamenſis cum ſuo peditatu, & Ellenbornius Vicarius Gorij cum aliquot equitibus, oppidum cuſtodiebant. Sed cùm Renneburgius illud magno furore oppugnaret, tandèm 24. Septemb. deditione recuperauit. Indè Renneburgius exercitum Suollam tranſportat.

Oldenzalia obſidetur, & deditur.

Intereà in ditione Karpena, duobus ab Vbiorum vrbe milliaribus, Regis Hiſpaniarum iuſſu aliquot ſigna peditum, ſub chiliarcha Struffio, nobili Cliuenſi conſcribebantur, quæ in Friſiam ad Comitem Renneburgium Georgium Laleinium, proficiſcerentur, vt victorias is hactenùs feliciter partas, nouis auctus copiis, maioribus ſucceſſibus cumularet. Non latebat hoc Ordines Geldrię, atque Hollandiæ, qui naues aliquot ad bellum inſtructas Coloniam vſque miſerunt, vt Rhenum infeſtarent, & regios, nè flumen traijcere poſſent, prohiberent. Electores, quorum eſt Rheni tractum defendere, & fluminis nauigationem liberam conſeruare, Moguntinenſis ſcilicet, Colonienſis, Treuirenſis, & Palatinus, inſtructis tumul-

Nouæ copiæ in Friſiam mittuntur à Parmenſi.

1580 tumultuarijs quibusdam nauigijs, collectoque milite, Ordinum classem in fugam coniecerunt. Intereà regius miles Rhenum transportatus, Nouesium incolumis peruenit. Erant ibì in insidijs Ordinum aliquot signa disposita, quę regios ex improuiso inuaderent, trucidarentque. & certè propè illorum exitium erat, nisi per exploratores insidiæ detectæ fuissent. Instructa itaque acie Struffius, de numero consilioque hostium certior factus, suos accelerare iubet, & manum cum hoste conferre. qui primo impetu in fugam versi, à regijs insequentibus passim capti sunt, & trucidati. Indè Vesaliam versùs iter instituentes regij, leui accepto damno, in Frisiam magnis itineribus contenderunt. Renneburgius cùm illorum aduentum cognouisset, relicta Suolla, eis obuiàm proficiscitur. quo tempore Hegemannus Anholtium, eo quòd Dominus oppidi à parte Regis staret, diripuit, atque exussit. Coniunctis Frisiorum & Geldrorum (sic enim Struffij copiæ appellabantur) legionibus Doetechemium, in Comitatu Zutphaniensi oppidulum, obsederunt : Sed quia Frisij extra patriam, in cuius salutem se militare dicebāt, diuturniorem facere moram noluerunt, contrà Geldri, relicta sua patria Frisios sequi recusârunt, orta est inter illos contentio : re tamen composita, simul relicto Doetechemio in Transiselaniam contendunt. Renneburgius, mutato consilio, Suollam reliquit, & nè à tergo relinqueret hostem, maiorque supportandi commeatûs esset opportunitas, Steenvvichium obsedit, die 18. Octobris. Habebat in castris quatuordecim signa Frisiorum, quorum summus vicarius Ioannes Mommius eodē die ictus è mœnibus globo occubuit, cuius in locum Ioannes Baptista Taxius surrogatur : habebat nouē signa Geldrorū, quinque etiàm Tyronum nuper adlectorum, & aliquot equitū cohortes. In oppido 600. erāt pedites præsidiarij, pręter equites non adeò multos. his prçerant Olthouius, Korenputtius, Platius, & Berenbroekius. Eodem quo oppidum obsessum est die, Cometes in Aquario nō procùl ab Aquila illuxit, qui multis deindè noctibus est visus.

Steenvvichium obsidetur.

Maritimus quidā locus est in modū portûs, nō procùl à Steēvvichio, qui Kuinder ab incolis appellatur. Erāt hîc in prçsidio confœderatorū cohortes duæ, quas Esscheda & Langius ducebāt. Missi sunt huc ex regijs Gemen & Snater veterani militum ducesambo, qui intempesta nocte vallum superârunt, hostes interfecerunt, & Esscedam captum abduxerunt, solo Langio scapha elabente.

Kuinder à regijs capitur.

In

In Gallia, quoquè mensibus Iulio, Augusto & Septembri, priora illa vulnera leuitèr quidem abducta, iterumq; refricata, nouo dolore recruduerūt. Rex enim Nauarrus, Condęus, alijq; Hugonotarum antesignani, bellū sibi pacè quæstuosum magìs existimātes, La Fera Morinorum, seu Picardiæ oppidum inuadunt, illatisq; armis in suam redigunt potestatem. Cumque præsidiarij assiduis excursionibus longè lateque vicinas prouincias rapinis, incendijs ac cædibus redderēt infestas, querelę prouincialium quotidiè ad Regē adferebantur. Decretū est vrbē obsidere: Regię copiæ Ferā conuolare iubētur, Marsignonius expeditioni pręficitur. Ille castris munitis, attractisq; tormentis, muros sinè intermissione quassari, ruinamq; satis amplā sterni imperauit. indè qua parte murus disturbatus erat, milites induxit, fortissimeq; vrbem oppugnauit: sed alacritate oppidanorum Marsignonius repressus, receptui canit, & suos in castra ducit. Cùm tamen crebris oppugnationibus vires obsessorū minui facilè animaduerteret idē regius Imperator, nec subsidia in vrbem mitti posse, ab oppugnādo non desistendū esse censuit: in tantasque angustias oppidanos breuì redegit, vt interìm dū frustrà ab Alenconio & Nauarro auxilia implorātur, vrbs summis viribus expugnata, cæsis omnibus præsidiarijs, in Regis venerit potestatem. Nec infeliciùs apud Allobrogos Bironius, atq; alij alijs in locis pro Rege pugnabant. Hugonotę Catholicis & numero & viribus inferiores, iterùm àd pacē respexerūt: quam ideò facilius à Rege impetrârunt, quòd Alenconius ab Ordinibus Belgicis, ad eorum defensionem euocatus, res priùs domi stabiliendas duxerit, quàm foris bellum gerendum. Congregatis itaque regni principibus, noua denuò pax constituitur, atque inter alia cauetur, nè in posterum Hugonotæ, in locis Regi subiectis concionentur, aut religionis suæ exercitium publicè administrent.

1580

Tumultus Gallicanus.

Fera expugnatur.

In Hibernia noui tumultus inter Catholicos & Hæreticos exorti, occasionē dedêre Italis, Hispanis, & Gallis nōnullis, vt inito fœdere, septē nauibus onerarijs in insulā nauigauerint, opeq; Insulanorū Catholicorū, præsidia Reginæ, munitioraq; loca inuadētes, expugnauerint. Hi sibi ipsis Pontificiorū nomē indiderūt, duabusq; clauibus pro signo vtebātur. cumq; multis, magnisq; victorijs inclarescerent, Regina auditis repentinis Hiberniæ motibus, nec parùm suspectum habens belli apparatum, qui ad expeditionem Lusitaniæ in Hispanijs fiebat, exercitum

Hiberniæ tumultus.

1580 conſcribit, nauibusque impoſitum, in Hiberniam miſit. qui poſt multa prælia Pontificijs occiſis, Hiberniam ad obedientiam atque officium Reginæ compulerunt. Regina quoquè, edicto promulgato, Hiſpanos omnes Anglia, atque adeò omnibus regni locis, eiecit.

Vigeſimoſeptimo Octobris Renneburgius in caſtra ad Steenvvichium venit, miſſoque feciali, deditionem oppidi poſtulauit. Sed militum præfecti reſpondent, ſe alium non agnoſcere Dominum, quàm principẽ Auraicũ, & Ordines generales. Archiducis enim Auſtriaci imperiũ nullum eſſe, vt erat, exiſtimabant: Ad horum oppidumſeſe mandata ſeruare, nihil cum Rẽneburgio negocij habere. Friſij in Septẽ ſyluas, quas vulgus Seuen wolden vocat, quatuor peditum centurias misêre, quæ excurſiones hoſtium impedirent. quod cùm in caſtra relatum eſſet, miſſi ſunt eò cum ſuis cohortibus Oyenbruggius, Gemen, & Snater, qui Friſios fuderunt. cadit inter alios vnius vexilli ductor Ioannes Feruo, cuius fratrum minimus fugiens à ruſticis occiditur, & alter Fredericus viuus in hoſtium manus venit. Regij bonis auibus præliantes, hac victoria potiti, Sloten oppidulum maritimum occupant, vbì Doco Martenam comprehendunt. Paulò pòſt oſtium Lemmeræ, non minimi in Friſia fluminis, Ordinibus eripiunt. Reinerus verò Dekema Staueren intercipit, arcemque reparat, & in Mackum propugnaculo ædificato, ad portas vſque Harlingæ, Franekeræ, atque Bolſvverdæ excurrit, hoſtiumque agros deprædatur. Friſij vt excurſiones has impedirent, mare in agros perforatis aggeribus immittere ſtuduerunt: ſed quia æſtas erat ſicca, nec ventus illis eſſet ſecundus, irritus erat omnis iſte conatus.

Ciues oppidi Steenvvichiani, de vita, bonisque ſuis ſoliciti, & milites etiàm nonnulli trepidantes, ſæpiùs vt ad Confœderatos pro ſubſidio ſcriberetur inſtiterunt. Korenputtius quantum potuit obſtabat, violentiæ tamen aliorum cedens, iam tèr quaterque literas mittendas ſubſignârat. Confœderati putantes tantam in oppido eſſe neceſſitatem, quantam literæ præ ſe ferebant, ſubſidium maturârunt: Contractis tumultuarijs aliquot cohortibus, eas in monaſterium, quod Campus S. Ioannis appellatur, miſerunt, quorum ſupremus ductor erat Hegemannus. Regij decimoſeptimo Nouembris aliquot centurias hoſtes oppugnatum mittunt. velitatur, pugnatur aliquandiù,

Regij

Regij tandèm, vallo superato, in monasterium irruunt, hostes cædunt, capiunt, sternunt. tres centuriones, raptis vexillis, secum captiuos in castra magno cum triumpho, vexillis ad caudas equorum alligatis, inspectantibus obsessis, ducunt. Inuenerant in monasterio magnam pulueris tormentarij copiam, apparatum bellicum, ad oppugnationem sibi non inutilem. Postridiè igitur attractis tribus machinis æneis, tectum & pinnas portæ, quæ à Xenodochio nomen habet, verberare cœperũt: Præsidiarij rati hostes oppugnationem parare, aquam feruentissimam ad mœnia portant, malleolos cõficiunt, saxa congerunt, omniaque ad defensionem parant. Korenputtius aliud moliri hostem ex eo suspicabatur, quòd summitatem portę tantùm feriret. Deiecto itaque portæ fastigio, cùm ædium tecta se ostentarent, ignitos globos eiaculabantur. Nesciebant id obsessi, donèc quatuor aut quinque locis, luculentissima flamma ex ædium tectis assurgeret. Oritur ingens clamor, toto oppido trepidatur: gemitus virorum, planctus mulierum, & puerorum eiulatus in castris audiebatur. Pręsidiarij immoti in mœnibus stabant, ciues incendium restinguere totis viribus annitebantur: sed tam frequẽs ignis in oppidum immittitur, vt tandèm defessi ciues, coriaceis vrnis diffutis, & alijs necessarijs deficientibus, flammã liberè vagari permiserint, atque obuia quæuis depopulari. Conquerebantur ciues, quòd confœderatorum iugum induissent; Korenputtium eiusque phalerata verba calumniabantur, execrabanturque. Quid multis? tanta erat hominum desolatio, tanta trepidatio, vt si is casus noctù accidisset, oppidum sinè dubio in regiorum manus venisset. 1580

De cõtrouersia regni Lusitanici, inter Hispaniarum Regem, Antoniumque Spurium, & Odoardi posteritatem, deque apparatu bellico, qui in Hispanijs fiebat, diximus suprà. Cùm verò Turcarum Imperator bello Persico attritus, peste ac fame huius atque superiorum annorum domitus, tantum bellum sibi parari metueret, de inducijs cum Hispano faciendis per Mahometem egit: in quas cùm Philippus quoquè propenderet, vt commodiùs in Europa belligerari posset, triennales cum Amuratho pepigit.

Induciæ inter Hispanum et Turcam.

Antonius cùm iure Regnum obtinere non posset, cœpit de vi & populari factione cogitare, vt armis Hispanum excluderet. metuebat tamen classem, quam Hispanus paratam habebat, & terrestres copias, quæ quotidiè auge-

Bellũ Lusitanicum.

1580 augebantur, quarè & ipse ad apparatus bellicos animum adiecit, beneficioque multorum procerum, totiusq; Regni popularium, qui (quòd Castiliæ nomen ipsis exosum esset) ab Antonio stabãt, multa millia tumultuariorum & imperitorum militum collegit. Rex Philippus arma parari intelligens, legationem in Lusitaniam misit, debitum sibi successione regnum postulans. ad quod si Maiestatem suam benignè suscipere nollent, armis eam ius suum prosecuturam minatur. Sed cùm Lusitani, se patriam contra vim defensuros, nec Regem Hispanum recepturos, non obscurè responderent; Legati in Castiliam reuersi, mentem Lusitanorum Regi exposuerunt. Rex itaque cum Parmensi de iure, quod ipsi in regnum Lusitaniæ competere videbatur, transigens, Pontificis etiam (vt scribunt nõnulli) suffragationem adeptus, Albanum Ducem veteranum, & longo vsu militaris rei peritissimum, huius expeditionis summũ Imperatorem nominauit. Albanus collectis 25. millibus peditum Italorum partìm, partìm Hispanorum, 2. millibus equitum & sexcentis cataphractis, cum multis Hispaniæ proceribus, 25. Augusti Lusitaniam versùs terra mariq́ue iter capessit. Antonius, cùm Albani aduentum ab exploratoribus didicisset, eumque iam Setubalum, Cascaim, & castrum S. Ioannis occupâsse intellexisset, Vlyssiponam relinquit: contractisq́ue 20. armatorum millibus, in agris suburbanis castrametatur, expectans quid consilij Albanus esset capturus. Albanus non procùl ab Antonianis, sua quoquè castra locauit, & postridiè conuocatis proceribus ad comitia militaria, de bělli ineundi ratione disceptauit. Variæ variorum erant sententiæ: consultissimum tandèm visum est, cùm omnis Antonij potestas in vno exercitu esset collocata, totaque victoria ab illius expugnatione penderet, (munitiones enim Lusitaniæ nec firmæ sunt, nec expugnatu admodùm difficiles, eò quòd res Lusitanicæ bello potiùs inferendo, quàm propulsando creuerint) vt collatis signis confligeretur.

Magna itaque Italorum manus ad pontem, vrbi vicinum, quà itur Norbam Cæsariensem, occupandum præmittitur. Sed cùm is ab Antonianis acritèr defenderetur, ancipiti aliquandiù Marte pugnatum est: tandèm Itali superiores, deiectis Lusitanis, ponte potiuntur. Sancius Dauila pontem hoc modo occupatum transit, & cum

cum lectiſſimo exercitu ad oppugnandum caſtra Anto- 1580.
niana contendit. Ferdinandus Toletanus cum parte equitatûs ſubmittitur: is in 400. pedites & aliquot turmas equitum hoſtiles incidens, manum cum ijs conſerit, cæſisque nonnullis, cæteros in fugam vertit, eosque ad vrbem vsque perſequitur. Sancius intereà ſecundum vallum occupauit. dum ad tertium vehementiſſimè pugnatur, Antonius inter alios duobus vulneribus grauiter vulneratur. cumque ardor belli creſceret, & Luſitani Hiſpanorum impetum diutiùs ſuſtinere non poſſent, relictis caſtris in vrbem ſe receperunt. quo in itinere Ferdinandum ad ſuos reuertentem obuium habuêre. Is hoſte viſo, aciem inſtruit, & in eos impreſſionem facit, multos ſtrauit: quibus elabendi ſpatium erat, relictis ordinibus, fuga vitæ conſuluerunt. Cæſo diſſipatoque exercitu Antoniano, Hiſpani propiùs vrbem mouent. nè tamen eam expugnarent, à Philippo interdictum erat: nè tam opulenta ciuitas, militari auaritia & rapacitate diriperetur. Vlyſſiponenſes in tanta trepidatione vrbis defendendæ ſpe abiecta, mittunt in caſtra, qui deditionem Hiſpanis, vitam & facultates incolumes pacti, offerrent. Reſpondit Albanus, ſe non niſi ad victoris arbitrium deditionem accepturum. Vlyſſiponenſes auxilia nulla expectantes, vitam & bona grandi pecuniæ ſumma tandèm redemerunt, vrbemque Hiſpani Regis fidei tradiderunt. Claſſis Hiſpanica, quæ quinquaginta triremium erat, accepto deditionis nuncio, ad vrbis portum nauigat, & commiſſo cum Antoniana claſſe inſtructiſſima leui prælio, eam diſiecit, diſiectamque facilè ſuperauit.

Antonius cæditur.

Vlyſſiponam capiunt Hiſpani.

Antonius ad orientalem vrbis partem cùm fugiens veniſſet, inuenit illic Emanuelem de Portugalla, auunculum Comitis de Viminoſo, qui in nauem iam deſcenderat, vt aduerſo flumine Santaram nauigaret. hic Antonium quoquè in nauim recepit. Vehebantur vnà Antonius, Emanuel, Viminoſus, & Marquerennas. Sed triremis Hiſpanica eos tam celeritèr inſecuta eſt, vt nauim ad ripam applicantes, & in terram deſilientes, vix ſpatium equos aſcendendi haberent. Hi tamen quatuor manus Hiſpan. euaſerunt, reliqui qui in naui erant, in poteſtatem hoſtium venerunt. inter quos Emanuel à Caſtro & Antonius Boradus. Cumque Antonius in pago quodam

Antonij fuga.

chirur-

1580 chirurgum inueniſſet, vulnera ſua obligari iuſſit, & ſole iam occidente, celerrimis equis Santaram venit, vbi ab Emanuele de Sylua, oppidi prefecto exceptus eſt. Sed quia oppidum munitum nō erat, poſt biduum illinc ad Manliana, vrbē maritimam, Monte maior ab incolis dictam, atque indè Aueram, & tandèm ad oppidum munitum Portu portugal nominatum, peruenit, ibiq́ue hoſtem expectare volens, magis oppidum muniuit. Sed Albanus mox eò Sancium Dauilam cum exercitu miſit, qui oppidum ſtatim expugnauit. Antonius verò cùm aliquot nobilibus vix elapſus, Vianam maritimam vrbem veniens, quinque nauigijs inſtructis, poſt ſeptem menſium pericula, quibus in montibus ac ſyluis, nudus atque famelicus delituit, in Franciam fugit.

Hiſpani, nulla interpoſita mora, reliqua etiàm Luſitaniæ oppida partìm vi, partìm deditione ad Regis Hiſp. obedientiam compulerunt. quorum felices progreſſus cùm cerneret Bragantiæ Dux, ſupplex ad Maieſtatem Regis venit, eiq́ue reconciliatur. & Ordines regni, Hiſpanos iam præcipuas vrbes occupare, nec aliundè auxilia ſibi adferenda non ignorantes, legatione ad Regem miſſa, fidelitatis iuramentum obtulerunt. Rex beneuolentiſſimè cum eis egit, libertatem & priuilegia priſtina illorum confirmauit, preſidia non niſi tolerabilia ipſis impoſuit, omniaq́ue fecit, quæ optimum Principem decent. Vtriuſque Indiæ populi, accepto de Luſitania ſubiugata nuncio, certatìm legationes precioſiſſimaq; honoraria Vlyſſiponam Regi gratulantes, eiq́ue obediētiam deferentes, miſerunt. Solus Cyprianus Figuereido, Inſularum, quas Azores vocant, præfectus, Regis imperium ſuſcipere noluit, ſed inſulas in fidem Antonij iurare coegit.

Rēneburgius Steenvvichium ſibi dedi poſtulat.

Deformato, vt diximus, grauiſſimo incendio Steenvvicenſi oppido, ciuibusq́ue lamentantibus, Renneburgius iterùm fecialem mittit, qui veniam illis & gratiam Regis offerret, ſi ſe dederent. Platius in mœnibus ſtabat, cùm ille mandatum ſuum proclamaret: qui reſpondit, ſibi, ſuiſque nihil eſſe cum Comite negocij, ageret ille quę vellet, ſe ſibi nō defuturos. Indignè ferebant hoc reſponſum ciues, non tam præcipitanter, multò minùs tam ſuperbè reſpondendum aiebant. Sed cùm Confœderati ſubſidium non mitterent, magis magiſque animi debilitati ſunt, non ciuium tantùm, ſed & Platij ac militum multorum. Solus Korēputtius, quòd ſibi à Renneburgio metueret, obfirmato animo reſtitit, & nequaquàm cum hoſte pa-

ſte pa-

ste paciscendum clamauit. Per triduum ità in oppido tu- 1580
multuatum est, sententijs inter sese diuisis. tandèm pars maior vicit meliorem, & cum hoste ad colloquium non conueniendum decretum. ciues reclamabant, quos stentorea voce sua terruit Korenputtius. cumque silentium imposuisset omnibus, lanio quidã lugubri voce, Et quid, inquit, omnibus consumptis tandèm erit? respondens truculẽtus homo, Tunc & te, & tuos, inquit, vorabimus. Perculsus lanio, flensque discessit.

Poloniæ Rex Stephanus dum in restaurando Vielicoluco occupatur, quosdam lignatum materiatumque è suis emisit. Sed Moscouitæ, collectis clàm aliquot armatorum millibus, ad arcem Toropeciam consederunt, in eosque qui emissi erant delati, quinquaginta circitèr compræhenderunt. Ea fama cùm ad Regem perlata est, Georgium Barbilium tribunum equitum Pannonum, cum exigua peditum equitumque manu, ad Moscos illos debellandos misit. Sed cum paulò pòst nunciatum esset, hostium castra nouis copijs esse adaucta, Gianutium Duredam cum 1500. equitibus ablegatum, sese cum Barbilio Rex inungere mandauit. Albertus Chiarinx, coniunctis iam Polonorum viribus, emittitur, vt hostium consilia exploraret: qui cùm ex improuiso in hostium aliquot equites incidisset, pugnam offert. sed illi ad insidias prope pontem collocatas sese recipientes, persequentibus fortitèr restiterũt. Albertus numero Moscis, Scythisque, qui subsidio missi erant, se inferiorem cernens, misit ad suos, qui plures copias aduocarent: cumque nonnulli accessissent, sublato clamore hostẽ adoriuntur. illi totum exercitum Regis subsecuturum existimãtes, relicto ponte, Toropeciam ad castra reuertuntur. Sed Poloni eos insequentes, cùm ad oppidum Toropeciam venissent, aliquandiù cum hoste velitando dimicârunt. qui tandèm cùm Polonorum vim diutiùs sustinere non possent, in oppidum fugiunt, atque illud incendentes, in arcem sese recipiunt. Oppugnantibus verò Polonis arcem, trepidantes Mosci, in fuga salutem constituerunt: sed Poloni eos insequentes, cædunt, capiuntque plurimos; & nisi noctis beneficio hostium manus euasissent, omnes aut viui, aut mortui in illorum potestatem venissent.

Bellũ Moscouiticũ.

Toropeciã capit Polonus.

Barnemizzam verò & Polociæ Palatinum, ad expugnandam Neuelam à Rege missos, diximus anteà. Est autem Neuela arx munitissima, profundissimis paludibus vndiquè cincta, prætęrquàm à meridie, quà commodior est

Neuela expugnatur.

1580 est ad arcem accessus. Hîc propugnaculis extructis Barnemizza castra sua posuit. Sed Mosci in arce sese continentes, tormentorum frequentissimis ictibus, atque repentinis eruptionibus, multum damni Polonis inferebant, seseque & arcem fortitèr defendebant. Sunt enim Moscouitæ in tuendis munitionibus alacres, atque pertinaces, tum ob naturæ ferociam, tum etiàm ob metum Principis. is enim eos, qui præter extremam necessitatem deditiones faciunt, absque vlla misericordia, nulla ætatis, nulla sexûs, habita ratione, in tertiam vsque generationem mandat iugulare. Acie verò cum Polonis decertare, nec audent, nec possunt, cùm duo Polonorum millia, sæpè Moscorum octo fuderint, ac profligauerint. Poloni itaque prætenturas & fossas ad arcis muros ducere constituerunt: sed eæ pilarum tempestate, à Moscis facilè disturbatæ sunt, atque impeditæ. Adhibitis itaque cuniculatoribus, terram ad labrum fossæ, quæ arcem cingit, excauârunt, inuentamque contignationem transuersis lignis validè confibulatam, securibus perforârunt, tanta dexteritate, tantoque silentio, vt obsessi nihil horum resciuerint, priùs quàm cuniculis erumpentes Poloni, & ad arcis propugnacula procurrentes, ignem in ea coniecerunt. qui viribus conceptis, maximum continuò incendium excitauit. Nouitate rei perterriti qui in arce erant, etiàm inuitis præfectis, arcem dedere, atque incendium restinguere promittebant. Acceptis conditionibus Mosci, relicta omni supellectile, atque inprimis militari, incolumes dimissi sunt, ipsaque arx integra adhuc, cum tribus præfectis in potestatem Polonorum venit.

Rex huius victoriæ certior factus, Vielicoluco magnis itineribus Neuelam proficiscitur, arcemque recognoscit: collapsa restaurat, vbì opus erat, propugnaculis communit: nouasque copias ad Zauolociam, sub imperium Polonorum reducendam, mittit. Oratores Ducis Moscouiæ Regem secuti, quotidiè nuncios cum literis à Principe suo expectabant. qui cùm venissent, magnas literarum sarcinas attulerunt, nihil aut parum ad honestam pacem constituendam facientes: cùm Dux multis retrò seculis genealogiam suam à quodam Iurg deducens, Liuoniam, de qua erat quæstio, suam esse ostendere conaretur. interìm promittit Liuoniæ titulum Polono quoquè communem fore, & quatuor munitiones

nitiones in ea Regi offerens, cætera se Legatis mandâsse scribebat. Legati postridiè ad colloquium admitti postulantes, auditi sunt: & præter quatuor munitiones, sex alias adijciunt, quæ deincèps Polonici iuris essent: Moscouitici verò cæteræ. Respuerunt conditiones istas Poloni, & honestum bellum, inhonestæ paci anteferendum censuerunt. Dum Rex in Lituaniam, atque indè in Poloniam reditum parat, nunciatum est, Oserisciam à suis captam. & cùm prope Driznam venisset, Zauolociam expugnatam esse, per nuncios & literas intellexit. Relicto itaque omnibus in locis, virtute bellica sibi subactis, sufficienti præsidio, Vilnam proficiscitur. quo in itinere Pallotam in fidem suam recepit. Sed quia centum penè milliaria, per dẽsissimas syluas steriliaque loca, vbì nulla pabuli potuit haberi copia, eũdum erat, plùs quàm 20. equorum millia fame perijsse nonnulli scribunt. Rex tamen cum suis incolumis Vilnam peruenit: vbì confestìm solennes instituit supplicationes, iubetque subditos omnes totius regni, Deo Opt. Maximo, pro tantis victorijs, reddere gratiarum actiones.

1580

Oserisciæ & Zauolocia capta.

In Hispanijs die 27. mensis Octobris, Philippo Lusitanico Regno iam inaugurato, charissima illius coniunx, Anna Austriaca, Cæsaris soror, fœmina longiori æuo dignissima, ex hac vita placidè migrauit. quo tempore & Cometa cincinnis primò exiguis, pòst cauda longissima fulsit. Apud Belgas, mense Nouembri Casparus Scetz, Dominus in Grobbendonck, & Calendis Decembris, Iohannes Moronus, Cardinalium collegij Decanus, Romæ Austriacam insecuti moriuntur.

Annæ Austriacæ mors.

Guilielmus Hornius, Dominus de Heez, gubernator anteà Bruxellensis, læsæ maiestatis atque proditionis accusatus, & conuictus, capite Querceti (vulgò Quesnoy) Hannoniæ oppido truncatur. Paulò pòst Galli ab Alenconio missi, vt Cameracẽse præsidium augerent, vrbemque & commeatu iuuarent, & ab obsidione liberarent, cæduntur, fuganturque. Similis fortuna fuit, post non multos dies, Gandauensium, qui propè Quaet Atrecht trucidati sunt. Quibus infortunijs hoc commodi Belgis accessit, quòd oppidum Conde mox astu occupauerint, quod tamen superuenientibus regijs, postridie multò maiori damno accepto, deserere compulsi sunt.

Steenvvicenses quotidianas ferè eruptiones facie-

1580 bant, nunc lixas, nunc calones, nunc meretrices capiunt, nunc hostium quempiam occidunt, nunc vicissim occiduntur: ità vt frequentissimis istis eruptionibus, nihil peculiare sit actum. Causa cur totiès erumperent erat præcipua, vt quid ageretur in castris, quid Cōfœderati pro suis periclitari velint, ex hostibus cognoscerent. Tandē cùm varios nuncios, variasque literas de subsidio venturo acceptissent, Noritz 15. Decembris in cataracta nigra venit, eaque à Renneburgio relicta, vel neglecta (Stuperus enim post conflictum Campi S. Ioannis ea deseruerat) occupauit. Didicit per exploratores, Ottonem van der Sande/ cum nuper collecta centuria in Giethoren, pago inter Aquas nigras, & castra Rēneburgij stationes habere. Missis eò lectissimis aliquot peditibus, eos ex improuiso obruit, cædit, fugatque, Ottone capto, filio interfecto, & pago exusto. Regij flammam conspicientes, instructa acie, quàm celerrimè sese eò recipiunt: sed hostis, antequàm venirent, è pago discesserat. Noritz cum 23. cohortibus, Meppelium venit, tribus tantùm vexillis in cataractis præsidio relictis. Quod cùm Renneburgius intellexisset, confestìm peditū cohortes vndecim, & sex turmas equitum, ad cataracta misit, vt ea recuperarent. qui quidem & per glaciem, & per aggeres fortitèr imprimentes, acritèr dimicârunt. qui in propugnaculo erant, non minùs dextrè sese defendunt, donèc Noritz Meppelio cum maioribus copijs reuersus, regios pedem referre coëgit. multi vtrinquè desiderati sunt. sed cùm regij cum impetu cederent, glacies subsedit, multique submersi periêrunt. Didicit tunc suo malo Renneburgius, quàm imprudenter fecerit, id gratìs relinquendo, quod posteà tam multo sanguine non potuerit iterùm promercari. Noritzintereà 40. pedites in oppidum mittit, qui singuli singulos saccos coriaceos, puluere tormētario refertos, importârunt. Paulò pòst misit alios aliquot lectissimos manipulos, qui à tergo per ambages vicum quendam Onna dictum, in quo hastati aliquot equites stationem habebant, incenderunt. Equites territi, putârunt totum exercitum adesse, initiò fugiunt: sed è fuga collecti hostem insequuntur, accurrunt & sclopetarij nonnulli ex castris, fit leuis velitatio. Qui in oppido erant, audientes strepitum sclopetorum, subsidium adesse rati, erumpunt, & proximam prætenturam capiunt: sed ab equitibus mox reiecti, in tutum se recipiunt. hìc eminùs aliquandiù pugnatum, Platius cadit, & multi ex oppidanis interfecti, plurimi (non sinè

Successus belli in Transisselania.

regio-

regiorum damno) vulnerati sunt. Vltimo tandèm huius anni, Noritz cum suis castra regiorum oppugnat à tergo, & oppidani erumpentes à fronte. diù pugnatum est, non sinè vtriusque partis detrimento: regij tamen & castra sua defenderunt, & hostes repulerunt. 1580

Hattemũ occupatur.

Eodem ferè tempore Montfortius Hattemensis, Geldriæ oppidi Satrapa, contractu cum regijs inito, noctù milites aliquot à Schenkio missos in arcem recipit: manè eruptione in oppidulum facta, portam occupat, & Hegemannum, apud Ordines militiæ præfectum, cum præfecto Haen, & duobus nobilibus, in diuersorio compræhensum, in arcem abduxit. Cæterùm cùm militum numerus minor esset, quàm qui ex pacto promissus erat, ciues portas recuperârunt, militesque, vnà cum Satrapa, in arce obsederunt. ex omnibus vndiquè locis auxilia conuocantes, attractis ad castrum tormentis grauioribus, maximo conatu muros per aliquot dies verberârũt. Qui in arce erant, fortitèr sese defendebant: sed quia sperata subsidia; nec à Renneburgio, qui tunc in obsidione Steenvvichia erat, nec à Schenkio mitterentur, vanis Hegemanni captiui pollicitationibus corrupti, milites turpitèr arcem 18. Decemb. dediderunt, Satrapamque turpiùs prodiderunt. qui cum patre, matre, & sororibus captus, Arnemium missus, & incredibili modo tortus, tandèm cum patre octogenario, in publico foro, frustrà Parmẽsi, Domino Anholtio, & Schenkio, nè interficeretur, scribentibus, condemnatur, atque inter orandum (Psalmum enim 50. magna cum attentione recitabat) capite plexus, in quatuor partes dissecatur, & de turribus ac portis suspenditur. in cuius sanguinis vindictam, nonnulli ciues posteà sunt à regijs iugulati. Arx verò Hattemensis, Michaëlis à Pomeren, fortissimi Geldriæ Ducis Caroli, archistrategi, auunculi mei quondàm sedes, funditùs est euersa.

Tumultus in diœcesi Vltraiectina.

Circa finem anni, instantibus iam Christi Natalitijs (ferè enim semper spiritus ille Caluinianus maioribus festiuitatibus aliquid moliri solet, quo pij interturbentur) in Diœcesi Vltraiectensi Caluiniani erectis signis in pagos irruerunt, effractisque templorum foribus, in Soest, Baren, Luesden, Isselt, auorum meorum dominio, quidquid ecclesiasticæ supellectilis reliquum erat, diripuerunt, fregerunt, dilacerârunt: campanas è turribus deiectas, abstulerunt, & in tormenta bellica Flandrorum exemplo conflârunt. quin & eò petulantiæ atque

1581 atque impietatis processêre, vt in Baptisteriū, quo à manibus Dęmonis vindicati, Christo renati sumus (horreo dicere) veri Copronymi, ventris onus deposuerint. Rustici Luesdenses cùm de hoc sacrilegio admoniti essent, vndiquè armati coiêrunt, aduenientesq; Caluinianos fugârunt. qui paulò pòst maioribus cum viribus redeūtes, inspectātibus, frendentibusque colonorū copijs, antiquissimum templum miserè spoliârūt. Quin & paulò pòst rustici aliquot, eò quòd primū hoc sacrilegium impediuissent, mandato Vltraiectensiū capti, & grauitèr mulctati sunt. vndè inter rusticos atque ciues graue odiū exarsit.

Lex in Catholicos Angliæ lata. Hoc etiàm mense in Anglia, edicto publico, facta est vnicuique potestas, vnumquenque vel detegendi vel accusandi, ex minima quaque circunstantia, quæ suspicionem Catholicæ Religionis inducat. Multi huius edicti iniuria sunt compræhensi, plurimi varijs molestijs & calamitatibus exagitati.

Mors Episcopi Leodiensis. Ad finem mensis Decembris, obijt Gerardus à Groesbeck, Episcopus Leodiēsis, & Cardinalis, postquàm huic Eburonum Ecclesię 16. annos, maxima cum laude, pręfuisset. Princeps prudentissimus, & magnus Catholicæ religionis assertor. in cuius locum Ernestus, Alberti Boiorum Ducis filius, suffectus est.

Imperatoris ad Aquisgranenses literæ. ANNI 1581. tertio die Ianuarij, Rudolphus Imperator de Aquisgranensium controuersia solicitus, ad eorum literas perbenignè respondit: Se cum maxima animi voluptate eorū literas & accepisse, & legisse ait, præsertìm cùm sese in veteri religione, auitaque politia permansuros, nec aliquam nouitatem introduci permissuros, polliceātur. Petit, vt in ea sententia permaneant. Interìm legationem se Aquisgranensium expectare, vt quæ ad defensionem suam sint allaturi, latius quàm ex literis intelligat. Nec ijs literis contentus Imperator, cùm interìm tam Legatorum Imperialium, quàm aliorum vndequaquè grauium virorum literis, ad Suam Maiest. querelæ adferrentur, iterùm die vndecimo mensis eiusdem, ad Aquisgranenses scribit: Se diuersis literis tam Legatorum suorum, quàm aliorum hominum intellexisse, quid hactenùs in controuersia ipsorū actum esset: quodque causæ innocentia, non ea sit, quam illi prætendant, præsertìm cùm Sua Maiest. intelligat, Magistratum, contra fidem, atque iuramentum præstitum, in venis & visceribus Reip. homines extorres, seditiosos, & hæ-

& hæreticos alere: schismaticas conciones in vrbe fieri: 1581
eas à Magistratu non impediri: sed & bonam illius, ciuiumque partem, nouellis quæ in istis traduntur opinionibus assentire. Hæc omnia, & laudabilium priuilegiorum suorum vmbra, & Religioni datæ pacis detorta interpretatione tegere, & propugnare non erubescere. Mandare ità se illis, vt promissam legationē mittant, reipsa, quam verbis & scriptis pollicentur, obedientiam præstent: Nouitios istos concionatores, eorumque dogmata simul, cum omni introducta nouitate explodant.

Auraicus princeps Guilielmus, plura vafris, quibus plenus erat, artibus, quàm vi gerens, auspicijs consilijsque Aldegondi, Tyronij, Vilerij, aliorumq; in schola Caluiniana edoctorū hominū, res suas magis quàm bello promouens, vt conciliandis per amicitiā Principum nouis gentibus commodiùs, quàm armis imperium Belgarum augeret, anno proximo literas Alenconio miserat: quibus eum ad capessendum Belgium, aduentumque accelerandum adhortabatur. deplorans initiò inconstantiam Belgarum, quos nouo rumore de occupata Portugallia à Philippo Hisp. Rege plurimùm consternatos, atque à se alienatos, conqueritur: qui sibi iam persuadeant, hanc opportunitatem nactos Hispanos, cum classe in Belgium redituros. Multùm se laborâsse dicit, vt famam hanc supprimeret, nihil tamen efficere potuisse. hac de causa ad Suam Serenitatem scribere debuisse, ea quæ nec Sanctaldegondo, nec cuipiam alij concrediderit.

Auraici literæ ad Alenconium lectu dignissimæ.

Fateri se quidē ait, non leue malū ex ista victoria depēdere: nec dubitare, quin Hispani pro sua industria mercaturam Hollandis & Zelandis negabunt, quod nūc ipsis factu esset facilimum. quod si fiat, metuendum, nè maritimi, iactura lucri, de rerum mutatione cogitent, immò nec dubitandum. Hortatur itaque Alenconium, vt quàm citissimè ad media inter ipsos diù concepta recurrat; vt ista mutatio præpediatur. Quia verò ipse meliùs in hac erat schola edoctus, viam demonstrat meliorem: nimirùm, vt trepidanti iam populo Alenconius iterùm opem suam deferat, se procuraturum clàm, vt ea petatur. futurum in tali metu, vt quæ petat Alenconius facilè obtineat, Flandriamque sibi non difficulter subijciat, dum populus vltrò ipsius protectionem imploret: ipse sub titulo protectionis, se Comitem constituat, imperiumque stabiliat. quod vbi factū fuerit, Belgæ, inquit, in eum incident labyrinthum, vndè se posteà non poterūt explicare.

1581 Metum commodissimam nunc esse opportunitatem, quam si eripi sibi patiatur Alenconius, tum ob populi inconstantiam, tum etiàm ob odium inter Francos & inferiores Germanos, fieri posse, vt ipsi posteà via præcludatur. Magnis itaque itineribus, summaque celeritate approperandũ in Flandriam esse; exercitum si non omnem, saltèm partem illius esse præmittendam.

Obiectiones deincèps quorundam adfert: Scio, inquit, nasutulos nonnullos fore, qui, quòd Belgæ Catholicæ religionis exercitium habeant nullum, nouæ verò frequentissimum, criminabuntur, & sustinebunt id causam aliquandò esse posse, cur ab expectatione regni posses excludi. Alij, quòd Rex Hispaniatum tam potens est, vt florente Gallia Henricus illum non potuerit debellare, dicent; inferentque hinc, cùm regni Lusitaniæ accessione auctus sit, multò iam minùs ei posse obstari. Sed eas dicit nimiùm scrupulosas esse propositiones: agi enim de prouincijs conquirendis, eaque in re nullam Religionis habendam esse rationem: vel eam ob causam, quòd fingi semper possint & inueniri media, religionem ad votum subditorum statumque causæ alterandi: omni etiàm tempore Absolutionis ianuam Romæ patere. Interìm Suam Serenitatem opportunitates inuenturam, multas vrbes atque arces per Flandriam & Brabantiam occupandi, & suis præsidijs, etiàm inuitis ciuibus, muniendi. quo facto, incolæ ad eam religionem poterunt, ait, compelli, quæ vestræ Serenitatis conueniet instituto, atque ità corona Francica ipsi non poterit denegari.

Impia vox

Opùs tantùm esse celeritate: materiam iam nunc ità esse præparatam, vt, quod deest, vel ipsi Caluinianorum Ministri queant perficere. Solos milites obseruandos, eorumque rationem habendam: initiò internos omnes (qui difficulter veteris principis obliuiscuntur) dimittendos esse, & exteros introducendos, Gallos præcipuè, tanto numero, quanto ad propositum satìs esse existimabitur. Id fore perfacile, sub huius vel illius prætextu, cùm subditi partìm ob religionis diuersitatem, partìm postquàm gustauerint, quàm dulce sit nullis legibus, nullis statutis constringi, in tantam insolentiam atque proteruiam euaserint, vt singulis penè momentis occasionem prębeant, duriùs eos tractandi. His artibus sese in Hollandia atque Zelandia vsum versipellis ille fatetur. Habere se & alia vafra consilia dicit, quæ se Alenconio communicaturum coràm promittit: eò quòd scriptis credere tutum

tum non esset, cùm & Alenconij, & sua ex illis existimatio dependeret. 1581

Nihil causæ esse, cur Alenconius priorem suā conclusionem mutare debeat: magnis enim pollicitationibus primùm in imperium Belgij veniendum: quo suscepto, non difficulter ad propositum perueniendum, vtendo medijs, quibus se ab initio vsum aiebat. ijs enim vulgus facilè decipi posse. Omnia in celeritate posita, tum ob alias, tum etiàm ob hanc causam, nè Flandri leuitèr credentes (si res differatur) tepidiores fierent, consiliumque mutarent. id enim aliàs compertum esse. Nec dubitare se, Suam Cels.rem aggressam, re ipsa comperturam, quòd nullis ab ipso rebus, quæ petentur, destituetur. in nullo ipsam frustratum iri, quæ ad exitum rei pertinebunt. Ad eum faciliori negocio perueniendum, ob existimationem, quam inter plebeios sit habitura. sed & eam disseminandam anteà esse, & diuulgandam, amplificandamque. Literas quoquè scribendas, nominè Regis fratris sui, licèt adulterinas, quibus populo persuadeatur, Suam Maiest. fratri opem laturam, suoque consilio & cognitione negocium esse susceptum. Artes Auraici.

Quòd si Alenconius quorundam meticulosorum hominum instinctu procrastinare non desinat, & hostis classem adornet, testatur se in Hollandiam & Zelandiam proficisci debere, ad resistendum: & tunc ciuitates mediterraneas periclitaturas, eò quòd suæ vires sint imbecilliores, quàm quòd tam vastas prouincias posset tueri: & Matthiæ Archiducis ætatem minorem esse, quàm vt suo posset consilio, suaque prudentia tot prouincijs atque vrbibus imperare. Fore itaque, vt nisi aduentum maturet suum Alenconius, Belgium tot laboribus ac sumptibus partum, in manus hostium relabatur. Concludens deindè, orabat Suam Seren. vt ad suas petitiones responsum mittere non dedignetur, idque mari, non terra, ob insidias atque pericula, quibus viæ terrestres circunquaquè abundarent.

Comes Renneburgius adhuc in obsidione Steenvvichiana hærebat. Vias omnes occupârat, intentissimasque in ijs custodias esse iusserat, nè quid in oppidum commeatûs inferri posset. Ordines frequenter commeatum atque subsidia mittebant: sed captis, occisis, & fugatis, qui deducebant, commeatus nunquàm non intercipiebatur. Plurimum diligentiæ, laboris, atque impensarum Ordines, vt oppidum hoc ab obsidione liberarēt, insumpsêre:

1581 nec minore contentione regij, vt ciues fame atque inedia ad deditionem adigerent, aduigilârunt. Sciebāt enim vtrinquè, plurimum momenti in istius occupatione, aut defensione positū esse. Multa enim oppida defectionem meditabantur, si Steenvvichanæ res ab Ordinibus defendi non possent.

Noritz.

Steenvvichio subuenire tētat

Intereà Snoius pagum Bloczijl munit, & præsidium munitioni imponit. Steenvvichiani quotidiè ignibus accensis suam socijs necessitatem significabant: sed Noritz eos solis literis consolabatur. Quarè obsessi Conradum Theodori, hominem ob cædem profugum, & Olthouij Vicarium, in Ordinum castra mittunt, qui præfectis viam modumque præscriberent, quomodò in oppidum venirent. Conradus per literas significat obsessis, manè summo in armis sint, & eruptione facta, auxiliarijs copijs occurrant. Magnus ea nocte apparatus, strepitusque in oppido: nec minor in castris Ordinum. Renneburgius non ignarus hostem aliquid moliri, suos etiàm iubet esse paratos. Tota nocte in armis excubabant vtrinquè, donèc manè penitùs obriguissent. Sed Noritz in Giethoren veniens, ibidèm mansit, difficile esse viam ferro sibi facere animaduertens. Ianuarij 12. obsessi, facta per domos inquisitione, commeatum omnem in album retulerunt. Deindè aliquot diebus literis, libellisque famosis mittendis, remittendisque pugnatum est: & Thomas Epirota, Anglorum præfectum Noritz, ad duellum prouocauit, sed ille Vicarium suum, conditionibus aliquibus intermedijs, misit. Hi cùm aliquotiès frustratis ictibus concurrissent, dirempti sunt: datisque dextris, cùm simul compotâssent, ad suos vterque reuersus est.

Duellum.

Vigesimo deincèps quarto Ian. Renneburgius Ordinum exercitum, iterùm in Campo S. Ioannis obsedit. Initiò multos capit, indè attractis duabus machinis monasterium conuellere cœpit. obsessi sese defendunt: sed cùm ad eam necessitatem venissent, vt equos suos vorarent, missus est Dominus de Nienort, & Adrianus Menningius cum duodecim signis, vt obsessis opem ferrent. qui cùm in Bloczijl venissent, intellexêre Renneburgium, relicto monasterio, in castra sua redijsse, & in ijs tumultuari. Quarto Februarij Noritz ad Aquilonem in sylua Steenvvichiana, & Hiddingensi monte castrametatur. Habebat in castris 46. signa peditum, equitum verò sex. Renneburgius eos frustrà oppugnauit.

Campus S. Ioannis obsidetur.

Nullum

Nullum per hæc tempora penè momentum erat, quo 1581 non excursiones, eruptionesque fierent: in quibus nihil tamen posteritate dignum contigit, nisi quòd ex regijs Snater, centurio in militari disciplina exercitatissimus, milesque fortissimus, occisus est: ex obsessis Conradus Conradi Theodori filius, non minùs apud suos celebris, bipenni sit interfectus. Sexto huius mensis & septimo, obsessis fame iam penè enectis, (ciuibus enim morientibus, militibus 6. panis libræ singulis septimanis dabantur) omnia ciuium secreta scrutatur Korenputtius, compilat penuaria, rapitque quidquid edulij inuentũ est, illud in vsum militum recondens, ciues etiàm omnes fame malens interire, quàm quòd de præfracta sua rebellione quicquam ipse remitteret. Decimoquarto Noritz nuncium in oppidum misit, cum mandato, vt Aã fluuium tribus pontibus sternerent, mediumque tam latum facerent, vt curribus per eum commeatum importare posset. Fecerunt id oppidani, pontesque propugnaculis muniêrunt. Intereà confœderatorum milites sua propugnacula quotidiè versùs oppidum & pontes hos promouebant, non sinè quotidiana velitatione, & multorum cæde.

Cæterùm decimoseptimo die, cùm densissimæ circunquaquè niues, perpetua pluuia, post diuturnum gelu, liquescerent, in tantum aquæ vis adaucta est, vt regij stationes deserere, & ex palustribus locis, in sicciora sese recipere cogerentur, nec equitatu vti possent. Hanc opportunitatem nacti Ordinum milites, qui in omnem euentum cum stellatura, omnisque generis commeatu, in propinquo castrametabantur, per stagnantes aquas, profundissimumque lutum, & pontem super Aã factum, in oppidum, qua parte à regijs desertum erat, irrumpunt, & quæ necessaria erant ad diuturniorem obsidionem sustinendam, bìs abundè in hostium conspectu importârunt. Quo cognito, Renneburgius vigesimotertio Februarij, non sinè ignominiæ nota, obsidionem soluit. Varius erat de hoc euentu populi rumor: multis Renneburgij fides erat suspecta, cùm eum hostes tum aliâs, tum maximè ad S. Ioannis Campum, facili negocio ad internecionem vsque delere potuisse, affirmarent. Multa sanè Comes ille in defendendo territorio Groningensi præstitit: sed nulla ferè virtus tam integra est, quæ non aliquam vitij habeat mixturam.

Steenvvichium ab obsidione liberatur.

1581 Liberato ab obsidione Steenvvichio, per vicinas vrbes atque prouincias magni fiebant triumphi, multa lætitiæ signa edebantur, campanæ pulsatæ, picea vasa incensa, magnificæ epulæ, strenuæ compotationes, maximè in Catholicorum derisum gratulationes atque acclamationes, quòd in re tam trepida tam insignis victoria ab hostibus ipsis esset donata.

Galli cæduntur. Regij intereà iuxta Cameracũ quadringentos Francorum equites cædunt. qua in pugna, præterquàm quòd Insius arcis Cameracensis præfectus, multos è suis desiderauit, etiàm ipse, aulusa manica, vix euasit. Gandauenses contrà Meruillum oppidum capiunt, incenduntque: accelerante etenim Montygnio, oppidum deseruêrunt. quod ipse cùm muniret iterùm, Gandauenses rati eum vires suas metuere, statuerũt ipsum denuò inuadere. Istius certior factus Montygnius, ipso die Cœnę Dominicæ Gandenses ex improuiso adortus, nongentos circitèr occidit. Sed cùm is ad suos militem reduceret, in itinere à præsidio Tornacensi exceptus, calonum, lixarum & propolarum, bonęque impedimentorum partis iacturam fecit. Sed & Traiectum ad Mosam eodem tempore periclitabatur: sed detecta proditione, authoreque capto, & ad Parmensem ducto, res integra permansit.

Leodienses tumultuantur. Leodij quoque tumultuatum est, ob nouas exactiones, cereuisiæ vinoque superimpositas: dum quidam in eis consentiunt, alij, instigatione coctorum cereuisiæ, decreto reclamant, & Duûmviros abrogare compellunt.

Cæsar Aquisgranensibus scribit. Paulò antè Rudolphus Imp. tertiò ad Aquisgranenses scribit, eosque seriò hortatur, nè purgationem oblatam differant diutiùs: tempus creandi nouum Magistratum præ foribus esse; monet, nè quid inusitatum in electione audeant; iuxta veteres consuetudines eam faciant: & vbì patrum ritus violati sint, eos pristinæ restituant integritati. Paulò pòst quartò scribit, eadem illis, quæ priùs, imperans: addens etiàm, siue legationem, purgationemque mittant, siue non, id Suam Maiest. susque deque ferre. Sed id ante omnia velle, & mandare, vt hæreticas conciones tollant, illarum ministros vrbe pellãt: quod nisì faciant, eos in iram atque indignationem Cæsaris prolapsuros, eumque, vt tandèm pareant, alia media inuenturum. Sed cùm peruicaces in sua remanerent Caluiniani sententia, vt quorum proprium est, fidem fallere, Magistratum spernere, & in erroribus mente obstinata indurari, Cæsaris mandata facilè contempsêre.

Quarè

Quarè Imperator quintas literas mittit, & in literis Legatos instituit Ernestum Bauarum, Leodij Episcopum, Illustrissimum Iuliæ Ducem Guilielmum, Philippum Baronem in Vvinnenburg, & Philippum Nassouium, Dominum in Bilstein: mandatque illis, (cùm Vrbani festum, quo Aquisgrani fieri solet Magistratûs renouatio, iam instaret) duo Principes priores, ad minimū ipso Trinitatis, id est, triduo ante electionem, suos in vrbem mittant Consiliarios; duo verò posteriores ibidèm ipsi præsentes sint: constitutiones creandi Magistratum pristinas restaurent, & in proxima electione obseruari curent: omnes nouitates, vnà cum Ministris Caluinianis vrbe eijciant: nè quis in Senatum, qui Catholicus non sit, assumatur, secundùm veteres ipsorum institutiones aduigilent, cæteraque faciant ad concordiam inter Magistratum & Remp. conductura. 1581

Aquisgranenses hæretici, Imperatori esse rem cordi, eumque ad executionem velle procedere, cùm cernerent, prolixum ad eum scriptum transmittunt. in cuius initio fatentur, se mentem Cæsaris cognouisse: sed eius Maiestatem istius Reip. constitutiones ignorare. habere se hostes, ab eisq; Cæsarem perperàm esse instructum. Deindè, vt ipsum, sui quasi iuris oblitum, meliùs edoceant, longa narratione referunt, quæ religionis electionisque mutatio, in ea Rep. facta esset. Initiò non diffitentur, nunquàm religionis, aut electionis mutationem iam ab initio vsque ad annum 1559. auditam aut visam fuisse. Eo anno ciues aliquot cum extraneis Augustanæ Religionis exercitium, & nè quis in Magistratûs electione fidei respectus haberetur, postulâsse: sed petitionem eorum à Ferdinando Cæsare fuisse reiectam. Fatentur etiàm vetus illud statutum eorum, de nemine in Senatum assumendo, nisì eo qui Catholicum se profiteretur, talemque se vita & moribus esse palàm ostenderet: id, inquam, edictum anno 1560. renouatum, ab omnibus tribubus confirmatum, & vsque ad 1574. annum inuiolabilitèr obseruatum. Deindè, vt ad rem veniamus, ipso 1574. anno fuisse quosdam alterius fidei, (sinè dubio sui Patriarchæ inflati ambitione) qui libellos supplices tradentes, in Senatum admitti postulârunt. eorum postulata primùm repudiata; sed ab improbitate tandèm, non tam supplicantium, quàm vrgentium victo Magistratu, admissa. A 75. itaq; anno, ad 81. etiàm hereticos in Senatum receptos. Egregia sanè & antiqua tot an-

Aquisgranenses respondent Cæsari.

1581 norum præſcriptio, quæ veteri & Religioni & conſuetudinibus debeat præiudicare. O homines perfrictæ frontis. Indè abrogato, aiunt, Nouo edicto, (nouum vocant à ſeptingentis annis & vltra vſitatum) inuito Magiſtratu, alterius religionis exercitium publicum introductum eſſe, nec ſe impedire potuiſſe. ſed veriùs noluiſſe, is enim ſcopus erat violatæ electionis conſuetudinis. Vt autem iratum Cæſaris animum placarent, ſub finem tenuem ſuam exponunt fortunam, miſericordia potiùs, quàm odio ſe dignos. Orant itaque Cæſarem, vt ſe, totamque Remp. Aquiſg. benignè complectatur, atque in tutelam ſuam recipiat. Polliceri ſe viciſsìm, Catholicam Religionem obſeruaturos, cum adiecta tamen clauſula, *quantum fieri poteſt:* tunc autem non poſſunt, quandò non volunt.

Nota.

Cæſar iterùm ad Aquiſgranenſes.

Ad hæc paulò pòſt Imperator: Gratum ſibi eſſe, quòd Aquiſgranenſes Religionem & obedientiam Suæ Maieſt. promittant. Conſtare tamen ſibi, ex ſuorum ſcriptis & relationibus, vtì & ex proprijs ipſorum factis, hanc pollicitationem fictam eſſe & ſimulatam, nec alium in finem fieri, quàm vt intereà res ſtabiliant ſuas. Ideò Suam Maieſt. iterùm mãdare, vt omnem nouitatem, tam in Religione, quàm electione introductam, confeſtìm aboleant, & ſuum mandatum breuì mittendũ tranquilli expectent.

Geuſij multa in Trãſiſelania loca recuperant.

Steenvvichio, vt diximus, liberato, præſidio vt nonnulli queruntur ab Ordinibus inhoneſtè habito, ciuibus penè omnibus fame & peſte morientibus, Snoius ſtatìm Vollenhoam recuperauit: Angli & Friſij Kuinder, Lemmerã, & Sloten receperunt. Renneburgius cùm aliquandiù in cõſpectu oppidi Steenvvichiani exercitum hoſtis expectâſſet, cum eo pede collato pugnare cupiens; Noritz verò cum ſuis mœnibus ſe contineret, in territoriũ Groningenſe reuerſus eſt. cumque ad Middelſtum conſediſſet, Nienortij copias, regios à commeatu intercludere volentes, inſigni victoria fudit. Paulò pòſt Oyienbruggius in Lopperſum vulneratur, & Groningam delatus moritur. Renneburgius relicta Groninga, in Zallandiam mouet, captoque Boxbergo Goor muniuit, multa loca Tranſiſelaniæ infeſta reddidit.

Nota Arausicani

Initio Aprilis, Auraicus Amſtelredamo cum Carolotta Borbonia coniuge, Harlingam venit, & Snoium arcem Staucrẽſem obſidere iuſſit. Ea defendebatur à nobili, fortiſſimoq; viro Reinero Dekema, & poſt longam obſi-

obſidionem, Ordinibusque ſatis funeſtã, Germani quod 1581
inerat preſidij infidelitate arx traditur, idque turpiſſimis
conditionibus, ne ipſius Præfecti libertate pacta: qui captus cum alijs nobilibus Friſiæ, Enchuſiam miſſus eſt.

Intereà Alenconius ſcribit Aldegondo primùm, deindè ad Ordines, ſuum illis aduentum nuncians, premiſſurumq; ſe exercitum, qui Cameracũ ab obſidione liberet, totumq; Belgium in priſtinam vindicet libertatem, promittens. Indè Concilium Pariſienſe per literas rogat, vt ſuum hunc conatum fidelitèr Regi exponant, eiusque animum, ad opem fratri in tanto propoſito ferendam, inducant. Simulabat quidem Rex ſe Alenconij conatum impediturum, & nè fœdera cum domo Burgundica pollueret, prohibiturum. vtque id magis crederetur, varia interdicta per Franciam promulgantur, quibus cauebatur, nè qui prouinciales paterentur exercitum pro Alenconio conſcribi, nemo illi militaret, ſed vbicunquè collectio fiat, eam ſtatìm diſſipent, fugent, cædantque. Sed executio nulla vel facta, vel expetita. *Alẽconius aduentum in Belgium promittit.*

Menſe Maio, regij duce Altipennio regulò, & ope fratris Inſij præfecti Cameracenſis, (qui in arce Bredanà captiuus ab Ordinibus tenebatur, quique præſidium arcis pecunia corruperat) clàm in arcem recepti, ab hora quarta matutina, vſque ad octauam eruptione facta, cum ciuibus dimicantes, tandèm Bredam, vrbem Auraico patrimonialẽ, occupârunt. Ciues grandi ære mulctati ſunt, in neminem verò ſæuitum. Auraici ex Saxonica filius, pautis antè diebus hinc, caſu, magnoque ſuo commodo diſceſſerat, ad patrem profecturus. Mittitur ad recuperatam vrbem Reuerendiſſimus, idem & vitæ innocentia eruditioneq; rara ſpectatiſſimus, Vvilhelmus Lindanus, Ruręmundenſis Epiſcopus, vt collapſam ibidèm religionem reſtauraret. *Breda à regijs capitur.*

Rex Poloniæ victor, 29. Aprilis, ex comitijs Varſouienſibus Vilnam reuerſus eſt. Ad finem deindè Maij, venit ad eum Bogdanus Bieliſcius, Moſcus nobiliſſimus, à ſuo principe profugus. Rex non tantùm humaniſſimè nouum & inſperatum hoſpitem excepit, ſed & muneribus affecit liberalitèr: fore ſperans, vt exulis conſilio plurimùm adiuuaretur. Sequenti die, 26. nimirùm menſis eiuſdem, Legati Moſcici aduentârunt, comitatum habentes ſplendidum. Cum illis aliquot diebus de pace diſceptatum eſt: effectum verò nihil. Cùm enim conditiones aliquot à Rege proponerentur, reſponderunt *Legatio Ducis Moſcouiæ ad Polonos.*

legati,

1581 legati, nullam istarum se in commissis habere. intercessione tamen procerum, decem dierum spatium impetrârunt, vt interea per veredarium Principis sui mentem explorarent. Sed quia ille dicto die non reuerteretur, Rex Legatos dimisit.

Induciæ Regis Hisp. cum Turca. Franciscus à Billerbeg, in epistola ex Constantinopoli ad Chytræum missa, ait, Iohannem Marilianum, Legatum Hispanicum, hoc demùm mense inducias triennales ab Amuratho impetrâsse. Alij, inter quos Natalis, diù anteà, anno scilicet 79. eas cum Turca factas esse scribit. quas & Amurathus eo faciliùs approbauit, quòd Philippi vires metueret, & cum Persa bellum inauspicatè gereret: cōtra quem Sinan & Osman Bassas miserat: quorum prior Tunetani regni euersor, tunc contra Persas, ventis minimè secundis, vtebatur. Hoc anno tamen recollecto exercitu, ad ciuitatem Ezerum, in Euphratis fluuij ripis sitam, resedit, Constantinopoli circa Aprilem nouis auxilijs, commeatuque per pontum Euxinum, & Trapezuntium adiutus. Alter verò, Osman Bassa, exercitum suum ad portas Caspias habebat: qui, nisi se locorum beneficio tuitus fuisset, & à Tartaris adiutus esset, in extremas venisset hac æstate difficultates. Putabant multi Amurathum imprudenter fecisse, quòd Osmanum Mustaphæ substituisset, Mustaphamque ex isto bello, cui tamen is magìs erat idoneus, reuocâsset. erat enim is rerum bellicarum, earumque regionum peritissimus. Sed quia ad Imperatorem delatus fuerat, quòd officia bellica diuenderet ijs, qui ad ea minùs erant apti, & quòd legatis exterarum nationum ad se aditum negaret, in indignationem Imperatoris venit. *Mustapha veneno se perimit.* cuius is minas, irasque metuens, reuersus Constantinopolin, sumpto veneno seipsum iam octogenarium interfecit. Hic erat ille Mustapha, qui Cyprum Venetis ademit, & Bragadino Famagustæ præfecto, contra datam fidem, viuo pellem detraxit.

Regij in Groot Auwverden obsidetur. Eodem tempore in Frisia, Dominus Nienortius monasterium Auvverdense, prope Groningam obsedit. Erāt in eo aliquot regiorum centuriæ. Mittunt Frisij ad monasterij expugnationem omnem apparatum bellicum, inconditamque rusticorum ac militum multitudinem. Sed Renneburgici, qui in Middelstū stationes habebant, ad obsessos socios celerrimè contendunt. Nienortius, audito regiorum aduentu, cum suis turpitèr fugit, fugientesq; insecuti regij passìm occidūt. *Gensij cæduntur.* vexilla Samsplumbi,

Berebroc-

Berebrockij, Stuperi & Visceri (qui posteriores etiàm capti sunt) hostibus extorserunt. Victores Auvverderzijl locum egregiè munitum, post secũdam oppugnationem quoquè ceperunt, præsidiariosque omnes vnà cum Schelto Iarges, militum tribuno, occiderunt. *1581* *Auvverderzijl expugnatur.*

Indè Renneburgius incredibili celeritate Nienortium in propugnaculo Vvinsumensi obsidione cinxit. cumque nec se tueri posset, nec elabendi via esset relicta, coactus est dedere, non tantùm hoc propugnaculum, sed & alia omnia, quæ in Groningensi Dominio ipsi parebant. Pacto hoc confirmato, quidquid in territorio hoc erat, ad Amisium vsque, atque Dockomium, in Renneburgij venit potestatem.

Antonius Portugalliæ Spurius, cùm post septẽ menses, quibus errans in montibus & syluis, fame ac frigore tantùm non enectus, latitâsset, decimo tandèm Maij iuxta Setubalam, ad littus peruenit, ibique nauim Enchusianam, cuius nauarcha erat Cornelius ab Egmondt, conscẽdit, & 9. Iunij ad portum Gesoriacum in Galliam appulsus est. Nauigârunt cum Antonio Emanuel de Silua, Thomas Cathiero, Diego Reiz, Constantijn de Brito & Diego Quaresmas eius ministri: Dominicus item Gozelteus frater cuiusdam viduæ, cuius cura nauis hæc erat conducta, cum rustico quodam, qui vagabundum Antonium aliquandiù aluerat. Cùm verò Antonius aliquam in Gallia moram traxisset, in Britanniam transfretauit, statimque nauigium in insulam Terceram misit, præfecto Insulæ nuncians, se incolumem esse, bellumque redintegraturum: orans igitur vt præfectus in fide maneat. quod & ille fecit, paulò pòst Valdezium, cum Hispanis ad Insulam occupandam missis, fortitèr repellens. Antonius interìm classem in Anglia instruit, quam ad intercipiendam classem ex vtraque India venturam mitteret. Sed cùm paulò pòst intellexisset, vtranque eam saluam Vlyssiponam venisse, operas intermisit, & Galliam repetens, Diepe primùm, atque indè Lutetiam peruenit, vbi magnificè à Rege & Regina matre exceptus est. *Antonius Regni Lusitanici cõpetitor in Galliã venit.*

Aderat nunc Vrbani festum, quo Senatûs noui solet Aquisgrani fieri electio. Dissentientibus itaque inter se factionum partibus, Caluiniani suæ farinæ homines, Iohannem Luntsen, & Simonem Engelbertum, nominârunt. Catholici verò secundùm antiqua vrbis statuta, Catholicos, Abertum Scrickium, & Iohanne Fibis elege- *Schisma in Senatu Aquisgrani.*

1581 elegerunt. Quæ factio cùm ad Imperatorem esset perlata, putauit ille mandatum, de quo suprà diximus, non esse diutiùs differendum, sed protinùs mittendum. quod & factum est. Imperator itaque exponens initiò, summam suam esse voluntatem, atque mentis decretum, iubet, vt quidquid cõtra antiquam Religionem Catholicam, veteresque vrbis consuetudines, tam in eligendo Senatu, quàm in alijs rebus à Nouatoribus introductũ esset, ipso facto tollant: electos à Caluinianis, Caluinianos Consules, & Senatores non recipiant, agnoscant, aut obedientiam ijs præstent: Catholicis verò, à Catholicis electis, omnem honorem & obedientiam deferant. Hoc suum mandatum in omnibus concionibus, tam in vrbe, quàm in pagis, ad regnũ Aquisgranense pertinentibus, promulgari iubet: & qui non paruerint, pro rebellibus habendos; qui paruerint, hos omnibus priuilegijs, immunitatibus & iuribus Curiarum suarum literis expressis, gauisuros esse. Huic mandato statim legati Cæsarei, cum subdelegatis Episcopi Leodiensis, Iuliæque Ducis, subscripserũt, & Magistratum Catholicum confirmârunt.

Aquisgrani tumultus. Hanc confirmationem grauitèr tulêre Caluiniani, & ad tumultus concitandos propendére cœperunt. Legati verò, vt eos in officio retinerent, varijs cõuentibus per dies 14. continuos laborârunt. sed cùm, prçterquàm quòd nihil efficerent, etiàm multis iniurijs, cõtumelijs, & minis incesserentur, vrbem secundò deseruerunt. Paulò pòst ad ciuiles discordias atque seditiones ventum est. Caluiniani magnas turbas concitârunt, tribus omnes atque plebeios homines, omni scelere coopertos, qui nil aliud meditabantur, quàm vt omnia iura, legesque euerterent, & Reip. tranquillitatem perturbarent, ad arma vocant: claues vrbis, ærarij, armamentarijque Magistratui extorquent: forum, mœnia, turres, & propugnacula, circunquaquè armato milite complent: per vicos plateasque magno cum fremitu & clamore cursitantes, tormenta bellica ad forum attrahunt. & tam horrendos furores, tantam insaniam, tantamque cum petulantia crudelitatem exercuerunt, quòd Magistratus Catholicus, plerique ciues modestiores, ante alios verò Clerus, dum quidam occiditur, alij vulnerantut, in vitæ periculo versarentur. quarè plerique Catholici vrbe excedere, & vitæ fuga consulere debuerunt. Hæc omnia mense Maio facta sunt.

Initio Iunij obijt Elector Treuirensis, Iacobus ab Els,

Els, vir pietate, authoritate, & prudentia nulli inferior: in cuius locū electus est Iohānes, ex familia Schonenbergiana, qui decessoris sui vestigia non minori cum laude hactenùs secutus, maximarum virtutum, optimæque Reip. administrationis, omnibus spem præbet. *1581* *Mors Electoris Treuirensis.*

Ernestus quoquè Serenissimus Dux Bauariæ in Episcopatum suum Leodiensem inaugurandus venit: cui solennitati celeberrimæ Dux Ferdinandus, eius frater, Dux Cliuiæ, Dux Arscotiæ, Dux Niuernæ, Marchio Badensis, Princeps Chimaius, Comes à Tengern, aliįque plures Comites & Barones interfuêre. *Ernestus Bauarus Leodij inauguratur.*

Iunij decimonono Rex Poloniæ equum ascendens, Vilna egressus est, horam diei circitèr decimam, cælo tam sereno, & tam faustis acclamationibus, vt nemo dubitare posset, hunc Principem diuinitùs Polonorum genti datum, vt ex hostibus debellatis famam reportaret immortalem. Equitabant in agmine variarum gentium Proceres: inter quos primus erat Legatus Pontificius Iohannes Andreas Caligarius, Episcopus Brittonoriensis, qui eò cum Indulgentijs plenarijs paulò antè aduenerat: proximum ab illo locum Leuinus Bulouius Brandenburgicus Legatus habebat: quos multi Palatini & proceres sequebantur, ad Moscum tertia iam expeditione debellandum. *Tertium bellū Moscouiticū.*

Rudolphus Imperator postquàm à suis Legatis intellexisset seditionem, quam nefarij homines Aquisgrani excitâssent, doluit: & vt malo adhuc recenti occurreret, per literas Aquisgranenses vehementer increpauit, eò quòd post tot amicas admonitiones Suæ Maiestatis, ipsi quotidiè in peius dilaberentur, immò ea nunc ausi fuissent, non quæ beneuolentiam, sed præsentissimam pœnam postularent. Tamen, ait, vt sceleratis hominibus, qui Cæsaream Maiestatem vrbi malè velle comminiscuntur, inque vulgus spargunt, silentium imponatur, noxam hanc adhuc dimittemus, sperantes, vos hac clementia motos, tandèm ad meliorem frugem redituros. Velle tamen, vt Magistratus adulterinus, & illegitimè electus, spontè officio decedat: omnem nouitatem, tam ante, quàm post vltimum tumultum exortam, tollant: quos eiecerunt, aut qui vltrò, metu territi, vrbem reliquerunt, reuocent: exteros, quique ob sua flagitia ex alijs prouincijs eiecti erant, vnà cum concionatoribus hæreticis exturbent. Quibus peractis, ad Cæsaris aulam legationem mittant, *Cæsar iterùm scribit Aquisgranensibus.*

1581 mittant, quæ doceat Cæsaris mandato satisfactum esse: quod si fecerint, eos Suam Maiest. clementem & propitiam habituros: sin minùs, se Aquisgranẽsibus omnium gratiarum, priuilegiorum, atque immunitatum amissionem denunciare.

Electores, implorati ab Aquisgranensibus, scribunt Cæsari.

Lectis his literis, Aquisgranenses cùm sibi metuerẽt, ad Saxonem & Brandenburgensem Electores confugiũt, eorum opem implorantes, & sub vmbra Religionis, suæ rebellionis patrocinium conquirentes. Electores verò hi, negocium fortaßis penitiùs perspectum habentes, summam rei Imperatori commendârunt, vt ille, pro sua prudentia, controuersiam componat: nè qui sint è Principibus, qui regnum Aquisgranense Imperio decerpant, vt vtriusque partis exacerbatione, tãti excitentur tumultus, qui tandèm in apertum erumpant bellum, quod totam demùm Germaniam exagitet, atque infestet. Si qua in hac re Sua Maiest. Principum Imperij opera, consilio, cura aut studio indigeat, ea semper fore parata.

Iulio mense Confœderati nouum exercitum in Frisiam sub castrorum præfecto Noritz Anglo miserunt, cui Snoius sese coniunxit. Schullius, horum mandato, cum lectißimis copijs Monickenzijl expugnauit: quarè Renneburgici coacti sunt, ex Grijeskirchen, Groningam castra transportare, & in monasterio Auvverdensi primùm, deindè in Selvvert sese munire. Hæc

Renneburgij mors.

cùm fierent, Renneburgius ardentißima febre correptus, tandèm decimonono Iulij Groningæ, in ætatis flore, extinctus est: Comes Latinè, Græceque doctißimus, & in multis artibus expertißimus. in quo etiàm virtutes, cum scientijs ipsis decertabant. Catholicus etiàm, & Regi fidelis, nisi quòd Hispano nomini erat infensior. In huius locum Verdugius pro tempore Gubernator Frisię suffectus est.

Euerardi Hãsij supplicium.

Euerardus Hansius Anglus, cùm diù Caluinianum Ministrum egisset, posteà ad Catholicam religionẽ conuersus, Remisque sacerdos factus, in Angliam reuertitur. Cùm in carceribus Catholicos visitaret, rogatus quis & qualis esset, Catholicum se respondit: deque Pontifice interrogatus, eius authoritatem fortitèr defendit. Quarè cõprehensus, & condemnatus 28. Iulij, tandèm vltimo eiusdem mensis viuus dilaniatus est.

Regis Hispaniæ nomẽ in Bel-

Intereà artes principis Auraici in Belgio id efficere potuerunt, vt exuto omni pudore, neglectà conscientia, spretis tot solennibus iuramentis, Philippum

Hispa-

Hiſpaniarum Regem, legitimum Dominum ſuum ab-iurandum, in Haga Comitis, Belgæ decreuerint, conſar-cinata iuramenti formula, omnibus ſubditis proponen-da. Quod tam impium facinus, quidam etiàm non infi-mi nominis hæretici, deteſtati ſunt, & concionatores ipſi, inter alios Vvoerdenſis, publicè profeſſus eſt, nequa-quàm id fucari, aut defendi poſſe: duodecim proponens argumenta omnibus, qui cum eo hac de re velint diſpu-tare. Quam ob cauſam, cùm nec blanditijs frangi, nec pollicitis corrumpi, nec minis, vt à ſententia recederet, deterreri poſſet, in exilium eiectus eſt.

1581 ... gio abiu-ratur.

Sub id tempus Ochiali Baſſa maris pręfectus in Afri-cam cum claſſe miſſus eſt, vt Tunetani regni motus cō-peſceret. Mauri enim eius regni, recepto per Melitenſes hæreditario ſuo Rege (qui hactenùs Neapoli detentus erat, ibique abnegata Mahometana ſuperſtitione, fidem Chriſtianam erat amplexus) magna ex parte Turcis re-bellârunt. Vbì res Tunetanas compoſuerat, in mandatis habebat regnum inuadere Feſſanum.

Expeditio Turcica in Mauros.

Poloniæ quoquè Rex, paulò antè Vilna egreſſus, vt ſuprà diximus, cum exercitu robuſtiori quàm anteà, tam copiarum numero, quàm gentium varietate & natio-num, vſu verò & exercitatione bellandi planè admiran-do, Oſtrouiam primùm obſedit. Eſt autem Oſtrouia arx munitiſſima, inſigni fluuio cincta, qui ex Soretho, Vvo-roneczo, & Vvilaka, quæ Vielikolukam præterlabitur, paulò ſupra Oſtrouiam confluit. diſtat autem à Craco-uia 180. circitèr milliaria Germanica. tantum terra-rum ſpatium Rex victorioſiſſimus, duabus expeditioni-bus, Moſcis ademit.

Expeditio Polonica in Moſcos.

Diſpoſitis caſtris, admotiſque arci tormentis, poſt aliquot horarum oppugnationem, præſidiarij ſeſe de-dunt. Indè confeſtìm motis caſtris, de obſidenda Pleſco-uia conſilium captauit: quæ quaſi totius Liuoniæ pro-pugnaculum erat, & quaſi murus Moſcis opponendus. Eſt enim Pleſcouia vrbs munitiſſima, ad lacum ſita, quæ ſola in tota Moſci ditione muro cingitur, Lutetia non minor, & in quatuor partes diuiſa, quarum ſingulæ ſuis mœnibus muniuntur. quod occaſionem dedit errori quorundam, quatuor vrbes eſſe ſcribētium. Hęc ſui olìm iuris erat, magniſque in ciuibus candor & integritas commendabatur. Sed à Iohanne Baſilio, anno 1509. pro-ditione capta, ciuibus aliò migrare iuſſis, Moſcorum peſ-ſimorum colonia facta eſt. Habet vicinum lacum, ex quo

Oſtrouia expugna-tur.

Pleſcouiæ deſcriptio eiuſq; ob-ſidio.

1581 flumen eiusdem nominis oritur, quod per ciuitatem decurrens, in alium lacum Czutzko sese exonerat.

Ad hanc igitur vrbem vim & rationem armorum omnem conuertit Rex, arctissimeque obsedit, & indesinenter oppugnauit, oppugnationemque in multam hyemem, quæ in istis regionibus penè intolerabilis est, continuauit. Fecit quod nemo vnquàm, media hyeme, in media Moscouia, fecisse legitur. in præduro, & immensis frigoribus solo concreto, vallum excitauit, còrbes vimineos contexit, munitiones extruxit: totis, & tam longis tamque intempestis noctibus, excubias egit. nullum laboris, nullum tædij, nullum difficultatis & patientiæ genus est, in quo Rex ea hyeme se non exercuit: ità vt non cum hominibus solùm, sed cum ipsis elementis pugnare videretur. Sed & aliquam exercitûs partem in penitiora loca Moscouiæ cum Christophoro Radiuilio misit, quæ cum maximis & difficilimis itineribus Stericiam penè peruenit. Iste inopinatus nuncius cùm ad Moscouiæ Ducem perlatus esset, coniugum, filiorum & ancillarum greges Stericia aliò amandauit: ipse autem triduo ità metu latitâsse dicitur, vt à mortalium non sit visus quoquam. Traxit Rex in obsidione dies multos, Mosci fortissimè sese defendebant: multi quotidiè in excursionibus cæsi, multi per agros interfecti, capti plurimi.

Quidam Polonorum legati, dum Rex in castris erat, penitiora loca Moscouiæ lustrantes, & peruagantes Podoliam, Kyouiam vsque, trãs Borysthenem peruenerũt. Habebant in comitatu suo Vvoinuskum quendam nobilem, in Latina, Græca, & Hebraica lingua exercitatissimum, elegantem quoquè Poëtam, & Historicum. Is, cùm Vvalachiæ Despota, à Domino Laskio introduceretur, cumque Alexander Turcicus Gubernator cæderetur, ex Vvalachiæ bibliotheca multa atque egregia scripta, atque monimenta, in ijs oris inuenerat: inter alia, libros Ciceronis de Republica ad Atticum, aureis literis exaratos, thesaurum à multis hactenùs desideratum, reperit. Persuasit idem Vvoinuskus Polonis, vt celeribus equis secum vlteriùs proficiscerentur. velle enim se illis Ouidij Nasonis sepulcrum ostendere dicebat. Cumque sex dierum itinere à Borysthene per vastissima loca progressi essent, in amœnam viridemque vallem venêre. Erat in media valle fons limpidissimus: iuxta hunc acinacibus suis euaginatis gramen, quod in eo loco copiosum erat,

Libri Ciceronis de Repub. ad Atticum inuenti.

erat, & crassum, altumque, demetere cœperunt, donèc 1581
Sarcophagum, virgultis, quisquilijsque tectum, & in eo literarum vestigia inuenerunt; quibus à sordibus purgatis, epitaphium Ouidij legerunt. Erat autem huiusmodi: *Sepulcrũ Ouidij.*

Hic situs est Vates, quem Diui Cæsaris ira
Augusti Latia cedere iussit humo.
Sæpè miser voluit patrijs occumbere terris,
Sed frustrà: hunc illi fata dedère locum.

Epitaphiũ Ouidij.

Est autem huius sepulcri locus ad fines Græciæ, non procùl à Ponto Euxino, quondàm habitatus, vt ex ruinis ædificiorum, vrbiumque facilè videtur. In proximo est Kyouia, nobilis, vt testantur monumenta, quæ ibì visuntur, ciuitas: nunc penè vasta, & inhabitata, propter continuas Tartarorum excursiones. Templum in ea est, vbì multæ cryptæ, multaque videntur mortuorum corpora, adhuc integra, nullaque suî parte corrupta. incolæ Martyrum esse dicunt. Inter alia corpus est virginis formosæ, capillis croceis, & linea veste indutum, quod D. Barbaræ esse credunt: quod an verum sit, iudicent alij. Episcopus loci ex Lituania natus, Polonorum legatis asserebat, à Kyouia Smolenscam vsque, subterraneas esse vias, etiàm sub latissimo flumine Borysthene factas. Vrbem hanc ab Italis quondàm ædificatam, & iam breuì Genuenses instituisse, vt emporium istic instituere possent, aiunt habitatores. *Kyouiæ situs.*

Succiæ Rex, qui sororem Annæ Iagelloniæ, Poloni coniugis, vxorem habet, anno superiori fœdus cum Polono inierat, vt communibus viribus Moscum exterminarent: & quod quisque illi decerpere posset, id sui iuris esset. quarè eodem tempore Pontum de la Garde, cum exercitu Suecorum, Germanorumque copiosissimo, in Finlandiam misit, breuique recuperauit omnia, sibi à Mosco adempta. Insupèr & 100. milliaribus ad Coreliam vsque excurrens, præclaras Mosco ditiones, vnà cum nobilissima totius regionis arce Koxholmo vicissìm ademit. Hoc autem anno, dum ad Plescouiam fulminat Polonus, insignem classem instruit Suecus: & quia per id tempus variarum gentium naues Stockholmiæ & Kalmariæ in portubus stabant, omnes detineri iussit, bonamque illarum partem apparatu bellico, atque commeatu onerari. Classi præfecit Pontum, qui soluens, Naruam, fortissimam vrbem in finibus Liuoniæ, vbì Pelas fluuius sese in sinum Finnicum exonerat, ędificatam, nauiǂ

Sueciæ & Poloniæ Regũ fœdus.

Sueciæ Rex Finlandiam Mosco adimit.

Sueciæ rex classem in Liuoniam mittit.

1581 nauigat. Quò cùm venisset Pontus 4. Septemb. expositis copijs, postquàm triduo 24. maioribus tormentis muros strauisset, vrbem oppugnare cœpit, & tandem 6. Septembris, impressione facta, vi expugnauit. in qua 5000. Moscorum interierunt. Post quam victoriam Pontus celerrimè misit, qui Iammagroot, tribus à Narua milliaribus sitam, expugnarent. Solent hîc Mosci merces suas deponere, quas deindè minoribus nauigijs Naruam transportabant. Erant hîc in præsidio Mosci ter mille, qui nulla vi expectata, deditionem fecêre. Dimissi sunt tristes, nec oculos in Suecos, sed in cælum intendentes: frontem, pectus, & latera signaculo crucis muniebant: indè capita ad terram inclinantes, rursumque (pro more gentis) eleuantes cælum intuebantur. Inuenta est in vtraque munitione commeatûs ingens copia: sed exiguus belli apparatus, tormentaque sex tantùm: Magnus enim Dux omnem munitionem Plescouiam comportari iusserat. Pontus castra mouens, Vvittensteinium quoquè occupauit. Dum hæc in finibus Liuoniæ fiunt, Tartari Casani, & Astracasani, anno proximo Sueciæ Regi confœderati, ab alia parte in Moscouiam irruentes, obuia quæque depopulati sunt.

Narua oppugnatur.

Iammagroot Sueco deditur.

Tartari Moscouiã vastant.

In Transiselania Ordines duce Iselsteinio munitionem Goorensem obsederunt. Intererant huic expeditioni inter alios Ripperda, quondàm Zalandiæ Satrapa, (in cuius locum paulò antè Otto Egmondanus, vir & virtutibus & sanguine nobilissimus, erat à Rege constitutus) duo Ittersomij, Consul Dauentriensis, & multi ciues Transiselani. Cumque iam vnum propugnaculum occupâssent, aliud obsederunt. Intereà Martinus Schenkius cum suo equitatu aduenit, & Ordinibus commeatum præcludit. Cumque ab Auraico submitterentur, qui suis subuenirent, nec regios loco pellere possent, sed & obsessus Iselsteinius cum suis inedia laboraret: ipse, Vvarmelo, Escheda, Conradus Theodorici, omnesque militum prefecti, Satrapa quoquè, nobiles, Consul, & ciues sese captiuos Anholtio & Schenkio condonârunt. Gregarij milites, postquàm iurâssent, sese Ordinibus nisi post trimestre spatium non militaturos, dimissi fuerunt.

Confœderati in Goor capiuntur.

Intereà Noritz, qui estiua non procùl à Groninga in Selvvart habebat, conuastatis omnibus, castrisque incensis, cùm re pecuniaria & commeatu laboraret, Collum se recepit. Quod cùm Verdugius audîsset, cum omnibus copijs suis, ad peninsulam quandam Embdæ oppositam, nomi-

nomine Reide, contendit. erat hic locus Egberto Beuelandio cum 4. peditum signis custodiendus à Nienortio datus. Sed Verdugio veniente trepidârunt omnes, & magna cum præfectorum ignominia, munitissimum locum, qui nauigio defendi commodè poterat, hostibus dediderunt. Caterus in illo occidit: Vvestermannus Embdam æger erat abductus: Isaacus à Vvieringen, & Ioannes Croon, ob turpem deditionem capite damnati, supplicium tamen euaserunt.

1581 Reidæ pẽe insulã recuperat Verdugius.

Illustrissimus Princeps Parmensis, sub id tempus Tornacum, vrbem Flandriæ Gallicæ munitissimam, quę olim à Galliæ regibus sæpè frustrà tentata est, obsedit. Galli Belgici cùm contra Francos sese suis viribus tueri non posse serò tandèm cognoscerent, Regi supplicârunt, vt exteras nationes in Belgium remitteret; offerentes etiàm ad hoc pecuniæ summam non contemnendã, quæ res Auraici & Ordinum animos non parùm labefactauit. Ipsi tamen in Alenconio suo expectando tam erant intenti, vt instantia mala non adeò præsentiscerent, aut ducerent leuiora. Catholici verò, atque exules præcipuè, hac exterarum nationum reuocatione, plurimùm sunt recreati.

Tornacũ obsidetur. Exteræ nationes in Belgiũ reuocantur.

Circa finem mensis Octobris, sumptum est in Hispania supplicium, de Ioanne Castiliano, Sayæ, rerum Belgicarum procuratori seu Cancellario, à libellis. Is Auraico, à quo 300. coronatorum annua mercede conductus erat, signa notasque, quibus secretiores Regis literæ, quæ ad Belgij Gubernatores mittebantur, scribi solerent, ab anno 71. huc vsque semper prodiderat. Quo factum est, vt literæ Regis sæpè, maximè sub Ioannis Austriaci gubernatione, sint interceptæ, & licèt insolentissimis notulis exaratæ, semper tamen (quod Aldegondi ingenio tribuebant) lectæ sint & explicatæ. Depræhensus tandèm in scelere, & quæstioni subiectus, cùm crimen confessus esset, lingua priùs præcisa, in quatuor partes viuus est decerptus. Post cuius obitum consilia Regis fuêre secretiora, & victoriæ frequentiores.

Proditoris Ioannis Castilij suppliciũ.

Confœderati Belgici, cùm exercitum suum in Frisia ferè extinctum viderent, Leovvardiam veniunt, nouos milites conscribunt, signa supplent, copias dissipatas cogunt, exercitum lustrant, stipendia persoluunt, & cum regijs de summa rerum prælio decertandum esse contendunt. Verdugius, qui Auvverdam, in qua Noritz cum suis inerat, osidebat, relicta obsidione, in Northorm castrameta-

Victoria Verdugij in Northorm.

1581 metatus eſt. Noritz collectis copijs exercitum, qui viginti peditum ſignis, & quatuor equitum conſtabat, 30. Septembris per Cataractum nouum, vulgo Nienzijl, in regios duxit. inſtruxerat iam Verdugius aciem, in cuius medium Renneburgicos, quorum ductor nũc erat Monceau, & vicarius Rijnſvvouda, cum Friſijs ſub Byllio duce & vicario Taxio militantibus, conſtituebat: ex ſuis, qui Galli erant, alas confecit. Precibus ad Deum fuſis, quas hoſtes ſubſannabant, datoque claſſico, regij pugnæ initium fecêre. concurrunt primùm equites, indè pedites aliquandiù velitârunt: ſed cùm acies eſſent iam coniunctæ, acerrimè dimicatum eſt. Geuſij inferiores equitibus pedem retrahentibus, & peditum ordinibus perturbatis, certatìm fugerunt. Regij confeſtìm tormenta eorum omnia interceperunt, deindè hoſtes ad propugnaculum in Nienzijl inſecuti, paucis elapſis trucidârunt. Periêre hac pugna Carolus à Vvingarden & Scullius, ſummi legati fiduciariam operam obtinentes: Georgius Roberti, Vvigandus ab Ommeren, Kertius, Gerardus Entius, Corneſius Loeueſchius centuriones Belgæ: Cotton, Biſſcopius, & Fuvvillenius Ordinum ductores Angli: Henricus Eckius equitum magiſter, & Bellevvinus Ellerborni vicarius. Capti quoquè ſunt ex præfectis nonnulli, & ipſe Noritz cum Naſſouio Comite vulneratus. Qui effugerant, pauci erant, ijque omnes inermes. E regijs nemo alicuius nominis interijt, ſolus Volphgangus Prenger vulneratus eſt.

Cæſorum nomina.

Verdugius Nienzijl fruſtrà obſidet.

Parta inſigni hac victoria, Verdugius propugnaculum in Nienzijl obſidione cinxit. Sed cùm confœderati viderent, ſpem nullam eſſe reliquam, iſtud armis defendendi, aggeribus perforatis, agros inundârũt: ità vt Verdugius 23. Octobris poſt tertiam ſeptimanã obſidionem ſoluere compulſus ſit.

Augmentũ Anglicanæ Inquiſitionis.

In Anglia, mẽſe Auguſto, Academici omnes in Vniuerſitatibus commorantes, iuramento dicere coacti ſunt, ſi quos ſcirent, vel ſuſpicarentur, qui animis Catholicæ religioni fauerent. Eo nimirùm propoſito, vt ſuſpectos Academijs exturbarent. Commoda conſtitutio ijs, qui inuidia, ambitione, aut odio alteri malè volebant. Vndè quidam Miniſter Caluinianus paulò pòſt inimicum ſuum accuſauit, de ſuſpicione Romanæ fidei: Petijt accuſatus, quo argumento niteretur ſuſpicio? Quia, inquit ille, non tam frequentare conciones te video, quàm facceres, ſi zelo noſtræ Religionis arderes.

Augu-

Augustus Saxoniæ, atque Ioannes Georgius Brandenburgẽsis, Electores, vnà cum literis de negocio Aquisgranensi ad Imperatorem datis (de quibus suprà) etiàm supplicem Aquisgranensium libellum miserant. Imperator, ijs relectis, primùm agit gratias Electoribus: secundò, multò alitèr se rem habere, quàm Aquisgranenses narrabant, illorumque excusationem fictam & longè petitis rationibus mẽdicatam esse, ex commentarijs, diarijsque, legatorũ suorum, ostendit. Idẽ & ex proprijs ipsorum literis, precibus, oblationibus, emendationisq; promissionibus arguit. Deindè, vt manifestũ euaderet, Suam Maiest. nihil aliud querere, præterquàm vt Aquisgranum in gremio Imperij reseruetur, inq; omnibus statutis, priuilegijs, & immunitatibus antiquis illæsum permaneat; ab altiori principio, nimirùm à Carolo Magno, Cæsar negocium repetit: Catholicam, Romanam Religionem in hac vrbe semper, idque inuiolabilitèr, fuisse conseruatam, demonstrat: statutum in electionibus Magistratuum proponit, quod est tale: *Consules, Scabini, totusq; Senatus Cæsareæ Maiestatis, & Regiæ sedis & ciuitatis Aquisgranensis, in posterum (sicut & hactenùs) vnam & solam Catholicam religionem profitebuntur, neque ad Magistratum vel Reip. officia alios, quàm qui stant ab eadem Religione, admittent.* Istud decretum hactenùs in vsu fuisse ostendit, docetque paulatìm descendendo, vndè, & quomodò, & quandò schismata, hæreses, & statutorum præuaricationes introductæ sint. Quæ quia ex prædictis pateant, hìc repetere non est necessè. Enarrans deincèps Imperator omnes suas legationes, sumptus, impensas, & molestias, quas, vt hanc Rempublicam in officio contineret, duobus his annis insumpserat, tandèm petit, vt ex his ipsi Electores suæ Maiestatis diligentiam agnoscant, & fidelitatem: neque has exulum, malorum atque rebellium hominum, imposturis, artibus, ac studijs peruersis postponant.

1581

Cæsar ad Electores scribit de negocio Aquisgrani.

Eodem ferè tempore Aquisgranensibus, qui se paulò antè, 25. scilicet Iulij, per literas Suæ Maiestati purgare voluerant, scribit Imperator: se nequaquàm ipsorum excusationes, dilationes, & promissiones acceptare, cùm facta ipsorum scriptis non consentiant. Mandata sua esse rationi & æquitati consentanea, non huiusmodi, qualia ipsorum quidam vulgo imperito persuaderent. Se in priori sententia persistere, nihil de illa remittere posse: Magistratum subreptitium de-

Cæsar Aquisgranensibus.

1581 ſtituant, Catholicum agnoſcant: hæreticos concionatores territorio, ſeu Regno ſuo, expellant: collapſa reſtaurent: omniaque priſtino nitori reſtituant, ſi Imperatoris gratiam velint & beneuolentiam obtinere. ſi facere iſta recuſent, nunquàm ipſorum purgationes locum apud Cæſarem inuenturas.

Aquiſgranenſes Cæſari ſupplices.

Aquiſgranenſes, hac Imperatoris denunciatione nonnihil territi, cùm phaleratis verbis Cæſarem decipi non poſſe viderent, & veram ſuæ rebellionis rationẽ reddere non poſſent, cum quibuſdam alijs vrbiũ Imperialium Legatis inſtant apud Cæſarẽ, nè mandati ſui executionem præcipitet, ſed differat pauliſpèr: ſe propediem legationẽ promiſſam miſſuros. Cæſar autẽ in propoſito perſtat, & obedientiã ſuî, ſuorumque vrget decretorum.

Matthias Auſtriacus Belgium relinquit.

Matthias Archidux Auſtriæ, cùm diù multumque Auraici atq; Ordinũ ſtudijs obſtitiſſet, nec impedire poſſet defectionẽ à Rege ſuo, quã moliebãtur; iamq; animos omnes in Alenconiũ Gallũ, naturalem Belgij, etſi nuper reconciliatũ, hoſtem propẽdere cerneret: iamq; Antuerpiæ debitæ Regi Hiſp. fidei abiuratio facta eſſet: perduellibus Belgis, cũ nominis ſui, imortalisq; memoriæ domus Auſtriacæ dedecore ampliùs adhærere noluit. accepta itaque venia, nauigio ad amitã ſuam Cliuiæ Ducem venit: vbì cùm ab ipſo Duce humaniſſimè & liberalitèr exceptus eſſet, tandèm dimiſſus, Coloniam 15. Nouemb. venit, ibique ad 28. Ianuarij diem anni ſequentis permanſit.

Tornacũ oppugnatur.

Parmenſis verò Princeps nouis viribus auctus, Tornacenſem, vt diximus, vrbem obſidere iam antè cœperat. Vineis nunc atque propugnaculis exædificatis, ex quibus maioribus tormentis diſcuti muri poſſent, actisque cuniculis, extemplò ductus exercitus in ipſas ruinas, atroxque prælium cum multorum vtrinquè cæde initum eſt: ſed oppidani regios è ruinis expellunt. Indè per aliquot dies iterùm muri verberati, turres deiectæ, & propugnacula cõuulſa ſunt. erupit & cuniculus vnus, qui magnam muri partem ſtrauit, tamq; latè aperuit, vt regijs ſpes data ſit vrbis occupandæ. quarè ſecundò totis viribus pugnatum eſt, & vbì mœnibus vrbs nudata erat, illic vehementiſſima impreſſio facta. Sed vbì ad ruinas ventũ fuit, compertum eſt, muros adhuc altiores eſſe, quàm quòd miles eos poſſet aſſcendere. quarè receptui canitur, milesq; non ſinè graui dãno, pedẽ retrahit, multis deſideratis, multisque è ducibus, qui murũ incautiùs ſubierant, vulneratis: inter quos Billius in capite, Montygnius in naſo, Burſius in ad-

in aduersa tibia, Marchioque Verambonus in crure lęsi, 1581
paulò pòst curati sunt. Vallius verò Comes Busquot, caput saxo grauitèr ictus, obijt. Capto tamen vno propugnaculo, cùm oppidani Parmensis diligentiam cernerent, trepidârunt, & de deditione facienda consuluerunt.

Erat tunc temporis Auraicus Gandaui. Ciues Tornacum periclitari audientes, grauitèr cum illo, & non sinè conuicijs expostulârunt: quòd ipse in ocio & delicijs viuens, nullis obsessis auxilium adferret: sed eos regijs prædam obijceret. Quòd si Tornacum in hostium manus deuenire pateretur, sese ab illo rationem postulaturos. Metuit Auraicus, & missis (vt aiunt) 30. equitibus, spargit 300. intrâsse. Venerunt illi in vrbem falsis tesseris, excubijs regiorum deceptis. Sunt alij, qui dicant, eos à principe Espenoyo missos, nunciatum, vt sese dederent, nulla enim subsidia parari. Vt vt est, constat actutùm veniam à Parmensi obsessos petijsse, & sese certis conditionibus Regis fidei condonâsse. Nouerat id per suos Coryphæos Auraicus, & vitæ metuens suæ, eo penè ipso tempore, cùm deditio fieret, misit, qui subsidia missa Tornacensibus nunciarēt: 40. duces rei militaris peritos, ciuibus præficiendos: nouam belli faciem, in vrbe constituendam: 80. magni nominis duces in castris regijs interfectos: Alenconium breuì cum multis millibus Tornacensibus opem laturum, & similia: qua fama mox diuulgata, & Antuerpiam perlata, tanta ibidèm orta est lætitia, vt campanis pulsatis, tormentisque explosis, publica triumphi signa darentur. Hoc stratagemate astutus ille serpens casses sibi paratos erepsit, & Gandauo Antuerpiam est reuersus. Vbì paulò pòst publico scripto declarauit, se extremum Belgij interitum certò præsentiscere, nisi ante finem Ianuarij, de nouo Principe, & prouinciarum capite deligendo, velint Ordines conuenire. Alenconium denotans, quem sub id tempus expectabat.

Tornacũ deditur.

Auraici persuasiones.

Aquisgranenses ab Imperatore vehementer vrgebantur, vt suos concionatores hæreticos eijcerēt, Catholicam Religionem ciuibus restituerent, Senatum legitimum agnoscerent, ab omnique nouitate regnum Aquisgranense purgarent. Sed cùm illi dicto audientes non essent, sed protelationibus, & ambagibus negocium differrent, tandèm Catholici Reuerend. ac Nobilem D. Franciscum Vossium, virum pium & eloquentem, vrbis Decanum; Albertum Scrickium Consulem, & Iohannem

Aquisgranenses Catholici legationem mittũt ad Cæsarem.

1581 Tenensem vrbi à secretis, ad Cæsarem legârunt, qui præposteram suorum Caluinistarum volũtatem, peruersosque conatus Suæ Maiest. explicarent, eamque obsecrarẽt, nè suorum mandatorũ executionem differat; in sua Religione Catholicos Aquisgranenses defendat, & legationis (siquæ mittatur ab hostibus) purgationem prudenter examinet, nec facilè, vt iniustis criminationibus ementitisque rationibus nixam, admittat

Martyriũ quorundã Catholicorum in Anglia.

Calendis Decemb. in Anglia martyrij coronam accepit Edmundus Campianus, sanctissimæ vitæ, Societatis Iesu Theologus, anno 1539. Londini natus. Qui cùm in Oxoniensi Academia aliquandiù studuisset, in synagoga Caluinistica Diaconus factus est. Sed cùm posteà Dei gratia eum ex istius perfidiæ tenebris eripuisset, Hiberniam inuisit, eiusque historiam scripsit. Indè Duacum profectus, ibidèm ad Collegium, à Pontifice extructum, admittitur, sed illinc Romam cùm venisset, Societatem Iesu ingreditur. Cumque ibi aliquandiù habitâsset, in Boëmiam missus, ibique sacris initiatus, in vinea Domini strenuè laborauit. Pòst reuocatus, vt in Angliam abiret, eoque profectus anno superiori, cùm tredecim ferè mensibus concionando, sacramenta administrando, hæreticos ad disputationes prouocando laborâsset: tandèm à quodam Elioto proditus, mense Iulio in Comitatu de Berc, in ædibus D. de Yates, viri nobilissimi captus, vnà cum alio Sacerdote Filbio, Londinum ductus, in teterrimos carceres detruditur, indignissimis modis tractatur, atrocissimisque supplicijs subijcitur. Caluinianis in carcere detentum ad disputationem prouocantibus, eam non negauit, etiamsi ipsi indignissimæ conditiones proponerentur, eisque magna cum laude silentium imposuit. Deindè varijs calumnijs atque mendacijs exagitatus, 20. Nouembris iudicio duodecim virorum subiectus, prima actione nullius criminis conuinci potuit. Postridiè septem alij Presbyteri, ad tribunal rapiuntur: nec illi conuicti sunt. Tertio die Edmundus iterùm producitur, à Crodoco, Elioto, & Slæddeo, hominibus flagitiosissimis, accusatur, & cum socijs Scheruino & Brianto Presbyteris, ab Andersonio, Pophamo, & Egertono iniustè condemnatur: condemnati in carcerem retruduntur, opes & vita ipsis promittuntur, si à sua religione velint resilire. Sed cùm constantes in fide perseuerarent, trahis alligati, morte truculentissima, & in Catholicos constituta, (de qua paulò

paulò post initium anni 80. aliquantò latiùs egimus) 1581 etiàm pro Reginæ salute Deum deprecantes, Comitibus tribus, Baronibus quinque, Equitibusque auratis quàm plurimis inspectantibus, interfecti sunt Londini, vbi Edmundus natus, ipsaque S. Edmundi patroni sui festiuitate, duorum nunc Edmundorum natalitijs consecrata.

Erat tunc temporis in Anglia Dux Alenconius, cum Regina de Belgij imperio suscipiendo varia consilia coquens. Auraicus, vt subditorum animos, magnis regiorum victorijs labefactatos, erigeret, vulgo persuasit, sibi certò constare, Alenconium Angliæ Reginam coniugem ducturum. Quamobrèm per Frisiam die decimotertio Decembris celeberrimus triumphus decretus est: omnia tormenta, omnibus in locis, magno reboatu exploduntur: rogi ingentes struuntur, epulę atque conuiuia pafsim celebrantur: nihilque, quod ad talem festiuitatem peruenere iudicant homines, prætermissum est.

Frisij triumphant ob matrimonium Alenconij cũ Angliæ Regina.

Decimoquinto Decembris, Confœderatorum concilium Leovvardia iterùm Vltraiectum (vbì de more suum habebat cõciliabulum) profecturũ, mandauit omnia Regis Hispan. insignia deijci atq; eradi, ipsius sigilla frangi, & Regis nomen atque authoritatem abiurari, non à Magistratu tantùm, sed & à concilio prouinciali. Quod dum fieret, Ralda quidam Confœderatorum factionibus addictissimus, vindicta diuina prostratus, in ipso actu exspirauit.

Iustũ Dei iudicium.

Sub finem anni præsentis, Magnus Moscouiæ Dux, cùm incredibilem Poloni in belo celeritatem & felicitatem videret, nè ad Nouogardiam, Moscouiamque, atque alia præcipua suæ ditionis oppida exercitum duceret Polonus, inuitus, nolensque de pace cum hoste ineunda cogitauit. Erat Polonus adhuc in obsidione Plescouiensi, media nunc hyeme, quod mirum sanè in istis locis videbatur. Misit ergò Dux internuncium ad Regem, qui vt pacis cum eo faciendæ gratia legatos Zapolsciam mitteret, quò propediem essent venturi sui, magnoperè contendebat. Miserat & idem Dux literas & legatum ad summum Pontificem Rom. ab eo petens, vt Arbitrum & Intercessorem se, sua interponeret authoritate, qui confestim ad Moscum & Regem Antonium Posseuinum, Societatis Iesu Sacerdotem, misit: qui ad Christianam pacem vtrunque paternè hortaretur. Rex itaque magni-

Magnus Dux Moscouiæ pacem petit à Rege Polonia.

1582 magnificam legationem Zapolsciam mittit, vbi & pax, vt suo loco dicemus, composita est, & confirmata.

Vveerderbroeck capitur.

ANNI 1582. primo die Ianuarij, Verdugius Frisiæ præfectus munitissimam arcē Vveerderbroeck, locum diribitorio accommodatissimum, vicinum Cliuiæ, obsedit; dumq; apparatum ad oppugnandum facit, qui in arce erant, trepidantes, noctù clàm erūpunt, & quarto pòst die arcem vacuam obsidenti relinquunt. Idem & præsidiarij Suanenburgij & Tervvilt fecerunt. Verdugius, his victorijs partis, de obsidendo Lochemio, oppidulo Comitatûs Zutphaniēsis, cogitauit. Nec multò pòst Ordines Geldriæ, duce Hegemanno Hardervvicено, Bronckhorstium recuperare conati, illud arctissimè obsederunt, & septem dies magna violentia oppugnârunt: qui verò in præsidio erant regij, fortissimè sese defendentes, hostem à mœnibus reiecerunt. Qua in pugna Hegemannus in pectore sauciatus, & Zutphanium ductus, paulò pòst infelicem animam exhalauit. Confestìm Martinus Schenkius ad oppidum suas copias mouens, obsessis nouo milite & commeatu succurrit, atque Ordinum milites, multis cæsis, captisque, profligauit.

Ordines Brōckhorstium obsident.

Hegemāni mors.

Schenkius obsessis auxiliū fert.

Pax inter Polonum & Moscū.

Moscouiæ Ducem pacem à Polono petijsse, Legatosque vtrinquè Zapolsciam missos, paulò antè commemorauimus. Dederat suis in mandatis Polonus, si causa belli, quæ erat Liuonia, à Mosco non tolleretur, bellum etiàm ipsum cessare nec posse, nec debere. Varijs sermonibus & disceptationibus dies plurimi dati sunt, cùm Moscici Legati de iure (quod prætendebant) Liuoniæ ægerrimè decedere voluerint, & aliquot castra proximo bello à Polonis occupata reddi postularent: Poloni de Liuonia nullam fieri mentionem voluerunt, de arcibus sese transacturos promittunt. Sed cùm Moscici quotidiè tot suorum clades, funera, & captiuitates audirent, quot non sinè lachrymis potuerūt recordari, tandèm compulsi, de Liuonia restituenda Polonis, mandata sese habere fatebantur. Pax itaque conditionibus certis 15. Ianuarij est conclusa: Moscus Liuonia cum 34. arcibus atque oppidis Polono cedit. Derptam primam belli Liuonici causam reddit, in eo 78. maiora tormenta, in alijs 300. maximumque apparatum bellicum nolēs volens relinquit. Tot tamque magni momenti captiuorum suorum libertas pacis conditionibus non est inserta, sed quoàd eius fieri meliùs, citiusque posset, vt quisque eorum redimeretur,

tur, admiſſum. Ex captis verò poſtremo bello oppidis & caſtellis Polonus Moſco Vielicolucam, Zauolotiam, Neueliam, & aliquot Pleſcouien. arces reſtitueret: Polociam verò, Nieſczardam, Cozianam, Socolum, Turouliam, Sithno, Suſſam, Craſnum, Vſuiatam, Veliſiam, & Iezieriſcum Moſcis erepta, Polonus reſeruaret. Pax ipſa ad decennium perduraret. Compoſita pax hæc eſt, intercedente Legato Pontificio Poſſeuino. Sed Sueci pacē hanc, eò quòd Regis ſui, confœderati Polono, nulla in ea facta eſſet mentio, indignè ferebant. quarè eam vt turpem calumniantur, ſcribuntque pace cautum eſſe, vt vtraque pars omnem belli apparatum, omnemque commeatum ex arcibus, antequàm traderentur, quò vellet, tranſportaret: ideoque Polonum nil niſi vacuas arces, quas longo tempore munire non poſſit, hac pace conſecutum eſſe. Negant id Poloni, quorum teſtimonium paulò antè recenſebamus. Pace confirmata, Moſci ex omnibus Liuoniæ oppidis, arcibus, lociſq; munitioribus euocati, in Moſcouiam abiêrunt.

1582

Sueci pacē hanc exoſi quare.

Stephanus Rex Poloniæ in Liuoniam feſtinans, Rigam profectus eſt: quæ ciuitas etſi libera eſſe ſoleat, nec Magno Liuoniæ Magiſtro, ſed Imperio ſubiecta, nuper tamen in fidem Regis Poloniȩ conceſſit, in cuius ille territorio omnes arces, ciuitates, capitaneatus, & præfecturas archiepiſcopales nunc poſſidet. Poſſeuinus, & Patres Societatis Ieſu, Regem, vt ab ipſa Religione & Eccleſia reformationem auſpicaretur, hortati ſunt. Propoſuit itaque Rex, quòd ob populi raritatem, regioniſque deuaſtationes, pro Archiepiſcopo Rigenſi, & Epiſcopo Derptenſi, nunc vnus tantùm Epiſcopus eſſet, iſque Vvendæ ſedem figeret: vrbs autem & territorium Vvendenſe, non eſſet iuris Epiſcopalis, ſed eius loco Vvolmaria, Trickata, & Burtnicka Epiſcopi menſæ applicarentur. Deindè & Patribus Societatis Ieſu, Rigæ Eccleſiam S. Iacobi conceſſit, eoſque liberalitèr dotatos, in meſſem Domini miſit. Deindè ad formandam Remp. animum adiecit: ſed maiores difficultates inueniens, quàm quæ ſinè multorum deliberatione cōponi poſſent, ad 4. Octobris huius anni Varſouiam comitia indixit. Agreſtes tamen homines, ac ruſticos, qui nobilium miſera ſunt mancipia, & ſi diurnum penſum laboris non ſoluant, aut dominos ſuos irritant, miſerrimè vapulant, vocari Rex iuſſit: eiſque ſignificari, Suam Maieſt. duræ illorum conditionis miſereri, velle eos à plagis ac verberibus vindicare, & mulctam

Rex Poloniæ reformat Eccleſiam.

1582 ctam mitissimam, si peccauerint, ipsis imponere. Cui Rustici, se antiquas consuetudines mutari nolle, malle omnia dura perpeti, quàm nouitatem aliquam introduci. Quorum agrestes animos Rex admiratus, subridens discessit.

Rustici seruitutem libertati præferũt.

Respõsum Imperatoris ad legationem Aquisgranensium.

Aquisgranensium Catholicorum legati, cùm aliquandiù apud Cæsarem essent commorati, tandèm ab ipso responsum acceperunt: Esse nimirùm hanc ipsorum obedientiam Cæsari gratam, eamque in perpetua apud ipsum memoria futuram. Ipsis Suæ Maiest. diligentiam, in promouendo Catholicorum negocio, vrbemque in antiqua Religione, atque statutis conseruanda, perspectam esse. In hac Cæsarem perseueraturum. Cæterùm petere, nè moram aliquantulam ægrè ferant, donèc nouos in vrbem Legatos mittat, qui Catholicis, non tantùm de restitutione factarum, faciendarumque impensarum, sed & toti Reip. in omnibus controuersijs essent satisfacturi.

Data est hæc legatio Gebhardo Archiepiscopo Coloniensi, & Iohanni Treuirensi, Electoribus: qui statim id per literas Aquisgranensibus indicârunt, seseque paulò pòst subdelegatos suos, ex Consiliarijs eò missuros, significârunt; petiêruntque, vt eorum consilijs atque mandatis acquiescant. Sperare etenim sese, Subdelegatos suos tam ciuiliter cum ipsis acturos, vt querelæ nullus ampliùs locus relinquatur.

Alẽconius ex Anglia in Belgiũ nauigat.

Initio mensis Februarij, Dux Alenconius, cum nobili suo Gallorum comitatu, alijsque Anglis, à Regina ei adiunctis, Londino, Thamesi fluuio secundo, Rochestrum, atque indè paulò pòst Vlissingam, Zelandiæ oppidum; indè Mittelburgo Armuijdam profectus, Auraicum, eius aduentum expectantem, salutauit. & tandèm 19. eiusdem mensis, vnà cum Auraico Antuerpiam peruenit.

Alẽconius Antuerpiæ cũ triumpho excipitur.

Antuerpienses iam dudùm in arcubus triumphalibus, varijs theatris, imaginibus, alijsque rebus, ad nouum Ducem magnificè excipiendum, parandis desudârant. In porta S.Georgij, quam erat ingressurus Alenconius, arcus erat magnificentissimus, cui erat inscriptum:

Abstulit vt regni Dominus moderamina Sauli,
Et reprobum sancti priuauit Numinis aura,
Præfecitq; suo Regem Dauida popello:

Sic modò depulsis patria, regnoq́; Tyrannis, 1582
Dux generose, tuo voluit nos Marte tueri.

Hîc Alenconio Senatus obuius venit, adducens Virginem formosissimam, qualem cum fortè non illubenter videre nouerant, quæ auream clauem offerebat. Quod factum nonnulli sic interpretabantur, quasi Senatus suas, ciuiumque suarum filias, genti salacissimæ, prostituendas fatali omine significaret.

Non procùl hinc alius arcus erat, aut pegma potiùs, cum hac scriptura:

Aduersùs velutì Saulis promiserat omnes
Tutari Ionathas Regem Dauida furores:
Sic contra instantes, Princeps generose, Tyrannos,
Nos tibi commissos serua, rege pacis amantes.

Ventum deindè ad tertium theatrum, huiusmodi carmine insignitum:

Gratia nata Deo, cultu vestita niuali,
Et folijs ornata manu pallentis oliuæ,
O Princeps patriæ Pater, & spes maxima, nostræ
Virginis Antuerpæ iußit te celsa subire
Mœnia, & afflictum populum pietate leuare,
Iustitiaq́; suis depellere finibus hostes.

Erat & triumphalis porta iuxta monetam exædificata, tali tetrastycho inscripta:

Illa potens, nimiumq́; viget Respublica felix,
Cœlitùs omnigenis accumulata bonis:
In qua Dux populi caput est, populusq́; relata
Obsequitur capiti, ceu sua membra, vice.

Quantos quamque inutiles sumptus in peristylijs, facibus & cãdelis, vinculis, quibus miseri Hispani ex ligno facti innectebantur; Gigantibus & piscibus fingendis, stultus popellus fecerit, facilè dici non posset. At paulò pòst, Dauidem vicit Saul, Ionathas contra Saulis furores Dauida non est tutatus: sed ipse hostilitèr eum inuasit. non patrem patriæ, sed vitricum; non Gratia, sed Perfidia celsa mœnia subire; non hostes iustitia, sed iniustitia ciues depellere suis finibus, iussit. Deniquè cùm Dux populi caput se facere vellet, populus Ducem armis ex dominio suo exturbauit. Vincula fracta sunt, Hispani liberati, Gigas carie consumitur, & nihil ex ista lætitia residuum permansit aliud, quàm quòd posteri insignem gentis huius insaniam deridebunt.

Anno scilicet sequẽti.

Ductus

1582

Alenconius inauguratur. Ductus indè in Curiam Alenconius, præstito iuramento quod ab eo exigebatur, Ducali pileo, & chlamyde insignitur, & Dux Brabantiæ inauguratur, Auraico ludicræ istius comœdiæ histrionem agente.

Bronckhorst oppugnatur. Ad finem Februarij Ordines Bronckhorstium secundò infelicitèr tentârunt, & tam diù obsidionem continuârunt, tantasque inutiles impensas fecerunt, vt ab hostibus illuderentur, & turpissimis ignominiæ notis aspergerentur.

Circa hoc tempus quidam, aut maleuoli, aut rudes homines, per Germaniam spargunt, Haleces tam fumatos, quàm salitos, vermibus esse infectos; ostendentesque venulas quasdam, pro vermibus, id apud populum effecerunt, vt plerique abhorrentes, eos edere noluerint: quin *Germani haleces abijciunt.* & quibusdam locis Germaniæ foro sunt interdicti, plurimaque vasa simul in Rhenum detrusa, magno quorundam mercatorum damno, exitioque extremo. Quæ quidem opinio tam tenacitèr vulgi mentibus hærebat, vt nullis indè persuasionibus abduci posset.

Legatio Poloni ad Suecum. Poloniæ Rex ad Suecum legationem mittit, quæ restitutionem quorundam locorum peteret: Scire se quidem, ait, fœdus inter vtrunque percussum esse, pactumque, vt quod quisque Mosco adimeret, id suum esset. Eius articuli expositionem sanè intelligi debere. Suecum iam in Finlandia omnia sua recuperâsse, multa insupèr Mosco ademisse: licere illi ex fœdere in Moscouiam traijcere, & plura Ducis loca occupare. Reuiliam verò, Naruam, Vvittesteiniam, Vvesenburgum, Harrienam, Hapselium, Lothum, & Leallum ad Liuoniam pertinere, Liuoniam autem ad regnum Poloniæ. Non esse itaque æquum, vnum confœderatorum, alterius oppida & arces, inuito vero domino occupare. Petere itaque, vt Sueciæ Rex prædictas munitiones, iustis priùs impensis, in expugnandis illis factis, rursùm annumeratis, Polono restituat: nè qua inter vicina regna lis exoriatur. Hec cùm orâsset Christophorus Vvarseuilius; Suecus indignabundus literas Polono referri iubet: in quibus non Regum aut Principum more, sed in foro litigantium, cum *Responsio Sueci.* Polono expostulauit. Initiò dotem promissam postulat, indè pecuniam mutuò datam, calendarioque destinatã, vnà cum quæstu, repetit, Hapselium, Lothũ & Leallum Danici non Polonici iuris esse dicit: quæ loca cùm Moscus iam antè occupârit, ex ijsq; Sueciam infestârit, non iniquè fecisse, quòd hostem quæsierit, vbicunquè potuerit

rit illum inuenire. Se etiàm suosque maiores fortiùs pro Liuonia, quàm Polonorum Reges, pugnâsse. Nisì enim Sueci, ait, Reueliam defendissent, & ad Vvendam auxiliares suas copias misissent, Liuonia tota Moscorum tyrannidi subiaceret. Nullas sibi gratias haberi, immò tormenta ad expeditionem Vvendæ missa, queritur se inuito detineri. Fœdus contra Moscum initum se ratum habere. Exceptiones, verò Conditiones, Reseruata Gallica (quibus cautum volebat Polonus, Polonica excepta, sola hæreditaria Mosci loca occupanda esse) ignorare tanquàm in ea schola non edoctum. Mirum itaque sibi videri, prudentem Regem audere postulare, aperto Marte expugnatorum oppidorum restitutionem. Mitteret potiùs Polonus dotem, mitteret cum quæstu pecuniam in calendarium conuersam: quod nisì fecerit, se rationes accipiendi inuenturum. Memor esset Cimbrorum & Gothorum, eos licèt vnius oræ Sueciæ populos, totam tamen Italiam subiugâsse: se totius regni Regem, & huiusmodi Gothos & Cimbros sub se habere plures, qui nec Mosci, nec Poloni vires reformident. 1582

Hæ literæ etsi Polonum plurimùm exasperarent, maluit tamen priuatam iniuriam, publicæ regni quieti & tranquillitati postponere. Suecus bellum aduersùs Moscum susceptum continuauit. nihil tamen hac æstate memoria dignum actum est, nisì quòd quidam præfectus Suecorum Notenburgum frustrà tentauit: & Moscus congregato exercitu Blavvenbergam se religionis ergô proficisci, & à morte filij, quem ipse interfecerat, sese expiare velle simulauit, Reueliam aut Naruam ex improuiso volens adoriri: sed detectis insidijs, peregrinatio ista est suspensa, factæque inter Suecos & Moscos aliquot mensium induciæ. *Suecus Moscũ debellare pergit.*

Vigesimo die Martij Ioannes Paynus, sacerdos, in Anglia ab Odoano Hoptono arcis Londinensis præfecto captus, & ad tribunal raptus, proditionis condemnatur. Erant autem accusationis capita duo, suspicio & depositio. Suspicio, quòd ante quinque annos se contulerit ad partes vltramarinas, indeque citò reuersus sit. Secundò, quòd factus sit sacerdos ab Episcopo Cameracensi, & obedientiam præstiterit Romano Pontifici. Tertiò, quòd in Belgio locutus sit cum proditoribus Comite Vvestmerlandiæ, D. Alano, & D. Bristoo. Quartò, quòd socium itineris habuerit filium proditoris, D. Guilielmi Tempest. Depositio verò petebatur ex iuramento Elioti, *Ioannis Payni Martyrium.*

1582 hominis infamis & bis periuri. Paynus ad ſingula reſpō-
dit:priora duo,ait,non eſſe argumenta ſufficiētia ad pro-
bandā proditionē. Ad tertiū,ſe nunquàm Comiti Vveſt-
merlandiæ locutū, nec Alanum aut Briſtoū proditionis
mentionē coram ſe feciſſe. Ad quartū,D.Tempeſt virum
eſſe nobilē,ſecum de proditione non egiſſe,neq; ſe illici-
tum putare illius vti familiaritate, qui D.Chriſtophoro
Hattoni,Regię Maieſt.Conſiliario,operam daret. Elioti
deniq; depoſitionem ità à ſe remouit,vt Deū & animam
ſuam conteſtaretur, nunquàm ſe eiuſmodi ſermonem
Deut.17. cum illo habuiſſe. Petijt etiàm, adductis Scripturæ teſti-
Ioan.8. monijs, teſtē ſecundū. Quid multis? euenit ſancto viro,
quod innocēti gallo gallinaceo in Apologis: cui cùm à
catto eſuriente plurima obijcerentur crimina,quæ gallus
facilè diluit,nec haberet cattus quod contradiceret,ait:

Argumenta tuam quantumuis plurima cauſam
Defendant, tamen hinc ego non impaſtus abibo,

Dolendū ſanè florentiſſimū illud,&quōdàm Catholiciſ-
ſimū Anglię regnū eò deueniſſe,vt poſtpoſita omni rati-
one atq; æquitate,nihil nūc præter ſanguinē Catholico-
rum ſitiat.Sed ad rem.Ex hac prę ſumptione,&vnius Eli-
oti teſtimonio condemnatur Paynus. Cùm ad ſuppliciū
traheretur, & in via, & in curru, & in ipſo laqueo fidem
& innocentiam ſuam diſertè teſtatus, ſtrangulatur; & à
cruce ad cælum,ab ignominia ad gloriam,à breui ſuppli-
cio ad quietem ſempiternam proficiſcitur.

Legatus Regis Perſarum ad pacem cōponendā Byzantium venit. Septimo Cal.Aug.anni 81.Sinamus, ſeu Sinābaſſa,
inducijs factis cum Rege Perſarū,donèc de pace ageretur,
Conſtātinopolim ingreſſus eſt. 14.deincèps Cal.Aprilis
huius anni Perſarū quoq; legatus ad Amurathū venit,de
pace acturus.Erat legatus Regi Perſico ſanguine iunctus,
& Ibraimus Can dicebatur: homo qui ob ſingulares ani-
mi dotes,etiàm ab hoſtibus prędicabatur. Hic cùm de pa-
ce agere inciperet,non inuenit talē rerū conſtitutionem,
qualē ex Sinābaſſę pollicitationibus ſperâſſet. Nam Tur-
cæ regnū Mediæ integrū ſibi cōcedi volebant, propterea
quòd aliquā eius partē initio belli occupâſſent. Perſę cō-
trà, non modò Media cedere non volunt, verùm etiàm,
quod ſibi iniuſtè ereptum conqueruntur, reſtitui debere
poſtulabant. Diù diſceptatur,Perſæ pacis amantiores ali-
qua concedere, Turcæ nihil remittere velle videbantur.
diſceſſum eſt, vt legati ad Perſiæ Regem mitterent, eius
Oſmam voluntatem ſcrutaturos. Intereà nunciatur Oſmanbaſ-
baſſa tem- ſam,qui cum exercitu ad portas ferreas ſedebat,eruptione
in

in Mediam facta, multum habitatoribus tempore indu- 1582
ciarum nihil mali metuentibus, damni intulisse: sed à Persis superuenientibus insigni clade repressum esse. Quæ cùm celeritèr Byzantij nunciata essent, & Osman in Persas culpam deriuaret, tanquàm ipsi tempore induciarum Turcas incautos oppressissent; Amurathus ira correptus, Persici legati sedem, quam in Hippodromo spectandis ludis (qui ob filij sui circuncisionem, de qua mox dicemus, exhibebantur) habebat, dirui iussit, & Legatum ædibus exire prohibuit.

Persæ tempore induciarū Mediam depopulatur.

Erat Amuratho filius Mahumetus, 15. aut 16. annorum puer. Huic tunc Byzantii, vt circuncideretur iuxta Mahometicæ legis præscriptum, celeberrimũ festũ parabatur. Inchoatũ est festum hoc circa nonum Maij, durauitq; ad 22. Iulij. Incedebat sæpè per ciuitatẽ magna cum pompa Amurathus, comitatus filio. Variæ animalium & volatilium formæ ex saccaro confectæ circunferebantur. Ciues, opificesq; omnes artis & scientiarum insignia, Christiani paritèr & Turcæ, Iudæique in honorẽ Sultani crescẽtis, magna cum lętitia circunducebãt, totaq; vrbs in lętitiam & triumphũ soluta esse videbatur. Prętereà nulla erat societas, quæ nõ aliquod egregium artis suæ opus Sultano offerret, quibúsve ipse è cõtrà non aliquid largiretur. Ludorũ verò locus erat Hippodromus, vbì Amurathus cum filio residens, ludos varij generis conspiciebat. Aderãt prætereà primarij Turcæ omnes, & legati Regum & Principũ ex toto ferè orbe conuocatorũ. Inter Christianorũ legatos, Cęsaris Rom. Orator: inter Ethnicos Legatus Regis Persarum primum habebat locũ. Edebantur ibì varij generis ludi, variæ pugnarum & certaminũ formæ, expugnationumque diuersi modi & simulacra monstrabantur. Ignes artificiales magna cum arte confecti, de noctù accendebantur. Pleraque autem in Turcarum laudes, & Christianorum ignominiam fingebantur. Erant prætereà quę miro artificio atque agilitate in funibus ambularent, atque saltarent. saltationes de nocte fiebant. Comœdiæ atque Tragœdiæ à Christianis atq; Hebræis, eodẽ quoq; tempore agebantur. Depugnabãt etiàm feræ, inter reliquas porcus domesticus ex ædibus Imperatoris Cæsarei petitus, cum tribus leonibus modico interuallo ità pugnauit, vtì eorum impetum non modò egregiè sustinuerit, sed &, nisì vno pede ligatus fuisset, forsan etiàm eos fugâsset, vicissetque. Vnũ certè, eumq; vltimũ, naso ità excepit, vt subtùs suprà volueretur, turpiterq;

Circuncisionis Mahumeti Imperatoris Turcarum filij festiuitas.

1582 aufugeret, magno cum Turcarum pudore, qui leonibus se, porcis Christianos, Germanos maximè, comparabant. Vnum erat miserabile animis atque oculis Christianis spectaculum, quòd ingens numerus Christianorum ex Græcia Mysiaque, atque ex insulis afflueret, qui turmatim in honorem Amurathi, in suî verò perditionem, publicè abnegârunt fidem Christianam, atque Mahometicæ superstitioni atque impietati sese addixerunt. Ludorum verò exitum & catastrophen Ianizarorum & Spahiorum in Hippodromo excitatus tumultus dedit. Peracta clàm circuncisione, Imperator paucis pòst diebus in regiam, quam in Bosphoro habet promontorio, recessit: ibique Regum & Principum legatos audiuit, & munera, donaque accipiens, eos dimisit.

Multi Christiani Mahometistæ facti.

Alij in Anglia Martyres quatuor.

Per id tempus è martyrum sanguine magis magisque in Anglia crescente Ecclesia, capti sunt D. Vvilhelmus Filbius, D. Lucas Chirbeus, D. Laurentius Richardsonius, & D. Thomas Cottamus: quos cùm immanes isti carnifices nullis machinis, nullaque tormentorum acerbitate permouere possent, vt vel crimen falsò impositum agnoscerent, vel à religione Romana descisceremt, studuerunt eos suis constitutionibus impijs circunscribere, sequentes singulis quæstiones proponentes:

Sex quæstiones Martyribus propositæ.

1. Vtrùm Bulla Pij V. in Reginæ Maiestatem lata, sententia sit legitima, cui parére omnes Angliæ subditi teneantur?
2. Vtrùm Regina sit legitima Regina, cui omnes Angli obedire debeant, non obstante Pij V. aut quacunque alia Bulla, siue sententia à Pontifice Romana lata, aut in posterum contra Reginæ Maiestatem ferenda?
3. Vtrùm Romanus Pontifex modò possit, aut potuerit Comitibus Northumbriæ & Vvestmerlandiæ, alijsque subditis suæ Maiestatis, rebellandi facultatem concedere, armáve sumendi contra Maiestatem suam? Prætereà vtrùm Doctori Sandero, aut alijs quibusuis copiam facere potuerit, inuadendi Hiberniam, aut alias suæ Maiestatis ditiones, bellúmve ei inferendi, & vtrùm illis hoc facere, nec ne, licuerit?
4. Vtrùm Papa habeat potestatem absoluendi suæ Maiestatis subditos, aut alicuius alterius Christiani principis ab obedientia, & iuramento præstito suæ Maiestati, aut principibus suis, vllam ob causam?
5. Vtrùm prædictus Doctor Sanderus, in libro suo de Visibili Monarchia Ecclesiæ, & Doctor Bristous in libro suo de Motiuis (scriptis in approbationem, commendationem, & confirmationem Bullæ Pij V.) verè, falsève docuerint,

euerint quoàd hoc, ac sustinuerint? Si Papa Bulla sua vel sententia pronunciaret Maiestatem suam non esse legitimam Reginam, subditosque ab obediendi vinculo liberos declararet: item si Papa vel quispiam alius ab illo designatus, eiusque authoritate fretus, regnum inuaderet, quam partem sequeretur, aut quam sectam potissimum, bono ac fideli Christiano, Angliæ regno subiecto, sequendam esse putaret?

1582

6.

Ad has quæstiones Christi martyres, adiuti gratia illius, qui coram Iudicibus os & sapientiam suis largiturum promisit, tam prudenter responderunt, vt quod cauillarentur, aut obijcerent, qui Magistratus appellantur, non haberent. Tamen odio inueterato in Catholicos olim concepto incitati, quatuor venerabiles Christi Sacerdotes superius nominati, perduellionis (hoc enim colore fucatur hæc Anglicana Iustitia) condemnati, & in crucem sublati, exenteratique sunt. Stabat in curru Filbius, stabat & cum eo famulus quidam Magistratûs, qui cùm sudarium sancti viri videret: Heus, ait, quid habes in sudario? & simul eripiens ei è manibus, cùm crucem ligneam paruam in eo inuolutam inuenisset, Ecce, inquit, sceleratus proditor crucem secum portat. quod cùm frequēter, multis ex populo idem conclamantibus, inculcaret, D. Filbius subridens tacuit. Morituri & animam Deo commendaturi, Latinas preces fundebant. Indignè id ferentibus Anglis, & vt Anglicè orarent iubentibus, vt & ipsi cum illis orare possent: responderunt, se id non facturos, eò quòd non eiusdem secum Religionis essent. Catholicos autem, vt secum precarentur, rogârunt: atque ità in Domino obdormiêrunt.

Proditores sunt in Anglia, qui crucē penès se habent.

Initio Martij Alenconius in vsum Catholicorum ab Antuerpiensibus quatuor templa postulauit. Res hec non parùm animos Caluinistarum ab eo alienauit. Postulatio in deliberationem venit. plurimùm disceptatum est, lupum auribus (vt aiunt) tenebat tandèm. Catholicis incolis exercitium suæ Religionis denegatum. Alenconio verò & suis aulicis templum S. Michaëlis permissum, ad quod cùm & Catholici nonnulli confluerent, ab aduersa parte eiecti, & malè mulctati sunt.

Antuerpienses Catholicis tēplū, etiàm Alenconio intercedēte, negant.

Paulò pòst tanta exorta subitò est tempestas, tamque horridus ingruit ventus, vt per Scaldin, vicinaque Hollandiæ atque Zelandiæ loca plus quàm 150. naues omnigenis mercibus onustæ, aut vadis illisæ, aut aquis absorptæ sint. Aggeres è regione vrbis Antuerpiensis ingenti

Tēpestas in Hollādia &c.

1582 aquarum mole disiecti: multæ ædes sublatæ, & fluctibus inuolutæ. sed & aqua in ipsa vrbis penuaria irrumpens, multa mercimonia miserè perdidit. Eodem quoquè die multa sub noctem spectacula horrenda, super vrbem in aëre visa dicebantur. Quæ omnia summā aduentu Alenconij allatam lætitiam, in luctum metumque commutârunt. Sub idem tempus Dominus de Motte, non procul ab Hypris arcem munitissimam (Soeteſtede appellant) feliciter occupauit.

Aquisgranenses respondent Electoribus.

Aquisgranenses acceptis Electorum literis, vt diximus, vndecimo Martij respōdent: Sese nihil magìs optare, quàm vt tam celebris legatio frustrà non mittatur, sed vt ad scopum & finem destinatū perueniat, quo & Resp. tandèm pristinæ quieti restituatur. Gratissimū sibi quoquè fore, vt causa omnis controuersiæ ab hominibus æquis, & in neutram partem propendentibus, cognoscatur. futurum sic absque dubio, vt Cæsar & Principes ipsi, longè rem alitèr sese habere iudicent, quàm à seditiosis quibusdam, & spontaneis exulibus, esse fingatur. Deindè sibi hanc legationem gratam non esse, ex hoc ostendunt, quòd legatos ad Cæsarem ablegauerint, quòd Syndicus vrbis apud Saxonem & Brandenburgensem adhuc hæreret, quòd Lantgrauius Hassiæ & multæ ciuitates Imperiales suas quoquè legationes ad Cæsarem pro ipsis intercessuras miserint. Qui omnes quamdiù reuersi non fuerint, negant se quidquam cum Legatis agere posse. Sed & vrbem tam arctè obsideri à Burgundis, & Iuliacensi, vt Consiliarij & Assessores, hinc indè euocandi, ad dictum diem adesse non possint. Speciosa profectò excusatio. Prætereà quia vehementer instarent Cæsar & Legati, vt exules in vrbem reciperentur, & inter illos Magistratum agnoscerent: aiunt, inter exules nullum legitimum Magistratum esse, nec consultum esse, eos in vrbem redire; cùm à furore ciuium eos Magistratus tueri non possit, cùm sint authores omnis calamitatis, omniumque incommodorum, quibus Respub. sex iam mensium arctissima obsidione affligeretur. Orant tandèm, vt Electores commissioni suæ supersedeant, donec legati reuertantur, & mitius à Cæsare responsum secum ferant: interim Electores apud Iuliæ Ducem & Burgundos instent, vt tandèm hæc diuturna obsidio soluatur.

Risus dolorem & luctus gaudium excipit, ait ille, & benè. Quid enim post stultam Antuerpiensiū & inconditam ob aduentum Alenconij lætitiam, ab ipsis clementis

tis passi sint, diximus paulò antè: nunc, quanta sit subsecuta perturbatio, audiamus. Octauodecimo mẽsis Martij, qui dies natalis erat Alẽconio, magni apparatus Antuerpiæ fiebant, ad exhibendos pomeridiano tempore ludos, militaria certamina, torneamenta, & id genus alia. Apparabatur cœna opipara, ad quam Auraicus & alij multi erant vocati. Prandebat Auraicus in aula sua, & se ad Alenconij natalitia cohonestanda præparabat. Sub prandium aulam intrauit quidam adolescens, nomine Iohannes Iaurengius, ex Bilbao Cantabriæ oppido natus, iam verò in familiam Gasparis Anastri Cantabri, antè prædiuitis mercatoris, nunc ære grauati alieno, adscitus. Adolescens iste sclopeto paruo, duplici globo onerato, & pugione armatus, in aula, ad ianuam cubiculi, in quo Auraicus prãdebat, eum egressurum opperiebatur. Venit Princeps, accessit adolescens, & libellum offert supplicem. quo acceptando & explicando dum occupatur Auraicus, Iohannes sclopetum clàm in faciem Auraici collimat, & simul explodit. globulus sub mento intrans, caput traijcit, & sub dextra aure rursùs exiuit, vtraque maxilla perforata, dente vno aut altero excusso, lingua tamen intacta. ignis verò barbam & faciem adussit. Collabascentem medium corripit Holachius Comes. Et dum Adolescens manu sanguinolenta (prę nimio etenim iniecto puluere crepãs sclopetus pollicem illi abripuerat) pugionẽ euaginatũ in cor adigere conatur, ab adstante satellite bipenni transfoditur. Mox alij accurrentes, viginti eum vulneribus confossum, interfecerunt. Auraicus in cubiculũ ducitur, & confestìm Medici atque chirurgi expertissimi aduocantur. Magna erat in vrbe in trepidatio, magnusque luctus, præsertìm inter Caluinianos, qui conspirationem aduersariorum metuebant, & Archipatriarcham suum, spem atque delicias suas intermorituras suspicabantur. Quidam Alenconium insimulabant, & SantBartholomeana festa repetebãt. quò ipse, Auraico sublato, totius Belgici imperio potiretur. Cadauer Adolescentis ex aula tractũ lauatur, & à sanguine mundatum, ex pegmate suspenditur: si fortè quis interfectorem viuum cognouisset. dolebant verò plurimùm cũ occisum, & non viuum captum, torturæq; subiectum esse atque examinationi. Agnitus tãdèm est, & ex qua familia prodijsset, ad proceres delatũ. Cõfestìm ad ædes Anastri cursitatum, tota familia capta, omnes codicilli, libri, diaria &c. ad Magistratum delata, atque

1.5 8 2

Auraicus Antuerpiæ à Iauregio vulneratur.

1582 examinata sunt. Captus item monachus Dominicanus, nomine Antonius Timmermannus, & faber qui sclopetum condiderat.

Alenconius & Galli periclitantur.

Quæ dum fiunt, portæ clausæ detinebantur, mœnia (nè quis elabi posset) obseruabantur. Alenconius & Franci illius à furenti populo ad necem quærebantur: arma ipsis tanquàm suspectis adempta, adeoque tumultuatum est, vt Alenconius præ nimia trepidatione vberrimè fleuisse dicatur, & opem Auraici imploràsse. Qui cõfestim, etsi propter obligatum vulnus loqui non posset, ad chiliarchas vrbis literas dat, quibus Alenconio parci petijt: nec eum, nec suos esse facinoris perpetrati conscios testabatur. Seruate, inquit, optimum Principem, Principem, inquam, vestrum. Optimè vobis, optimè libertati vestræ cupit: vosque liberare seruitute cupit. Quòd si hinc migrauero, nè alium vobis Ducem & Defensorem quærite. Metuebat enim, nè se mortuo deesset, qui Vatinianum suum in Philippum Regem odium foueret, aut continuaret. Quod vnum Auraici testimonium, tantum apud populum valuit, vt de Alenconio omnis concepta suspicio euanuerit. qui posteà quotidiè Auraicum inuisit. Portæ tamen non aperiebantur per aliquot dies, nisì cùm aliquis cùm Auraici literis, ad alias prouincias, quæ de morte ipsius persuasæ, deficere fortasѕìs potuissent, emitteretur. Cœtus Caluinistici statim supplicationes & ferias pro sanitate Auraici instituerunt.

Conscij facinoris plectũtur.

Paulo pòst sumptum est de Antonio Venero, capsulario Anastri, & Antonio Timmermanno supplicium: capite plexi, deindè in quatuor partes dissecti, & cum cadauere Iaurengi diuersis locis è turribus, portisque suspensi. De ipso autem Iaurengio, de magia, amuletis, cædis intentione, alijsque personæ circunstantijs, quicquid in mentem & buccam venit, Caluiniani effutiebant: quæ à cordatioribus, eò quòd nulla ipsius extaret confessio, immò nemini nisì de facie notus esset, facilè contemnebantur.

Parmensis fecialem ad præcipuas ciuitates mittit.

Venit interìm ad aulam Principis Parmẽsis rumor, Auraicum occisum. Qui confestìm per feciales, Gandauenses, Brugenses, & Bruxellenses, defensore (vt putabatur) priuatos, ad deditionem solicitabat: Tyrannoque patriæ sublato, Regis clementiam atque beneuolentiam eis offerebat. sed illi de morte Auraici nondùm certi, Principis & Regis beneficium respuebant

Mensis Maij die 28. in Anglia D. Thomas Fordus, mane

manè inter sextā & septimā horam, à Londinensi turri, *1582*
ad Tyborne pertractus, cùm insigne suæ fidei Catholicæ *Anglica-*
testimonium dedisset, à Caluiniano Magistratu increpa- *na perse-*
tus, & læsæ maiestatis accusatus, sese fortitèr stans in cur- *cutio.*
ru defendit. indè laqueum induens, Deique opem implo-
rans, alta voce, *Iesus, Iesus, Iesus esto mihi Iesus*, clamans, vi-
tam finiuit. Eo adhuc pendente, Ioannes Shertus, è traha
sublatus, cùm Thomam videret, O felix, ait, Thoma, fe-
lix profectò, qui cursum tam felicem confecisti. O be-
ata anima, næ tu iam in loco bono es: tu sancta anima
pro me pacem ac veniam à Deo pete. Increpatus quòd
mortuos inuocaret, stans in curru, eadem repetijt, & B.
Virginis opem insupèr inuocauit, docetque fidem suam
solidam esse. Indè innocentiam suam demonstrantem
rogat Magistratus, crimen suum confiteatur, veniamque
petat, Reginam proculdubiò ipsi vitam largituram. At
ille: Quid? pro vili hoc cadauere conseruando, animam
meam perdam? absit. Rogatus indè quid de Regina sen-
tiret, essétne caput Ecclesię Anglicanæ? ait constanter, se
nullius Ecclesiæ caput aliud, præter Summū Pontificem
nouisse. Deindè caput laqueo inserens, ait: In damnato-
rum sedem, sinè vlla dubitatione præceps deturbabitur,
quisquis extra Ecclesiam Catholicam à vita discedit. Vl-
timò Deo se commēdans, moritur. Post Shertum D. Ro-
bertus Ihonsonus productus est: qui vti alij post constan-
tem fidei professionem, primùm suspensus, deindè semi-
uiuus depositus, exenteratus, & dissectus est.

Electores Coloniēsis & Treuirensis, acceptis Aquis-
granensium literis, quibus legationis Cæsareæ executio-
nem prorogari cupiebant: vel quòd eorum alter clàm
ipsis fauere, vel quòd sinè consensu Cæsaris legationem
protelare non auderent, non obscùrè considerantes eos
Cęsaris legationem procrastinādo eludere, nihil respon-
derunt. quamobrèm Aquisgranenses secundò scribunt *Secunda*
ad eosdem Electores, eadem, quæ prioribus literis erant *responsio*
inserta, repetentes: Esse nimirùm se membrum Imperij, *Aquisgra-*
rem non esse ipsorum priuatam, sed ad omnes Ordines *nensium*
Imperij pertinere: ideoque sinè ipsorum consensu, nec *Electori-*
dare, nec accipere conditiones posse, præsertìm in his, *bus missa.*
quę priuilegijs suis, Imperij constitutionibus, & paci Re-
ligioni datæ repugnarent. Rogare itaque secundò, nè le-
gationem Electores pręcipitent, sed cunctanter agant, &
reditum Legatorum præstolentur.

Moritur intereà Daniel Brendelius, de Homberg, *Daniel*
Archi- *Elector*

1582 Archiepiscopus & Elector Mogũtinus, postquàm viginti sex annos, summa cum laude Ecclesiam istam rexisset, ad vltimam senectutem sanctè & grauitèr vixisset, & Moguntinam Academiam restaurâsset, magnas opes Ecclesiæ suæ relinquens: cuius aula plena erat integritatis, officij, & religionis.

Moguntinus moritur.

Tertia eáque minax ad Electores Aquisgranensium responsio.

Aderat iam primus Aprilis dies, qui ab Aquisgranẽsibus metuebatur: eò quòd is ab Electoribus dictus esset Legationis executioni. Et quia binis literis adductas rationes Electores contemnere videbantur, tertias, minarũ plenas, ad eosdẽ scribunt: fore nimirum, si Legati in vrbẽ veniant, vt populus in furores, multò quàm vnquàm anteà maiores, vertatur, à cede & sanguine Magistratûs mãdato reuocari nõ possit. sensisse id anno superiori Philippum Nassouiũ, nunc acerbiores fore. Quarè consultò facturos Legatos, si exulum reductionem nõ vrgeant: Burgundicos legatos, ante obsidionem solutam, in vrbẽ non adducant: & si quid inter obsidentes & obsessos tractare velint, quosdam ex vrbe euocent, & cum ijs proximo in pago Birscheitio, ex mandato Cæsaris agant. se ipsos audituros, & responsum daturos esse.

Geusij cæduntur in Keppel.

Paululùm antequàm hæc fierent, 27. scilicet Martij, Verdugius insignem prope Keppel, Geldriæ Dominium & arcem, de Ordinum militibus Anglis victoriam reportauit. Cœperunt quoquè paulatìm Hispani & Burgundi, ab ipsis Hannonienfibus & Arthesijs, ad finem Ianuarij, prece & præmio reuocati, in Principis Parmensis castra redire.

Lens oppidulum intercipitur.

Crucius & Quinquiballius centuriones Gallici, initio mensis Aprilis, proditione Lens oppidũ Gallicæ Belgicæ occupârunt. quod Parmensis corona (nè quis cum præda egrederetur, cinxit, ipsosque Gallos ad deditionem coëgit. qui territi, relicta præda cum oppido, captiuisque restitutis, ad suos abire permissi sunt. Dum in hac expeditione laborat Parmensis, ab alia parte Alenconiani plicatiles scalas secum ferentes, Namurcensem ciuitatem atque arcem clàm inuadere tentârunt. Barlemontius vrbis præfectus aberat: Mater verò Parmensis Margareta, tunc aulam ibidèm habebat. Sed visis hostium copijs, insidiæ detectæ sunt, strepituque in vrbe concitato, Galli relictis curribus, scalis, cæterisque impedimentis, fugam adornârunt. Insecuti regij multos ex hostibus ceperunt.

Hochsaxus Baro Heluetius, Geldriæ vrbis præfectus,

ctus, Martinum Schenkium, virum licèt iuuenem, tamen militaris disciplinæ peritia, & fortitudine socijs admirationem, & hostibus terriculamētum, Xanthos oppidum Cliuiæ liberum, & nulli parti addictum, paucis comitantibus profectum, expugnato eius hospitio, 150. stipatus equitibus cepit, & Geldriam oppidū captiuum abduxit. Defenderat initiò se fortitèr Schenkius, sperans ciues & Magistratum non admissuros, vt in ciuitate libera quis ab externo caperetur. Sed cùm eos cōniuere vidisset, sese dedidit: id sibi molestum non fore dicens, si in campo vel pugna, & non proditoriè captus fuisset. Detentus in custodia biennium, & vltra. tandèm grandi lytro redemptus est. Eo enim capto, res Ordinum in istis partibus minùs periclitabantur. 1582 *Schēkius capitur.*

Aprilis octauo Parmēsis simulauit se Menenas, munitionem Flandrię, obsidere & oppugnare velle: cumque exercitum eò duceret, Audenardenses tria præsidiariorum signa, vel ad defendendam hanc munitionem, vel ad aliam expeditionem periclitandam, emiserunt. Parmensis cùm tria iam tantùm in vrbe signa esse intellexisset, hanc occasionem arripiendam ratus, summa celeritate à Menenis exercitum ad mœnia Audenardensia reducit, vrbemque ità cinxit, vt nihil ipsis subsidij mitti posset. & nè quid ad tutiorem obsidionem restaret, Gaueram, arcem medio itinere sitam, vi expugnauit. Indè maiora tormenta ad vrbem concutiendam trahi, & omnia ad expugnationem necessaria iubet comportari. *Audenarda obsidetur.*

Dum in Audenardena obsidione est Parmensis, Alenconiani, collectis vndiquè præsidijs, Fumao & Templio, Mechliniæ atque Bruxellensium Præfectis, ductoribus, Alostum oppidum Flandrię, ad gerendum in Flandria & Brabantia (in quorum finibus situm est) bellum percommodum, astu occupârunt. Quindecim ante dies regij magnam in oppidum hoc annonam importârāt: multa circuniacentium Catholicorum bona huc erāt aducta: & 400. penè Ecclesiastici viri ex vicinis locis huc confluxerant. quæ omnia in potestatem hostium peruenerunt. Quam infamiam vt regij abstergerent, arcem Gaesbeeck interceperunt. mentiti enim se Alostanos esse pręsidiarios, & captę vrbis prædam in arcem conuehi velle, recepti alios expulerunt, & munitiones in suam potestatem redegerunt. Ità insidijs, proditionibus & strategematibus hoc anno potiùs, quàm aperto Marte, in Belgio pugnatum est. *Alostum astu capitur.* *Strategema.*

Nondùm

1582

Varij de morte Auraici rumores.

Nondùm quicquam de morte aut vita Auraici certum haberi potuit. In Aula Parmensis, alijsque locis Catholicorum, mortuus dicebatur, in alijs viuus. cumque literæ de eius vita afferrentur, ij qui mortuum existimabant, dicebant exanime corpus à malo spiritu regi: incantantationibus & magicis artibus viuum videri, non autem esse: alij alia cõmentabantur, & singuli suæ opinionis rationes & exempla adducebant. Postridiè verò quàm Auraicus in grauem incidisset febrim, vxor eius è viuis excessit. Quo tempore & Sadoletus Lotharingus, à Regijs ad Ordines transfuga, infelicitèr ad Bronckhorstium pugnauit: desideratis circitèr 300. equitibus, & impedimentis omnibus cum bellicis machinis relictis.

Paulò pòst Alenconius duo promulgauit edicta: Primo negociationem omnem cum regijs interdixit: secundo vetabat, nè quis in posterum captiuum militem accepto lytro dimitteret, qui non albo militari sub cèrto centurione esset asscriptus.

Audenarda oppugnatur.

Circa medium Maij Parmensis Audenardam oppugnare, & eius mœnia tormentis conuellere incepit: stratisque iàm ruinis, fascibus & virgultis fossas oppleuerũt, põtesque 18. Hispani (Galli enim Belgici, & Germani illud recusabant) strauerunt: primoque impetu propugnaculum munitissimum ceperunt. Gandauenses quidem obsessis opem ferre voluerunt: sed ab Epirotis equitibus, quos Albanesos vocant, cæsi sunt, & fugati.

Comitis Laleinij mors.

Comes Laleinius equina calce grauitèr læsus, paulò antè obierat. moriturus is (vt fama est) filios, propinquos, præfectos rei militaris, amicos & necessarios, ad se vocans, peccatum suum confessus est: quòd Regi suo iniquior, Galli nimiùm initio posterioris belli (erat enim tunc non leuis Iohannis Austriaci hostis, vt idem in sua conqueritur Apologia) fuisset studiosus: hortaturque omnes, vt Catholicam Religionem agonizando propugnent, & optimum suum Regem venerentur. Sibi enim dolere, quòd secùs aliquandò fecisset.

Regij suo dãno Diesthemium tentant.

Intereà regij admotis scalis Diesthemium tentârũt: iamque forum occupauerant, cùm præsidiarij portas tam diligenter obseruarent, vt equitatus admitti non posset. Qui itaque in foro erant, fortitèr dimicantes, aut cæsi sunt, aut capti penè omnes.

Circa idem tempus Alenconius iuramentum fidelitatis Antuerpiæ à singulis patribusfamiliâs postulauit, in hunc modum: Iuro me Regem Hispaniæ in posterum ni-

nihili facturum: ei nullum obsequium prçstiturum, nec eum vtì Dominum, supremumq; Principem meum æstimaturum: me ab omni fide, qua illi quocunq; modo, tanquàm supremo Belgij Principi, obstrictus fui hactenùs, nunc liberũ atque expeditũ declarans. Illustrissimo verò Principi Francisco, D. G. Franciç hæredi, Regis vnico fratri, Duci Lotherij, Brabantiæ, Limburgi, Geldriæ, Andegaui &c. Comiti Flandriæ, Hollandiæ, Zelãdiæ, Zutphaniæ &c. Marchioni Sacri Imperij, vtì Domino atq; Principi meo legitimo, proq́ue tali habito, & legitimè electo, promitto, me illi pro viribus meis, contra Regis Hisp. eiq́ue adhærentium, Suç Cels. & Belgij hostium, impetum atque violentiã auxiliaturum: meq; prçstiturum omnia, quibus fideles subditi, Brabãtiæ Duci antiquitùs obstringebantur, & quæ ex iuramento illi solent prçstare. Atque hæc omnia secundùm præscriptum Læti ingressûs, literas & priuilegia nobis concessa. Iuro prætereà, polliceorq́ue, me huic Antuerpiensi vrbi fidelem fore, meq; ipsam, sub nostri huius clementissimi Principis obedientia, defensurum. 1582 *Formula iuramenti Alenconio præstiti.*

Cœpit ab eo tempore Alenconius ab indigenis atq; exteris, per literas & salutationes, Dux Brabantiæ appellari. Paulò pòst sexcenti Protestantes, libellum supplicem Magistratui Antuerpiano porrigunt, quo Luteranicæ sectæ templum, liberaq́ue exercitia precabantur.

Parmensis Princeps vehementer vrgebat vrbis Audenardenæ expugnationem, copias suas tribus millibus Sequanorũ & Germanorũ auxit, muros 32. tormentis æneis concussit, & multis locis disturbauit. Borchius vrbis præfectus Flander, nihil quod ad defensionẽ pertinebat, omisit: aquam fluminis interlabentis per nilos in agros emisit, & circunquaquè campos stagnare fecit. ità vt Gandauenses exiguis scaphis nonnunquàm ad obsessos delati, ipsis animos adderent. Variè, varijs locis & temporibus vrbem oppugnauit Parmensis. sed frustrà. Tandèm cuniculis ad portam actis, ijsq; apertis, porta potitus est, vnà cum propugnaculo vicino. *Audenarda oppugnatur.*

Et nè quis Belgarum, ob Alenconio præstitum iuramentum, animum abijceret, quasi gratiæ nullus apud Regem Hisp. relictus esset locus; Parmẽsis publicè iubet promulgari, Regem illud iusiurandum, vt coactum, nihili æstimare, ab eo Belgas absoluere, & pro fidelibus suis subditis agnoscere, si Regi & Gubernatori eius in posterum velint obedire. *Regis clementia.*

Alti-

1582 Altipennius interim cum sexcentis circitèr equitibus, ad portas vsque Antuerpianas procurrit, Alenconianos ad pugnam prouocans: sed tanta inter illos erat trepidatio, vt obseratis triduò portis, sese intra muros continerent, nec quisquam sese campo credere auderet. Quarè Altipēnius abacta insigni præda, Lyram progressus, cum Alphonso Hispano trāsfuga leuitèr certauit, eumque cepit. sed paulò pòst à suis liberatur.

In Polonia atque Liuonia religio Catholica, diuina adiuuante gratia, maxima sumebat incrementa. Laborabant in messe Dominica Patres Societatis Iesu, quos Rex & Cardinalis Radzivvilus (indignè id ferentibus Luteranis, qui in Liuonia præcipuè sunt frequentissimi) multùm amabant, atque defendebant, templumque diui Iacobi, vt diximus, illis habitandum dederant. Huius rei vt apud posteros extaret memoria, Cardinalis arcem Rigensem restaurans, parieti hos versus inscribi iussit:

Deuicto Mosco, qui vincere sueuerat omnes,
His vbi pax terris reddita rursùs erat,
Priscaq; religio Rigam reuocata vigere
Cœperat in templo diue Iacobe tuo,
Hæc renouata arx est &c.

Alēconius principem de Chimay corrumpit. Alenconius dolis potiùs, quàm viribus, cum regijs agendum ratus, Ducis Arschotani filium corrupit, eumque eò impulit, vt oppidū Chimay ei traderet. Sed cùm in literarum inscriptione error esset, literæ Franco scriptæ ad patrem, & patris ad Francos peruenēre; quo casu insidiæ detectæ sunt, Ducisque diligentia oppidulum in fide regia conseruatum. Eodem quoquè tempore Arschotum oppidum Gallus, quatuor peditū millibus & octingentis equitibus aggressus, cùm iam signa portis intulisset, ab Epirota quodam præsidij præfecto, turpitèr est repulsus. Cumq; Parmensis sua castra sic munijsset, vt illa adoriri non auderet, Rochepotium misit cum quatuor Gallorum millibus, vt Cortracum, vicinam vrbem, astu occuparet: sed detectis insidijs, magnoque damno accepto, retrocessit.

Audenardæ deditio. Audenardenses diuturnæ obsidionis pertæsi, cùm nulla ipsis subsidia mitterentur, tandèm ijsdem conditionibus, quibus anteà Tornacenses, in potestatem Regis, ipsis Nonis Iulij, concesserunt. Qua vrbe recuperata, Par-

ta, Parmensis statìm partem exercitûs in Gallos misit, eosque fudit, & ad portas vsque Gandauensium profligauit. 1582

Antonius Ludouici Portugalliæ Spurius, tota Lusitania iam exactus, vt insulas Azores, quæ Gubernatoris beneficio adhuc in eius fide permanebant, defendere posset, omnes vires intendebat. Cùm verò intellexisset in Francia, Regem Hispan. ad recuperandas insulas Azores classem maximam instruere, Reginam, Regis Galliæ matrem, istius fecit certiorem. Hæc (vt refert in sua Apologia Antonius) quo conatus Hispani impediret, confestìm & ipsa classem instructissimam iubet apparari, cui Philippum Strocum cognatum suum præfecit, eique legatum, fiduciariam operam obtinētem, dedit Comitem de Brisac. quibus sese Antonius adiunxit: sperans fore, vt cùm ipse adesset, S. Michaelis insulam faciliùs occuparet. Classis erat 50. nauium, in quibus sex militum millia, & septingenti Nobiles Galli, cum ducentis Lusitanis vehebantur. qui vltimo Iunij in insula Belisle naues conscendentes, & in altum prouecti, incolumes ad insulam S. Michaelis (quæ 30. ferè milliaribus à Tercera abest) appulsi sunt. Incolæ classem Antonij videntes, sese in fidem illius dediderunt. Erant in Insula 800. Hispani præsidiarij, qui, vt illud impedirent, plurimùm cum laborare frustrà sese cognouissent, in munitionem quandam conferunt, eamque, classem Hispanicam expectantes, acritèr defendunt.

Galliæ Regina in vsum Antonij classem instruit.

Insula S. Michaëlis se Antonio dedit.

Marchio verò S. Crucis Dux & præfectus classis Regiæ, sexta Idus Iulij, cum 25. nauibus maioribus, & quinque minoribus, è portu Vlyssiponensi soluens, in altum nauigauit. Erāt aliæ tres naues in portu, quæ, quia paratæ nondùm erant, classem subsequi iussæ sunt. In Bætica quoquè, ad hanc expeditionem perficiendam, 19. naues, Phaseles, quas Galeones vocant, duæ, triremes verò duodecim, & nauigia minora duo instruebantur. Harum omnium nauium spe Marchio mare ingressus est, & tribus diebus inidonea tempestate nauigauit: vsqueadeò, vt tertio iam die 55. milliaribus ab Vlysbona abesset, circa ingressum Promontorij sacri 50. nihilominùs ab eo milliaribus. Sedata iam nonnihil tempestate, qua procùl à recto cursu disiecti erant, nauis quædam Iberica, qua tres veteranæ militum cohortes, quæ nuper in Belgio militârant, vehebantur, cum medicamentis & ægro-

Pugna apud Azores habita.

1582 ægrorum præfectis, solutis laterum compagibus, rimis fatiscebat, ac iam aquam recipiens, Vlysbonam repetebat. Verùm tertio Idus, idoneum ventum nacti, facilè vno die amissum iter recuperârunt, & eodem perpetuo vsi, tandèm 12. Calend. Augusti D. Michaëlis insulam procùl aspiciebant, & postridiè Villamfrancam (qui locus eiusdem insulæ, 50. penè ædificijs constat) incolumes appulerunt. Pridiè quàm ad insulam appulissent, Marchio duo nauigia, quæ Pataxes vocantur, sex sclopetarijs vnicuique impositis, Duce Agira (qui quinque illarum nauicularum, quas Pataxes vocari diximus, præfectus erat) exploratum emiserat, seriò Ducem admonens, vt cautiùs iter institueret: quòd si aduersariorum nauis aliqua sese offerret, nè temerè accederet, aut eam ad se venire pateretur. Literas insupèr illi, Ambrosio de Aguiar reddendas, dabat, quibus significabatur, classem Regiam, quam ducebat admodùm munitam, quinque millibus & quingentis militibus instructam esse: cum illis cohortem D. Lopi de Figueroa, & mille octingentos veteranos, qui ex Belgio aduenerant, vnà computari: omissis interim ampliùs quàm 200. nobilibus perquàm strenuis, qui nuper Regi militatum venerant: Classem insupèr reliquam, quæ Gadibus fabricata atque armata erat, quinque peditum millibus instructam, singulis momentis expectari. Velle se ab eo certiorem fieri, si quid de classe Gallica compertum haberet. Marchione iam Villamfrancam petente, vna illarum nauium, quæ Vlysbonæ ad conuehendos equos relictæ erant, ad prætoriam nauem ex improuiso appulit, ex cuius nautis didicerunt, naues illas, quas Vlysbonæ detentas diximus, postridiè classem, cum tribus hippagogis, quas Hispani carauelas vocant, secutas fuisse, & pridiè illius diei Villamfrancam appulisse. His allatis, Marchio quosdam ad Insulanos cum mandatis misit, qui tormentis aliquot displosis, propiùs accedere prohibiti sunt.

Dum hæc geruntur, vna nauium illarum, quibus Dux Agira paulò antè speculatum iuerat, ad classem reuersa, nunciat Ducem ipsum cum altera in Gallicæ vnius nauis & actuariarum quarundam, quæ à littore prodierant, potestatem venisse. Ex quibus facilè collectu fuerat, Insulanos ab Hispaniarum Rege defecisse. Marchio itaque, vocato ad se D. Lope de Figueroa, summo exercitûs duce, consilium cum illo capere cœperat, de mi-

de milite in littus exponendo, Insulanis conueniendis, 1582
& aquatione facienda. Significauerat quoquè Michaëli de Oquendo & Roderico de Vergas, vtì diligenter prospicerent, quanam descensus facilior esset. Visa paulò pòst & cognita, iuxta promontorium, quod punctum Delgada nominant, Antoniana classe, Marchio confestim naues suas in ordinē cogit: Illæ cum terribili tympanorum strepitu, horridoque fistularum fragore, vexilla passim extendentes, infestis animis, hostilem classem petebāt. Quod ipsum non dissimili ardore, nec inconcinniori ordine, inimica classis factitabat. Verùm nimia ac incredibilis penè tranquillitas, pugnam eo die remorata est. Marchio itaque nihil de Insulanorum statu certi habens, rursùs in altum nauigabat: cùm secunda iam vigilia Dominus de Aduriaga præfectus nauis Catilinæ, celoce quadam, cum quinque Cantabris ad prætoriam vectus, literas quasdam à Ioanne de Castilla, Marchioni reddit, quibus hæc ferè continebantur: Classis Antoniana, quam præsentem intueris, 58. naues habet, quarum 28. iusta magnitudine, reliquæ longè impari constantes, sex Gallorum millibus armatæ sunt: quarè si nostra imbecillior videbitur, quàm quæ tantis viribus resistere queat, sub hac munitione, quæ etiamnùm Hispaniarum Regis est, tutò aliquandiù latere potest: tu interìm quid possis etiàm atque etiàm vide, & quantum periculi, si vincaris, immineat. Hęc propemodùm literis scribebantur. Prætereà ex Dominico & socijs de aduentu Antonij, & eius victoria, certior factus Marchio, Dominicum in insulā remisit, & Hispanos bono esse animo iussit. Die autem sequenti, quæ 10. Calend. Augusti erat, vtraque classis futuræ pugnæ iam secundò specimen edebat: cùm inimica, sole ventoque coadiuuantibus, in tres velutì phalanges diuisa, nostram vltrò impetitura videbatur. Verùm iam tertiò id conata, nunquàm tamen cominùs aggressa est. Cadente verò iam sole, & classe Hispanica rursùs altum petente, Galli decem nauibus, ex ordine littori admotis, nostros ea nocte à tergo adoriri cogitabant. Verùm deficiente vento, vlteriùs progredi nequiuerunt. Proxima autem die, quæ 9. Calend. erat, iam tertiò ambæ classes obeundi prælij cupidissimæ, vtrinquè ex aduerso dimicaturæ accedebant: cùm Antoniana iterùm secundo vento vsa, Hispanicam bìs vltrò lacessebat; insulæque littus longo nauium ordine carpens, vlteriùs progredi minimè sustinebat. Marchio itaque, Gallis sese

1582 continentibus, Hispanos littus propiùs accedere minimè tutum existimās, sublatis velis altum peti iusserat: futurum ratus, vt paulò pòst ab Antonianis dū vela ponerentur, nauesq; circumagerentur, vltrò peterentur. quod reuerà accidit. Prætoria enim aduersariorum nauis, Galeonibus septem adiunctis, ad Prætoriam regiam & S. Matthęi Galeonē, iamiā adoritura, accurrebat: verùm displosis vtrinquè summa vi tormentis, nihil vlteriùs efficiebatur. Labente iam die, & classe vtrinquè in pacatū recepta, Marchio maximi momenti futurū iudicans, si deflexis nonnihil nauibus, inimicorū vento potiri posset; suos adhortatur, vt surgente iam Luna, classem cōtorquerant: quo quidem ex sententia peracto, ventoq; ab inimicis dexterè surrepto, 8. Calend. hostilem classem spontè aggredi conabatur. Verùm quòd naues velis paulò impeditioribus essent, id aliquandiù frustrà adnitebatur, donèc Christophorus de Eraso, infesto animo hostem vlteriùs prosequendo, tormentoque maiori exploso, in præsens periculum adductus, opem prætoriæ requirebat.

Pugna naualis. Septima Calend. Augusti hostes, compositis ordinibus, aspirante vento Hispanā classem aggrediūtur. Marchio itaq; suos ilicò naues coniūgere iubet. Verùm quòd S. Matthæi Galeo nonnihil retrorsùm hæreret, verebatur nè antequàm pręstò adesse posset, inimici eum harpagonibus inuaderent. quod re vera accidit. Duę enim Gallorum naues, Prętoria vnà cum altera auxiliaria, eum inuasuræ ferebantur: quarum tamen vim, strenuè se defendendo, summis viribus repellebat, quanquàm aliæ insupèr duæ, eam celeritèr præteruolantes, tormentis admodùm lacesserent. Eodem quoquè tempore duæ Gallorum naues, recta in prætoriam contendentes, tanta tormentorum vi exceptæ sunt, vt cùm earū altera iamiam fundum petitura videretur, statim in tutum recesserint. pugna interim Gallicarum nauiū cum S. Matthæi Galeone, ducibus militibusq; strenuè sese defendentibus, nihilo magis se remittebat. Marchio itaque videns, plerasq; Gallorum naues Hispanis puppibus oppositas, periculumq; in quo S. Matthæi Galeo versabatur, ilicò nauē suam in hostes deflecti iubet. Hūc secutus Christophorus de Eraso, effecit vtì alias naues, quas anteà sequebatur, longo iam interuallo anteuerteret. paulò pòst summa vi cum Michaele de Veneza simul in prætoriam delati, magna virtute dimicârunt. Marchioni intereà impedimento erant, quo minùs eo tēpore hostiū prętoriam inuaderet. Iam itaque

cum

cum subsidiaria prętorię, quam Galli Almirantē vocant, 1582
tres Hispanicæ rem gerebāt: à quarū vna, quę Villauitiosam ferebat, Gallicæ nauis prora detinebatur, in qua ipse quoq; Villauitiosa cum alijs quibusdā strenuè admodùm pugnantibus paulò pòst occubuit. Ocquenda verò ex sua naui Gallicæ puppim manica detinebat. hinc milite in eam immisso, & quatuor Gallis appræhensis, eam pro arbitrio deprędabatur. Et iam omnes penè aduersariorum naues cum Hispanicis pręlio colluctabātur, cùm repentè aliæ duæ Gallorū naues in prætoriæ subsidiū aduolātes, nouoq; milite adiuuantes, plurimum D. Matthæi Galeonis defensoribus & Michaëli de Veneza negocij facessebant. Marchio intereà iterùm in Gallorū prętoriam impetu facto, collatis proris, magnam aduersarijs stragem intulerant: qua dum in deditione facienda mora nectitur, plùs quàm trecenti Galli occubuerūt. Hoc rerū statu nobiles & milites, qui propugnacula tuebantur, Augustinus quoquè de Herera, Gaureaq; cum suis vexilliferis, insigne profectò bellicæ virtutis specimē edidêre. Marchio nihilominùs, vtpotè qui omnium curam gereret, ea quæ opùs erant imperando, suorumq; animos accendendo, & in aduersarios stimulando, quacunquè per propugnacula discurrebat. Eorum quoquè diligentia, qui tormentis præfuerunt, effectum est, vt ex tabulatis magna hostibus clades inferretur. Marulinus verò cum Roderico de Vergas, quacunquè discurrendo, ingenti animo periclitantibus aderant. Illi quoquè, qui ex corbibus pugnabant, suo munere fungebantur. Reliqua etiàm nauigia illatis acceptisque cladibus inchoatum prælium prosequebantur. Christophorus autem de Eraso in tormentis explodendis admodùm frequens erat. Non minùs fortitèr ex ijs, quas tuebantur, nauibus pugnabant duces hi, D. Michaël de Corduba, Christophorus de Pais, Petrus de Santesteuen, Diegus Colona, D. Ioannes de Binero, Acacius de Ageta, Diegus Zuares de Zalazar, & Ioannes de Bolanis.

Pugna quinque horis atrocissima fuit, quibus lapsis, inimicorum classis fœdè admodùm disiecta atque prostrata iacuit: Antonius verò præcedenti ante pugnam die celoce quadam aliaque naue sub vesperam prælio se subduxerat. Ex reliqua hostium classe, aliæ naues fluctibus absorptæ fuerunt, aliæ omnibus omninò interfectis malè mulctatæ, aut desertæ fluctuabant: verùm quòd Hispani ad procursum tardio-

1582 res essent, nec militem, qui in hostium naues mitti posset, haberet; Marchio alias concremari, alias in alto deprimi iubet. quo fieri cœpto, Hippagoga ea, quæ cum equis in hostium potestatem venerat, ilicò detecta est.

Nomina cæsorum principum

Occubuerunt in classe Gallicana mille ducenti: inter alios Philippus Stroci classis præfectus, sclopeto quodam læsus, & ante Marchionem delatus, ilicò animam efflauit. Comes quem de Vinioso vocant, sclopeto quodam & gladio vulneratus, in prætoria altero post prælium die interijt. Comitem verò Brisac, qui Philippi Stroci vices gerebat, alij desperatis iam rebus conscensa scapha fuga elapsum, alij sclopeto interemptum esse volunt. D. de Beaumont, militum præfectus, in prælio occubuit. Octo verò totidem cohortum duces, quos Galli præfectos vocāt, qui classe ista cum sex millibus & octingentis militibus vnà voluntarijs numeratis vehebantur, partìm læsi sunt, partìm interempti. Capti sunt Domini ciuitatum aut castrorum titulo insignes 25. Nobiles verò 49. præter gregarios milites alios, qui viui in potestatem Hispanorum venerunt. Ex Hispanis 224. desiderati: læsi verò 553.

Marchiò de captiuis tanquàm piratis supplicium sumit.

Marchio itaque liquidò exploratam habens, classem illam, integra adhuc inter Hispaniarum & Christianissimum Galliarum Regem pace, à voluntarijs quibusdam rerum Antonij plùs æquo studiosis, ea potissimùm spe instructam esse, vt Hispaniarum Regem insularum & maris imperio exuerent, vtriusque Indiæ classes deprædarentur, mox piraticam pro libidine exercerent: omnes captiuos grauissimi huius delicti reos (nam & pacem publicam, iureiurando stabilitam, & diligentissimè ab vtroque Rege & populo obseruatam, insigni scelere perturbârunt) commerciorum & publicæ tranquillitatis hostes iudicauit. Deindè tanquàm de piratis, & rebellionis erga Regem excitatæ conscijs, vt iusto supplicio alijs exemplo essent, omnes capite condemnauit: & nobiles quidem securi percutiendos, alios verò strangulandos tradidit. Sententia autem ipsis Augusti Calend. eodem nempe quo lata est die, sinè mora executioni mandata est.

Antonius Insulam Mederam tentat.

His peractis, Marchio classes Indicas expectans, cum ijs in Hispaniam reuersus est. Antonius cùm Marchionem discessisse intellexisset, reliquias classis & militum suorum collegit, easque ad insulam Mederam occupandam velificare iussit. Sed quia mensis Octobris præ foribus

bus erat, quo mẽſe Oceanus in illis regionibus plùs quàm 1582
cæteris anni temporibus ſolet moueri, tanta ſubitò exorta eſt tempeſtas, vt claſſis è medio itinere Terceram redire cogeretur. Antonius poſtquàm viginti adhuc dies in inſula manſiſſet, cum Cypriano de Figuereido, hactenùs Inſulæ Gubernatore, ſuffecto in eius locum Emanuele de Silua, in Franciam iterùm nauigauit, vbì ſummo cum honore à Rege atq; Regina exceptus eſt, à quibus & ſpem accepit nouæ claſſis, auxiliorumque ad regnum recuperandum.

Antonius in Franciã redit.

Eodem ferè tempore, initium habuit tumultus ille funeſtiſſimus Colonienſis, auſpicijs Gebhardi Truchſeſij Archiepiſcopi & Electoris Colonienſis, & Comitis Nuenarij Adolphi concitatus: ex quo cruentum illud bellum eſt conſecutum. quod cùm nos fideliter, cum ſuis cauſis & circunſtantijs, peculiari opere, in aliquot libros diſtincto, proſecuti ſimus, ſummaria tantùm hîc capita recẽſebimus, cætera lector ex illo petat. Qui Proteſtantium opiniones ſequebantur Coloniæ, priùs libellum ſupplicem Ampliſſimo Senatui obtulerunt, locum & libertatem ſuæ Religionis exercendæ flagitantes. Sed Senatus, precibus eorum reiectis, eos, quorum nominibus libellus ille erat ſubſcriptus, in liberam cuſtodiam ire præcepit. Mox doctiſſimus vir Melchior Bruyn, SS. Apoſtolorum iam Decanus, libellum inſigni ſcripto refutauit. Sed & Senatus, vt, quanti faceret Catholicam Religionem, ipſo facto demõſtraret, menſe Auguſto, publico edicto cauit, vt aduenæ, qui poſt annum 1566. ad hanc vrbem commigrâſſent, & ad præſcriptum Catholicæ Religionis non viuerent, aut viuere vellent, infra quatuor ſeptimanas, vrbe relicta, aliò ſeſe reciperent: Senatũ enim illos diutiùs ferre nolle. Quotquot autem ex illis contra Senatuſconſultum concionibus in Mechteren habitis, aut conuenticulis clandeſtinis alijs interfuiſſent, vel antehàc vrbem relinquere iuſſi eſſent, in hos Senatum inſupèr pœna temeritati debita animaduertere decreuiſſe. Eſt autem Mechteren villa, in agro ſuburbano ſita, in qua tribus continuis diebus Dominicis, præſidio Comitis Nuenarij Adolphi, hæreticæ conciones à Miniſtro quodam Sileſio habitæ erant: fruſtrà Senatu reclamante, & tandèm etiàm maioribus tormentis concionem diſſipante. Ad quę cùm Gebhardus Elector conniueret, Capitulum tandèm ſuam authoritatem interpoſuit, & publico conuentu in TsherenMullem conuo-

Initium tumultûs Colonienſis.

1582 cato, cōciones istæ in posterū omissæ sunt, & interdictæ.

Comitia Augustana. Imperator Principes Imperij Augustam Vindelicorum ad comitia vocârat, vt de rebus grauioribus, atque Imperij incolumitate, communi consensu agerent. Gebhardus, cùm ipse ad comitia venire nollet, Illustrem D. Christophorū Comitē à Tengern, & Eberardū Comitē à Solms, cum alijs nōnullis Augustam mittit, promittens breuì sese subsecuturū. Capitulū quoq; eò Illustrissimum Fredericū Saxoniæ & Lovvenburgi Ducem, suo nomine misit. quod grauitèr tulit Gebhardus, cùm Ducem sibi parùm amicū haberet. *Gebhardus ad comitia non venit.* Dum itaque Legati Augustę hęrent, & Electorem quotidiè expectant, cùm diuersis literis aduentum suū polliceretur, tādèm eius nomine Adolphus Comes Solmensis, & Doctor Schvvartzius venerunt. qui in mandatis habebant, vt libertatem Religionis, per Diœcesin Coloniensem pro subditis, & matrimonium pro Archiepiscopo, saluo honore & administratione Diœceseos, impetrarent. Sed licèt Protestantes alij, atque inprimìs Episcopus Magdeburgensis, Germaniæ Primas, similia vehementer vrgerent, nihil tamen impetrârunt.

Alenconius in Flandriam proficiscitur. Alenconius Principi Espenoy & Fromontio custodiam vrbis Antuerpiensis cōmittens, Vlissingā primùm, indè Brugas proficiscitur: exercitumque cogit, tanquàm magni aliquid acturus. tantùm vt Flandris animum adderet, nè amissione duarum munitissimarum, tam exiguo tempore, ciuitatum, animum abijcerent, & de viribus Alenconij desperarent. Antequàm tamen personatus hic Brabantiæ Dux cum suo paranympho Auraico Antuerpia discederet, per fecialem à Buscoducensibus postulauit, vt vrbem sibi, tanquàm Brabantiæ Duci, traderent. Sed Buscoducenses hunc Ducem non agnouerunt.

Hispanorū in Belgium reditus. Hispani intereà & Itali auxiliares, Vitroum Luxenburgi vicum, & indè Charlemontiū venerunt, magnaque lætitia ab Ordinibus Catholicis excepti sunt. existimabant enim (id quod factum est) belli cursum nunc celeriorem, aleamque fore feliciorem. Intereà Parmensis prope Duinkerkam Gallos aggressus, eos cędit partim, partim in fugam vertit. nè autem tormenta in manus hostium venirent, Galli ea in profundissimos lacus aut fossas deturbârunt.

Scoti & Angli ad Noritz Angli & Stuarti Scoti duæ legiones, eò quòd stipendia ipsis debita non soluerentur, ab Ordinibus

ad regios defecerunt, & Parmensi strenuam operam (erãt enim veterani omnes) nauârunt. Tumultuabantur & præsidiarij Bruxellenses, occupataq; per vim Regia, atque Domo ciuica, pecuniam postulabant. cumq; aliquantulum ipsis offerretur, tumultus iste sopitus est. Sed & Scotus quidam Lichfeldius cognomento Simplex, præfectus præsidij Lyrensis, cùm æs militare sibi debitum diù frustrà petijsset, decepto Hietfeldeo vrbis Gubernatore, nouo stratagemate Lyram in potestatem Regis Hisp. tradidit. Simulãs enim se ad opimã prędã cum suis proficisci, profunda nocte maximã boum, equorũ, & hominũ prædam adducens, portã sibi iussit aperiri. apertũ est paruum ostiolũ. ille hostem insequi fingebat, & nisì maiorẽ portam reserarẽt, fore vt hostis omnẽ prędam recipiat. Aperta itaque maiori porta, cæsis excubitoribus, eam occupat, & regios equites, qui in insidijs proximi erant, intromittit. qui forum primùm, deindè totum oppidum postridiè Calend. Augusti in suam redegêre potestatem. Est autem Lyra oppidum munitissimum, & opportuno loco situm, ad commeatum omnem Antuerpiensibus, Mechliniensibus & Bruxellensibus, hàc aduehi solitum, prohibendum.

1582

Parmensem desiciunt.

Lyram occupãt regij.

Paulò antè Alenconio adhuc Gandaui commorante, Comes Egmondanus Lamorallius, captiui frater, & Salsedus Italus quidam, in suspicionem venêre, quòd Alenconium toxico infectum, auferre è medio decreuissent. quarè vterque captus est: Salsedus verò tyrannidem Gallorum metuens, seipsum turpitèr in vinculis interemit.

Comes Egmondanus capitur.

Verdugius Frisiæ prefectus obsidionem Lochemensem in Comitatu Zutphaniæ adhuc continuabat. Cumque Ordines eò 1800. equites peditesque misissent, vt obsessis commeatum aduceherent, Verdugius, intercepto commeatu, hostiles copias omnes occidit, & profligauit. Sed & eodem penè tempore felicitèr prope Steenvvichium à regijs pugnatum est.

Lochemẽsium obsidio.

Arnemiæ, Geldriæ oppido, Ordines Ducatûs illius conuenerant, vt de eiurando Rege Philippo, & Alenconio in Ducem recipiendo, deliberarent. Sed post multas altercationes, re tandèm infecta, discesserunt.

Alenconius inter Duinkerckam & Vinoci mõtem, inter duo flumina stationem tutissimã habebat. Parmensis eò exercitum transportat, & hostem sæpiùs elicienti, nunquàm iusto prælio cũ eo data fuit pugnandi potestas.

1582 frequentioribus tamen velitationibus vtrinquè non leuia damna dederunt, & acceperunt. Parmensis pontibus flumen sternere conabatur, & impetum facere in Alenconij castra. Cæterùm cùm Alenconius audiſſet prius Hispanorum agmen, quod 41. signis constabat, in regia castra veniſſe, Manriquesij quoquè Germanicam legionem & Boëmicos cunicularios hostium exercitui sese iunxiſſe, 18. Augusti castra Gandauum mouit. Nè autem hostem fugere videretur, fingit se Gandauum vocari, vt Comes Flandriæ inauguretur, ad hoc præsentiam suam requiri, cùm absenti iurare nollent. Hostis tergum insecuti regij, in ipsis Gandauensium suburbijs, leui prælio cum Francis confligunt. In quo Gonzaga vulneratus, equus cui Mondragonius insidebat, occisus est, & è Francis plurimi ceciderunt. nisi verò maiorum tormentorum globis oppidani in Regis exercitum frequentiſſimis depluiſſent, deleti fuiſſent ad internecionem Franci omnes. Alenconius hac rei nouitate perterritus, & ne Gandaui se extra periculum eſſe metuens, clàm Antuerpiam redijt, & Mechliniam, Bruxellas, Viluordiamque maioribus præsidijs muniuit.

Hispani et Germani in castra Parmens. veniunt.

Gonzaga vulneratur.

Interea legati Protestantium Coloniensium in comitijs Augustanis, à suæ Religionis proceribus literas ad Senatum, alias etiàm ad Gebhardum Archiepiscopum impetrant, quibus nouitiæ Religionis imperturbatum exercitium postulabant. Senatus verò, postquàm comitijs peractis proceres discessiſſe intellexit, responsum in aliud tempus commodius distulit. Interìm summa cum diligentia attendit, nè qua mutatio Religionis in Repub. sua exoriretur.

Protestantes ex comitijs ad Colonienses scribũt.

Indignè ferebant Geldri & Transiselani Lochemium sic negligi, & Alenconij vires non sufficere ad imbecillem istam obsidionem soluendum. immò inter vrbes erant, quæ, si Lochemium ab hoste interciperetur, deditionem vltrò meditabantur. Non latuit hoc Auraicum, qui miſſis sæpiùs auxilijs hoc vnicè laborabat, vt Regij castris exuerentur, & oppidum istud obsidione liberaretur. Sed regij in omnibus prælijs superiores, commeatum intercipiebant, & tandèm filios Comitis Montensis, multosque alios belli tribunos, in fugam versos, ad oppidum ipsum insecuti mœnibus se tueri compulerunt. Auraicus horum saluti metuens, Alenconium hortatur, vt vires suas vndiquè collectas, in regios Lochemium obsidentes duceret, oppidumque diuturna obsidione liberaret.

Lochemium ab obsidione liberatur.

taret. Decem itaque millia peditum, & duo equitum eò 1582
confestìm misit. Parmensis quoquè suis metuens, Carolum Mansfeldium, & Altipennium regulum, cum lectissimis copijs in obsidentium castra misit. Hi magnis itineribus per Cliuiam Lochemium contendunt, traiectoque felicitèr Rheno, socijs se iungunt: vbì cum magna lętitia exciperentur, accidit Dominum Anholtium regulum, Philippo fidelissimum, dum excubias lustrat, globo è mœnibus ictum, cum maximo suorum mœrore occubuisse. hic vnus erat, qui hanc obsidionem maximè promouebat. Accelerabant intereà Galli, vt obsessos liberarent. cumque in conspectu essent, regij pugnam deuitantes, siue quòd impares hostiū viribus essent, siue quòd malè inter se conuenirent, turpitèr fugêre, & Alenconianis cum commeatu aditum ad oppidum patefecerunt. Mansfeldius & Altipēnius cum parte exercitûs in Kempiniam reuersi sunt. Verdugius Grollam, atque indè in Frisiam exercitum reducit. Multi hanc Regiorū fugam ab insigni quorundam proditione non esse excusandam existimabant.

Alenconiani hac victoria elati, per Flandriam, aliaque loca, Inuictissimi Cæsaris Caroli V. & Philippi filij insignia deijciunt, & eradunt, Francica substituentes. Sed & Alenconius Antuerpiæ Edictum promulgat, quo Belgis omnibus vtriusque sexûs, qui patria relicta ad alia loca migrârant, vel Regis partes sequebantur, vt intra sex à promulgatione hebdomadas reuertantur, ipsique Alenconio fidelitatis iuramentum præstent, seriò præcipitur. *Galli per Flandriā Regis Hisp. insignia deijciunt.*

Parmensis verò Likirkam & Gaesbeeckam nuper ab Alenconianis interceptam expugnat. Exclusam quoquè locum munitiorem inter Duacum & Cameracum deditione recepit. Quo tempore Illustrissimus Ernestus Eburonum Episcopus Coloniam venit, quædā, vt fama erat, in mandatis habens à Cæsare, ad quem celeribus equis paulò pòst reuersus est. *Exclusam occupant regij.*

Gebhardus Archiepiscopus Coloniensis sibi metuens, clàm per Vvestphaliam militem conscribit: Consiliarijs ac Satrapis admirantibus quem in finem isti fierent belli apparatus, respondit: Belgas Diœcesin lacessere, Vdam & Issam breui occupâsse, necessè esse vt suos defendat. Quarto deincèps Nouemb. Casparum ab Heijen Nobilem aulicum, cum expeditis aliquot militum cohortibus Bonnam præmisit, qui ope Doctoris Eikij militem introduxit, atque astu quodam oppidum, aduenieti *Truchsesij Bonnam occupant.*

1582 paulò pòst Truchsesio, firmo satis præsidio munitum tradidit. Ciues illud ægrè ferentes, exigenti Archiepiscopo claues, aliquandiù constantissimè negârunt. quin & de eijciendo præsidio diù multumque deliberârunt, opem ad hoc à Capitulo Metropolitano Coloniēsi implorantes. Sed fictis tandèm literis, & Capituli nomine falsò subsignatis, claues ciuibus extorsit, & Archiepiscopum exuens, auitæ suæ, in qua natus & educatus erat, religionis persecutor factus est.

Ninouium occupatur à Parmēsi.

Hasletū à Confœderatis capitur.

Parmensis mense Nouembri Ninouiū Flandriæ oppidum, in quo nouē Francorū signa erant, primo assultu deditione recuperauit. Hasletū Trāsiselaniæ oppidū, inter Suollam & Steenvvichium ad Aā fluuium situm, nondùm seditiosis Caluinistarum factionibus, neq; perditæ Vltraiectensium Vnioni subscripserat. Ciues tranquilli, nec Regis, nec Ordinum partes sequi voluerunt: sed nec præsidium vllum admittere. Oppidum paruum est, sed munitissimum, & benè constituta Resp. Insidiabantur huic oppido plurimùm Ordines, & præcipuè Suollenses. Circa hoc itaq; tempus collectis aliquot militibus, euocataque præsidij Steenvvicensis parte, positis in suburbio intempesta nocte insidijs, manè dum porta aperitur, Ordinum milites repulsis excubijs portam intercipiunt, & præsidiarios introducunt. Sæuitum est in ciues vtriusque sexûs; sæuitum in templa atque Sanctorum imagines: nondùm enim huc Iconomachorum insolentia peruenerat, sed ecclesiastica omnia, Magistratûs vigilantia, intacta seruabantur. Dimissum deindè præsidium Steenvvicense, aliquot imagines, Diuorumque simulachra Steenvvichium aduexit, eisque murorum loricis impositis, exprobrabāt Sanctis ipsis, quòd oppidum suum malè custodiuissent: ridendoque, illudendo, atque insultando præcipiebant statuis, vt curam nunc diligentiorem adhibeant, diurnas nocturnasque excubias studiosè agant &c. Audiuit Deus illorum blasphemiam, eamque paulò pòst grauissimè castigauit. Verdugius enim, à rustico quodam edoctus, per vadum ad mœnia Steenvvichiana tranauit, admotisque scalis & excubitoribus interfectis, oppido potitus, præsidiarios trecentos occidit: ciuesque pecunia mulctauit. Alenconius verò nouas copias expectabat ex Francia, qui ductore Bironio, circa hoc tempus Duinkerkam nauigijs peruenerunt. Parmensis autem exercitum in Hisquano pago, altero ab vrbe Bruxellēsi milliari, in hybernis habebat. Quia verò ad Alen-

Sacrilegū atque blasphemum Geusiorū facinus.

conij

1582

conij petitionem, Rex Galliarum Parmensi commeatum negabat, & nè quid subditi aducherent interdicebat: Parmensis miles magna penuria confectus, aut fame peribat, aut dilabebatur. Huc etiàm aliud mali accedebat: ex continuis enim pluuijs solum tam madidum, lutumque tam profundum factum est, vt locus cubādi commodus non esset, multiq; milites ex dysenteria & alijs morbis interirent. Et certè nisì præceps Alenconij in Antuerpia occupanda cōsilium his malis remedium attulisset, regius exercitus fame atq; aëris iniuria extinctus dissipatusque fuisset.

Fames & dysenteria in castris regijs.

Gregorius XIII. Pontifex Maximus, anni Tropici quātitatem (id quod alij multi antè eum frustrà tentauerant) correxit, abiectisque statìm decem diebus, annū Solis cursui penè adæquauit. Nè autem diuturnitate temporis iterùm in solitum errorē incideremus, præcepit idem Pontifex, tribus proximis cētesimis annis, qui omnes intercalares esse solent, diem non intercalare, & quarto demùm centesimo, qui bis millesimus erit, diem interponere. Hunc modum & rationem anni Itali, Hispani, Galli, Poloni, aliæque nationes Catholicæ mox gratanter receperunt. Alenconius quoquè, vt idem facerent Flandri, Brabanti, Hollandi &c. præcepit. Vltraiectenses tamen, Geldrij, Germanique Protestantes, id facere noluerunt: non tam quòd ratio iusta non esset, quàm quòd à Pontifice Romano proficisceretur.

Calēdarij correctio.

Eodem die, quo Calendarij correctio incepit, comitia quoquè Varsouiæ in Polonia suum initium habuerunt. Rex paulò antè literis proceribus regni capita proponenda explicarât. Erant autem hæc: Petere, vt se viuo de alio Rege post se eligendo cogitent, nè nouis post mortem suā difficultatibus regnum implicetur. Secundò, vt rationem ineant, quomodò desolatæ Liuoniæ succurri eaque rectè administrari possit. Tertiò, quo pacto Tartari, qui absente Rege regni terminos non sinè subditorum magno damno inuaserant, sint reprimendi. Quartò, vt viam modumq; inueniant, non tantùm militibus, Germanis præsertìm & Pannonibus, stipendia soluendi, sed & Principibus nonnullis Germaniæ pecuniā mutuò datam restituendi. Vltimò, bienniū iam effluxisse, ideoque tempus adesse, quo iuxta Regni statuta cōuentus semper haberi solet. Rogabat itaque Rex, vt sinè excusatione singuli proceres ipsi adessent.

Aderat iam comitiorū dies, & Nuncij Terrestres (sic

1582 enim vocant legatos, quos ex ſingulis Palatinatibus & Caſtellaneatibus proceres Regni mittunt, quorum ſententia in comitijs ſummam habet authoritatem) aduenerant. Propoſitis capitibus, de quibus conſultandum eſſet, cùm Rex ad ſingula benignum reſponſum expectaret: ſtatim primo articulo de nouo Rege eligendo reclamatum, tanquàm priuilegijs regni contrario. Deindè relicta hypotheſi ad theſin ventum eſt, & ſimplicitèr ſuſtinuerunt, Regem priuilegia violare. Accedebat alterũ exemplum, Regẽ ſuſtinere ſibi fas eſſe, in Nobilem regni extra comitia ſeu tribunal capitali ſupplicio animaduertere. vnde arguebãt, Regẽ priuilegia regni polluere. Pro qua ſententia nimis acerbè orabant Zarnakouius & Niemiokouius. qui etſi Regem ipſum, eiuſdemq; adminiſtratio- vſque huc laudarent; nunc tamen hoſtes eum habere, qui & ipſi, & regno malè velint, quorum conſilio nihilominùs ipſe acquieſceret. Rex ſe per Cancellarium purgat. nihil tamen effecit. cumque res ad contentionem veniſſet, exclamat Niemiokouius: Rex Stephane, ſi obſerues noſtra priuilegia ſicut iurâſti, eris Rex nobis charus: ſin minùs, eris Stephanus Battor, & ego Iacobus Niemiokouius. atque ità Lituani re infecta abiêrunt. Liuonum quæſtio cùm proponeretur, ſtatìm quoquè lis exorta eſt inter Polonos & Lituanos, dum illi Liuoniam ad Poloniæ, hi verò ad Lituaniæ municipium pertinere contendunt. qua lite ſopita, Liuones pro bonorũ & priuilegiorũ reſtitutione, laudabiliq; politia inſtabant. Sed quia multi proceres abijſſent conſtitutis ijs quæ maximè neceſſaria videbantur, cętera in proxima comitia reijciebantur.

Truchſeſij perfidia et præfractus animus.

Gebhardus interim Truchſeſius, in impio ſuo propoſito progrediens, nihil non ad muniendam Bonnam & Catholicam religionem exterminandam auſus, in vicinos pagos & monaſteria præſidia diſpoſuit: theſaurum Diœceſeos, qui Bruelæ cuſtodiebatur, diripuit, nouos milites conſcripſit, omniaq; Capituli ſana conſilia contempſit. Senatus Colonienſis, nè quid Reſp. detrimẽti à Gebhardo acciperet, ſuam quoquè vrbem muniuit. Id ægerrimè ferens Gebhardus, ad Tribus Colonienſes literas ſcribit: de Senatu grauitèr conqueritur, factioſa eſſe illius ſtudia, & priuatorum hominum cauſas, non publicas eum fouere: ſuam verò in ciues beneuolentiam exaggerans, ſubditos in Magiſtratum armare nitebatur. at illi fideliores, literas ad Senatum deferunt, qui eas prudenti ſcripto refutauit. Paulò pòſt, cùm frequentiſſimæ de Archiepi-

chiepiscopo Coloniensi Romam querelæ perferrentur, Pontifex tandèm, ægrè tamen, vt crederet eas veras esse adductus, noluit Anathematis fulmine illum ferire, priusquàm paternè, vt resipisceret, admonuisset. Per amicam itaque & benignam exhortationem, nè tātam maculam in Truchsesiorum familiam inferret, sed ad saniorem mentem rediret, Roma ad illum misit. Idem per Legatum suum D. Andream Gailium, Iurisconsultum nobilissimum, fecit Imperator. Vtriusque verò Monarchæ blandam admonitionem ille, in reprobum iam sensum traditus, facilè contempsit. 1582

Pontifex et Imperator Truchsesiū à cœpto dehortantur.

Sub finem Decembris Boniuetus Francus Endouiam, Kempiniæ oppidulum, per insidias, aut (vt alij dicūt per proditionem) cæso Italorum pręsidio, Alenconij imperio adiecit. Antuerpiæ verò conuentus Ordinum per idem tempus erat, in quo quatuor florenorum milliones (vt vocant) annuè ad belli vsum Alenconio numerādos, certamque illorum portionem à singulis prouincijs singulis mensibus repręsentandam esse decreuerunt.

Endouiā capi Gallus.

Galli nuper Duinkerkam appulsi, Brugas indè in ditionem Vvaseam venêre, quorum ductores Bironius, Lauallius, Andelotius, & Admiralij Colignij filius. Asserebant se à Franciæ Rege missos, vt Alenconio Belgiū contra Hispaniæ Regem tueantur. Proindè cùm Rex tantas expensas fecerit, in hoc exercitu colligendo, & maiores multò facturus sit, in bello grauissimo hoc prosequendo, iustum esse, vt Belgæ sese coronę regnoque Francico condonent. Quod tamen in pacto, cum Alenconio inito, erat apertè exceptum. Idem Alenconius, bìs ad regale conuiuium Legatis Ordinum vocatis, proposuit: petijtque vt, licèt ipse sinè prole moreretur, regno tamen Frācico Belgium semper maneret annexum. Sed cùm videret nonnullas prouincias, vrbesque minùs in hoc propēsas, quod persuasionibus non posset, vi tentandum, aut astu, existimauit. Eum in finem ex oppidis antiqua Belgarum præsidia paulatìm euocauit, Gallosque suos iterùm introduxit. Id nuper Duinkerkæ, id Teneremundæ, alijsque in locis fecerat, sperans se hoc modo per prouincias imperium consecuturum.

Galli Belgium coronæ Gallicæ connecti cupiūt.

Venit & hoc tempore Antuerpiam Turcarum legatio magnifica, quæ de erigendo ibidèm mercium suarum emporio tractauit. Octodecim mercatores Turcicos ibì perpetuò fore, merces per mare Ligusticum Massiliam, indè terra Burdegalam, & Burdegala per Oceanum Antuerpi-

Legatio Turcica Antuerpiam venit.

1583 uerpiam aduehendas, pollicebatur. Ex diuersis locis etiàm scriptum est, Galliæ Regem Imperatoris Turcici animum solicitare, & petere, vt vere nouo instructissimam in Regem Hispaniæ classem immittat: se deinceps Turcis iter in Belgium aperturum. Legatos Turcicos non esse mercatores, aut mercatorum causam promotum venisse, sed exploratores esse, & sub mercimoniorum pacto, insidias clàm strui, palàm querebantur.

Legatio Protestantium Principum ad Colonienses.

Intereà Ioannes Palatinus Dux Bipontinus, Bonnam primùm, deindè quinquaginta equitibus, legatisque Ludouici, Casimiri, & Richardi Palatinorum comitatus, Coloniam venit, legationem suo, aliorumque Protestantium nomine, qui nuper ex comitijs Augustanis apud Senatum pro libertate Religionis intercesserant, obiturus. Qui cùm à certis è Magistratu nominatis audiretur, principiò conquestus est, Principes nihil responsi ad literas suas à Senatu accepisse: Sed & posteà ad illos perlatum esse, in suæ religionis socios à Senatu varias pœnas & mulctas institui: eorum religionem hìc explodi, & exosam contemptim haberi: illius exercitium interdici: qui illam profitentur, è Senatu eijci; aut viam, nè ad illum assumi possint, ipsis præcludi. Hæc Principes ægrè ferre: non hæc tempora tantam seueritatem ferre: non diffidentiam in vrbibus, sed maiora amicitiæ vincula requiri. Orare igitur se Magistratum, ad Principum postulata respondeat: rigida illa statuta Protestantibus supplicia tollat: captiuos dimittat: eos in Senatum quoquè recipiat: ijs protestationes, petitiones, & appellationes liberas permittat: duo aut plura templa, ad suam in ijs Religionem exercendum, condonet. Hæc si facere Senatus recusauerit, Principum gratiam amissurum: sin omnia lubens concesserit, beneuolentiam & amicitiam eorum Colonienses arctissimam habituros.

Respōsum Senatûs Colon. ad Protestantium postulata.

ANNO 1583. postridiè Calend. Ian. Senatus Coloniensis ad postulata Bipontini respondit: atque initiò sese purgat, quòd literis è comitijs Augustanis nuper missis non absolutè responderat. Causam, ait, fuisse quòd priusquàm id commodè fieri potuisset, iam plerique Principes abijssent. Sed necdùm se certi quid ad postulata illorum Principum statuere posse. cùm enim communis Catholicorum causa sit, velle se priùs eam

cum Cæſare & Catholicis Principibus, Ordinibusq́; Imperij communicare. id Proteſtantes ſemper feciſſe, & adhuc facere, ex præſenti legatione compertum eſſe. Sperare ſe interim Principes, quorum authoritate legati venerunt, nō fore in aliena Rep. curioſos, nec alienam Remp. ad ſuam Religionem inuitam compulſuros, nec deniquè eius ſubditos, Magiſtratu repugnante, in ſuā tutelā ſuſcepturos: cùm duo hęc poſteriora in Imperij cōſtitutionib. diſertè prohibeātur. Poſtridiè Bipontinus per Oratorem ſuum coram Senatûs legatis (neque enim in pleno Senatûs conſeſſu, in hac Rep. Principes audiuntur) ad præcedentia infert: Se poſtulata ſua, non tantùm huius anni Magiſtratui, ſed & præcedentis, & 44. inſupèr viris, ad grauiora negocia conuocari ſolitis, diſcutienda propoſuiſſe. Sed tam exiguo tempore, intercurrente etiàm feſto, maturè illa diſcuti, ſuo iudicio, non potuiſſe. Petere itaque, vt quod factum non eſſet, ſecundò fieret: abſolutam & ſufficientem reſponſionem ab ijs expectari poſſe, nec opùs eſſe, ad Cæſarem & Catholicos Principes recurrere. Sed nec tam ſimplex Senatûs reſponſum, quale Senatus dederat, Principibus ſuis ſatisfacere poſſe. Deindè grauitèr ſibi accidiſſe, ait, quòd Senatus in ſua reſponſione tantoperè vrgeret Imperij conſtitutionē, de alterius Ordinis ſubditis in ſuam tutelam nō recipiendis. Dolere ſibi, quòd Senatus in ſuſpicionē veniſſet, miſeros ſubditos, ſub interceſſione, Principū exacerbationem contra Magiſtratum ſuum machinari. Potiùs cogitare debuiſſe, ſeſe non hæreditariū eſſe Magiſtratū, ſed à ſubditis electum, omnemq́; ſuū honorem & authoritatē à ſubditis pendere: Nulliq́; in Imperio licitū quenquam Auguſtanę Religionis cauſa perſequi. Petere itaque ſe, vt Senatus rigida illa & ſeuera placita, Auguſtanę Cōfeſſionis ſocijs ſtatuta, tollat: liberum exercitiū admittat: liberamq́; concionatorum Catholicorum linguā compeſcat, nè populum in Proteſtantiū necem atque carnificinā incitare pergāt. Hæc Bipontinus. Sed Senatus, ſingulis iterùm exactiſſimè ponderatis, reſpondit: ſeſe priorì ſuæ reſponſioni inſiſtere, nec quidquam aliud modò inueniſſe, quod illi cupiat adiectum. Videns Bipontinus ſeſe tam magnifica legatione nihil efficere poſſe, Colonia Bonnam, atque indè ad ſuos reuerſus eſt.

1583

Replicatio Bipontini.

Alenconius, iuxta inſtitutionem Auraici, ſeſe ex pędagogia Ordinum Belgicorū expedire, & prouinciarum Dominū ſe conſtituere nimìs immaturè volens, quatuor Helue-

Alenconius Antuerpiam ſuo

1582 Heluetiorum, & septem Frãcorum millia, equites etiàm mille quingentos, præter Scotos & Anglos, præclara auxilij specie, ad Antuerpiensium suburbia euocauit. Habebat autẽ sexcentos circitèr domesticos, tam scelere, quàm genere nobiles, ad omnia flagitia paratos. Fingens itaq; sese in Parmensem expeditionem suscipere velle, exercitum hũc recensere, & lustrare se debere, simulauit. Septimo itaque Ianuarij, inter horam duodecimã & primam, cùm omnes pranderent, vrbe (vt putabatur) egressurus, ad portam D. Iacobi trecentos equites Francos sub vestibus armatos præmittit. Hi in porta atque ponte duobus ordinibus instructi consistunt, & Principem suum præstolantur. Adueniens Alenconius, cùm pontẽ per vtrinquè dispositos equites transîsset, pileo suo tam his equitibus, quàm exercitui, qui in proximis agris erat, signum dedit, de vrbe inuadenda. Equites portæ præsidium actutùm occidunt, portam cum duobus propugnaculis inuadunt, tormenta in vrbem conuertunt, vno disploso exercitui reliquo, vt acceleret, captam enim esse vrbem, significant, & ad duas proximas portas, Rubram scilicet, & Georgianam, excurrunt, spe etiàm illas occupandi. Cæterùm cùm consilio Senatûs, propter suspicionem, præsidium esset geminatum, Galli ab oppidanis reiecti, ad foditulcios recurrunt. & tribus locis vrbem aggressi, ad meditullium sese diffundunt. Classico è turribus dato, ciues ad arma concurrunt, plateas obiectis ferreis catenis claudunt; in irrumpentes milites, qui ad vrbem festinabant, maioribus tormentis pilas frequentissimas intorquent, & minorum sclopetorum grandinem è fenestris, in eos qui in vrbe erant, diffundunt, magnamque stragem Gallorum, tam in vrbe, quàm foris edũt: donèc tandèm mille ducentis peditibus, & ducẽtis quinquaginta equitibus amissis, multis etiàm è ciuibus desideratis, Alenconiani fugientes sese in tutum receperunt. Ità lętus ille anni prioris ingressus, in tristissimum, turpissimumque exitum est commutatus: didiceruntque suo malo stolidi illi homines, quid sit, clemente & legitimo Principe repudiato, Tyrannum & hostem patriæ acceptare.

imperio vi subijcere conatur.

Galli Antuerpiæ cæduntur.

Senatus Coloniensis vt aliquid ad intercessionem Bipontini facere videretur, captiuos, qui libellum supplicem anno superiori obtulerant, liberos dimisit, cum interdictione, quòd in posterum se ab omnibus illicitis conuenticulis atque concionibus abstinerent, Senatusconsultis obedirent, nec captiuitatem vindicarent.

Senatus Colon. captiuos dimittit.

Frede-

Fredericus interim Saxo Lovvenburgius, è Telonio Berkensi non contemnendam pecuniæ summam nomine Capituli intercepit, & Capituli creditoribus secundùm debita distribuit: quod quidem facere Gebhardus debuisset, sed iamdudùm non fecisse querebantur. Paulò pòst etiàm idem Dux Fredericus actuarium nauigium, auena, panno, & annona plenum, Bonnam subuehendum capit, & quidquid in eo erat, in arcem Zontinam exponi iussit. 1583

Erant hæc belli futuri initia, quæ Gebhardo plurimùm incommodabant: magìs verò illud, quòd Alenconio, cui confœderatus esse certò credebatur, Antuerpiensis illa pugna malè successisset. quarè ad Principes Imperij Saxonem, Palatinum, & Brandeburgensem recurrens, opem eorum & auxilium implorauit. Illi, vel quòd causæ Archiepiscopi diffiderent, vel quòd temerè opes suas profundere nollent, auxiliares quidem copias non miserunt, sed intercessionis literas ad Imperatorem scripsêre, negociumque religionis à Gebhardo susceptæ egerunt: tantum Augustanæ Confessioni condonandum esse existimantes. Palatinus quoquè Electoribus Moguntino & Treuirēsi iustitiam causæ Truchsesianæ literis commendauit. Cæsar interìm secundam legationem decreuit, quam Iacobo Curtio, viro literato consultoque, & Mathematico insigni, dedit perferendam. Qui cùm coram Gebhardo, quæ in mandatis habebat, peroràsset, & responsum expectaret, Gebhardus quasi Cæsaris mandata illudens, statìm publico edicto per Diœcesin Religionis libertatem promulgauit. Nè autem hoc temerè fecisse videretur, anteà libellum supplicem componi, & à quibusdam Nobilibus ad nouitatem propensioribus subsignari fecerat, quo libertas ista petebatur. Indè conditiones de Bonna munienda proponit, & tandèm Legato Cæsareo respondet, sese purgans, acta consiliaque sua defendens, & plenam illorum rationem, sese in futuris comitijs redditurum promittens.

Truchsesius opem Protestātiū Principum implorat.

Secunda Cæsaris ad Truchs. legatio.

Gebhard' Archiepis. libertatē Religionis per Diœcesin promulgari facit.

Sed & Alenconius, cùm non minùs in fœdus & iuramentum suum, quàm Gebhardus peccàsset, literis quoquè se Antuerpiensibus purgauit: facinusque suū quàm maximè potuit, mitigauit, se, suaque omnia Ordinibus deferens, eosque ad amicam reconciliationem sæpiùs inuitans. Sed vulnus adhuc recens, huiusmodi scriptis recrudescebat. Non ignorans hoc Parmensis, Tubicinem cum literis ad Senatum, Tribunos populi, & Optimates

Alenconius gratiā Antuerpiensiū ambit.

1582 Antuerpienses misit, pacem eis offerens. Qui cùm ad portas venisset, obuolutis velo oculis introductus est, multis id indignè ferentibus, pacemque & salutem Regis festiua voce acclamantibus. Idem & alijs quibusdam in locis actum: atque initiò spes aliqua pacis affulgebat. Sed paulò pòst, rebellium quorundam consilio, publicis edictis cautum est, nè quis eorum, qui sub vltimo fœdere erant, de pace cum Rege ineunda faceret mentionem, neque literæ Parmensis ampliùs ab vlla confœderatarum vrbium acciperentur.

Parmēsis Antuerpienses ad pacem solicitat.

Cōuentus Coloniensis.

Capitulum Coloniense omnes Ordines Diœceseos in 28. Ianuarij diem euocauerat, vt de matrimonio Archiepiscopi, de eius administratione, edictis, libertate Religionis, alijsque nonnullis eum concernentibus, sententiæ rogarentur. Venerunt ad hunc conuentum multi Comites, Nobiles, Cæsaris, Regis Hispaniarum, & Principum Imperij oppidorumque Diœceseos legati. Cumq; propositis controuersijs primo & secūdo die variè disputatum esset, & Diœceseos Ordines, Legati Cæsaris, Regis, Ducis Cliuensis, aliorumque Principum à Capitulo contra Archiepiscopum starent: Bipontinus verò, qui iam secundò Coloniam venerat, Alpensis seu Nuenarij legatus, (ipse enim salutem suam Coloniensibus credere non audebat) Solmensis, Vvinnebergius & Kriechingius Canonici, pro Gebhardo militarent: Tertiò tandem die in verba pacis Religioni Augustæ Vindelicorum datæ, conclusum est. Sunt autem ea hæc: *Si quis Archiepiscopus, Episcopus, Antistes, aut alius Ordinis Ecclesiastici, à Religione veteri deficiat: is continuò discedat ab Episcopatu suo, Præfectura, Beneficio, simul omnibus etiàm fructibus, quos indè percepit: & Collegio, siue ijs ad quos ea res iure vel consuetudine pertinet, liceat, & integrum sit, in eius locum eligere, vel constituere alium.* Prætereà omnia Truchsesij acta, constitutionibus Diœceseos, vnanimi consensu Ordinū anno 1550. conceptis, & anno deindè 1564. confirmatis repugnare: ideoque Archiepiscopum seipsum inutilem suo muneri reddidisse; sedem vacare, & alium Diœceten eligendum esse. Ad hoc Legati Cesaris omnem operam suam pollicebantur. Henricus Lovvenburgiæ Dux, Bremensis Episcopus, protestatione, quòd in hanc definitionem non consentiret, interposita, discessit. Frater eius Fredericus confestim ex mandato Collegij, contractis aliquot militibus, Cæsaris Insulam tanta celeritate cepit, vt somnium

Vide Sleidanū lib 26.

Cæsaris vverda capitur.

tum esse putaretur; multique adhuc classicum datum esse dubitarent. 1583

Calendis Februarij Archiepiscopus, intellecto Collegij conclusione, Archiuum Bonnense, in quo omnia diplomata, literæ, atque instrumenta publica Diœceseos seruabantur, spoliat. quorum maiorem partem Nuenarius secundo Rheno secum abstulit. Gebhardus ipse postridiè, publicè, per Ministrum hæreticum, Agneti suæ infausto matrimonij vinculo iunctus est. acceptoque de victoria Ducis Frederici nuncio, cum Bipontino, relicto Carolo fratre Bonnæ præfecto, Dillenburgum profugit. Nuenarius verò Berkam ad Rhenum oppidum frustrà tentat, & Hontselarius Truchsesij aulicus, Linnā capit.

Truchsesij turpe facinus.

Truchsesij nuptiæ.

Intereà Angliæ Regina legatos in Belgiū mittit, qui Ordinibus ostendunt, quàm necessariū sit, vt iniuriarum Alenconij obliti Belgę, cum eodem iterùm conueniant, initumq; semèl fœdus, etsi violatū, resarciant. Rex quoq; Galliarū Antuerpiensibus scribit, factū fratris excusat, iuuenili ętati, seditiosis militibus, inconsultoq; eius concilio adscribit: militarē seditionē nominat, atque mollissimis verbis, quantū potest, facinus extenuat: petitque, vt fratri reconcilientur, omnē vicissìm illis gratiā, beneuolentiam, opemq; promittens. Auraicus quoquè omni qua poterat diligentia, vt diffidentes iterùm coalescerent, laborauit. quotquot pacē oderant, cum illo consentiebant. Sed Antuerpienses, qui iniuria Gallorum erant lacessiti, & quotquot tranquillitatem, pacemque amabant, quiduis potiùs agēdum patiendumque, quàm cum Gallo iterùm paciscendum, aiebant. Interim quia Galli aliquot adhuc ciuitates occupabant, nè eas malè mulctarent, conuentum est cum Alenconio; Antuerpienses captiuos Gallos restituerent, & Galli, excepta Duinkerka, Ordinum militi ciuitates istas restituerent. Alenconius verò cum maiori præsidio Duinkerkam profectus, ibidèm mansit, Belgarum mitiores animos expectans.

Angliæ Regina et Auraicus laborant vt Belgæ Alenconio reconcilientur.

Sub hoc tempus quidam Cornelius de Hooch, videns Regem Hispaniarum à Belgis repudiatum, Alenconium quoquè reiectum, sese filium Caroli V. inuictissimi Cæsaris esse, populo venditauit: multasque, & eas prima fronte verisimiles, adducebat coniecturas, quibus id probare volebat. Multos habebat, & præcipuè ex Anabaptistarum secta, qui ei credebant, eumq; sectabantur. Diuulgauit passìm hac de re libellos, quibus etiàm

Caroli V. filiū se esse quidam mentitur.

1583 mittebat, se Belgas ab iniustis atq; immoderatis istis exactionibus liberaturum, nouamq; Reip. formam compositurum. Grata hæc erant populo, multisque per Hollandiam his rebus innotuit. Habitabat Roterodami, vbi nobilis cuiusdam filiam duxerat, quæ nunc quartam prolem vtero gerebat. Res tandem venit ad concilium Hollandiæ: vocatus à iudicibus & examinatus, cùm constantissimè affirmaret se Caroli V. esse filiũ, captus est, & agnitis eius parentibus, mense Martio in Haga Comitis capite plectitur, & in quatuor partes dissectus, è totidem portarum fastigijs suspensus est.

Capituli Colon. victoria.

Dũ Truchsesiani singula oppidula, aut aperta vi, aut insidijs tẽtarent; ipse etiam Truchsesius Gebhardus ad omnes penè Germaniæ Principes cursitabat, opẽ implorãs. Collegiũ verò Coloniense auxiliũ Regis Hispaniarum, sæpius oblatũ, tandem aduocat: & copias aliquot, Comite Arẽbergio ductore, in Diœceseos limites inducit. Dux Fredericus intereà Leicheniũ, & Bruelam Archiepiscoporum sedem, cepit, & in fidem Capituli redegit. Gebhardus, cùm neque militem, neque pecuniam ab Imperij Principibus impetrare posset, querelas suas apud eos instituit, asserens: Capitulum Imperij statuta violare, quòd externum militem in Imperij fines vocâsset. Accepẽre has querelas Principes, & ad Imperatorem scribunt, seriò illũ admonentes, vt auxilia, Collegio Coloniensi à Principe Parmensi missa, statim limitibus Imperij exire iubeat: esse enim externa, quibus prohibitũ est Imperiũ, multis eiusdem constitutionibus anteactis, lacessere vel in illud introire: nec extra periculum aliorũ Principum esse, nisi cõfestim dimittantur. Imperator legatũ ad Parmensem misit, qui eũ moneret, nè quid hostilitèr in Imperio per suos moliatur, nè maiora indè incõmoda emanarent. Hac legatione nõn cõtentus Palatinus, ipse quoquè legatum cum literis ad Arenbergiũ misit, cum mandatis, vt milites suos abduceret, Imperijq; agros relinqueret. Arenbergius ei disertè respondit: Milites Regis Catholici nullis statutis Imperio prohibitos esse. Nõ enim esse Regem peregrinum aut externum, sed Imperij membrum; neq; infimum, sed ex primis. Addunt nonnulli, tantum Regem tributi ad bellum Turcicũ, quantum vix alij duo simul Principes Imperij, pendere: Capitulo non vetitum, sed licitum esse, domum Burgundicam, vt vicinam, & à seculis sociam amicamque, inuocare. Gebhardum potiùs criminandũ, qui Alenconio confœderatus, Gallos,

Lis de externo milite in Imperium admisso.

Respõsum Comitis Arenbergij.

Gallos, Anglos, Scotos, aliosque externos in Imperij prouincias introduxit. 1583

Intereà Truchſeſiani ſuperiorē Diœceſeos oram vaſtant, Lintioq; & Antennaco inſidiātur. Antennacenſes verò Guilielmū Rab ductorē, & aliquot eius milites occiderunt, Salentinoq; Iſenburgico (à Collegio rogato, vt interregni tempore defenſionem Diœceſeos ſuſciperet) iurârunt, ſeſe in fide Capituli permanſuros. Decimo deindè Martij Illuſtriſſimus Dux Bauariæ Erneſtus, Eburonum Epiſcopus, diù expectatus Coloniā venit. Quem ſtatìm Caſimirus Comes Palatinus, per literas monet, nè Archiepiſcopatum Colonienſem ambiat: Gebhardum enim legitimum eſſe & manere Archiepiſcopum: ſi quis eum loco mouere velit, contra hunc ſeſe defenſionem Gebhardi ſumpturum.

Erneſtus Dux Bauariæ Coloniā venit.

Gebhardus intereà Arensbergę Vveſtphaliæ oppido conuentum agebat, in quo Apologiā ſuam exhibuit, cuius fucoità oculos Vveſtphalorū perſtrinxit, vt pleroſq; in ſuam ſententiam pertraxerit, & in matrimonium ſuum, libertatemq; Religionis, reclamātibus Comite Eberardo Solmenſi Satrapa generali, Cōmendatore Reckio, Furſtēburgero & Haetsfeldio Satrapis in Bilſtein & Balue, Iohanne Droſt, Cleinſorgio Licētiato Conſiliario, & quorundam oppidorū legatis, conſenſerint: ſcripſerintque Capitulo, ſe ob Auguſtanā Confeſſionem Archiepiſcopum deſerere non poſſe. Statìm multis in locis Vveſtphaliæ monaſteria & templa ſpoliata, eccleſiaſtici capti & mulctati, imagines fractæ, ſacramenta conculcata, omniaque ſacra direpta ſunt & euerſa. Concionatores nouelli mox introducuntur, magniique tumultus, præſertìm Vverlæ, ob religionem excitantur. de quibus egimus alio libello.

Cōuentus Arensbergicus.

Dumità in Vveſtphalia tumultuantur, Dux Fredericus in inferiori Diœceſi arcem Hulcraet per aliquot dies oppugnauit, & tandèm aquis per incilia, colliquiasque aliò deriuatis, ruinisque ſtratis, 16. Martij expugnauit. Truchſeſiani duce Nuenario vicisſìm Berka potiuntur.

Hulcraet capitur.

Cæſar Gebhardi pręposteros conatus audiēs, tertiam ad eū legationem miſit, quam D. Iohannes Preinerus, Baro in Stubin, obiuit: eadem quę anteà proponens. Sed non potuit ille ad ſaniorē mentē reuocari. Expectabatur quotidiè Andreas, Cardinalis Auſtriacus, Legatus Apoſtolicus, qui authoritate Pontificis Gebhardum, ſi reſipiſcere

Tertia Cæſaris ad Truchſ. legatio.

1583 nollet, tanquàm putridum Ecclesiæ membrum resecaret atque sede sua exturbaret. Sed quia per ditiones Casimiri transeundum ei erat, cùm ab illo saluum conductum (pro more) peteret, Casimirus hunc Cardinali negauit, & aulicos nonnullos ab eo præmissos malè mulctauit. Id indignè ferens Imperator, minaces literas Casimiro scribit, mandans ei seriò, nè exercitum pro defensione Truchesij conscribat, néve publica itinera Principibus, aut Principum legatis, præcludat.

Casimirus Cardinali Austriaco transitum negat.

Conuentus Vvormatiensis.

Vvernerus Rifferscheittius Comes Salmensis militem pro Capitulo colligebat. quo tempore Protestantes Vvormatiæ conuentum indixerant, vt de rebus Truchsesij certi aliquid definirent. Miserunt eò literas Canonici, sed à Casimirianis illæ in Frankendael intercipiuntur. Determinatum autem est in hoc conuentu, Gebhardo in vsum belli, infra tres septimanas, octo mensium stipendia, partìm Magdeburgi, partìm Francofurti numeranda. Post hanc determinationem, è vestigio Casimirus, volens Collegium Coloniense amicè admonuisse videri, re vera literis bellum illi denunciauit.

Truchsesius à Pontifice excommunicatur.

Sed Pontifex Rom. intelligens nullam de Truchsesij emendatione spem reliquam esse, in publico Cardinalium consessu, primo die Aprilis, secundùm nouum scribendi modum, lata in eum excõmunicationis sententia, tanquàm emortuum membrum ab Ecclesia amputauit. Quod dum Romæ fit, in Vvestphalia Engelbertus Lyppius, supremus Gebhardi Mensor, Vestam cum oppido Reckelinckhusensi Capitulo ademit: eodemque tempore Dux Fredericus Linnam, oppidulum in inferiori Diœcesi, Capitulo recuperauit. Paulò pòst Gebhardus Casimiro, qui equites peditesque pro illo colligebat, vt de solutione certum illum redderet, Diœcesin oppignorauit.

Cæsaris ad Electorum Protestantiũ legationẽ responsum

Cæsar postquàm intellexisset Gebhardũ à Pontifice è communione fidelium reiectum, legatis Protestantium, qui in aula sua Presburgi, mandato Principum suorum hærebant, iubet nunciari: Se hactenùs laborâsse, vt controuersiam inter Collegium & Archiepiscopum Coloniensem exortam sopiret: sed parùm proficere potuisse. Herì verò se intellexisse, Gebhardum à Pontifice Romano excommunicatũ, & sede deiectum esse: omnia itaque acta eius esse irrita, nec Gebhardum ampliùs ad Cæsaris Tribunal pertinere. Nihilominùs vt bellum impe-

impediatur, ſibi conſultum videri comitia Principum fieri. ſeſe id Eccleſiaſticis Electoribus quoquè ſcripſiſſe, eorumque ſententiam expectare. Quantum ad querelas Principum de milite externo in Imperium intromiſſo, ſe iamdudùm Parmenſi, vt eos reuocaret, mandâſſe, & ſecundò iam mandaturum. Petere viciſsìm, vt Electores ſeculares Gebhardi quoquè inſolentiam caſtigent, eumque in ordinem redigant. 1583

Dum hæc in Germania geruntur, Mansfeldius Comes Endouiam obſidione premebat. erant in oppido hoc octingenti præſidiarij, qui agrum Buſcoducenſem plurimùm infeſtabant. Sed ſubſidio tormentarioq; puluere tandèm deſtituti, decimoquarto Aprilis deditionem fecerunt.

Endouia recuperatur.

Cardinalis Auſtriacus Andreas cùm à Caſimiro impediretur, quo minùs Coloniam peruenire poſſet, miſſus eſt eius loco Iohannes Franciſcus, Epiſcopus Vercellenſis, qui ſententiam de excommunicatione Gebhardi attulit, & cætera quæ in mandatis habebat, grauitèr & ſumma cum laude expediuit. Confederant hiſce diebus in Lotharingia atque Diœceſi Treuirenſi Galli aliquot, qui (vt conſtans fama erat) Gebhardo in ſubſidium ab Alenconio mittebantur: ſed quia maximas prædas agebant, agroſque latè vaſtabant, à Lotharingo cęſi ſunt: quique viui in manus illius venerunt, hos ſuſpendio necari iuſſit.

Epiſcopus Vercellarum Coloniam venit.

Vvouda caſtrum eſt in Belgio, non procùl à Montibus ad Zomam ſitum, egregieque munitum. Erat in eo præſidium Regis Hiſp. Itali nimirum 120. & 150. coloni. Illud hoc tempore ab Ordinum militibus oppugnabatur. ſtrataque exigua ruina, præfectus arcem hoſtibus, non ſinè ſuſpicione proditionis, condonauit.

Vvouda capitur ab Ordinibus.

Non diù poſt Mansfeldius Comes Dieſthemium & Sichemium recuperauit. Capta Vvouda, dum Galli, Angli, Scoti, & Belgæ adhuc coniuncti nouam expeditionem meditantur; Parmenſis cum parte exercitûs aduolat, captaque pugnandi opportunitate eos in Roſendael adoritur, cæditque: & ad internecionem totum exercitum deleuiſſet, niſi quidam beneficio fluxûs maris euaſiſſent. Periêre hac pugna Ordinum milites mille quingenti, tormentaque omnia, atque impedimenta capta ſunt.

Excommunicato & à Capitulo exauctorato Gebhardo, deiectis de more baculis, annos eius adminiſtrationis

1583 designantibus, Ernestus Bauariæ Dux Consules, Quæstores, Consulares duos, & Syndicos vrbis Coloniensis ad magnificum conuiuium vocauit, atque inter epulas Collegij sui nomine illis exposuit, quæ de abiectioue Archiepiscopi acta erant; statutumque esse, nouum Archiepiscopum eligendum. Petere itaque à Senatu, vt hanc electionem antiquo more armatis suis ciuibus & condecorare, & defendere dignetur: vtque, si qui seditiosiores sint, eos ab omni petulantia velit coërcere. Consules, cæterique, se id postridiè in Senatus consessu proposituros receperunt. quod cùm factum esset, sinè vlla contradictione promissum est. Euocantur intereà Canonici omnes, ad quos ius eligendi pertinebat. Gebhardus verò & literis, & legationibus quibuscunque potuit, electionem impedire conabatur. quod & Electores nonnulli apud Cæsarem, Bipontinus verò, Casimirus, Nuenarius & Carolus Truchsesius apud Senatum facere frustrà studuerunt.

Consiliū de nouo Archiepisc. Colon. eligendo.

Aderat iam Electioni decretus dies, Maij scilicet 23. Instituta erat oratio ad Deum quadraginta horarum continua, ad optimam & tranquillam electionem impetrandam. & certè preces suorum audiuit Omnipotens. Nam ipsa quadragesima hora, electio, qualis ab omnibus pijs Catholicis sperabatur, euenit. Nam post solenne sacrum, Canonici electuri ad conclaue venientes, peractis ijs quæ de more fieri consueuerunt, vnanimi consensu Illustrissimum Ducem Bauariæ Ernestum, Leodiensium Episcopum, elegerunt. Mox Episcopus Vercellēsis Canonicos aliquot Illustres, & pòst Præpositum Comitem à Vvitgenstein, hæreseos suspectos, & à Truchsesio stantes, ad tribunal suū citauit: cumque non comparerent tempore statuto, eos authoritate Apostolica ex albo Ecclesiasticorum expunxit, excōmunicauit, & fructibus ecclesiasticis priuauit. Ludouicus Palatinus, postquàm intellexisset electum esse Ernestum Coloniensem Archiepiscopum, ægerrimè hoc tulit, & per literas cum Cæsare hac de re expostulauit.

Ernestus Bauariæ Dux Archiepisc Colon. eligitur.

Alenconius cùm nullā firmam ac stabilē cum Belgis pacē inire se posse animaduerteret, collectis vasis, relicto pallio & pileo cū ipso Ducatu, relictis tot, tamq; insignibus titulis, cum Gallis suis mēse Iunio in Galliā reuersus est. De cuius discessu cùm certior factus esset Illustriss. Dux Parmensis, collecto exercitu Duinkerkam vrbem Flandriæ maritimam, munitam & insigni portu nobilem,

Alēconius Belgiū relinquit.

lem,obſedit,atque breuì in tantas anguſtias redegit, vt ſe in fidem Regis Hiſp.dedere compelleretur.Poſt cuius deditionem Marchio de Robaix D.Vvinoci montem obſedit,& in deditionem accepit. Auraicus contrà claſſem parat,quæ mare contra regios,illud infeſtantes,tueretur: quo tempore Vveſterloo, munitiſſima Campiniæ arx, diù à Comite Mansfeldio oppugnata, in poteſtatem Regis Hiſp.venit. *1583 Duinkerka, Vvinoci mõs, & Vveſterlo capiuntur.*

Segurius Pardilianus Regis Nauarri Conſiliarius,& Legatus,cùm annis ſuperioribus in Belgio eſſet,delirum quēdam prophetam Caluinianum, nomine Brocardum Pedemontanum,vehementer colebat. eius dicta non alitèr quàm oracula (quæ tamen ab omnibus Synodis Caluinianis reijciebantur) obſeruabat. Is Pardiliano perſuadet, ſe teſtimonijs ſacræ Scripturæ poſſe conuincere, Papam Rom. breuì à Principe quodam Hugonotarum ſede exturbandum, eundemq́ue Principem caput concordiæ Chriſtianæ futurum. Pardilianus hæc de ſuo Rege vaticinari ratus,non deſtitit Nauarrum commouere, vt Legatos per Galliam, Angliam, Belgiumq́ue mitteret, qui Principes ad confœderationem contra Pontificem Rom. ineundam monerent.Quas legationes dum obiret Pardilianus, exorta eſt illa quorundam Principum Germaniæ cum Truchſeſio conſpiratio. Ad hos itaque,& ad Truchſeſium,eundem ſuum Legatum miſit : vt expoſitis perſecutionibus,quas in Hiſpania, Italia, Anglia, Scotia, Belgio, Heluetia, Suecia, ipſaque Germania patiuntur, qui noua fidei dogmata ſectantur; Principes ad concordiam fidei, & fœdus, ſecum & cum Regina Angliæ, Regeq́ue Daniæ faciendum,hortaretur: ante omnia, vt Synodum inſtituant,ad quam Miniſtri tam Caluiniani, quàm Luterani coëant, & controuerſias (quas nullas, aut exiguas in eorum opinionibus eſſe dicit Nauarrus) componant, tollantq́ue : vt nec opibus, nec vitæ parcant, ad reſiſtendum Pontifici Rom.Truchſeſiumq́ue non deſerant. Pollicetur viciſsim Nauarrus, ſe nec regno, nec opibus, nec ornamētis,nec vitæ ipſi parcere velle : ſed liberalitèr hæc omnia pro Religionis ſuæ defenſione profundere decreuiſſe.Pardilianus per omnem Germaniam cum hac legatione curſitauit. Principes autem eam contempſerunt, tranquillitatem patriæ nouis factionibus perturbare nolentes. De tota hac legatione, deq; Germanorum reſponſione, prodijt nuper libellus,qui Caluinianū Incendium intitulatur. *Regis Nauarræi legationes pro defenſione Caluiniſmi.*

1583

Magni Poloniæ Cācellarij nuptiæ.

Eodem ferè tēpore Poloniæ Rex suam ex sorore neptem Iohanni Zamoscio, magno Poloniæ Cancellario, nuptui dedit. quę res ipsi Cancellario magnā apud quosdam proceres Regni peperit inuidiam. Nuptię dum celebrantur, Rigæ comitia habentur, de statu Liuoniæ reformando. Præfecerat his comitijs Rex Georgiū Radzevvilum Cardinalem, & Liuoniæ Gubernatorem. Sed quia Rex postulabat quorundam nobilium arcium demolitionem, aliaque nonnulla incolis minùs grata, nihil his comitijs singulare actū est, nisi quòd Thaubius & Crausius Barones duo proditionis accusati sunt: qui dum sese defendunt, dumque causa vltrò citroque ventilatur, discessum est.

Conuētus Rigensis.

Ducis Magni mors, & qui eā in Polonia subsecuti tumultus.

Moritur intereà Magnus Dux, frater Regis Daniæ, qui ante 24. annos pacto quodam Diœcesin Oezeliam & Churlandiam occupârat, & quorundam hominum imposturis sese Moscouiæ Duci magno subiecerat. Is ante mortem à Mosco deficiens, Poloni partes sequebatur, in cuius fide & hoc tempore mortuus est. Post illius obitum Diœcesani Piltenses Ioannem Beherenium protectorem elegerunt, eumque ad Regem Daniæ legârunt, vt fratris mortem nunciaret, Regique supplicaret, vt prouinciam illam in suam protectionem acceptet. Beherenius in aula moram aliquam faciens, quotidiè fertilitatem prouinciæ, diuitias, prouentusque iactitabat, vt Regem faceret ad istam suscipiendam alacriorem. Daniæ Rex Legatum dimisit, eique tormenta, puluerem, aliumque apparatum bellicum, ad defensionem necessarium, dedit. Sed Cardinalis, cuius anteà fecimus mentionem, collecto milite misit, qui castra Magni Ducis Karkum, Ermesum, Helmuthium, & Ruyenum occupârunt. Sed & alios misit, qui in Poloniæ Regis fidem Churlandiam acciperent. Postquàm verò ad Piltenses ventum est, ij Polono iurare noluerunt, dicentes, sese post Magni mortem Regi Daniæ sacramento obligatos esse: eum se repudiare non posse, sed recens adhuc mandatum ab illo accepisse, datam fidem nè violarent. Legati hoc responso accepto ad Cardinalem reuersi sunt: qui eosdem, adiunctis etiam Consiliarijs Churlandiæ Ducis, remisit, vt Diœcesanis in memoriam reuocarent præterita acta, inter Churlandiæ Ducem, & Ducem Magnum: quibus cautum erat, vt Diœcesis post mortem Magni ad Churlandiæ Ducem deuolueretur: hoc Sigismundum Augustum, hoc Stephanum Battorem, hoc

Cardinalis Magni Ducis arces & oppida inuadit.

Piltensiū cum Cardinali cōtentio.

hoc subditos, hoc Magnum ipsum voluisse, Legati osten- 1583
dunt: petuntque, vt si Piltenses sese immediatè Regi Poloniæ dare nolint, saltèm Churlandiæ Ducem recipiant. Sed quia illi Danum relinquere noluerunt, Legati re infecta reuersi sunt.

Auraicus in Hollãdiam fugit.

Auraicus cùm diù institisset, vt cum Alenconio Belgæ nouum fœdus inirẽt, nec quicquam proficere potuisset, immò hanc ob rem Antuerpiensibus inuisus esset, Vlissingam primùm, deindè in Hollandiam cum omni sua familia profectus est.

Classis regia ad expugnationẽ Terceræ profecta.

Vigesimoquarto die Iunij, Marchio S. Crucis Archithalassus Regis Hispaniarum, mandato Principis sui, cum 98. partìm triremibus, partìm nauigijs alijs maioribus Vlysbona soluit. Erant in hac classe 8970. milites Hispani, Itali, & Germani: 3820. nautæ, aurati equites 50. qui proprio stipendio militabant: multi etiàm Sacerdotes, qui classiarijs Sacramenta administrarent: Doctores Medici, Chirurgi, & Pharmacopolæ. commeatûs, aquæ dulcis, instrumentorum, apparatusque bellici copia erat instructissima. Mare ingressi, aliquandiù cum ventis ac tempestate luctati sunt. paulò pòst tamen aura propitiori nauigârunt. Marchio duodecim Galeones sub præfecto D. Diego Mediolanensi præmisit, qui tertio Iulij in conspectum Insulæ S. Michaëlis venit, & quinto demùm die anchoras ad punctum Delgadæ iecerunt. Vndè paulò pòst soluentes, tandèm vigesimotertio & vigesimoquarto Iulij cum vniuersa classe iuxta S. Sebastiani promontorium, ad insulam Terceræ, quæ vna, eaque maxima est earum, quas Azores vocant, appulsi sunt. Sed quia Antoniani multa propugnacula circunquaquè in littoribus extruxerant, ex ijsque maioribus tormentis triremes, & maximè eam, in qua Marchio vehebatur, impetebant, descensus erat difficilimus. Marchio itaque fecialem, tympanistẽ & gregarium militem scapha in littus exponi iubet, qui Insulanis, presidiarijsque gratiam, indulgentiamque suæ Maiestatis offerrent, deditionemque postularent. Emanuel verò de Silua insulæ Gubernator ab Antonio constitutus, legationem audire noluit, nec quidquam ad literas Marchionis respondere. Intereà regij littora lustrant, conuenientesq; noctu tribuni & militiæ præfecti, in medium consulunt, quid agẽdum esset. Definitum tandèm, Insulã iuxta ciuitatem, quam incolę Della playam appellant, inuadendã esse. Manè itaque hora tertia, die 26. Iulij

Classis ad Terceram appulsa.

Marchio

1583 Marchio 4500. pedites ſub chiliarchis Domini de Figuera, Franciſco Boua-Dilla, Auguſtino Yniguefio, Ioanne Sandeuallio, Comite Ieronymo Ladronio, Lucio Pinatela, Domino Felice Arragonio & Currio della Mota, in Inſulam deſcendere iuſſit. Erat autem hac in parte muniti ſſimum propugnaculum, quod à Gallis ſub duce Berſino defendebatur. Hoc quia altiſſimis in rupibus erat ſitum, aditusque haberet aſperrimos, difficilè potuit expugnari. Hiſpani tamen potiti hac munitione, hoſtium acies ad mille ferè paſſus à mari reiecêre, vbì moles belli erat. hîc dubio Marte tam diù pugnatum eſt, vt Marchio coactus ſit ſuis bìs nouas copias ſubmittere. Erat æſtus ingens, magnaque his in locis aquæ penuria; quod incommodum Hiſpanos multùm affligebat: donèc tandèm aquæ dulces è nauibus aduehere ntur, ſitimque reſtinguerent. Circa veſperem Antoniani collectis 600. vaccis, eas impetu quodam in acies Hiſpanorum immittere, atque ordines turbare voluerunt. at Marchio, nè in vaccas iacularentur, ſuis prohibuit: iuſſitque vt longiùs à ſe inuicèm diſtantes, vaccis locum darent, & poſteà in ordinem redirent. tota itaque die illa velitatum, pugnatumque eſt: multi ex Hiſpanis vulnerati, cæſi 70. ex hoſtibus pluribus vulneratis, ducentis verò occiſis. Poſt occaſum ſolis 1500. Galli ſub magno Commendatore D. de Chartres, ſe mille alijs Gallis, & 9000. Inſulanis coniunxêre: qui noctem integram regios in acie detinuerunt. Diſſidebant inter ſeſe duces Antoniani. Quidam enim cum Emanuele de Silua conſulebant hoc die totis viribus pugnandum eſſe. Dominus verò de Chartres cum Gallis pugnam in ſequentem diem differendam ſuadebant: eò quòd decreſcente die, nox immineret. Sed & per noctem commeatum bellicumque apparatum in rupes, & anguſta montium loca comportandum eſſe volebat: vt ſi in prælio ſuccumberent, in montibus aliquandiù viuere poſſent, donèc ex vicinis locis, aut ex Gallia, noua auxilia ſubuenirent. Ceciderunt hoc Galli conſilio Luſitanorum animi, qui beneficio noctis, relictis ſignis ſuis, diffugiunt, & petroſis, auijsq; ſe locis abdunt. Quæ res cùm Emanueli de Silua innotuiſſet, fugit & ipſe.

Deſcenſus in Inſulã.

Pugna Hiſpanorum cũ Gallis.

Stratagema.

Luſitani ſeſe è prælio ſubducunt.

Poſtridiè cùm Dominus de Chartres Emanuelem, aliosque Luſitanos ſtationes ſuas deſeruiſſe cognoſceret, nec vſquàm reperiri, putans eos ad montes fugiſſe, eaque loca, ad quæ commeatum portari iuſſerat, munire, eò cum exercitu contendit. Sed nec illic Luſitanos, nec etiàm com-

àm commeatum inuenit. Hispani intereà fonte aquæ dulcis potiuntur, maioraque hostium tormenta, & oppidum S. Sebastiani occupant. Dispersis & in fugam versis Antonianis, regij ad vrbem Angeræ castrametantur. Stabant in portu 30. Lusitanorum Francorumq; naues, quas vt expugnarẽt, Marchio triremes misit. Sed cùm aliquandiù maioribus tormẽtis eas verberâssent, compertum est defensores in ijs nullos esse. Captæ sunt itaq; naues istæ, multęque merces, & bellicus apparatus omnis, nulla cum Hispanorum iactura. Præda inter milites est distributa. Marchio deindè exercitum Angeram, quæ Insulæ metropolis est, mouet, quo in itinere multi pedites siti extinguebantur. Ciuibus verò Angeranis, præsidiarijsque inter montium prærupta & rupium cauernas sese, relicta vrbe, occultantibus, Marchio nulla vi Angeram capit; apertisque carceribus, multos regis Hisp. amicos & subditos, qui nuper ex Florida venientes, à piratis capti fuerant, & hîc detinebantur, liberauit. Marchio victoriam prosequens, confestim 20. munitiones hostibus extorsit, in quibus omnibus maximam tormentorum, pulueris, aliarumque rerum ad belli vsum necessariarum, copiam inuenit. Post trium dierum direptionem militibus permissam, Marchio edicto publico incolas reuocauit, & ad sua reuerti iussit.

1583

Oppidum S. Sebastiani occupatur, & classis Gallorum capitur.

Angera capitur.

Intereà Galli aliquot cum Petro de Padilla transigere cœperunt: orantes vt cum armis signisque dimitterentur, etiàm tormenta bellica centum ex Francia aduecta, secum auferrent: sese deditionem cæterarum munitionum facturos, promittũt. Ostendebant etiã literas Franciæ Regis, eiusque matris, quibus comprobârunt, se vtriusque imperio in Insulã hanc venisse. Cęterùm Marchio conditiones istas reiecit. Tandèm tamen intercessione multorum magnatum, his legibus in gratiam Galli recipiuntur: Arma deponerent, signa regijs traderent, 200. ad triremes damnarentur, cæteri certis nauigijs in Galliã tuti reducerentur. Tertio itaque August. deditione hoc modo facta, à Petro de Padilla ad littus deducti, 18. signa veteranorum tradidêre, armaq; omnia posuêre; & obsides relinquentes, naues conscenderunt, atque in Galliam transportati sunt. Interìm Marchio Emanuelem de Silua, pręfectum huius Insulæ, totiusque belli authorem, quæri mandauit: qui tandèm à mancipio quodam Francisco de Bouadilla proditus, in littore arbori innixus, vesteque mercatoris amictus depræhensus est. Habuerat quidem naui-

Conditiones, quibus Galli in fidem recepti.

Emanuel de Silua capitur.

1583 nauiculam paratam, qua vitæ suæ consulturum sese sperabat: sed Insulani ira in eum excandescentes, illam perforârant, atque depresserant. Captus Angeram perductus est, vbi & alij mulctandi tenebantur, atque inter reliquos concionator quidam Hugonoticus, qui confessus est, se ad petitionem Reginæ matris, & D.de Chartres, Dominum Antonium Parisijs hactenùs in ædibus suis hospitio excepisse: se etiàm in Anglia fuisse, cum Antonio de Vega, ad auxilium Reginæ implorandum: illud eam negâsse, permisisse tamen, vt ære suo nauigia, apparatum bellicum, quantum possent, sibi redimerent: Multos in Anglia reperiri Catholicæ Religionis auidissimos: Antonium adhuc 20. Maij Parisijs & Diepæ fuisse, duorum tantùm aut trium hominum familiam alere, animamque debere: Se verò 22. Iunij cum 1500. Gallis in hanc Insulam venisse.

Insulam Faiolam occupat Petrus de Toledo.

Dum Marchio Remp. Angeræ format, D. Petrum de Toledo misit cum parte classis, in qua 2500. milites erant, ad occupandum insulam Faiolæ, triginta passuum millibus à Tercera sitam, quæ à 500. Gallis, multisque Insulanis defendebatur. Petrus itaque de Toledo Equitem Lusitanum, cum Gonsalo Pereita, cuius vxor & liberi in Insula habitabant, descendere iubet, deditionem postulaturos. Antonius verò Gudetzius de Sosa Insulæ præfectus, homo superbus, legato alapam impegit, eductoque gladio miserè interfecit. Quod cùm in classe intellectum esset, sexto Augusti milites in terram exponuntur: initiò atrox pugna commissa est. Sed Petro de Toledo nouas copias submittente, Galli in arcem optimè munitam fugerunt. habebat arx quatuor alia propugnacula sibi vicina, quæ cùm Hispani occupâssent, hi qui in arce erant, deditionem ijsdem, quibus Tercerenses, conditionibus deditionem fecerunt. Antonius verò Gudetzius in interfecti Legati vindictam suspensus est. Petrus de Toledo, cùm Antonium de Portugallia præfectum Insulæ creâsset, cum reliqua classe ad Insulas S. Georgij, Pici, & Gratiosæ nauigauit, in quas nemine resistente exceptus est: rebusque constitutis, ad Marchionem redijt, à quo die Augusti octauo magno cum triumpho receptus est.

Cæteræ insulæ recuperantur.

Iudici deindè classis mandatum est, vt proditorum, piratarumque captorum causas cognosceret, & sententiam in eos pronunciaret. Iudex examinatis causis eos damnauit, indignosque iudicauit immunitatibus, iuribus,

ribus, priuilegijs & gratijs à præcedentibus Lusitaniç Regibus ipsis datis: Antonium Suaretz Antonianæ monetæ præfectum, Bartholomęum Aluares, Dominicum Pienierum, aliosque nonnullos proscripsit: vt si alibì comprçhendi possint, in foro vrbis Angeræ laqueo præfocati, in quatuor partes dissecti, rotisque impositi, in publicis vijs constituerentur. eorum verò liberi, aut nepotes, ad nulla Regis officia obeunda vnquàm reciperentur. Dispositis deindè Germanorum per vrbem excubijs, omnis Antonianæ monetæ pecunia publicè concisa est, & liquefacta. Mox Emanuel de Silua producitur, & tanquàm Seditiosus, Tyrannus, Latro, Pirata & hçreticorum Receptor damnatus, capite plectitur: caputque ipsum stipiti impositum, eodem loco, quo antè steterat caput Melchioris Alfonsi, ab ipso interfecti, collocatur. Sed & alij nonnulli vltimo supplicio sunt affecti. Marchio reparatis munitionibus, impositisque præsidijs, dum reditum in Hispaniam parat, partem classis misit ad portū & castrum, quod Della Mina Hispanis dicitur, aliquot centenis milliaribus ab insula Tercera in Austrum distās. illud enim à Gallis occupabatur. Adueniente verò classe, Galli sese dedunt, admissique Hispani, incredibilem auri, argenti, gemmarumque vim in hac Insula inuenerunt. Reuersi paulò pòst victores, sese socijs nauibus sub promontorio S. Vincentij coniunxerunt, paribusq; passibus in Lusitaniam remeantes, magno cum applausu atque triumpho gloriosissimæ classes exceptæ sunt. Auxit quoquè hanc lætitiam classis, quæ eodem tempore ex Occidentalibus Indijs Hispalim appulsa, tantam auri copiam aduexit, quantam nunquàm præcedentium vlla.

1583

Antoniani proscripti & damnati.

Emanuelis de Silua supplicium.

Della Mina deditur.

Brugenses prosperam regiorum fortunam, Flandrorumque res deploratas considerantes, trepidabant: & Menenense præsidium in vrbem suam reuocârunt. Decretum erat, vt Iperenses, quorum ciuitas erat munita, & firmo satìs præsidio confirmata, alios in munitionem Menenensem mitterent, qui eam tuerentur. Sed priusquàm illi aduenissent, Halevvinenses munitionem occupârunt, atque imperio Regis Hisp. restituerunt.

Menenen Geusijs intercipitur.

Venit intereà in Diœcesin Coloniensem Thomas Kriechingius Baro, & Canonicus pridē, nūc excōmunicatus, Gasconū aliquot copias Truchsesio adducēs: & nè feriarētur, easdē postridiè ductore Peuterico I. V. Doctore ad pagū quendā superioris Diœceseos Vnkeliū, expugnandū misit.

Vnkelium oppugnāt Truchsesiani.

1583 misit. Habebant maiora aliquot tormenta, omniaque ad expugnationem necessaria. Sed qui in pago erãt Rustici, tam sese acritèr defenderunt, vt obsidentes, multis suorum desideratis & Doctore Peuterico vulnerato, cedere sint coacti.

Parmensis Princeps, capta Duinkerka, Vvinoci monte, & Nieuporto, Ostendam oppidum Flandriæ maritimum obsedit: sed quia perforatis aggeribus agrum suburbanum marini fluctus inundârunt, Parmensis relicta Ostenda, Dixmuidam obsedit, & ad deditionem faciendam oppidanos confestìm coëgit: eaque munita, Hypras vrbem, qua Flandria non habet munitiorẽ, obsidere cœpit. Sed quia ager paludosus, & vrbs tam munita esset, commodè oppugnari, ea non potuit. Erectis igitur aliquot propugnaculis, impositisque ijs præsidijs, fame oppidanos atque inedia censuit esse domandos.

Dixmuida capitur, & Hypræ obsidẽtur.

Gandauenses sibi metuentes, opem Casimiri inuocârunt, sibique Embiesium Consulem, horum in Flandria motuum principem & authorem, Petrumque Dathenum Archiministrum Caluinianum, tunc temporis, eò quòd malè ipsis cum Auraico conueniret, apud Casimirum, quem nuper Flandriæ Comitem nominârant, exulantes sibi remitti petunt. Casimirus hos quidem remisit, sed opem ipsis suam denegauit. Intereà Holachius totam Campiniam igni ferroque vastat, hoc modo futurum existimans, vt exercitus regius commeatûs defectu dilaberetur. Sed Altipennius eius conatus confestìm impediuit.

Embiesius & Dathenus è Palatinatu Gandauũ redeunt.

Truchsesiani sexto die Augusti Bonna Tuitium, olìm Diuitense munimentum appellatum, Coloniæ Agrippinæ in vlteriori Rheni ripa oppositum, venientes, pagum incendunt, monasteriumque S. Hereberti, in quo præsidium Bauari erat, oppugnant. Sed præsidiarij fortitèr se defendentes, eos, aliquot etiàm occisis, reiecerunt. Quarè post quinque dies cum maioribus viribus & tormentis redeuntes, monasterium in conspectu omnium ciuium Coloniẽsium diù oppugnârunt. Qui in præsidio erant, ter eos non sinè magno damno represserunt. Tandèm in portas, peristylia, atque adeò in ipsum templum ignem inferentes, monasterium capiunt. Præsidiarij omnes aut fumo & flamma suffocati sunt, aut viui in hostium potestatem venerunt.

Tuitiũ expugnatur, & incenditur.

Parmensis interìm Steinbergam portum, non procùl à Montibus ad Zomam situm, occupat, locum valdè oppor-

Steinberga capitur.

opportunum ad nauigationem Dordracensium infestandam. Hærebant tunc temporis adhuc in Belgio milites Bironij Franci, quos vt Zelandiæ ciuitates aliquæ intra mœnia reciperent, Auraicus plurimùm laborabat: sed cùm vrbes id facere recusarent, in Franciam reuersi sunt, Belgiumque ab omni Gallo milite est repurgatum. 1583

Paulò antè, 15. nimirùm Iulij, decem Christiani, inter quos Patres Societatis Iesu quinque, ob amorem Domini nostri Iesu Christi, fideique propagandæ desiderium, martyrium, fuso sanguine, felicitèr in Salseta obtinuerunt. Est autem Salseta peninsula Indiæ Orientalis, tribus quasi milliaribus Goa distans. Eam sexaginta circitèr oppida continentem, nuper Lusitaniæ Regi cedere coactus est Idalcani Rex potentissimus, sed Mahometanus. Incolæ ob Brachmannorum (sic gentiliũ sacris præfectos appellant) copiam, paternas superstitiones mordacitèr retinent, & suaue iugum Christi difficulter amplectuntur. Anno 1560. Christiani hîc primùm semen diuinum iacere cœperunt, sed exiguo cum fructu: donèc Goæ prorex Antonius de Norogna anno 1567. militum suorum opera, plus quàm ducẽta delubra flammis aboleuit, atque euertit. Incolæ rati id Patrum Societatis instinctu factum, nullam occasionem intermiserunt, iram in eos suam exercendi. Cumque iam tertiò & quartò inter Lusitanos & Idalcanos grauitèr pugnaretur, Salsetani sese Mauris coniunxerunt, Lusitanisque plurima damna intulerunt, & Christianorum templa demoliti sunt. Pace deindè composita, quinq; vrbes adhuc in rebellione permanserunt. quarum incolæ noua delubra atq; idola construentes, paternos ritus assiduè celebrârunt. Intereà P. Rodolphus filius Ducis Atriensis, trigintatriũ annorum vir, ex aula Regis Mogoris Goam reuersus, à Prouinciali suo in Salsetam mittitur. Socius illi P. Alphonsus Paciecus, eiusdẽ ætatis, nec minoris sanctimoniæ adiungitur. Hi Cortalinam appulsi, Patres aliorum locorum conuocant, vt de apposita quadam ratione Salsetanos ad fidem conuertendi in medium consulerent, decernerentque. Visum hîc est loca singula explorari, trophæa Crucis in opportunioribus erigere, & templa ędificare: ante omnia verò Coculinum adeundum esse, vt inimicitias nuper ob necem primariæ cuiusdam nobilitatis viri coortas, dissoluerent, animosque hominum placarent. Profecti sunt eò P. Rodolphus, Alphonsus, Petrus Bernus Longobardus, Antonius Franciscus Lusitanus, Patres eiusdem

Christianorũ noua martyria.

1583 Societatis. Erat cum illis quoquè Franciſcus Aragna Archiepiſcopi Goani nepos, cum alijs duobus Luſitanis, quorum alter ab epiſtolis erat arcis Racciolinæ præfecto. Hi omnes cùm 15. Iulij Coculinum veniſſent, à primarijs quibuſdam viris benignè ſuſcepti ſunt: qui oppidanos à meridie conuenturos, vt ſalutem eis precarentur, dicebant. Intereà Patres de opportuno quodam loco agunt, vbi templum extrueretur. Nonnulli verò ex incolis, dum hæc fiunt, ſiue exploratùm, ſiue fortuitò ſuperuenientes, quid fieret reuerſi ſuis nunciârunt. Hic ſycophanta quidam veteris in Patres odij memor, ſeditioſa oratione populum in nebulones, perduelles patriæ perturbatores, & Deorum (his nominibus Patres appellabat) euerſores armauit. Populus correptis armis, arcubus & ſagittis, in inermes Chriſtianos irruunt. Pater Paciecus brachijs in formam crucis exporrectis, ſedato eos animo allocutus, omnem iubet metum hoſtilitatemque deponere, & de ſe eſſe ſecuros. Barbari nil hac pietate permoti, P. Rodolphum primùm aggreſſi, crus ei alterum præſcindunt: qui mox in genua decidens, oculis ad cælum ſublatis, animam ſuam Deo, ceruicem autem inflexo capite carnifici feriendam obtulit, cùm pectus ipſe denudâſſet. Barbarus, poſt quinque illi impoſita vulnera, tandèm pectus haſta tranſuerberauit. Indè Franciſcum Aragnam, nondùm ſacerdotij dignitate inſignitum, iugulo primùm crudelitèr perfoſſo, ſpiculo circa præcordia transfixerunt, ſemiuiuumque reliquerunt; & in Petrum Bernum impetum facientes, eumque in occipitio primùm, deindè in oculo vulnerârunt, & tandèm amputata auricula occiderunt. Pacieci verò pectus cùm haſta laniâſſent, iugulum quoquè traiecerunt. Antonium deindè Franciſcum tribus vulneribus confoſſum mactârunt: & tandèm ingens inconditaque hominum, mulierum quoquè & puerorum multitudo, in ſpirantem adhuc Aragnam ruit, eum ſolo eleuatum ad idola pertrahunt, iiſque ſacrificare compellunt. At cùm ille ſe ligna ac lapides non adorare, nec iis ſacrificare poſſe profiteretur, in apertum campum ductus, ſagittarum imbre confoſſus, animam felicem exhalauit. Cum iiſdem Patribus occiſi ſunt etiàm adoleſcentes duo, nobili genere quidem inter Brachmannos, ſed fide Chriſti nobiliores. Franciſcum quoquè Rodriges, Gonzaluum

P. Rodolphus occiditur cum ſuis.

Laici occiduntur.

zaluum Rodriges, & Paulum Acostam, immani crudelitate trucidârunt. His peractis, Barbari sanguine Christianorum magno clamore atque gaudio sese perlinientes, eundem idolis suis libauerunt. Corpora deindè dispersa colligentes, eaque in fossam aqua plenam, cespitibus superimpositis, demergentes, abiêrunt. Immanis istius flagitij rumor cùm Goam allatus esset, triginta Patres alij cum armata militum manu in Salsetam iussu Prouincialis nauigantes, corpora martyrum summa cum difficultate inuenta, atque ex fossa extracta, in Sacellum D. Antonij, non ità procul Racciolo, magno Christianorum Racciolanorum hominum concursu, multisque tædis & cereis accensis, suauique cantu intulerunt. Sunt qui decimum hunc quintum diem Iulij, Patribus Societatis Iesu meritò solennem esse debere contendunt: cùm aliâs nonnunquàm, tum maximè annis abhinc duodecim, idem dies, Societatem insigni multorum martyrum, cum Ignatio Azeueba in Brasiliam nauigantium, & pro Christi nomine à Caluinianis interfectorum, gloria condecorauit.

1583

Corpora Martyrũ inueniuntur.

Vide suprà sub finem anni 71.

Eodem mense Iulio, Augusto quoquè & Septembri, in Lotharingia, Campania, Piccardia, alijsque Galliæ Prouincijs supplicationes frequentes atque populosæ, per decem, immò viginti & ampliùs milliaria actæ sunt. Clerus venerabile Christi corpus, & sacras Sanctorum reliquias præferebat. Laici verò cuiusque ætatis & sexûs lineis vestibus induti, subsequebantur: ligneas cruces manu gerentes, & litanias, aliasque pias precatiunculas flebili cantu, per tot terrarum spatia, modulantes. Fiebant hæc ad exemplum Regis, qui vigesimo Martij, anni eiusdem, Lutetiæ apud Augustinianos Pœnitentium Sodalitium instituerat, Nuncio Apostolico sacrum peragente, & candidas φρατόρωρ vestes consecrante.

Bobecus Normanniæ pagus, in agro Caletensi, eodem ferè tempore igne cælesti penitùs, vna tantùm domo salua, consumptus est. Id diuinæ vltioni quidam attribuebant, eo quòd à solis ferè Caluinitis pagus ille habitaretur.

Coninxvvinter pagus est, medio inter Bonnam & Vnkelium itinere. Hunc Buyus militum sub Truchsesio præfectus captum nuper incenderat, atque reliquerat;

Truchsesiani Coninxvvinter frustrà oppugnãt.

1583 Salentinus verò Comes Isenburgius, exercitûs Bauariani Imperator, iterùm munierat, & præsidium in eo locârat. Truchsesiani, expeditione Tuitiensi peracta, Vnkelium secundò tentare voluerunt. Sed quia Coninxvvinter illis transitum negabat, locum expugnare aggressi, reijciuntur: secundam deindè & tertiam impressionem periclitantes, multis suorum desideratis, turpem in fugam sunt conuersi. Venit intereà cum copiosissimo peditum equitumque exercitu Ioãnes Casimirus, causam Truchsesij debellaturus. sed præterquàm quòd nihil tota hac æstate, tali exercitu dignum, egerit, Diœcesin & Ducatum Montensem prædis & abactionibus incredibili rapacitate illius miles diuexauit. Cùm per legatum Dominum de Thonavv ab amplissimo Senatu Colon. petijsset commeatum sibi pro pecunia mitti, Senatus id ei non negauit. Sed cùm gratis, vel honoris causa (vt illi loquebantur) aliquid sibi donari postulâsset, Senatus honestè se excusauit, petitionemque à se reiecit.

Casimiri in Colon. Diœcesin aduentus.

Geusij cæduntur.

Herentalensium intereà tria peditum signa cæduntur à præsidio Lirano, & 400. currus, varijs rebus onusti, intercipiuntur: quo tempore Alenconius Brunçum legatum suum in Zelandiam cum literis misit, aureos promittens montes, si Suã Celsitudinem recipere in gratiam, atque in imperium Belgij vellent. Belgæ verò, & præcipuè Antuerpienses eius perfidiæ memores, Galli dominatum recusârunt.

Bellum Piltense.

In Liuonia Piltenses, Poloniæ atque Churlandiæ imperium recusâsse diximus. Cardinalis itaque Oborouium cum equitibus peditibusque misit, qui omnem circà regionẽ incendijs, rapinis & cædibus deformârunt. Diœcesani verò arces atque oppida sua munientes, hostium libidini patentes campos permiserunt: sæpiusque erumpentes, plerosque aut trucidârunt, aut captiuos duxerunt: tandèm ipsum etiam Oborouium occiderunt. Cardinalis intereà Churlandiæ Ducem ad colloquium vocat: ei exponit, quanti intersit regni Poloniæ, vt Diœcesani quàm citissimè in ordinem redigantur. esse hanc etiàm extremam Regis voluntatem: Ducem fidelem regni fiduciarium esse clientem: Fas itaque esse, vt & ipse copias aliquot mittat, quò Piltenses, priusquàm ex Dania suppetiæ mittantur, ad obedientima compelli quàm celerrimè possint. Dux verò multas rationes adduxit, quibus se moueri dicebat, quo minùs huic bello se implicare posset. Cardinalis, audita

morte

morte Oborouij, Præfectum Marienburgensem cum nouis copijs contra Piltenses misit. Is in mandatis habebat, vt Churlandiæ Ducem tertiò conueniret, & auxiliares copias, commeatumque ad hanc expeditionem faciendam ab illo peteret. Sed Dux in priori sua sententia permansit. Præfectus discedens sæpè felicitèr cum Piltensibus pugnauit. Intereà Farenbeckius Regis Daniæ prorex, misit ad Cardinalem Legatos, qui inducias petiêrunt. Cardinalis verò rem in celeritate positam esse existimans, inducias negauit, obedientiam postulauit. 1583

Intereà Barbari aliquot fines Lituaniæ lacessere præda belloque cœperunt. quarè Lituani ad Regem Poloniæ scribunt, opem implorantes. Rex ignarus victoriarum, Cardinali scribit, mandans ei vt copias in præsidia Lituaniæ remittat. Cardinalis breuì debellatum fore sperans, in incepto bello perseuerauit, & Piltenses populabundos excurrentes fudit. Daniæ Rex ad Stephanum Nobilem quendam Polonum misit, qui Cardinalis studia incusaret, & Dani querelas, propter vexatos Piltenses, apud Polonum deponeret. Polonus vicissìm ad Danum legationem mittit, quæ conquerebatur Danum rebelles ac seditiosos Regis Poloniæ subditos defendere. Diœcesanos enim Churlandiæ immediatè Polono subesse: vnà cum vniuersa Liuonia ad coronam deuenisse. Episcopo Monachausio non licuisse Diœcesin vendere, id & legibus refragari, & iuramento suo contrarium esse: proprio illum scripto promisisse, nihil se in Diœcesi citra magni Magistri voluntatem mutaturum, multò minùs ipsam Diœcesin venditurum: reclamare etiàm patriæ constitutiones: & proindè contractum huiusmodi ipso iure scripto, obligatione ipsius Episcopi propria, & constitutionibus prouinciæ, ab initio nullius fuisse ponderis aut momenti. quod autem ab initio non valuit, id tractu temporis vires acquirere non potuisse. Licèt, ait Polonus, tempore vitæ Ducis Magni id dissimulatum est, tamen hæreditariam successionem in Beneficiatis nolumus ratam haberi: esse enim manifestum, penès quos ius præsentandi & conferendi antiquitùs esse soleat. Omnibus etiàm notum esse, Magnum à Mosco deficientem, se, suaque Polono subiecisse. Danum, mortuo Magno, omnia Mosco cessisse: Polonum verò totam Liuoniam nunc à Moscis pacto recepisse; & proindè Piltenses Liuoniæ populos Polonici iuris esse. Meminisse Danum, quòd initio belli Mo-

Legatio Dani ad Polonum, & Poloni ad Danū.

Monachausius Episcopus Diœcesin Churlandiæ vendidit.

1583 li Moſcici interpellatus ſit à confœderatis, qui copias aliquot ab illo in vſum huius expeditionis petebant: ſed reſponſum ab eo eſſe, ſe copias paratas non habere, cæterùm ex ærario ſuo ſummam pecuniæ depromere velle, eamq́ue mittere. Id tamen cur factum non ſit, ignoratum eſſe. Cùm itaque Polonus, & viuo, & mortuo Magno, in poſſeſſione Diœceſeos ſecurus fuerit, excepto quòd ſubditi nonnulli ſeditioſi ſeſe opponant; rogare ſe Danum, nè poſſeſſionem ſuam interturbet, aut rebellibus ope, conſilióve patrocinetur. Quòd ſi Danus arbitretur ſibi ratione precij numerati aliquid reſtitui debere, ſe arbitros & ſequeſtres ſtres auditurum, Danoq́ue ex poſſeſſione reſponſurum.

Georgius Elector Brãdenb. pacem inter Danũ & Polonũ componit.

Illuſtriſſimus Elector Georgius Fredericus, Marchio Brandeburgenſis, metuens contumelioſis ſcriptis atque legationibus ipſos Reges irritari poſſe, & rem tandèm in apertum bellum prorumpere, ſeſe diſceptatorem interpoſuit; obtinuitq́ue apud Danum, vt iuris ſui arbiter honorarius conſtitueretur. qua re impetrata, confeſtìm ad Poloniæ Regem atque Cardinalem legatos miſit, effecitq́ue vt arma ceſſarent, & quidquid ab vtraque parte hactenùs in Diœceſi occupatum erat, id ei pareret, à quo captum eſſet: donèc inter vtrunque Regem pleniùs hac de controuerſia conueniſſet.

Tartari Poloniæ ditionibus minãtur.

Intereà Tartarorum incredibilis multitudo ad Boryſthenem confluxit. Paulò enim antè Legatum Crcouiam ad Regem Poloniæ miſerant, tributum poſtulantes, & prædam quam Koſaci ipſis nuper ademerant, repetentes. Aderat & Imperatoris Turcici Legatus, qui idem flagitabat. dicebat enim, Turcam cum Tartaro breuì confraternitatem iniјſſe contra Perſas, vt eius ope commodiùs eos debellaret. hac de cauſa Tartaro legationem hanc denegare non potuiſſe. Rex Legatos aliquandiù detinuit, atque interim clàm exercitum ex Germanis, Pannonibus & Polonis conflatum, in Podoliam mittit, exploratum quid Tartari conſilij captarent, aut quà iam iter inſtituiſſent. Quod cùm Tartari per ſuos quoquè exploratores didiciſſent, re infecta dilapſi, & ad ſuos reuerſi ſunt. Circa hyemem tamen reuerſi, ad fines

Tartari in Ruſsiã excurrũt.

penè Ruſſiæ excurrerunt, omnia ferro atque igne vaſtârunt, aliquot hominum millia vtriuſque ſexûs captiuârunt, & Turcis vendiderunt: inter quos multi nobiles, multi erant ſummæ authoritatis magnates.

Septem-

Septembri menſe conuentus Francofurti ad Mœnum habitus eſt, ad quem Imperator Electores & Principes Imperij, ad cauſam Colonienſem cognoſcendam, euocârat. Venerant huc diuerſorum Principum Legati: Salentinus ab Iſenburg & quidam Conſiliarij nomine Bauari eò profecti erant, habebat & Truchſeſius ibidèm ſuos. Acritèr diſputatum eſt negocium, varijsque modis ventilatum. ſed cauſa Bauari ità defenſa eſt, vt maiori parti probaretur. Erat tunc Caſimirus cum parte copiarum in Remmerskirchen, vbì nuncius Imperatorius, quem Germani Heroldum vocant, literas Cæſaris illi porrexit, quibus Imperator, non Caſimiro ſoli, ſed & alijs Comitibus, equitum Magiſtris, atque Tribunis militum, Truchſeſij partem ſequentibus, proſcriptionem denunciabat, nî poſitis vexillis, militia hac excederent, & relicta Diœceſi, in ſua reuerterentur. Peculiares etiàm literas Cæſar ad Carolum Truchſeſij fratrem, & Comitem Adolphum Nuenarium miſit, grauitèr cum illis expoſtulans, præcipiensque, vt aurum, argentum, cimelia, aliaque Diœceſeos ornamenta, literas, inſtrumenta, & diplomata, Bruelæ, Bonnæque ex archiuo rapta, nuper electo Archiepiſcopo reſtituerent: oppida, monaſteria, arcesque occupatas, cum omni præſidio desererent, & damna per Diœceſin facta, reſarcirent, copias dimitterent, turbata pacarent, niſì proſcriptionis ſententia velint condemnari.

1583

Conuentus Francfordianus.

Cæſar ad Caſimirũ & alios Truchſeſianos literas proſcriptionis mittit.

Duodecimo die Septembris Taxis, & centurio quidam cognomine De Boijs, Zutphanium in poteſtatem Regis Hiſp. redegerunt. Poſitis enim in agro ſuburbano inſidijs, miſere qui domunculam portæ vicinam, in qua interdiù excubitores ſedere ſolent, interciperent. ipſi ſignum obſeruabant. Manè cùm porta iam aperiretur, qui in domuncula erant erumpentes, impetu in excubitores facto, eos aut fugant, aut occidunt; datoque ſigno ſocijs, qui in ſuburbio erant, communibus viribus in vrbem ruunt. ciues plerique adhuc dormientes, antequàm quid ageretur cognoſcerent, vnà cum vrbe in poteſtatem Regis venerunt, mulctatique certa pecuniæ ſumma, præſidium receperunt.

Zutphanium à regiis capitur.

Erat in caſtris Caſimirianis rei pecuniariæ atque commeatûs magna penuria: quarè huc illucque per Ducatum curſitantes eius milites, ſtipendium ſibi dari ſæpiùs poſtulârunt. Caſimirus Gebhardum, qui tunc in Vveſtpha-

Caſimirus cum ſuis Truchſeſium deſerunt.

1583 Vvestphalia erat, per literas interpellans, eum tumultûs, qui in castris suis erat, quique maior expectabatur, facit certiorem. Consolatur eum Gebhardus, & pecuniam se propediem missurum promittit. Sed paulò pòst cùm Magistris equitum, & Tribunis qui in castris Casimiri erant, suboluisset, Cæsarem proscriptionem omnibus minari, qui Truchsesio militarent, missionem à Casimiro petierunt. Peropportunè eodem tempore Ludouicus Palatinus Elector, frater Casimiri, è vita migrauit. Eius enim mors Casimiro discedendi honestam occasionem obtulit, dum ad fraternas exequias, & tutelam Nepotis sui suscipiendam se vocari simulauit. Postquàm itaque Casimirus duos iam menses Truchsesio militâsset, Diœcesin & Ducatum Montensem miseris modis depopulatus esset, nec vnquàm de hoste victoriam reportâsset, dimisso exercitu, ad manes fraternos condendos profectus est. Exercitûs reliquias Comes Arenbergius, qui egregiam operam in hoc bello Ernesto Bauaro nauauit, à tergo insecutus, Gallos adortus oppugnauit: qui sacellũ quoddam nacti sese defenderunt, sed iniecto in tectum igne, omnes, non sinè iusto Dei iudicio, cõcremati sunt. Erant enim iidem Gascones, qui celeberrimũ, antiquissimumque illud monasterium Tuitiense igni nuper erant depopulati. Buyus cùm suis opitulari vellet, à Bauarianis captus est.

Ludouici Palatini Electoris mors.

Iustũ Dei iudicium.

Dilapso, dissipatoque exercitu Truchsesiano, Ferdinandus Dux, frater noui Archiepiscopi, qui nuper ex Bauaria cum nouis copiis in castra venerat, & Comes Arenbergius arcem Poppelsdorfensem, in agro Bonnensi sitam, obsederunt, oppugnârunt, & tandèm etiàm expugnârunt. qua capta, confestìm castra ad montem Mercurij, quem Godesberg appellant incolæ, posuerunt.

Poppelsdorff capitur.

Fredericus intereà Saxoniæ Dux, Ayta Præpositus Gandauensis, & Kespenoyus Ruræmundæ Gubernator pagum Hulstanum, quem Nuenarius munierat, multasque ex eo prædas circunquaquè agebat, firma obsidione cinxerunt. Intereà mandato Electoris & amplifs. Senatûs Calendarij emendatio, quam alias nationes anno superiori amplexas esse diximus anteà, hoc mense Nouembri à Coloniensibus, omnibusque Diœcesanis acceptatur. neque enim illud ob belli tumultus antehàc commodè fieri potuit. Protestantes verò per Germaniam, obdurato adhuc animo, in veteri calculo perseuerantes,

Hulst obsidetur.

Calẽdarij emẽdatio recipitur Coloniæ.

rantes, Pontificis beneficio frui noluerunt. 1583

Parmensis intereà Valencenas profectus, per internuncios cum Alenconio de restituendo Cameraco egit: dati sunt vtrinquè obsides, atque diù multumque disceptatum. Sed Alenconius tam iniquas postulabat conditiones, vt non difficile esset agnoscere, Gallicam esse nundinationem, nec eũ aliud moliri, quàm vt hoc modo Ordinibus Belgij minitaretur, faciliusque ad reconciliationem compelleret. Præterquàm enim quòd & castrum exscindere vellet, & vrbem Imperio liberã tradere, trecenta quoquè coronatorum millia, sibi ab Rege Hispan. numerari popoſcit. Parmensis igitur relicto Cameraco, in Flandriam redit; Huistum & Axellam, totamque ditionem, vulgò **Vlant van Waes** dictam, felicibus auspicijs occupauit. Est ea ditio totius Flandriæ longè fertilissima, & ad infestandos Gandauenses, Brugenses & Antuerpianos commodissimo loco sita. Quarè Antuerpienses trepidantes, & quid consilij captarent nescij, ad Auraicũ scribunt, eius sententiã rogantes. Ille, vt solet ferè semper, ad extrema fugiens, suadet aggeres omnes meridionales Scaldis perforari, & aquis omnem illam regionem operiri: Fore enim hoc modo, vt hostis ad Scaldin munitiones construere non posset, nec impedire nauigationem. Antuerpiẽses consiliũ Auraici secuti, aggeres ad Safftinium, secundo ab Antuerpia lapide, aperuerunt, & fluuium in fertilissima prata ciuium, subditorumque suorum cum incredibili damno immiserunt. Nec inundatione hac contenti, arctiori se cum Flandrorum primarijs vrbibus fœdere constrinxerunt, omnia sese perpessuros iurantes, priùs quàm Regi se dedant. Post istud fœdus Gandauenses iterùm tumultuari cœperunt, & quadraginta ex optimatibus primarijsque ciuibus appræhenderunt: Campaignium regulum, Granuellani Cardinalis fratrem, arctiori carceri incluserunt, & libellum quendam diuulgârunt, in quo proditionis accusabant omnes, qui pacem cum Rege ineundam suadebant: vt hoc modo populum ad nouas seditiones concitarent.

Alenconij & Parmensis de Cameraco disceptatio.

Hulst & Axella capiuntur.

Nouum fœdus.

Iudęus quidã Stephanus Isaacus, genere Leui, moribus verò leuior, qui vt vulpes in Ecclesiã Dei intrauerat, eam hoc tẽpore Colonię demoliri nitebatur. Patre natus Ioanne Isaaco Grammatico, & post circuncisionem baptizatus, Christum verè induisse putabatur. Cæterùm pro more gentis Iudaizans, Christianis plurimis erat de fide suspectus. Constans enim fama est, & in multorum

Stephanus Isaac turbat Ecclesiam Coloniensem.

 grauiſ-

1583 grauissimorum virorum ore adhuc frequens, cum iam sacris initiatum, Tuitij Ephod lineo indutum, inter Iudæos, in sacrificijs Iudæorum sedentem, esse depræhensum. Nihilominùs ex summa inopia ad maximas diuitias, ecclesiasticasq; dignitates peruenit, & tādèm pastor in sancta hac Vrbe factus est. Habebat enim popularem quandam eloquentiam, & à multis cum voluptate audiebatur. Sed familiaritate quorundam magnatum Protestantium, quorum mensas sectabatur, magìs magisq; in fide corruptus est. Tandē bello Truchsesiano cùm à Gebhardo ipso & Vvitgensteinio Comite, siue is Præpositus sit (quod tamen ille negat, licèt tunc vrbs tota credebat) siue eius frater Ludouicus, literas legationemq; accepisset, iamq; bello Truchsesius succumberet, Isaacus seditiosa quadam concione, in pium Imaginum vsum (vndè huiusmodi homines suæ tragœdiæ protasin ferè auspicantur) inuectus est : ad peiora paulatìm progressurus, nisi ipse à Reuerendissimo Archiepiscopo, & Amplissimo vrbis Senatu interdicto statim à munere concionandi suspensus, populoque eius concionibus addicto silentium impositum fuisset. Cùm itaque institutum suum euentu optato carere videret, pœnitentia ductus, ad ecclesiam quasi reuersus, Missas celebrauit, & alia fecit, quibus se hanc maculam eluere posse sperabat. Fuerat anteà coactor prouentuum collegij S. Vrsulæ, cuius erat etiàm Canonicus. Collegæ eius vt rationem acceptorum redderet, sæpè institerunt. sed ille tergiuersabatur, vina atque alia sub titulo reddendæ rationis diuendens. Tandèm ab Archiepiscopo in ius vocatus, & condemnàtus, non reddita ratione, cum ære alieno discessit. cumque aliquandiù solum vertisset, vltimò pastor indignus (vt ipse scribit, & quidem verè) Heidelbergensis factus est.

Comes Montensis capitur. Comes Montensis iamdudùm Regi reconciliatus, & sub finem anni 81. iterùm deficiens ad partes Ordinum, cùm id quod à Parmensi petebat, consequi non posset, Geldrię gubernaculum sub Ordinibus suscepit. Quod cùm aliquandiù administrâsset, sub hoc tempus in suspicionem venit, quòd clàm cum Regijs conpirâsset, & tres præcipuas Geldriæ ciuitates, regiæ potestati pro reconciliatione tradere pollicitus esset. Auxit hanc suspicionem aduentus equitum peditumque Hispanorum, qui traiecto Mosæ fluuio, iuxta Venlonem consedêre; opportunitatem, vt aiebant, expectantes, qua Comes

hās

has vrbes esset traditurus. Ea suspicio mouit Ordines 1583 Geldriæ, vt Comitem Neomagi compræhensum, cum filio & consiliarijs suis nonnullis Traiectum, atque indè ad Auraicum miserint: qui illos deincèps in Rammekens, Zelandiæ castrum munitissimum, ablegauit.

Turcæ Legatos Poloniæ occidunt.

Mense Nouembri, Poloniç Regi nuncius allatus est, Turcas Regis legatos occidisse, eorum comitatum in frusta concidisse, vnum tantùm puerum incolumem euasisse, qui astu quodam se subduxerat. Sed paulò pòst legatus ab Imperatore Turcico venit, qui id inscio Imperatore factum asseuerabat: velle eum circunstantias facti diligenter inquirere, & Regi fidelitèr significare.

Poloni ad magnum Chamum legatio.

Eodem ferè tempore, Polonus ad Magnũ Chamum Tartarorũ Imperatorẽ misit legationẽ, qua cũ eo transigeret, nè Tartari Crimnitzenses (sunt enim Tartarorum tria genera; Cazanitç, Procopitç, & Crimnitzenses) assiduis excursionibus ditiones Polonicas posthàc redderent infestas. De Procopitis & Cazanitis Rex non erat solicitus. hos enim Moscus annis superioribus domuerat: illi longiùs erant remoti, quàm vt Polonis aliquid damni possent inferre. Crimnitzenses verò, qui ad Borysthenem & Pontum Euxinum sedes habent, Lituaniæ fines facili negocio possunt inuadere, eosque depopulari.

Turcica ad Polonos legatio.

Intereà Mustapha Zausius, legatus Imperatoris Turcici, ad Regẽ Poloniæ venit, qui excusationẽ cædis Legatorum nuper perpetratæ attulit: dicebat enim Legatos præter mandatũ suum exercitũ, qui aduersùs Persas conscriptus erat, lustrâsse atq; explorâsse: ideoq; Turcas offensos eos inscio Imperatore occidisse. Interfectorẽ tamẽ adduxit, Regiq; mactandum tradidit. Quia verò Cosaci nuper maxima Turcis detrimenta intulerant, postulauit vicissìm eorum præfectum Imperatori suo donari. Erat hic Mustapha, vt Rex asserebat, apostata, qui tempore patris Stephani in Transyluania, in Arrianorum scholis professorem egerat: sed cùm in exilium eijceretur, ad Turcas defecerat, iamque ob raras ingenij dotes Orator Turcicus effectus, in legationibus omnia Latinè quàm elegãtissimè perorabat: quod Polonis erat hactenùs inauditum. Perpotabat cum Polonis hilaritèr, dicebatque Imperatorem suum quotidianis conuiuijs & perpotationibus studere, idemq; vitium apud Turcas indiès magis magisque inolescere. De Christo non contumeliosè loquebatur, sed testabatur eum multò maiorẽ prophetam esse ipso Mahumete, immò plus quàm hominem fuisse.

Testimonium Legati Turcici de Christo.

Si qui

1583 Si qui symbolum aut emblema sibi aliquod scribi flagitarent, de Deo, Christo & Mahumete breue hoc elogium scribebat: *Non sunt Dij: Sed vnus est verè Deus. Iesus est Spiritus Dei: & Mahumeth eius nuncius.*

Angliæ Regina Puritanos aliquot hoc anno, vt scribit Genebrardus, ritu barbarico suspendit: quòd negarent piè dici fœminam esse caput Ecclesiæ, alicuius prouinciæ, vel regni. Sic Deus hæreticos hæreticis committit, vt Catholicis tacentibus mutuò sese conficiant.

Bauariani in Hulst cæduntur. Fredericum Saxoniæ Ducem, & Choriepiscopum Ecclesiæ Coloniensis, munitionem in Hulst obsidione cinxisse, dictum est anteà. Præsidiarij iam penuria laborare cœperant, nec quicquam tamen de sua petulantia atque peruicacia remittebant. Truchsesius, Nuenarius, & Henricus Bruinsuicensis nothus, cùm suos laborare non ignorarent, euocatis vndiquè præsidijs, copijsque per Vvestphaliam palantibus coactis, summa cum celeritate instructissimo equitum peditumque agmine Rhenum traiecerunt, & 19. Nouembris proximè castra Ducis accessère. Eburones qui in castris erant, relicto vallo, obuiàm illis processerunt, & ab hoste excepti, velitando aliquandiù, indè cedendo, mox fugiendo sinè respectu, in castra, vt se Germanis iungerent, sese recipiunt. Dux Kespenoyus & Ayta, accepto hostem fugientibus magno agmine instare, conclamari ad arma, & raptìm in aciem suos educi iusserunt. Dimicatur cominùs magna vi, Duces modò equites, modò pedites, in prima acie consistebant, interdùm post principia obequitabāt; nunc inter medios versabantur, suis animum addebant, nè hostium multitudine consternarentur. Eburones fortissimè pugnabant, totumque hostium impetum obiectis corporibus sustinebant. Germani verò paulatìm cedere, deindè effusa fuga, quà quisque commodè potuit, se subduxit: ità vt Eburones à suis relicti, nec tamen fugere volentes, penè omnes sint trucidati. Dux & Præpositus vix incolumes euaserunt. Kespenoyus vulneratus in hostium potestatem venit: cæteri fugientes, insignem prædam hostibus reliquerunt. Culpam huius cladis quidam in auxiliariorum moram reijciunt, quidam excusant fluuij seu torrentis interiectu. Alij asserunt peritiam rei militaris in Præfectis fuisse desideratam.

In comitijs Fräcford. quid actum sit. Qui in comitijs Francofortianis erant, auditis vtriusque partis rationibus atque argumentis, iudicârunt æquum esse, vt Truchsesius Bauaro cedat; Bauarus vicissim

sìm Truchſeſio annuam penſitationem, quoàd viuat, eamq; tolerabilem annumeret. Legati Truchſeſij veniam poſtulârunt ad principem ſuum proficiſcendi, eiusq; animum perſcrutandi. Qui cùm ad eum veniſſent, eiusque ſententiam rogâſſent, aiunt illum reſpondiſſe: Electoralem dignitatem atque imperium Vveſtphaliæ ſibi reſeruata velle: Archiepiſcopi titulum, cum oppidis quę tunc habebat Bauarus, Bauaro ſe condonaturum. His conditionibus nec prorſus alijs pacem coire poſſe. Sed reſponſum illud in comitijs eſt exploſum: iam enim Bauaro regalia erant ab Imperatore miſſa, & per literas Imperij Principibus mandatum, vt Bauarum legitimum Electorem agnoſcerent, atque obſeruarent. 1583

Gandauenſes poſteriori fœdere in ſeſe receperant, præſidia Aloſtana atque Teneremundana ſuis ſumptibus ſuſtentare. Sed cùm debita ſtipendia non mitterentur, & præſidijs neceſſaria deeſſe cœpiſſent, Angli & Scoti, quorum curæ Aloſtum erat demandatum, cùm inanes eſſe Gandauẽſium pollicitationes animaduerterent, clàm cum regijs, certa pecuniæ ſumma oblata deditionem paciſcebantur. Miſſus eſt equitatus à Parmenſi, qui vrbem in fidem Regis acciperet. Qui cùm in conſpectu eſſet, Angli & Scoti conſilium ſuum detexerunt. ciues in ſententiam illorum concedunt: Galli & Flandri reluctantur. Sed quia pars altera viribus potior erat, Flandri & Galli exire iuſſi; & regij in vrbem, magno Gandauenſium atque Antuerpienſium dolore atque incommodo, recepti ſunt. *Aloſtum Regi traditur.*

Auraicus quotidianis regiorum victorijs attonitus, cùm aliud præſens remedium non eſſet, omnem mouebat lapidem, vt ſublata diffidentia, Alenconium Ordinesque reconciliaret, inque nouũ fœdus mitteret. Eum in finem comitia Dordraci indixit, ad eaque Ordines euocauit. Hærebat adhuc in Belgio Bruneus Alenconij legatus. Sed quia conditiones ab Alenconio propoſitæ Ordinibus partìm ſuſpectæ, partìm eſſent abſurdæ, rationique minùs conſentaneæ, non potuit Auraicus eos inducere, ad Alenconium reuocandum. quarè dimiſſo conuentu, paulò pòſt in Haga Comitis coeundum, ibidemque hac de re latiùs agendum iudicauit. Intereà ſperat ſe per ſuos materiam magìs præparaturum, viamque ad propoſitum ſuum perueniendi ſtraturum. ſed oleum atque operam omnem perdidit. *Auraici ſtudia ad Alenconium reuocandum irrita.*

Intereà Montibus ad Zomam præſidiarij tumultuntur,

1584 antur, propterea quòd ipsis stipendia non persoluerentur. Hanc ob causam 150. naues Hollandicas, bobus, alijsque mercimonijs plenas, in portu detinuerunt; sex mensium stipendia, dimidiamque naualis istius prædæ partem exigentes. Post aliquot tamen septimanas partim pollicitationibus, partim pecunia placati, in ordinem rediêrunt.

Godesberg capitur à Bauarianis.

Ad finem anni huius, Bauariani arcem Godesberg, in altissima rupe sitam, diuque obsessam, actis tandèm cuniculis, summis viribus expugnâruut. qui in præsidio erant omnes, Præfecto solo excepto, aut occisi sunt, aut in carceres coniecti, & supplicio affecti. Erant enim præmiatores, prædatoresque omnes. Heisterbacensis Abbas, & Ranucinus in munimento Tuitiensi captus, viui adhuc reperti, & libertati restituti sunt, Arce hac capta, cófestìm Bonnam arctissimè obsederunt. Ità hoc anno vicit Deus, vicerunt & homines, causasque Principum, de quibus homines ambigebant, enentus belli, velut æquus iudex, vndè ius stabat, eis victoriam dedit: senseruntque Belgæ, quo leniùs Rex egit, quo segniùs incepit, eo cùm incepisset, progredi perseuerantiùs.

Henricus Bruinsuicensis cæditur.

ANNO 1584. ipsis Calendis Ianuarij, laborante iam pecuniæ & commeatûs inopia præsidio Bonnensi, Gebhardus Truchsesius Henricum Bruinsuicensem equitum magistrum, cum exercitu, multisque curribus stellatura onustis, Bonnam ex Vvestphalia clàm misir, vt Bauarianos vltra Rhenum ex improuiso trucidaret, atque vrbi annonam importaret. Sed Bauariani per exploratores de eius adnentu certiores facti, in sylua quadam, vbi Siegius ponte constratus erat, qui Truchsesianis erat necessariò transeundus, hostem expectabant: adiunxerant sese Bauarianis multi agricolæ, vt communibus viribus hosti obstarent. Venit ad pontem Truchsesianum agmen, & iam primi aliquot ordines transierant, cùm Bauariani ex insidijs erumpunt, & hostem adoriuntur. Fit atrox pugna: Truchsesiani multitudine hostium circuncincti, dum à suis ob fluuium intermedium, pontisque angustiam iuuare non possent, passìm cæsi sunt. qui supererant, tanto cum impetu ad pontem socijs, qui etiàm in ponte erant, occurrunt, vt se inuicèm in fluuium deturbârint, & tandèm grauitate ponderis in eo tumultuantium, pons dissolutus subsederit, multosque fluuius absorpserit.

pſerit. reliqui aut capti, aut occiſi ſunt. Qui vltra Siegium erant, celerrima fuga in Vveſtphaliam reuertebantur. In Flandria quoquè cõmeatus omnis Hypras à Brugenſibus miſſus, à regijs eſt interceptus. *1584*

Belgæ de nouo principe contendunt.

Auraicus & Aldegundus noctes atq; dies in hoc toti erant, vt Alenconium reuocarent, & totius Belgij principem crearent: excepta Hollandia & Zelandia, quarum prouinciarum Comes Auraicus ipſe conſtitui malebat. Cæterùm maritimę Hollandiæ ciuitates, vtrunq; recusârunt. Alenconium vt proditorem reijciebant, etiàm tunc cùm Aldegundus diceret, præſtare Proditorē quàm Tyrannum habere Comitem, tacitè Regem Hiſpan. Tyrannum appellans. Auraicum Gubernatorem, non Comitem volebant: nè fortè excuſſo penitùs Regis cum imperio nomine, occidentalis nauigatio ipſis interdiceretur, aut tuta non eſſet. Acceſſerat & his petitionibus ſexti denarij bonorum omnium exactio, quam ſimili conſtantia maritimi illi pernegârunt: & nisì Auraicus de cupiditate ſua aliquid remiſiſſet, res in apertam ſeditionem erupiſſet.

Lyra proditione fruſtrà tentatur.

Aldegundus Conſul Antuerpienſis nuper electus, vt ciuitati gratificaretur, proditionem in oppidum Lyranum adornauit. Sed innotuit ea proditio oppidi Præfecto, qui re diſſimulata, clàm inſidias circunquaquè diſpoſuit, quæ aduenientes proditores, proditorumq́ue miniſtros interciperent, atque mactarent. Res non caruit euentu. Collectæ ſiquidem copiæ ex Mechlinienſi & Herentalenſi præſidio, cùm alacri animo Lyram aduolarent, ex improuiſo ab inſidijs cincti, cæſi, fugatiq́ue ſunt. qua in pugna filius Elberti Leoninini, quem vulgò Longolium vocant, interfectus eſt.

Bonna deditur Bauaro.

Præſidiarij Bonnenſes cùm nec commeatū, nec pecuniam à Gebhardo mitti ex emiſſarijs ſuis didiciſſent, tumultuabantur. Sub id etiàm fama per oppidū increbuit, Imperatorem literas proſcriptionis ad Carolū miſiſſe, quibus & ipſi, & omnibus eius militibus proſcriptionem Imperij minabatur, nisì oppidū Bauaro traderent. Qua de cauſa Carolū confeſtìm captum arctæ cuſtodiæ mancipârunt; claues portarū in ſuā poteſtatem acceperunt, & cum Bauarianis de deditione oppidi, Caroli verò Truchſeſij, aliorumq́ue præfectorum, pernicioſorum hominum, traditione ſeriò agere cœperunt. Tandem præter vitam, fortunas, & tuti itineris fidem,

qua-

1584 quatuor coronatorum millia pacti, vrbem 28. Ianuarij cum Truchsesij fratre Carolo, cæterisque militum præfectis, Electori Bauaro tradiderunt. Carolus Huum Eburonum oppidum abductus; centuriones & præfecti aliquot laqueo strangulati, & vrbs præsidio firmata est.

Carolus Truchsesius capitur.

Doula locus est ad Scaldin fluuium inter Antuerpiam & istius fluminis ostium; in hac Antuerpienses propugnaculum construxerunt, quo contra excursiones regiorum nauigationem tuerentur. Regij verò capto Bercto pago impediêrunt, nè quis commeatus Mechliniensibus, Bruxellensibus, aut Gandauensibus posset supportari. Ordines instructis nauibus regios hinc pellere frustrà conabantur. Quarè perforatis aggeribus Hobocken è regione eius pagi, nè regij eum etiam locum occuparent, infuso flumine stagnare fecerunt.

Imperator Neomagenses ad pacẽ hortatur.

Circa idem tempus Sacra Cæsarea Maiestas ad vrbem Nouiomagensem literas dedit, quibus hortabatur, vt depositis armis pacem cum Rege suo componerent: se allaboraturam, vt eam æquissimis conditionibus consequantur. Literæ Colonia per Paulum Assilerium missæ, & in Senatu magna quorundam expectatione lectæ fuerunt.

In Gallia Rhenatus Peschardus, Minister Caluinianus, deposito omni errore, Ecclesiæ Romanæ, ope Sangermani Cæsareæ Episcopi, reconciliatur: & Lutetiæ Franciscanorum indumentum, quod per apostasian ante annos triginta exuerat, iterùm assumpsit.

Subsidia Hyperensium cæduntur secundò & tertiò.

Brugenses de Hyprensibus obsessis plurimùm soliciti, militem cum stellatura ipsis submiserunt. Sed regij eius per exploratores certiores facti, subsidiarijs obuiàm procedunt, omnemque, cæsis eorum ducentis, annonam intercipiunt. Quo nuncio accepto, Brugenses actutùm alios octoginta currus commeatu onerârunt, centumque & quinquaginta corbes etiàm cibo plenas addiderunt, quas totidem rustici dorso baiularent: accitis deindè 400. equitibus, & 500. peditibus Scotis, eandem fortunam periclitari iusserunt. Sed regij cùm per emissarios didicissent subsidium hoc in procinctu esse, relictis duabus munitionibus, forti animo illi obuiàm processerũt; commissoque prælio quingentos, tam equites, quàm pedites prostrauerunt; cęteros in fugam coniecerunt, commeatum omnem, exceptis exiguo numero, & quæ vix ad vnum diem vrbi obsessæ sufficiebant, corbibus, iterùm hosti præripuerunt, & viginti tantùm ex suis desideratis,

tis, in castra reuersi sunt. Contigit hoc 16. Feb. cùm paulò ante vxor Auraici masculam prolem esset enixa. 1584

Intereà in Diœcesi Colonienſi Bedbergum, Nuenaricæ iurisdictionis oppidulum, Bauariani occupant: arcem verò Schrekius Buscoducensis quidam, cum suis aliquandiù tuebatur: sed cùm nusquàm auxilia pararentur, territus sociorum suorum in Poppelsdorff & Godesberg tristi interitu, nono Martij deditionem fecit. Ioan. Mãriquus deindè aliquot hastatos equites, copiasque suas pedestres Rhenum traducens, in mandatis habebat, vt oppidum Reckelinckhusense cum vniuerso territorio Vestensi Bauaro recuperaret. Horum aduentum metuens Gebhardus, omnia spolia ecclesiastica atque prophana, tanto tempore, tam in Vvestphalia, quàm in Diœcesi rapta atque congesta, curribus imposita, vnà cum Nympha sua in arcem Dillenburgensem misit, ipse Geldriam versùs profectus est. *Bedbergũ capitur.* *Truchſeſius fugit.*

Regij in Flandria iam Cortraco, Audenarda, & Ekoloo capto, tria flumina Gandauensium nauigabilia occupabãt: restabat quartum: quarè in Vateren cis & vltra Scaldin propugnacula erexerunt, quę ligneo ponte coniunxerunt, fluuiumque ità obstruxerunt, nè qua nauis Antuerpia Gandauum transire posset. Quarè Ioannes Embiesius Consul, non ignarus quanto in periculo vrbs versaretur, ab vna parte; atque ab altera Auraicum non cessare Alenconij, cui ille hostis erat infensissimus, causam promouere, reditumque persuadere; communicato cum quibusdam consilio, in partes Regis Hispan. animum inclinare cœpit, palamque profitebatur, satius esse Hispanorum quàm Francorum dominatum acceptare. Fama tunc frequens erat Auraicum ad Magistratum literas dedisse, vt Embiesium captum ad se mitterent, easque literas ad Embiesium latas, atque ab eo lectas fuisse, animumq; eius magìs exacerbâsse. Causam huius simultatis inter Embiesium & Auraicum referunt nonnulli fuisse hanc: Petrus Dathenus Archiminister Gandauẽsis id ante sexennium apud primates egerat, vt Casimirum, qui tunc in Brabantia erat, Comitem Flandriæ crearent. Embiesius tunc primarius erat in vrbe Consul, & huic Datheni consilio subscripsit. Vocatus est Casimirus: Venit cum exercitu, iamque Comes (vt putabatur) creandus erat. Sed Auraicus id ægerrimè ferens, nè fieret impediuit. fauebat enim tam ipse, quàm Angliæ Regina Alenconio. Embiesius verò & quidam Casimiri consilia- *Gãdauenses in angustias redìguntur.* *Embiesij & Auraici dissidium.*

1584 rius famosum quendam libellum in Alenconium excudi atque diuulgari curant, in quo Alenconius ità depictus erat, vt omnium animi meritò ab eo auerterentur. Atq; hinc inter Auraicum & Embiesium odiũ natũ est capitale. Auraicus paulò pòst Gandauum veniens, Embiesium dignitate, quam habebat, deiecit, & magistratum ex suæ factioni addictioribus creauit. Embiesius id indignè ferens, relicta Flandria, Frankentalum in Palatinatûs Rheni oppidulum commigrauit: ibique plus minus biennium, cum Datheno vixit. Posteà rebus Auraici inclinantibus, à suis fautoribus Embiesius, vt antè narratum est, reuocatur. Pristinæ dignitati restitutus, Rimmium Iurisconsultum, Borlutium, Borleum, aliosque pacis amantes viros, qui Regi potiùs quàm Alenconio reconciliandum suadebant, in vincula coniecit: nouum Magistratum è suis legit, & qui Remp. se absente administrârant remouit. Sed cùm se Alenconio inuisum esse, & Auraicum habere infensum non ignoraret, literasque Auraici, de quibus diximus, insupèr accepisset, de pace cum regijs ineunda cœpit cogitare. Quare Meetkirchium Concilij præsidem, aliosque Auraicarum factionum studiosos vrbe eiecit, & de pace Legatos ad Parmensem misit. Parmensis sciens finem belli pacem esse, multumque Regis interesse, maximam atque ornatissimam totius Belgij ciuitatem, tam leui sumptu, tamque exiguo labore recuperare, legationem magnificentissimè excepit; Manuiumque, virum nobilem Gandauensem, Audenardæ Præfectum, & Seguram Tribunum militum Hispanum, Embiesioque affinitate coniunctum, in vrbem misit. quibus ingredientibus populus occurrens festiua voce Pacem acclamauit. Embiesius verò duos filios suos obsides Audenardam remisit.

Embiesius de pace cogitat.

Octaua die Martij Ioannes Basilides Magnus Moscouiæ Dux, Basilio patre, & Salomea matre prodigiosa fœcunditate anno 1528. natus, ex hac vita, magno suorum gaudio, decessit. homo (si modò homo dicendus, qui nihil præter humani corporis figuram habebat) incredibilis, & à mundo condito inauditæ crudelitatis: qui immani sua tyrannide celeberrimos orbis tyrannos, multis parasangis, dum viueret, antecessit: qui viuos homines medios secare solebat, qui parentes liberorum vesci corporibus cogebat, cuius nomen meritò vniuersæ rerum naturæ inuisum esse deberet. de cuius crudelissimis flagitijs cùm Paulus Oder-

Moscouiæ Ducis tyrannis & mors.

Oderbornius singularem librum ediderit, & Alexander Gaguinus eques Polonus, in sua Polonia quàm plurima narrauerit, actum hîc agere nolumus: tantùm de (tyrannis communi ferè) eius exitu paululùm referemus. Ioan: Basilides infeliciter gesto posterioribus annis contra Polonum bello, initaque turpissima (vt diximus) pace, amissa veteri virtutis opinione, cum exercitu, tormentis, arcibus, filioque orbatus, cùm iam suorum captiuitates ac mortes vidisset, domique à ciuibus tacitè contemneretur, & ab hostibus foris irrideretur, morbum ex ægritudine animi contraxit. Vt autem solatium aliquod haberet homo barbarus, multa millia Moscorum, qui præteritis annis oppidorum atque arcium deditionem fecerant, ad se adduci, & coràm interfici mandauit. Eodem modo & variarum nationum captiuos, quos habebat, mulctauit, vt cruẽto hoc spectaculo feritatem suam satiaret. Sed vi numinis hæc infirmitas ità demùm vehementer aucta est, vt desperatis medicinæ remedijs, mente commotus, miserabilem vitam duceret. Multis diebus nõ alloqui quenquam, non cibũ sumere, non vocẽ mittere, ità vt mutus videretur. Posteà verò vbi dolor vocẽ laxauerat, nihil aliud quàm filium Iuanum vocabat: Iuanus illi videri, Iuanus audiri videbatur, cùm illo loqui, cum illo consistere; interdùm quasi viuum flebiliter accersebat. Fuerat hic Iuanus filius eius natu maior, quem ante paucos annos ex sinistra suspicione claua ferrata durus pater occiderat. Arinam deindè Vdudouiam, filij sui Theodori vxorem, cùm in incæstu cum ipso iam viribus paululùm resumptis consentire nollet, persecutus est: quæ tamen fide mariti incolumis euasit. Posteà ingrauescente rursùs morbo, tandèm mortis memor, feritatem nonnihil exuit: iubet multos captiuos dimitti, iubet vt & illi, & cæteri omnes, pro salute eius orarent; quam si reciperet, omnibus libertatem promittebat. Sed captiui, eiusque subditi penè omnes, noctes atque dies orabant Deum, vt mortem tyranni acceleraret. Audijt Deus eorum preces, & morbus tam vehementer incubuit, vt putrescentibus intestinis & visceribus, ipsa etiàm naturalia teterrimo fœtore infecta, à vermibus, qui tabidis in corporibus nasci solent, laniarentur. Hanc miserrimam vitam cùm aliquandiù prorogâsset, tandèm turbata ratione in fatalem horam &] vltimam vitæ lineam deuenit. Antequàm autem moreretur, ter 1584

1584 lethalem sensuum, motuumq; stuporem & hebetudinem passus, horas vigintiquatuor continuas mortuo similis iacuit. Prima vice expergefactus, obducta & tristi fronte filiũ rogauit, vt quosdã in arctiori custodia ad vltimum suppliciũ seruatos, vinculis soluere vellet: professus palàm, se in quodã loco tenebris & terroribus importuno *Nota.* propter eos grauissimis tormẽtis affectũ esse. Quibus terriculamentis permotus filius, istorũ carcerũ tecta statìm demoliri iussit, supplicationes per vrbẽ instituit, eleemosynas erogauit, Deumq; deprecari iussit, vt patri vel sanitatem redderet, vel obitũ maturaret. Tyrannus deindè in similẽ stuporẽ incidens, per multas horas fœtens, summis in angustijs iacuit, à quo cùm posteà velut ab inferis ad se redijsset, filio mandauit, vt iniustissima & intolerabilia vectigalia, quibus innocentes subditos oppressisse sępiùs sese lamentabatur, aboleret; & hominibus, quos violenter suis bonis exuerat, abundè satisfaceret. Has, inquit, vltimas preces apud te valere volo; nunc morior, Deumq; rogo vt tibi terrarum omnium donet imperium. Hæc cùm dixisset, in tertium lethargum incidit, & paulò pòst cum gemitu & miserabili vocis reboatu animam efflauit: disruptisque statìm illis abscessibus, qui pudenda occupârant, tanto fœtore ex profluente sanie totam eam habitationẽ impleuit, vt astãtes, qui à pestifera tabe infici nollent, celerrimo cursu, relicto cadauere, diffugerent.

Trigesimo deindè Martij die ex aula cum incredibili pompa fuit eductus, & exequiarum singulari magnificentia in templo S. Michaelis maiorum tumulis illatus. Sunt qui scribunt, à primo die quo moriebatur, corpus eius desideratum fuisse, nec deincèps à quoquam visum aut inuentum: id captiui posteà dimissi confirmârunt, dicentes sibi magnifica quæque promissa, si corporis restitutionem à Deo possent deprecari.

Truchsesiani in Burg cæduntur.

Gebhardus Truchsesius fugiens, cùm Vvesaliam Cliuiæ venisset, ibidèm Holachium & Nuenarium inuenit: quorum promissionibus maximam rerum gerendarum spem concepit. Bauariani verò summa celeritate Truchsesij agmen sequebantur, donèc tandèm sub finem Martij in pago quodam, Burg ab incolis dicto, ad fluuium antiquæ Iselæ posito, illud assecuti, insigni victoria strauerunt. Præclaram hoc in prælio præstitit operam Ferdinandus frater Ernesti, Bauariæ Dux: nec minor virtus fuit Manrici, Bastani, Arcanatij, Toraysij, & Ionæ, qui omnes fortissimè dimicârunt, omnemque

equi-

equitatum, peditatumque strauerunt: adeò vt vix octuaginta è toto exercitu superstites, in proxima syluula sese abdidisse dicerentur. Captus est inter alios Henricus Bruinsuicensis Nothus, & grauissimè vulneratus ad Ferdinandum adductus est. Præda deindè, quæ opulentissima erat, capta, septendecim tantùm è suis desideratis, Arcanatio, Horatio, & duobus nobilibus vulneratis, Bauariani receptui cecinerunt. Venit intereà Thomas Epirota, cum lectissimis equitum turmis, ignorans iam pugnatum esse. Decretum itaque est communi consilio, Nuenarium & Gebhardum in castris suis quærendos, atque oppugnandos esse. Sed dum itineri sese accingunt, nunciatum est, eos iam Iselam atque Rhenum traiecisse, atque in Bathauia, inter duo maxima flumina, sese munire. Mutato igitur cōsilio, Bauariani in territorium Vestense reuersi sunt, & oppidum Reckelinckhusense obsederunt. dumque illud oppugnant, Horenburgensis castri præsidia noctù fugiunt, & Reckelinckhusenses spe subsidij destituti, & extrema necessitate circunuenti, sese Bauaro condonârunt. Truchsesius verò militia infelici relicta, Delphos Batauorum, ad Auraicum proficiscitur, vbi aliquandiù priuatus atque inglorius vixit.

1584

Henricus Bruinsuicensis capitur.

Intereà Hyperenses extrema iam penuria laborantes, cùm nullum subsidium à Flandris submitti posset, à Parmensi Principe vitam fortunasque pacti, vrbem honestis conditionibus Regi reddiderunt.

Hypra deduntur.

Actum hoc est 8. mensis Aprilis, quo tempore initium habuit dissidium illud Capituli Argentoratensis. Vvitgensteinius enim Comes & Præpositus Coloniensis, Hermannus Adolphus Solmensis, & Vvinnebergius Baro Ioannes, de quibus in anno precedenti diximus, per excommunicationem beneficijs ecclesiasticis non tantùm Coloniæ, sed & omnibus alijs in locis priuati, cùm se etiàm Argentorati Præbendarum suarum priuatione, vnà cum Truchsesio suo Decano mulctandos non obscurè intelligerent, Capitulo sese opposuerunt. Vvitgensteinius enim & Vvinnenbergius eò celeriter sese conferebant, ad Capitulum admitti & fructus Præbendarū suarum postulabant. Præpositus verò Christophorus Ladislaus Comes Nellenburgius, Baro in Tengren, & cæteri Canonici Catholici, cum ipso Episcopo, vtrunq; ipsis denegârūt. Sciebant enim, etsi pace Religioni Augustæ data, laici Augustanæ Religionis Pontificiæ potestati exempti

Initium dißidij Canonicorū Argentoratensium.

1584 empti sint, Ecclesiasticos tamen ad Pōtificis tribunal pertinere: nec sinè iactura Præbendarū, Beneficiorúmve suorū à fide Catholica deficere posse. Et rectè: non enim à maioribus Collegia huiusmodi gratìs sunt instituta, sed propter officiū, datū est beneficiū: qui officiū itaq; facere renuit, quo iure beneficio gaudebit? qui altario inseruire non vult, quomodò de altario viuet? Nec sufficit dicere, suo se more altario inseruire: vltimæ voluntati fundatorū est satisfaciendum. Si officium hoc impium putent, vnà cū impietatis officio, impietatis mercedē relinquāt: Beniuolum secuti, qui nè Iustinæ Imperatrici Arrianæ obedire contra Ambrosiū teneretur, non grauatè baltheum, summæ dignitatis symbolū, sibi detractum restituit.

Sozomen. lib.7.cap. 13.

Sed ad rem. Collegæ Catholici nullā religionis mentionem faciebāt, tantùm sese sententiæ sui Iudicis satisfacere velle asserebāt. Hoc Comitibus, hoc Senatui Argentoratensi, ab his interpellato, responderunt. Protestantes Canonici, cùm ius suū quod prætendebāt, in Capituli iudicio succūbere viderēt, ad Cæsarē atq; Imperij Principes appellârūt. Sed nō expectato appellationis termino, granarium incōsueta (vt aiunt eorum aduersarij) claue aperiunt, certasq; auenæ mensuras indè in ædes suas cōportari iusserunt: & œconomum difficultatem in hoc spolio facientē conuitiati sunt. Vltimo quoq; Aprilis simile quid apud pistorē Collegij Vvinnēbergius per famulum perpetrauit. Id ægrè ferentes Catholici, apud Senatum de hac vi querelas suas deposuerunt, tale spolium nunquàm in libera imperiali ciuitate auditum, priuilegijsque & à SS. Pontificibus & ab Imperatoribus olìm Capitulo donatis vehementer refragari dicentes. Et quia antiquis pactionibus & exemplis docere poterant, Senatū, si quando inter Collegas Capituli dissidium exoriretur, neutri se parti iungere debere, nec permittere, vt quis ciuium sese illorū negocijs immisceat, nunc etiam rogabāt eundem Senatū, vt non tantùm Vvitgensteiniū & Vvinnenbergiū admoneant, nè quid vlteriùs per vim faciāt, sed etiā ciuibus suis interdicant, nè quam ipsis opem in hac violentia præstēt. Intereà Cæsar Collegio scribit, se intellexisse eosdem, qui turbam Coloniensem concitârant, similem tragœdiam in Diœcesi Argentoratensi meditari. Monet igitur Collegas Catholicos, suæ Ecclesiæ rationem habeant, Canones & statuta sua defendant, huiusmodi hominibus locum non dent, sed eos ope legitimi sui Magistratûs, Senatûs etiàm Argentoratēsis excludāt.

Cùm

Cùm verò excõmunicati duo Canonici in concilĩũ,ad continuandã ſuam poſſeſſionem(vt ipſi exiſtimabant) veniſſent, Catholici per Notariũ eis decretũ Capituli prælegi fecerũt,quo demõſtrârunt, antiquis ſuis ſtatutis cautũ,excommunicato quacunq; de cauſa Canonico in Capitulo non eſſe locũ permittendũ. Notũ autem eſſe, Vvitgenſteiniũ & Vvinnenbergiũ eſſe excõmunicatos,atq; priuatos. nõ poſſe itaq; Collegas ſuos,vel à trãſgreſſione propriorũ ſtatutorũ, vel ab inobedientiæ vtriuſque ſupremi ſui Magiſtratûs crimine excuſari, ſi eos in cõmunionem ſuã recipere,aut conſilia(quæ actus Capitulares appellant)captare cũ illis vellent: Immò & ipſos hoc modo ſimili cenſurę innodari poſſe. Proteſtari itaq; ſeſe,ratione conſuetudinũ,conſtitutionũ,& iuramentorum,obedientiæ quoq; Pontificis & Cæſaris, excõmunicatos nec ad Capituli conſeſſum admittere, nec aliquos actus Capitulares cũ illis decernere poſſe. Deindè obiecta ipſis breuitèr violentia,quam pridèm exercuerant,docuerunt eos in ſuſceptione ſuarum Præbendarum, & poſteà magìs in ordine Subdiaconatûs & Diaconatûs ſeſe religioni Catholicę,& Pontifici Romano obligâſſe. mirari igitur Collegium,cur tã contumelioſè de Sanctitate eius loquãtur. Sed nec eos priuilegijs Auguſtanæ Cõfeſſionis gaudere poſſe,cùm à iuramento Religioni Catholicæ & Põtifici præſtito,publica palinodia nõdùm ſeſe abſoluiſſent. Porrò velle ſe aliâs illorũ proteſtationi exactiùs reſpondere, promittentes, pronũciârunt publicè, ſe cùm in Capitulari hypocauſto impediãtur,poſthàc Capitulum aliò tranſlaturos, tutioriq; loco conciliũ habituros: nec illud ad priſtinũ locũ reuocaturos,priuſq̃ omnia ceſſauerint impedimẽta. Contra hãc denunciationẽ,aliaq; Catholicorũ Canonicorũ decreta, Senatus, Vvitgẽſteinius, Vvinnenbergius, & Erneſtus Comes Mansfeltius,qui ſolus Proteſtantiũ partes ſequebatur,(Comes enim Bernardus à Vvaldeck,qui eis initiò fauere videbatur, Catholicis ſeſe nunc palã adiungebat)publicis ſcriptis pugnabãt: donèc tãdèm per Notariũ publicũ menſe Iunio proteſtatiõe prędicta trib⁹ iſtis Canonicis ſcripto domi exhibita, Catholici nouũ Decanũ,repudiato Truchſeſio,elegerũt.

1584

Proteſtantes Canonici Capituli cõſeſſu prohibentur.

Canonici Argẽtoraténſes nouũ Decanum eligunt.

In Polonia initia tumultûs ciuilis hoc tempore pullulare cœperunt. Cauſam præbuit ſupplicium à Salomone Zbarouio circa finem Aprilis ſumptum. Is enim ſub Rege Henrico proſcriptus, eò quòd Nobilem quendam occidiſſet, cùm apud exteros aliquandiù com-

Cauſa ſimultatis inter Regẽ & nobiles in Polonia.

1584 commoratus esset, sub Rege Stephano in Poloniam venit. Sed, vt nonnulli scribunt, cùm eo in honore non esset, quo esse solebat, cum Andrea atq; Christophoro fratribus suis clàm in Regem & magnum Cancellariũ Ioan. Zamoysciũ conspirauit: statutumq; illis erat, Regem veneno, Cãcellariũ verò gladio necare. Proficiscentibus verò iussu Regis in Podoliã contra Tartaros Sibarkio & Zobario Vngarorũ ducibus, cum suis copijs, proditio hęc à quodã citharœdo Samuelis Zbarouij domestico, in diuersorio quodã à Zobario inuento, & iam potu obruto, detecta est. Missus est citharœdus ad Regẽ, vnà cum literis cõiurationis Zbarouij manu subsignatis. Qui rumor cùm ad Zbarouios fratres esset allatus, per Ioannẽ Zbarouium belli Gedanensis nuper imperatorẽ, magnæ apud Regem authoritatis virum, & germanũ fratrem suum, Regi supplicârunt, nè perfido fidicini crederet, nec odium in innocentes fratres conciperet. Sed cùm Rex Ioanni literas fratris ostenderet, atque ipse manũ & sigillum fratris cognouisset, tristis abijt. Quarè posteà fratres se ipsi Regi purgare conati, literas nõ esse veras & genuinas, sed ab alio manũ ipsorum imitato fictas esse dicebant. Rex verò purgationem istam non accepit. Accidit paulò pòst, Cancellariũ ad aliam ciuitatem, vt pro tribunali sederet, profecturũ: quo in itinere Zbarouium illi insidias struxisse nunciabatur. Cancellarius statìm Regi significauit hostem in insidijs esse, & se ad mortẽ peti: Zbarouiũ cum 300. equitibus eũ expectare. petere itaque, vt Rex significet, quo loco factũ, si eũ superare posset, esset habiturus. Quod cùm Rex fecisset, Cancellarius collectis clàm copijs, dispersis Zbarouij per pagos equitibus, noctù illũ in castello quodã, inter fœminas delitescentẽ cõprehendit, iussuq; Regis condemnatũ capite truncauit. Erat hic Zbarouius ex illustri Polonorũ familia, multosq; cognatos habebat & amicos, qui hoc suppliciũ indignè ferẽtes, sub prætextu cuiusdã priuilegij Regni, quod se habere iactabant, quo cautum erat, nè Rex inaudita causa, sinè iudicio tribunalis, & Ordinum regni sententia, nobilem virum interficere posset, tumultuari cœperunt.

Zbarouius capite trũcatur.

Abbatis cuiusdam imprudẽs facinus.

Casparus quidam Getschauius Abbas Gedanensis in Oliua, cùm die Iouis Cœnę Dñicæ, post lotionẽ pedum suorum monachorum, mensę cum alijs nonnullis conuiuis accubuisset, & anguillam in vino coctam singulis distribuisset, audijt à quibusdam anguillam crudiorem adhuc esse, nec satis coctam. Abbas se oleum habere absyn-

absynthiacum è Francica legatione dono Henrici Regis allatum dixit: illius aliquot guttulas sumptas, cibum crudum adhuc in stomacho bellè concocturas. Iussit itaque loco & numero (stabant enim plura vitra alcumysticis liquoribus & medicamentis plena) designato, hoc oleum per famulum afferri. Sed siue famulus in loco aberrauerit, siue Abbas ipse vitra mutauerit, incertum est. Id constat, cùm Abbas allati olei aliquot guttas in suum vitrum distillâsset, indè alijs etiàm similem portionem communicâsset, omnesque bibissent, statìm malè habere cœperunt. Abbas tertio pòst die mortuus est, & cæteri duodecim eius conuiuæ ipsis ferijs Paschalibus obiêrunt: nos suo infortunio commonefacientes, nè in quibusuis delibandis simus faciliores. 1584

Gãdauenses pacem petunt.

Gandauenses, vt diximus, ad pacẽ aspirare videbantur. Induciæ itaque viginti dierum inter Gandauenses & regios datæ sunt, quo interuallo pax concipi & confirmari posse existimabatur. Missi sunt initiò Gandauensium legati ad Hollandos, Zelandos, aliosque confœderationis socios, vt fœderi & pactionibus renunciarent. Qui Antuerpiam missi fuerant, cùm in Senatu supremo prolixè satìs orâssent, ab Aldegũdo turpissimis conuitijs excepti, atque reiecti fuerunt. Cuius deindè machinatione seditiosissimus libellus prodijt, in quo miris argutijs pax omnis cum Rege turpis atque exitiosa demonstrabatur: Regis, quem Tyrannum appellant, regiorumq; vires extenuabantur, illudebanturque: Ordinum verò potentiam ad quæuis perfringenda atque domanda plus quàm sufficientẽ fore; Reges, Reginas, & Principes penè omnes Ordinibus opem laturos promittebatur. Intereà Embiesio insidiæ struebantur. Legati qui in castris erant, pacis conditionibus conceptis, remissi sunt ad Gandauenses, vt Senatus ijs subscriberet: deindè in castra reuerterentur. Sed cùm in vrbem venissent, longè aliam quàm existimauerant Senatûs opinionem, omniaque Auraici & suorum complicium artibus turbata inuenerunt. Reiectæ sunt itaque conceptæ conditiones, sed pacis nundinationem ob penuriam, quæ in vrbe erat, continuandam esse censuerunt, si quid intereà fortè in vrbem importari posset. Quarè alios legatos, Taiardum & Haimannum, homines Caluinianos cum alijs conditionibus in castra remiserunt: qui præter conscientiæ libertatem (quam Princeps Parmensis illis promiserat, adiecta tamen particula, modò ea sinè scandalo vtantur, quam etiàm latiùs

Inhonestæ Gãdauensium petitiones.

1584 exponi postulabant) publicum exercitiũ Caluiniani dogmatis, templa, Ministros, ministrorum stipendia ab Ecclesiasticis bonis petenda, seminaria, præsidia nulla nisi Belgica, restitutionem priuilegiorum ab Imperatore Carolo sibi ereptorum, magistratuum, quales ipsi vellent, sinè Regis authoritate interueniente, electionem sibi concedi voluerunt. Sed Parmensis illorum tacitè audaciam atque petulantiam admiratus, talem ipsis pacem se largiri posse negauit. Quarè legati in vrbem regressi, in ipsis portis elata voce clamabant, omnia apud Regem dolo atque scelere esse plenissima, frustrà ab illo pacem expectari &c.

Gãdauenses pacem nolunt.

Brugenses cum Parmensi de pace agũt.

Brugenses synceriores, clàm initiò per Principem de Chymai, Arscotani Ducis filium, deditionẽ meditabantur. Obstabant Caluiniani; sed cùm Princeps Auraicus ex Hollandia præsidia mitteret, vrgeretque vt ea Brugenses reciperent, communis plebecula à Caluinianis deficiens, Catholicis sese iunxit. Cõceptos igitur per Secretarium Denterium articulos Tornacum legârunt, qui eos Principi Parmensi offerrent.

Recklinckhusen capitur.

Intereà in Vvestphalię finibus Bauariani Recklinckhusense oppidum tanta contentione oppugnârunt, vt Truchsesij milites prę̃sidiarij, 4. tãdem Maij deditionem fecerint, depositisque armis omnibus, oppidũ cum ignominia reliquerint.

Hollandi, quanuìs liberalissimè illorum nautæ in Hispania & honestissimè haberentur, beneficijs ipsis deteriores facti, quod anteà facere semper recusauerant, tandem Auraici blanditijs deliniti fecerunt. Circa medium Maij Delphos Ordinibus conuocatis propositum est, de Hollandia, Zelandia, alijsque prouincijs Regi Frãciæ offerendis, perpetuoque coronæ Galliæ subijciendis. Decretum est consiliũ hoc acceptandum, mittendosq; Legatos, qui articulos & cõditiones à Rege Galliç acciperent. Promittebant ipsi se nullã cum Hispaniæ Rege pacem inituros, nisi liberũ ipsis Caluinianæ sectę exercitiũ permitteretur: sed & impedituros modis omnibus, nè qua mercimonia regijs adueherentur. Idẽ Franciæ Regẽ facturum, ipsum insupèr, & Anglã, Ordinibus omnia ad bellum necessaria abũdè satis suppeditaturos, populo pollicebãtur.

Hollandi Gallũ Hispano præferunt.

Gãdauenses tumultuantur.

Gandauensium legati, cùm tam seditiosam respõsionem retulissent, Caluiniani armati cõcurrentes in Senatum venerunt; pacem se nolle vociferantur, occidendos omnes suos pacificatores. Adfuêre mox cẽtum quinquaginta

ginta milites, qui in insidijs erant collocati. hi erumpen- 1584
tes, omnes, qui pacis authores erant, correptos in carceres detruserunt, numero circitèr centũ quinquaginta. Octingentos qui Catholici erant dearmârunt, & concionatores, qui à pacis studiosis cum nonnullis alijs in custodia tenebãtur, liberos dimiserunt. Embiesium quoquè comprehendunt. Borlutius verò & eius collega in castris regijs permanserunt. Indè cõmunicantes rem actam Teneremundanis, Bruxellensibus, & Antuerpiẽsibus, à Templio præsidiarios, qui eis opẽ ferrent, missos receperunt. Atq; ità spes omnis cõcepta de pace penitùs euanuit, & præclara donaria, quæ Parmensis ipsorũ legatis dederat, omnesque in castris impensæ ipsorum nomine factæ periêrunt.

Eodem ferè tempore Principum Imperij conuentus habitus est Rotẽburgi, in quo actum de publica pace Germaniæ tuenda, deque medijs quibus diffidentia Principum inter sese, causa Religionis quotidiè enascens, sopiri posset. Sed exiguo cum fructu discessum est. *Cõuentus Rotenburgensis.*

Brugenses Gandauensibus prudentiores, siue quòd animo erant sedatiores, siue quòd diuinum Numen minùs offendissent, conditionibus pacis inter Parmensem & se conceptis per suos legatos Querceti subscripserunt, pacemq; vtilem & stabilem sunt consecuti. Legati cum Burchio Consiliario Regis in vrbẽ reuersi, magna lætitia sunt accepti. Erecti sunt passìm arcus triũphales, vbiquè legebantur in laudem Regis carmina, vbiquè eius splendebant insignia: ter tormenta omnia explosa, campanæ omnes pulsatæ, & ignes triumphales omnibus in locis extructi, fusilesq; in aëra eiaculati sunt. iuuenes & senes, virgines ac matronæ lætitiæ signa quàm plurima dederunt. Clerus in conspectu totius vrbis Hymnum illum diuinum TE DEVM, musico modulamine decantabat, totaque vrbe vox vna, VIVAT, VIVAT REX, resonabat, dum per tubicinem pax promulgatur. Intereà virgines & matronę singulari zelo in Caluinistarũ Synagogas & tẽpla concurrunt, securibus, martulis atq; ascijs omnia ab illis extructa disijcientes, & cõfringentes. Vrbis reconciliatæ fama statìm per totũ diuulgatur Belgium, & vbiquè trepidatũ: non tam ob vnam vrbem amissam, quàm ob æquissimas, & quas nemo sperare anteà audebat, pacis acceptæ conditiones. Gandauẽses verò tãquàm fanatico spiritu atq; œstro perciti, antequàm induciarum tempus expirâsset, in omnibus vicis & locis Regi nouum bellum indixerunt: compræhensisque Hispanis duobus & Ita- *Brugenses Regi recõciliantur.* *Crudele Gãdauensium facinus.*

1584 & Italo, vni nasum, aures & dextram manum, Germano quoquè dextram manum, pedemque alterum amputârunt, atque in castra Parmensis, quasi testes crudelis sui in Regem animi, remiserunt. Eadem truculentia mox Bruxellēses tres equites, & Antuerpiani duos Hispanos, quatuor Sequanos, & quatuor Flandros strāgulârunt. Quam iniuriam vt regij vlciscerentur, comprehensos iterùm quatuor Gandauenses, auribusque & dextris abscissis, asseribus impositos, secundo flumine Gandauēsibus remiserunt; cum inscriptione, Gandauenses Regijs quatuor terra misisse, nunc Regios Gandauensibus totidem secundo flumine remittere.

Vvestphaliā reformat Bauariæ Dux Ernestus.

Acta sunt hæc mense Maio, cùm sequenti mense Ernestus Bauariæ Dux, totius iam Vvestphaliæ imperio potitus, Remp. formare, & collapsam Catholicam religionem restaurare instituit. Quem in finē doctos Theologos, inter alios verò Ioan. Nopelium, virum non minùs doctum, quàm pium, Cæsaris Vverdenæ Decanum euocauit, atque Arensbergam ire iussit: iussit & eò pastores omnes totius Vvestphaliæ confluere, vt designatis Theologis fidei suæ redderent rationem, eorumque examini sese submitterent. Erant autem oppida nonnulla de fide suspecta, quæ Pastores suos eò mittere nolebant; sed & Augustanæ confessionis exercitium sibi sinè vlla inquisitione liberum admitti postulabant. Inter hęc erat oppidulum paruum, nomine Giesеken. Elector itaque in hoc oppido conuentum indixit, vt de hac re deliberaretur.

Tumultus in Moscouia.

Quæ dum fiunt, tumultus ciuilis in Moscouia exortus est: Basilidem enim mortuum diximus anteà; reliquerat hic filios duos: (tertium enim natu maximum iam anteà ipse interfecerat) Phædronem quem & Theodorum vocant, & alium ætate minorem, cuius tutelam Bielsio Principi nobili, opulēto, & qui regia authoritate plurimùm pollebat, sed peracri & sæuo ingenio, moriens commendauerat. Bielsius hic ambitione incitatus, de Theodoro opprimendo, atque imperium sub prætextu pupilli in suam familiam transferendo cōsilia captabat. Cæterùm cùm maiorem nobilitatis partem in Theodorum propendere cognosceret, non expectānda esse comitia putauit, sed omni vtendum celeritate. Noua itaque moliri incipiens, militum circunquaquè copias conscribit, & primariā in vrbe Moscouia arcē occupat, omniaque pro libidine administrat. Proceres, qui iam tyrannide Ba-

de Basilidis liberati, mitiorem seruitutem sperabāt, confœderati, Theodori causam tuendam susceperunt. Confestìm itaque copias instruunt, & contra Bielsium, à quo expilati, oppressique indignissima paterentur, rebellant: eductisque ex Principis armamentario ingentibus tormentis, arcem diuersis in locis vehementissimè conquassare incipiunt. Cumque per multas horas vtrinquè acerrimè esset dimicatū, & multi passìm interficerentur præsidiarij, alij alio habitu atque itinere dilabūtur. Tandèm & Bielsius, arce relicta, libero exilio ad Casanēses discessit. Intereà Poloniæ Rex Stephanus horum omniū, vtì & mortis Magni Ducis ignarus, legatum suum Leonem Sapieham iuuenem nobilissimum in Moscouiam misit, vt munera Basilidi deferret, & Reip. nomine mandata quædam exponeret. is cùm in itinere audisset Principem mortuum, & funus ad sepul rum elatum esse, in vrbem Moscouiam venit, & ab omni nobilitate, cæterisque magnatibus summa cum humanitatis significatione acceptus, atq; in Senatum adductus est. Sed ob tumultus iam dictos primis diebus parum effecit: paulò pòst à Theodoro perbenignè auditus est. Sed cùm ille mandata Regis Poloniæ, causamque legationis audire cuperet, Sapieha hoc illi denegauit, addens: se ad patrem, non ad filium habere legationem. quarè cùm is decesserit è viuis, Boiaris loqui cupiuit. Sunt autem Boiari, qui post Knesos & Vielikneʃos, i. Duces & magnos Duces, imperij primatum habent. Theodorus id illi non denegauit. Quarè Sapieha se & à Polono missum graues ob causas ait, & importunum nunc esse Basilide mortuo legationem alij exponere: petere itaque, vt Magni Ducis filius legationem suam ad Polonum mittat, quò tanto citiùs ipse ad suum Principem redire posset. Re ad Theodorum relata, honestam legationem Grodnam ad Regem misit. obiuit hanc Andreas Iokoukiera Ismailovva. ipse, omnisque eius comitatus vestibus ac habitu lugubri ad Regem venerunt. habebat literas à Theodoro, quibus initæ cum patre pacis continuationem petebat. cautum enim erat in pacis conditionibus, eam altero Principe moriente rescindi posse. Addebat & suas ad Regem literas Sapieha, quibus intestinum dissidium per ditiones Moscouiticas significabat: ostendebat viam modumque Smolensciam & Moscouiam metropolin ipsam occupandi: Moscos ipsos & trepidare, & bellum præsagire, dicebat. Pacis itaque continuationem dehortabatur, & bello totam Moscouiam hoc tempore,

1584

Legatio Poloni ad Moscum.

Legatio Mosci ad Polonum.

1584 tempore, si aliâs vnquàm, subigendam esse suadebat.

Theodor⁹ Magnus Moscouiæ Dux creatur. Intereà Theodorus apud S. Michaëlem, tertio post obitum patris mense, qui fuit dies Iunij decimusoctauus, magna totius nobilitatis, omniumque subditorum congratulatione, Magnus Moscouiæ Dux, viginti duos annos natus, inauguratur. quo die & momento tam sæua tempestas excitata est, quantam homines ætate valdè prouecta nunquàm meminerant. Cùm autem rescedisset ea tempestas, Dux in templum à Knesis deductus, vbi à Metropolita homine sene, bombycina veste ab humeris ad talos demissa induto, exceptus est. Templi pauimentum & parietes circunquaquè aulæis erant exornata. Dux ipse in scamno ornatissimo, pileo purpureo, auro & gemmis distincto tectus, vesteque bombycina, multis aureis fibulis secundùm pectus stricta ornatus sedebat. Facto silentio, Metropolita exorsus, cœpit Duci inaugurato impiam & crudelem patris vitam commemorare, longaque oratione ad clementiam, probitatem, pietatemque admonere. Expletis deindè pro more gentis cæremonijs, discessum est. Theodorus autem Metropolitę orationis non immemor, reclusis statìm omnibus carceribus, captiuos dimisit: liberale insupèr viaticum dedit, vt commodè ad suos redire possent, multaque clementissimi Principis edidit testimonia.

Magni Ducis Moscouiæ tituli. *Polonus bellum in Moscum meditatur.* Poloniæ Rex, partìm Sapiehæ literis incitatus, partìm Theodori literis offensus, vt qui se initio literarum præter Magnum Ducē Russorum, Vlodomiriæ, Moscouiæ, Nouogardiæ: præter Ducem Casaniæ, & Astracasaniæ, Smolensciæ, & totius Liberiæ, etiàm Liuoniæ Magnum Ducem, quem titulum sibi soli vendicabat Polonus, appellârat, clàm de bello inferendo Moscis cogitabat: Sapiehæ per literas omnia diligenter explorari iubet, saluum conductum ad Theodorum misit, cupiens vt sub finē anni suos legatos ad comitia in Polonia habenda mittat: nunciat etiàm illi, se literis, certisque nuncijs cognouisse, Sinan Bassam Turcarum Imperatori conquestum, multos Turcas è Persia reuertentes, à Tartaris & subditis Magni Moscouiæ Ducis, Borysthenis accolis occisos esse: ob eamque causam Turcam de Astracasania expugnanda consilium captare, quo facilior è Turcia in Persiam aditus esset. Monet itaque Ducem, vt vigilet, nè quod sui detrimentum patiantur.

Zutphanium ab Or- Regis Hispaniarum in Frisia exercitus, cùm anno superiori Zutphaniū occupâsset, sæpiùs in Veluā excurrit, atque

atque aliquot munitiones occupauit: munitissimũ verò propugnaculũ in vlteriori Iselæ fluuij ripa, vrbi opposita, ędificauit. Sed 13. Feb. huius anni, collectis viribus, magnas prædas abigens, Veluam, & quidquid in ea occupârat, vltrò deseruit, vno illo in ripa propugnaculo excepto, quod quotidiè magis magisque muniebatur. Veluani, Vltraiectenses, & Hollandi, propositis difficultatibus Auraico demonstrabant, quanti sua interesset, si ea ciuitas ad obedientiam Ordinum non reduceretur. Auraicus igitur collecto non paruo exercitu, Holachium ad propugnaculum, vrbemque obsidendam abire iussit: cui etiàm paulò pòst reliquias exercitûs Truchsesij & Hērici Bruinsuicensis submisit. Verdugius vt hostiũ libidinem frangeret, septingentos lectissimos pedites in vrbem introduxit, propugnaculumq; alis duabus, longè ad Iselã procurrentibus, nè traiectio impediretur, auxit: tormentis quoquè & militibus cõmuniuit. Confœderati, euocatis fossoribus, propugnaculum regiũ duplici hemicyclo cinxerunt: in exteriori octo maiores munitiones, in interiori quatuor, & medio interuallo tres erexerũt: ità vt quindecim propugnaculis maioribus, exceptis nonnullis minoribus figuræ planæ, nec ita munitis, vnum hoc regium clauserint. horũ nonnulla 40. quædam 30. tantùm passibus à regijs distabant. Quinetiàm varijs in locis cuniculos agebant, nullamq; operam intermittebant, vt castrense hoc vallũ expugnarent. Verdugius nè suis deesset, Comitem Arenbergium, Manricum à Lara, Bostium & Toraisium Sequanũ equitum Magistros, iussu Principis Parmensis euocauit, atq; intereà hosti propugnaculũ vnum in labro fluuij structum ademit: vallumque suum & vrbem, fidelissima imperterriti sui Vicarij Taxij opera, ab omni hostium violentia tutatus est.

1584

dinibus coarctatur.

Auraicus se modũ viamq; inuenisse ratus, vrbes quæ Regi parebãt recuperandi, Regisq; exercitus sinè ferro extinguẽdi, Delphis circa finẽ Iunij decreuit, & publico mãdato interdixit, nè quis prouincialiũ, Ordinum imperio subiectorũ, cum hostibus negociaretur, eísve annonã vllã vel commeatũ adueheret. Sed quia merces computrescebant, ipsisq; mercatoribus non minùs regiorum pecunia, quàm regijs illorũ mercibus opùs esset, edictum hoc paulo post cædem Auraici rescissum est. de cuius cæde ea quę fideli quorundã narratione, literis & scriptis grauiũ virorum, editisq; hac de re libellis accepimus, referemus.

Auraicus negociationem cum regijs interdicit.

Auraicum Principẽ ante quadrienniũ à Rege Hispaniarum,

Auraicus proscriptus.

1584 niarum, legitimo suo Magistratu, publica sententia proscriptum esse, neminem vel dubitare puto, vel ignorare. Deerat tantùm qui sententiam exequeretur, & se iustitiæ ministrum offerret. Tentârant id anteà suo periculo diuersis in locis duo: sed ad propositum scopum non peruenerunt. Tandèm, quidam Burgundus origine, patre mercatore, matre Bisontina, in pago prope Lugdunum Villafamensi natus, viginti septem annorum adolescens, eruditione, facundia, rerumque agendarum dexteritate insignis, Balthazar Geraertz dictus; postquàm Principis Auraici cædem à tempore proscriptionis indefesso animo meditatus esset, tādèm anno post natum Christum 1584. die decimo Iulij, circa secundam horam pomeridianam, perempto Auraico, patrias Belgicas ab eius violenta administratione liberauit. Postquàm enim Auraicus felicem Parmensis Principis successum in Brabātia & Flandria videret, sibi metuens, Antuerpia Delphos Batauorum, in monasterium D. Agathæ (cuius Cœnobiarcha D. Musius Poëta clariss. eo conniuente suspensus erat) commigrauit. Intereà mortuus est Alenconius Gallus, aliquandò fictitius Brabantiæ Dux. cuius obitum vt mater Auraico per nuncium & literas significaret, hūc Balthazarum, in Hollandiam ablegauit. Hæsit hic aliquandiù in aula inter nobiles admissus, & captabat opportunitatem perficiendi, quod dudùm animo destinârat: plus solicitus nè manus erraret, quàm de tormentis, quibus ipse esset afficiendus: Hostiam enim iam dudùm pro populo sese Deo deuouerat.

Balthazaris Geraertz interfectoris Auraici descriptio.

Decimo itaque Iulij anni prædicti, cùm Auraicus pranderet quodam cum Leovverdiensi consule, adolescens hic dimissus, vt ad suos rediret. Circa secūdam horam cùm iam Principem à mensa surrecturum arbitraretur, in aulam reuersus, & ab excubitoribus, sub prætextu Principem ob quædam oblita cōueniendi, admissus; Auraicum ad ipsos cœnaculi gradus descendētem expectat: sclopetum habens sub pallio, tribus globulis illito veneno infectis, & sibi inuicèm concatenatis, oneratum. Prodeuntem verò Principem, ad quem propter legationem liberum habebat accessum, conueniens, sclopetum in cor illius collimans, exonerauit, sub mamilla sinistra vulnere latitudinis duorum digitorum inflicto. globorū vnus spinam dorsi, alter scapulam penetrauit, tertius autem inter intestina hæsit. Ipse verò accepto vulnere statìm in terram corruens, & ad vnius tantùm Dominicæ orationis spa-

Princeps Auraicus interficitur.

nis spatium solis labijs nonnihil palpitans, vitæ finem impoſuit. 1584

Præſidium autem, audito ſclopeti ſono, & ex vociferantium clamore intellecta domini ſui morte, dum inter ſe tumultuatur, & facinoris huius authorem inquirit, Balthazar per ſtabulum horto vicinum fugiēs, iam penè ad ciuitatis mœnia peruenerat: niſi ex Auraici prætextatis aſſeclis vnus, qui patratæ cædi præſens interfuerat, illum inſecutus tandèm comprehendiſſet, tantumque colluctando exhibuiſſet negocij, vt ab alijs ſuperuenientibus captus, & in carcerem abductus ſit: ex quibus ille, omni trepidatione depoſita, cùm ſibi elabendi viam præreptam videret, protinùs percontatus eſt, an Auraicus mortuus eſſet? Sed illi mortem ex induſtria ad mortem vſque celârunt, quo tantū fieret illi pœna grauior, quantum facinoris eſſet euentus incertior. Nihilominùs tamen de optato ſucceſſu optimè ſperans, intrepidè ait: Se quidem haud neſcium eſſe, certò ſibi moriendū fore: verùm impensè gaudere quòd id iam perfeciſſet, quod ante annos ſeptem, vt faceret, animo deliberatum atque concluſum habuiſſet; mortemque hilari ſe & perlubēti animo oppetiturum, re ea fortitèr patrata, quam alij nōnulli ante ſe, etiàm vita amiſſa, perficere non potuiſſent.

Interfector Auraici capitur.

Quæſtionibus deindè ſubiectus, & præſente magiſtratu diligenter examinatus, an ab Hiſpaniarū Rege, vel ab alio quopiam mercede, vel promiſſis inductus, ad cædem iſtam animū adieciſſet; poſtquàm ſcripto primùm pulcherrimo, & firmiſſimis ſubnixo rationibus, ſeriē & cauſas facti ſui complexus fuiſſet, reſpondit, Nec prece, nec precio mortalium cuiuſquam, ſed ſolo ſuæ inſtinctu conſcientiæ, cauſa liberandæ à tā immani tyranno communis Reip. permotum, tam inclytum & pium facinus deſignâſſe, pro quo nō dubitaret paratam ſibi inſignis in cælo præmij remunerationem. De corpore verò ſuo ſupplicijs excarnificando (neque enim id à ſe præuiſum non fuiſſe) quandò iam Dei permiſſione in eorum poteſtate eſſet, ſtatuerent, quicquid vellent. Ego, inquiens, nunc quod meum erat perfeci, vos deincèps quod veſtri videbitur officij peragitè: mortem & quæcunque poteſtis excogitate tormenta, nihil moror.

Confeſſio Balthazaris.

Quarè prima nocte in eculeo ſuſpenſum, quinq; vicibus crudeliſſimè virgis cęciderunt, plagas mox omnes melle oblinentes, adduxerunt hircū, qui vnà cum melle laceram vndiquè cutem linguæ ſuæ ſcabricie lambendo

Inaudita tormenta quibus Balthazar excruciatur.

1584 auelleret: ſed, quo modo olìm Danielem leones, ſic & is contingere eũ non voluit. Deindè alijs diuerſis affectum pœnis, & tandèm in vanno poſitum, manibus pedibusq; colligatis, nè ſomnũ capere poſſet violenter ea nocte impeditũ tenuêre. Succedẽtibus poſt hęc diebus & noctibus, poſt ludibria, ſannas, & irriſiones multiplices, eo ex manibus in tergum reiectis iterùm in eculeo ſuſpenſo, 250. librarum põdus ex maioribus pedum digitis alligârunt. Quo acerbiſſimo ſupplicio cùm eũ media hora excruciâſſent; calceis ex crudo canino corio, oleo illinitis, pedibusque eius duobus digitis breuioribus, eum induẽtes, ad ardentem rogum collocârunt. Mox verò vt calcei ignis perceperunt calorem, in longè minorem, eamque ſphęricam formam fuêre, vnà cũ pedibus, contracti: quos poſteà exuentes, ſimul cum calceis, cutem & carnem auulſerunt. Cùm ergò hoc modo pedes trũcâſſent, axillas quoquè illi flammis aduſſerũt. poſteà induſio aquæ forti immiſſo incenſoq; amictum, & ardẽte perfuſum adipe, acubus item & clauis manuum pedumq; vnguibus profundè infixis, horrendis illum alijs poſt alios cruciatibus terribilitèr exagitauêre.

Cæterùm cùm omnia hęc cõſtanti animo & imperterrito vultu perferret, nullo edito inter tanta ſupplicia commotionis aut doloris ſigno; omnibus toto corpore crinibus abraſis, veteri illum putentiq; lotio (quod etiàm D. Luciæ contigiſſe legimus) perfuderunt, & aliena veſte hominis morbidi, ex proximo allata Xenodochio, induerunt: quòd hæc ad pellendam incantamentorũ vim, quibus contra tormenta tueri ſe illi putabant, valere iudices arbitrabantur. Sed cùm nec hoc modo quidquam proficerent, & ille ad quæuis perferenda peræquè vt anteà perſiſteret fortis & inuictus, quęrentibus quid inter tanta tormenta cogitaret, reſpondit: Bone Deus, largire mihi tantùm perſeuerãtis patientiæ donum. Rogatus deindè qua ratione ad tantas pœnas & cruciatus non ampliùs moueretur: Piorũ, inquit, preces id efficiunt. Conſuli conſtantiam eius admiranti, Conſtantiam, ait, meam in obeunda morte clariùs intueri licebit.

Mira Balthazaris cõſtãtia.

Extra tormenta autẽ poſitus, fixis in cælum oculis, ſeptem Pſalmos vel Litanias ſecum voluere audiebatur, dataque loquendi opportunitate, liberè & blandè cũ ſingulis agebat, tam preſentẽ eius animum hilaremque vultum ipſis carnificibus admirantibus, & ſpectatorum permultis non ſinè lachrymis iſta cõtuentibus: quibuſdam

etiàm

etiàm hominem cū esse negantibus, alijs verò eius cum 1584
dentium stridore virtuti inuidētibus: quibus perfidorum Iudæorum more sciscitantibus, à quo tempore animam suam diabolo deuouisset, summa cum modestia respondit; sibi nullā esse cum diabolo notitiam, nihilq; omninò commercij. Qua etiàm ratione aliâs quandò proditoris, parricidæ, sicarij, aut alijs id genus contumeliosis incesseretur nomenclaturis, Christi èxemplo simpliciter ea negādo, se defendit. Nec rarò quoquè varias sibi obiectas calumnias & iniurias, demissis in terrā oculis, tacitus dissimulauit. Iudicibus tamen perbenignè semper ad omnia respondit, & insupèr de impensa sibi in carcere sustentatione gratias egit, vicemque se illis relaturum promisit. Quærentibus, quam vicem? Aduocati, inquit, in paradiso. Illis subnectētibus, de quo loqueretur paradiso? Non noui, ait, prçter vnicum. In summa, nihil nō sanctum & prudens fuit, omnique sapientia & pietate perfectū, quidquid aut egit aut dixit, quo tempore in carcere fuit. Neque enim aut verbulū ociosum, aut quicquam molle, vel cum impatientia protulit: sed omnia, vel ad facinoris sui commendationem, fortitudinem ac defensionem, vel ad spectantium instructionem faciebant. Argumenta autem, quibus facinus suum tuebatur, partìm sacræ scripturæ authoritate, partìm firmissimis rationibus constabant, & quidem tam solidè, vt quidam aduersariorum Scabinus, qui huic præsens semper adfuerat spectaculo, palàm asseuerauerit, nunquàm sibi quæ hîc viderat vel audierat excisura esse: immò sanè, inquiebat, si pro nostra causa hæc acta fuissent, meritò hunc hominem inter indigetes numerare deberemus. Simile iudicium alius quidam ex Catholicæ ecclesiæ presbytero, apostata & hæreticorum concionator, de eo publicè tulit. Quinimmò etiàm primus hæreticorū huius ciuitatis concionator, qui in catasta fortissimo huic viro inter extrema supplicia aderat, vt eum suis fallacijs seduceret, cùm sæpè repulsam passus esset, quòd eum suis nænijs interpellaret, & orationibus vacare non permitteret, & ipse luculentissimis rationibus, & multa sacræ scripturæ authoritate, quæ pro defensione causæ suæ à Balthazaro nostro proferebātur, victus testatus est, si causa pateretur, dignū esse qui auro includeretur. Sæpiùs ergò examinatus, & varijs exquisiti generis quæstionibus tortus, cū nihil cōfiteretur aut diceret, quod illorum auribus magnoperè gratum esset: tertiodecimo præscripti mensis die, de

1584 morte sibi imminente certior factus, & postridiè audita condemnationis suæ sententia, placidissima voce inclyti martyris illius Diui Cypriani verba vsurpãs, dixit: Deo gratias. Nullo igitur nõ exhibito cum admiranda animi fortitudine Christianæ mansuetudinis specimine, animo semper præsenti & imperturbato, vultu hilari, colore & oculis viuidis, pedibus autẽ debilis & infirmus, cute & pedum digitis ex adustione & acuum clauorumq; infixione liuidis & luxatis, corpore deniquè toto per tanta tormẽta horribilitèr deformato, in theatrum productus est; & palo seu cruci se alligari passus, nihil de consueta animi constantia remisit, aut vllũ trepidationis signum, ad mox inferenda sibi immania illa tormenta ostendit, quorum vel sola memoria ingentẽ homini incutere terrorem posset. nam haud deerant ex circunstantibus complures, qui solo eorum contuitu, à se deficerẽt, animisque linquerentur.

At iste generosus adolescens, sicut præcedentes cruciatus omnes, & mortis suæ sententiam magno & inuicto animo exceperat, ità quoquè eius executionẽ, quæque illi ferenda restabant tormenta, in totius ciuitatis, sed & regionis cõspectu, (nã vndequaquè ad hoc spectaculũ homines confluxerant) mente imperterrita, & incredibili fortitudine sustinuit, suoq; sanguine æternã sibi gloriosi nominis memoriã consecrauit. Ipso autem ad palum, vt dictum est, alligato, carnifices ante omnia sclopetum incudi impositum, quo facinus patratum erat, (nam & hoc licèt inanime pœnã luere debebat) ferreis malleis non sinè magno labore confregerunt. Dehinc ipsum totũ orationibus intentum, & velutì in Deo absorptũ, thorace exuerunt, & femoralibus ad pedes demissis, indusioq; circa verenda colligato, carnificum alter dexteram eius apprehendit, eamq; inter cãdentes laminas, seu artoptã, quam alius tenebat compressam exussit, fumo eius & nidore totum penè forum complente. Mox carnifices forcipibus candentibus ex brachijs, ac dextri pedis femore ac sura diuersas carnium patres horribilitèr auellunt, illo nulli rei quàm precibus vacante, (legebat enim voce satis clara, quæq; ab astantibus facilè intelligi posset, septẽ Psalmos Dauidicos pœnitentiales) nec vultûs colorẽ mutãte, manum, pedémve aut vllam corporis partem, ad tanta supplicia retrahente, aut cõmouente: nisì quòd trunco ambustæ dextræ brachio, quoàd eius fieri poterat, magna cũ veneratione ter se Crucis signo muniuit. Posteà ex palo solutus,

Suppliciũ & mors Balthazaris.

solutus, sua ipse femoralia pedibus excussit, & scamnum 1584
quod ad eum exenterãdum ibi paratum erat, pedes quantum poterat subleuando, sponte conscendit. Tum verendis illi primùm præcisis, & in sportã appositam proiectis, & mox pectore & ventre per modũ crucis lentè dissecto, intestina extracta, & cor, vt patriæ proditori, in faciẽ proiectũ fuit: solis labijs, quę orationi iam assueta erant, illo se cõmouente: & quasi vocem, orisq; sonum ad sola virtutum instrumenta à Deo accepisset, nullũ vnquàm auditus est emisisse gemitũ, aut suspirium: sed seruato vultûs colore, inexpugnabilem, inuictiq; roboris spiritum, quartodecimo pręscripti mẽsis Iulij die, sub ipsa meridie, Deo creatori suo reddidit. Caput autem à corpore præcisum, & hastę iuxta vrbis moenia infixũ, multò pulchrius solito spectantium se oculis exhibuit. Corpus in quatuor partes dissectum: partes verò ad totidem oppidi Delphensis portas ex patibulis suspẽsæ sunt. Mors certè horrenda, & inauditi cruciatus, sed maior animi perferentis fortitudo. Atque hæc quidẽ sunt, quæ de Auraici morte, & interfectoris eius supplicio, spectatores ipsi, viri fide digni, nobis perscripserunt.

Cõtinuatio dißidij Canonicorum Argentoratensium.

Litem Catholicorũ & Protestãtium Canonicorum Metropolitanæ Ecclesiæ Argentoratẽsis, ad noui Decani electionẽ suprà produximus: restat vt quid posteà sit actũ, referamus. Amplissimus vrbis Senatus se hanc electionẽ iniquo animo ferre mox scripto suo ad Capitulũ misso declarauit, monuitq; ab huiusmodi nouitate Catholici collegæ abstinerent, nec virtute Censurę Pontificiæ, Protestantes concilio suo eijcerent. Sed & protestãtes Canonici electioni reclamârunt. Catholici verò de electione calumniã surda aure præteriẽrunt, ad postulationẽ de reuocandis ad conciliũ excommunicatis scripto disertè respondent, se eos admittere non posse, priusquàm per debita media essent Ecclesiæ recõciliati: id ab vtroq; summo suo Magistratu, Pontifice nimirùm & Cæsare, mandatũ esse: si secùs facerent, & hos offenderẽt, & statuta ac priuilegia Capituli infringerent. Conquerẽtes verò quòd eorum aduersarij, tam apud Magistratũ, quàm plebem, Capitulo calumnias struerent, in ius vocari cupiunt, & se legitimi Iudicis tribunal nõ declinaturos promittunt. Ad Sęnatum 18. Iulij quoquè Comites Manderscheitiũ, Gerolsteinium, & Hohensaxiũ miserunt, qui excõmunicatos iustè exclusos esse, nec recipi ante impetratã reconciliationem posse, ostenderunt: docueruntq; Senatum nulli Reli-

1584 li Religionis paci, nullis statutis, nullis iuribus refragari, quòd Cēsurę Pōtificis executio in clericū instituitur: nec id cū libertate aut priuilegijs Reipub. Argentoratēsis pugnare, cùm Magistratus in ciues, & Pōtifex cū Episcopo in ecclesiasticos habeat imperiū; nec vnius administratio in alterius tēdat pręiudiciū. Literas quoquè seu mandatū Cęsaris secundū, eiusdem cum priori argumenti, Senatui exhibent, quo se nihil propria authoritate, aut violēter facere, aut fecisse demonstrârunt. Diebus aliquot sequentibus, inter illustre Collegiū, & amplissimum Senatum disceptatū est, vtrùm Censura Pontificia in clerū vrbis Argentoratensis locū habere, an non habere deberet.

Intereà, 11. scilicet Augusti, Solmēsis Comes excommunicatorū tertius Argentoratum venit: qui communicatis consilijs cum suis cōplicibus, 15. die concilium indixit. Catholici verò cū anathemate percussis cōmunicare nolentes, ad conclaue nō venerunt: sed & ostiū hypocausti obserari pręceperunt. Protestantes cùm ostiū clausum cernerent, vi illud effringunt, & ablata veteri & communi sera, septē alias proprias appenderunt. Indè secundò in granarium irruentes, multò quàm anteà maiorē auenæ copiam auferri iusserunt. Capitulum, nè authoritatē hoc modo suam amitteret, re intellecta, adulterinas istas seras tolli iussit: sed illi reuersi sub vesperem fores iterùm marculis, tudibus alijsq; instrumentis, magno cū tumultu effringunt. 18. deincèps die mensis eiusdē vtrunq; Oeconomum & Secretariū in sua verba iurare coëgerunt: portas à suis famulis custodiri præceperunt: omniaq; pro voto constituerūt. Catholici quidā, vt quid intùs ageretur cognoscerent, ædes accedūt, fores pulsant: sed exclusi abiērunt: qui intùs erāt, sclopetis, bipēnibus, hastis, clauis, alijsque telorū generibus sese armârunt. Pomeridiano tempore nunciatū est (sed falsò: nam Catholici & Episcopus exemplo Coloniensi edocti, thesaurū hunc tutiori loco abdiderant) Capitulo, Protestātes Canonicos Archiuum Diœceseos violenter aperuisse, atque indè cimelia, ornamenta, pecuniā, instrumenta publica, & quidquid preciosum erat, rapuisse. Negabant id Protestantes, & ab aduersarijs id factū fuisse affirmabant: tamen fatebātur sese archiuū reclusisse, non aūt thesaurum, quem quęrebant, sed locum inuenisse: quo aūt animo id fecerint, nōrunt ipsi. Scelus hoc in sua Apologia vehementer exaggerāt, cùm non nulli locū istum legentes, asserant, Comites istos suî oblitos, in hostibus tantoperè calūniari, quod in amicis qui nuper Bruxelense atq; Bonnense archiuum spoliârant,

Violentia Canonicorum Protestantiū.

non improbârunt. Hanc violētiam paulò pòst Capitulū 1584
Senatui conquestū est: se quidem eā armata manu impedire potuisse, sed in libera ciuitate tumultū concitare noluisse. Proindè petere, vt Senatus huiusmodi vim atq; iniuriam in posterū velit impedire. Quam Capituli accusationē Protestantes 21. Augusti, scripto ad Senatū misso, quibus modis potuerunt refutare, factumq; suum defendere conabātur, & Senatoribus suæ religionis domesticis facilè persuaserunt, archiuū à Catholicis Canonicis esse spoliatū. Quarè Senatus 22. Augusti ablatorū restitutionem postulauit: sustinens, secundùm iura ad Senatū spectare, vt aduigilet, nè ecclesiæ suis ornamētis atq; thesauris spolientur. Quod vtinàm meminisset, officiumq; fecisset tū, cùm primùm religio in hac vrbe mutaretur. Catholici, qui celatū maluissent ob varia indè dependentia pericula, thesaurū à se, cùm id proditū intellexissent, Senatui confitentur, conscio Episcopo translatū in sua esse custodia, & in vsum totius Diœceseos seruari: prægnantesq; adferunt rationes, cur à se trāsportatus esset. Senatus prudenter id actū esse iudicās, cœpit in Catholicorū partes nōnihil inclinare, & ad petitionē eorum in ędes Confraternitatis, vulgò Broederhoff (sic enim vocāt ędes Capituli) firmū pręsidiū, sumptibus tamen Collegij, imposuit. Aegerrimè tulerunt id Protestantes, & scripto Magistratui declarârūt, sese in hoc præsidio nō consentire: Catholici verò Senatui gratias egerūt. Sed quia ijdē tres excommunicati Comites, Vvitgensteinius, Solmensis, & Vvinnenbergius, adhuc in his ædibus armati manebant, triticiq; & siliginis iā plus quàm 3000. modios vendidissent, nec finē huius spolij facerēt, orāt Catholici Senatū, vt eos indè in proprias suas ædes cōmigrare, atq; ibidèm quietè, vtì cęteri Canonici, habitare iubeat: frugū venditionem impediat, & preciū venditorum ad communem vtilitatē Collegij deponi pręcipiat. Senatus nō illibenter illud fecit. Sed Protestantes 31. Augusti lōgo scripto, & secundò à Senatu ad officiū faciendum moniti, lōgiori sese defendere, iusq; suum, quod habere se prętendebāt, tueri conati sunt. Intereà Nicolaus Baro Bollevvilerus, & Otto à Sultz, vt controuersiā hāc è medio tollerēt, litemque cōponerent, plurimùm, sed frustrà, laborârūt. Sed & Protestātes fructus pasšìm vendebāt, & aulā Decani insupèr occupârūt, eamq; ataxiā pepererūt, vt coloni frumenta atq; canones pendere detrectarent, & Oeconomi sacramento suo cuperēt absolui. Hęc omnia referūt ad Senatū

1584 Catholici, eique supplicant, vt crescentibus malis maturum remedium apponat.

Legatio Principũ Protestantiũ ad Episcopũ Argentorat.

Mense Septembri Casimirus, tutor & administrator Electoratûs Palatini, Richardus & Ioannes Comites Palatini, Ernestus & Iacobus Marchiones Badenses, Legationem ad Episcopum Argentinensem mittunt; cum honorificè salutantes. Legationis summa erat: Se intellexisse controuersiam Catholicorum & Protestantium Canonicorum Collegij Argentinensis: Catholicos exclusionem Protestantium reuocare nolle, nouum Decanum elegisse, Archiuum & thesaurum sinè decreto Capituli transportâsse: Protestantes possessionis continuationem flagitâsse, iudicium Principum Imperij postulâsse, ædes Cõfraternitatis occupâsse, & adhuc occupare. facilè ex his scintillis magnũ incendiũ excitari, etiàm suorum subditorum damno, posse. Monere igitur se Episcopum, tanti nè faciat Papã, vt suæ euangelicę religionis socios, Capitulo exturbari patiatur: sed magis Imperij & Diœceseos tranquillitatẽ cõtinuare laboret. Cùm enim, aiunt, Pontifex Augustanam confessionem hæresin appellet, cogitandum est, qui Papam propugnãt, eos omnes Augustanæ confessionis socios Principes & subditos hæreticos appellare, atque hinc extrema esse expectanda. Id scilicet apud eos crimen læsæ Maiestatis est. Sed obsecro (dent mihi hanc veniam) cùm Truchsesius in sua ad ciues Colonienses epistola, Pontificem Romanum Antichristum, Abominationemq; Romanam vocat, cùm hi Protestantes Canonici in sua Apologia, vbì Comitem à Vvaldeck mordacitèr notârunt, Missam Idololatriã appellant, suóne proprio iudicio & Cæsarẽ ipsum, & maiorem Electorum, bonamq; Principum Imperij partem, qui Rom. Pontificem caput Ecclesiæ, eiusq; Religionem veram profitẽtur, Antichristos, Abominationes & Idololatras appellant? quòd si ferro vindicandum hoc est, cur illorũ arma, cur indignationẽ non metuunt? Sed ad rem.

Notandũ.

Responsio Episcopi ad legationem Protestantiũ.

Audita legatione, mirari poterat Episcopus, Canonicos suos, qui se Augustanæ confessionis profitebantur, tam gnauitèr à Caluiniani dogmatis Principibus defendi, in hoc negotio, qui in rebus fidei, hostes sunt infensissimi: id quod vtriusq; religionis Ministrorum scripta testãtur. tamen perbenignè Legatis respõdit: Agere se Illustrissimis Principibus gratias, quòd suæ Diœceseos tranquillitas ipsis cordi sit. Non libenter se tamen audiuisse, vtrunque fratrẽ suum tam sinistrè apud Principes delatum,

tum. Velle tamen se totam rei seriem enarrare: Esse iam 1584
ab initio Diœceseos vsitatum, vt quicunque Canonicus esse, & ad possessionem admitti cupiat, inuocato Dei nomine, ad sancta Euangelia iuret, se statuta Capituli obseruaturum: cumque ad perceptionem fructuum admitti postulet, Subdiaconus primùm, atque indè Diaconus ordinetur. Hoc iuramento & vinculo itaque singulos Canonicos, ratione statutorum Capitulo, & ratione Ordinum supremo Magistratui obligari: Legatis notum esse, Antiquam esse constitutionem Capituli, si quis Canonicus quacunque ex causa, siue de iure, siue de facto excommunicetur, eum ad sessionem in concilio, nec ad fructuum perceptionem admitti posse, priusquàm sit reconciliatus. Talem in constitutionem Vvitgensteinium & cæteros quoquè iurâsse. Non itaque præter ius & æquum fecisse Collegas, quòd Vvinnenbergio primùm, deindè Vvitgensteinio Capituli sessione interdixerint, oraueríntque primùm ab excommunicatione absolutionem impetrarent: quam tamen illi respuerunt. Neminem fore qui verè dicere possit, Capitulum aliquid iniquum, toto controuersiæ tempore in Protestantes collegas statuisse. Deindè Episcopus Legatis violentiam & spolia Protestantium exposuit, quantamque ipse diligentiam per Bollevvilerum & Satrapam Haganovvæ, quos ad prædictos excommunicatos miserat, eis pro reconciliatione intercessionem offerens, adhibuerit, vt controuersia sedaretur. Literas quoquè & mandata Cæsaris illis exhibuit, quibus contrauenire Capitulum nulla ratione potuisse contendebat. Ad electionẽ noui Decani respondit Episcopus: Protestantium in Capitulum se vi ingerentium importunitatem postulâsse Collegarum, etiam absentium, conuocationem. qui cùm coijssent, necessariam esse duxerunt alterius Decani electionem: ad eam quoquè Ernestum Mansfeltium vocatum non venisse, quæ causa fuerit Episcopus ait se ignorare: nihilominùs Decanum à præsentibus electum. Id factum neminem calumniari posse; cùm iam ab initio vsurpatum sit, vt si quis Prælatus coniugem duxerit, eius Præbendam alter accipiat, & ad dignitatem Prælaturæ alius eligatur. Huius rei multa adduci posse exempla: sed vnius Richardi Palatini sufficere, cui id Præposito adhuc huius Collegij, post initum matrimonium contigerat. Porrò postquàm commemorâsset, quid Protestantes Canonici in effringendis foribus Capitularis hypocausti, Confrater-

Constitutio Capituli Argentorat.

1584 nitatis ædium, & Archiui perpetrâssent,ait: Capitulum à Senatu postulâsse, vt hanc violentiam prohiberet. Quod cùm non faceret, se Cæsaris opem implorâsse, & ad suas querelas responsum expectare. Conqueritur etiàm Episcopus, Excommunicatos illos, vt populum in Catholicos collegas magìs incitarent, passim diuulgare, Capitulum Monocerotis cornu, ornamenta, cimelia, & thesaurum Diœceseos distraxisse, & oppignorâsse: cùm ea Capituli decreto, respectu exempli Coloniensis, in tutiorem locum sint transportata: nihil indè venditum, oppignoratum aut distractum, sed omnia simul in vsum Diœceseos asseruari. Qua autem intentione ipsi Excommunicati fores Archiui perfregerint, id se Legatis perpendendum relinquere. Obtulisse quoquè Canonicos Senatui, postquàm ædes Capituli ab omni vi essent vindicatæ, sese hæc omnia consuetum ad locum reportaturos. Fuisse hunc thesaurum semper in Capituli custodia, nullum prætereà in illum ius habere: aliâs quoquè (vt omnibus notum est) necessitatis tempore translatum & absconditum fuisse. nihil igitur in præiudicium Senatûs factum esse. Tandèm concludens Episcopus ait: se nihil magìs quàm pacem & tranquillitatem in sua Diœcesi exoptare, si eam saluis statutis, saluaque conscientia possit conseruare.

Ad hanc responsionem Legati penè obmutescentes, cùm nil aliud possent, petitionem suam nudè prolocuti sunt: Se scilicet disputare nolle. Vnum esse medium, vt omnis controuersia tollatur: Protestantes scilicet in possessionem reuocentur, & nulla religionis habita ratione, paritèr quietè viuant. Et quia vtraque pars se læsam conqueratur, hæc quòd Monocerotis cornu, aurum, argentumque factum atque infectum, omniaque instrumenta sint aliò transportata; illa quòd granarium violenter sit apertum, & frumentum venditum, ædesque Capituli ab aduersarijs sint occupatæ: consultum videri, vt Catholici transportata ad Archiuum referant, & Protestantes ædes relinquant, seseque ab omni vi in posterum abstineant. Sperandum esse aiebant id à Protestantibus obtineri posse, vbì de possessionis continuatione facti fuerint securi. Ridebant multi hoc legatorum consilium, eò quòd absolutè concedendum suaderet, id de quo hactenùs erat disputatum: tum etiàm, quia Protestantibus pro excommunicationis pœna 4000. modios frumenti, & 125. modios auenæ, quos è granario com-

Postulata legatorum Protestantium.

communi vendiderant, præmium statueret. quibus concessis, sperabant Legati, eos ad pacem induci posse. Sed vt absurdam suam petitionem ipsi quoquè Legati intelligerent, Episcopus disertè illis per suos respondit: A seculis inauditum esse, tres Canonicos ædes vigintiquatuor Principibus & Comitibus communes, vi occupâsse: multò minùs tam paucos, eosque iuniores, inuitis Prælatis & Senioribus, Archiui & granarij fores violenter effregisse, & è cumeris aliquot modiorum millia frumenti vendidisse. Cæterùm si Principes eorúmve Legati Excõmunicatis persuadere possint, vt ab omni vi abstineant, ædes communes relinquant, venditi frumenti precium restituant; sperare Suam Cels. apud Cęsarem veniam impetrari posse, & Capitulum inductum iri, vt benignè cum illis de pace agat. His ità peractis, discessum est.

Paulò pòst Episcopus Clientes suos fiduciarios per Alsatiam conuocauit, & negocium cum illis communicauit. Illi rei indignitate moti, sedecim ex præcipua nobilitate, vigesimoseptimo Septembris miserunt ad excommunicatos Canonicos: qui peterent, vt posito dissidio, Ecclesiæ reconciliarentur, & ædes communes relinquerent. Diù multumque inter vtranque partem, vltrò citroque scriptis & verbis res frustrà est agitata. Intereà in suo proposito procedentes vlteriùs excommunicati, etiàm Præsentias (vt vocant) suas violenter à Vicario Claudio, cui eas distribuere incumbebat, postulârunt. *Cõuentus Alsatiæ.*

Antuerpiensis vrbis incolę, tum Auraici morte, tum hostium victoria atque propinquitate consternati, trepidabant: multique fugam moliebantur. Non ignorabat hoc Senatus, publicoque mandato 17. Iulij interdixit, nè quis sinè expresso Magistratûs consensu, vrbem deserere præsumeret. qui mandato non paréret, eius bona fisco subsignarentur. Plus tamen metus, quàm Senatûs potuit authoritas: nam 78. non minimi censûs viri, cum familijs clàm erepserunt, & ad loca tutiora sese receperunt: qui omnes mense Decembri publicè reuocati sunt. *Antuerpia trepidatur.*

Gandauenses de malo in deterius quotidiè prorupentes, tandèm etiàm eò dementiæ venerunt, vt Embiesium antesignanum omnis suæ rebellionis nuper captum, publicè decollârint, & caput hastæ impositum populo spectandum exhibuerint. Iusto sanè Dei iudicio, vt *Embiesij supplicium.*

per

1584 per quos ipse peccauerat, ab ijsdem quoquè puniretur, & a proprijs canibus instàr Actæonis dilacerarentur.

Parmēsis Antuerpiam obsidere incipit.

Illustrissimus Dux Parmensis, post maturam deliberationem tandèm ad Antuerpiam, caput & ærarium totius Belgij, recuperandam animum adiecit. Primùm duce Mondragonio propugnaculum in Lillo fortissimum ex opposito pagi eiusdem nominis vehementissimè concussit: adeò vt horrendo tormentorum reboatu territi præsidiarij Herentalenses, munitissimum alioquin Campiniæ oppidulum, fugientes regię potestati reliquerint. Sed quia Lilloensis ista munitio viribus difficulter expugnari posset, & tumultuantes in ea milites nouis stipendijs atque auxilijs refocillarentur, quin & aggeribus perforatis aquæ copiosissimæ in agros immitterentur; oppugnationem cœptam Parmensis intermitti mandauit, & partem exercitûs Teneremundam, oppidum totius Flandriæ munitissimum, traduxit; partem propugnaculis ad Scaldis nauigationem infestandam erigendis in ripa reliquit. Rihouius Teneremundæ præfectus cum præsidij parte, relicto in vrbe Vicario cum trecentis tantùm militibus, absens erat. Cumque Parmensis deditionem per suum fecialem postularet, Vicarius petulantissimè respondit, & fecialem vrbe eiecit. Qua indignitate motus Parmensis, actutùm attractis maioribus tormentis mœnia concussit: indè per elices aquis subtractis, impetum in quoddam propugnaculum fecit, vbì tres continuas horas acritèr dimicatum est: superiores tandèm Hispani, desideratis tantùm 10. & 30. vulneratis, propugnaculum expugnârunt. paulò verò pòst oppidani animum despondentes, deditionem decimoseptimo die Augusti fecerunt, atque ità munitissima vrbs sex dierum spatio, felicibus Parmensis auspicijs, in Regis sui rediJt potestatem. In hac verò obsidione Petrus de Paz Hispanus Chiliarcha prudentissimus, miles fortissimus, & vir singulari pietate clarus, amicus quondàm meus, magno cum Parmensis dolore, globo traiectus, occubuit.

Teneremūda Parmensi deditur.

Regiorum in Velua victoria.

Regij, qui Zutphaniæ & in Veluæ propugnaculo obsidebantur, collectis viribus à tergo hostium munitiones aggredi, eosque è munitionibus in planitiem elicere conabantur. Erant Ordinum milites numero duplo maiores regijs. nam in castris decem tam equitum quàm peditum habuisse millia dicebantur: regij verò quatuor tantùm millia, & quingentos. Ordines itaque cùm per exploratores didicissent, regios pugnam moliri, conuasatis

ſatis omnibus, poſtridiè relictis munitionibus turpiſ- 1584
ſima fuga elapſi, regijs incruentam victoriam reliquerunt. Pars Dauentriam, pars Arnhemium dilapſa, ab incolis miſerè mulctata & conuitijs excepta eſt. Dux eorum Comes Nuenarius Berkam reuerſus, ibidèm aliquandiù latuit, hanc ignominiam pro gloria caſtri Horſtenſis, nuper in Diœceſi Colon. per inſidias ſuorum intercepti, reportans.

Intereà Parmenſis omni diligentia obſtructioni Scaldis incubuit, vt nauigatione impedita, fame atque inedia domitos Antuerpianos in ordinem redigeret. Initiò itaque in Callo & Ordam, hoc cis, illud citra fluuium, duo munitiſſima propugnacula exædificauit: eaque tormentorum maiorum copia, commeatu, atque omni apparatu bellico muniuit. indè maximis malis atque arboribus in vadum, vbì id haberi poſſet, adactis, pontem vtrinquè ſternere ſublicium incepit. Ordines verò cùm regijs viribus ſuas longè debiliores eſſe cernerent, Francorum, Anglorumque auxilia ſumma contentione poſtulârunt: Franco omnia liberalitèr promittentes, qui eos miſſo Brunço vanis pollicitationibus, & magnifico fuco eluſit. Viluordienſes cùm à regijs premerētur, nec auxilium vllum à ſuis confœderatis expectarent, certis conditionibus in poteſtatem Regis initio Septembris venerunt.

Parmēſis Scaldim obſtruit.

Viluordia deditur.

Dum Parmenſis Scaldis obſtructioni incumbit, etiàm nauigationis nouæ vſum Bruxellenſibus intercipit: quo tempore Erneſtus Elector Colonienſis Leodij Treuirenſem Archiepiſcopum magnificentiſſimè excepit, eique iuramentum Septemuiratûs præſtitit. Mittentes deindè Electores ambo Legatum ad Belgas, eis operam ſuam in pace componenda deferentes, poſtridiè diſceſſerunt. Sed Ordines Belgici animo præfractiores, legationem reſpuebant, trium Regnorum auxilia ſibi fruſtrà promittentes: Anglam enim ſtipendia, Francum militem, Danum naues & commeatum ſuppeditaturum, miſeri gloriabantur, & magnificè iactitabant.

Elector Colonienſis Bauarus iuramentum Electoratûs præſtat Treuirenſi.

Cameracenſes multis excurſionibus Hannoniam atque Artheſiam depopulabantur. Iniuriam apud Regem, qui ſe amicum ſimulabat, conqueſtus Parmenſis, nihil aliud audijt, quàm Cameracenſes id ſuo periculo & inſcio Rege facere. Mottæus colluſionem hanc animaduertens, in Galliæ fines copias ſuas mittit, omniaque diripit, atque depopulatur. querenti Franco Parmenſis

1584 sis vicissim respondit, Mottæum id se ignorante fecisse: atque ità ars arte illudebatur.

Gandauẽses sese Regi dedunt. Gandauenses in extremis angustijs constituti, inuiti ad Regis clementiam confugientes, pacem, quæ nuper gratis offerebatur, magno, mense Septembri die vigesimosecundo, sunt promercati. Summam tamen Parmensis clementiam sunt etiamnùm experti: obliuionẽ omnium flagitiorũ perpetuã consecuti, arcem solùm reædificarent, & 300000. coronatorum millia pro expẽsis Regi numerarẽt. Qui alterius q̃ Catholicę religionis essent, si conuerti nollẽt, post duorũ annorum tranquillam in vrbe habitationẽ, ipsis permissũ est aliò migrare, bona sua vendere, trãsportare, aut per procuratores administrare.

Ordinga recuperatur. Calendis Octobris Blancartus Leodiensis, Insulæ Cæsareæ præfectus, Ordingam in Diœcesi Coloniẽsi ad Rhenũ oppidulũ, insigni stratagemate, in ipso diei crepusculo matutino cepit, ope captiui cuiusdam adiutus, qui per fenestrã quandã in penuariũ arcis cum socijs quibusdam ingressus, excubitores primùm, deindè octuaginta circitèr præsidiarios interficiens, arcem & oppidum in Electoris Bauari tradidit potestatem.

Antuerpiensibus ab Hollandis cõmeatus mittitur. Hollandi atq; Zelandi, dum adhuc aliquo modo libera esset in Scaldi nauigatio, nõdùm flumine obstructo, omnẽ quem potuêre cõmeatum corradũt, impositumq; 122. nauigijs, æstu maris & vento secundo Antuerpiam aduexernnt, vno tantùm nauigio à Parmensi depresso. Nec ità multò post, septimo scilicet Octobris, alias centum quinquaginta naues, annonam vehentes, Antuerpiam miserunt, & ad finem eiusdem mensis aliæ bobus oneratæ, exiguo detrimento accepto, eodem appulsæ sunt. Etsi enim Parmensis ab vtraque ripa, quousque vadum erat altius, sublicio ponte fluuij vsum interceperat, tamen latior & profundior pars hosti adhuc patebat. Nec concilio militari consultum videbatur, hyeme ingruente fluuium prorsus obstruere, nè inundationibus, glacie atque tempestatibus, quæ in hyeme solent esse frequentiores, exortis, operæ dissoluerentur, & vndarum vi abriperentur. Antuerpiæ variæ disputationes quotidiè de hac Parmensis intentione instituebantur, posset ne effectum consequi optatum, an verò non. Sed qui experientia fluminis cæteros antecellebant, illum obstrui posse fatebãtur. Intereà Antuerpienses, Bruxellenses, & Mechlinienses legatos in Hollandiam mittunt, vt Ordines consulant, si è re patriæ sit, communem totius Belgij

pacem

pacem cum Rege facere, an non? metuebant enim nè 1584
Hollandi per mercatores in Hispanijs seorsùm Regi reconciliarentur. Interìm Parmensis, qui in Beueren castrametabatur, omni diligentia, quæ ad munitiones perficiendas firmandasque erant necessaria, comportabat: fossores & fabros lignarios Gandauo euocat, hos frumentatum, illos lignatum, partem materiatum emittit. Sed & 22. naues bellicas Gandaui & Teneremundæ instructas ex Scaldi per stagnantia prata Calloum aduehi, inspectantibus & admirantibus hostibus, curauit. quæ inexpectata rei successio Antuerpiensium animos mirum in modum labefactauit. Sed & ipsi quorundam industria nauim miræ magnitudinis, forma quadrata, quam Finem belli appellabant, ædificârunt: ea 24. maiora tormenta in inferiori tabulato vehebat, in superiori sclopetarij erant aliquandò mille quingenti, qui aggeres ab omnibus hostium insidijs tutos reddebant. Acroteria, costæ, & subligacula nauis tam erant munita, vt nullis possent tormentorum ictibus perforari. Constitit nauis huius ædificatio (vt quidam aiunt) quadraginta florenorum millibus, præter ipsa armamenta, omnemque, qui in ea erat, bellicum apparatum. Hac ingenti mole operas Parmensis perrumpere, hac eius propugnacula, quæ passìm in ripis & aggeribus habebat, expugnare conabantur. Alij longo rerum vsu prudentiores, magisque exercitati, omnem suorum apparatum despiciebant, & Liesfeldium Brabantiæ Cancellarium ab Ordinibus constitutum, per libellum supplicem interpellant, monentque vt apud regios pro impetranda pace intercedat. Quod cùm ad aures eorum venisset, qui dignitatibus in vrbe erant insigniores, dato classico ciues ad arma conuocant, & libelli istius supplicis authores compræhensos damnant, mulctant, & in exilium eijciunt. Indè mandato publico cauent, nè quis in posterum pacis cum regijs ineundæ faciat mentionem: qui secùs fecerit, capitis supplicio mulctetur. Quin etiàm paulò pòst ciues ad nouum iuramentum præstandum compulerunt, quo sese obligâruut, quòd Regem, eique adhærentes omnes perpetuò hostes æstimarent, nunquàm pacem ab eo peterent, nunquàm oblatam acceptarent, aut verbo vllo aut signo ostenderent, se pacis huiusmodi esse amâtiores: quòd si quis secùs fecerit, is finè mora vltimo supplicio afficiendus esset. Vt aũt ad tam barbarum iuramentũ prestandũ populum facilius indu-

Parmẽsis in obstruendo Scaldi diligẽtia.

Antuerpiæ interdicitur, nè quis de pace loquatur.

1584 inducerent, diuulgârunt pasſim Parmenſem preter fidem Gandauenſibus datam crudeliſſimè in Caluinianos ſæuire, eos paſsim compræhendere, torquere, excarnificare, nec excuſationes vllas, nec interceſſiones acceptare.

Aldegundus obſeſsis ſubſidium mittendũ perſuadet.

Aldegundius quoquè conuocatos Optimates longa oratione ad magnanimitatem & fortitudinem hortabatur, plauſtra futiliſſimarum promiſſionum, de Reginę Angliæ, deque Regis Galliæ præſentiſſimis auxilijs in medium adducens, orabat ſaltem quinque aut ſex menſibus in officio maneãt, ſeſeque defendant: accepiſſe enim ſeſe literas ait à Legatis Belgicis è Gallia ſcriptas, quibus Regem Belgicas prouincias ſummo cum deſiderio in ſuam protectionem accepiſſe nunciabatur. His & ſimilibus minis atque fabulis pacis memoria penitùs eſt obliterata.

Hiſtoriæ litis Canonicorum Argentinenſium continuatio.

Eodem menſe Octobri cùm Clientes fiduciarij Alſatiæ, & Legati Palatinorum atque Badenſium, Argentorato re infecta diſceſſiſſent, Comes Vvitgenſteinius, Solmenſis & Vvinnenbergius, Canonici excommunicati, Collegio nouem articulos propoſuêre, quibus nec alijs pacem componi poſſe dicebant. Sed cùm Catholici articulos legiſſent, Doctorem Vvilhelmum Cæſareum & Ioſephum Bilonium ad prædictos Comites miſerũt, vt dicerent ſe eos articulos ratos habere non poſſe: malle rem Deo omnium iniuriarum vindici, & ſupremo Magiſtratui committere.

Senatus ad petitionem Capituli, vt diximus, in ædes Cõfraternitatis pręſidium deduxerat, eo fine, nè quid violenter aduerſarij ibidèm tentarent. Sed cùm illi cameras euacuare & frumenta vendere non ceſſarent, præſidiumque ad iſta conniueret, Capitulum ad Senatum miſit, qui eum officij commonerent. Excommunicati Ioannem Rumelinum, qui Capitulo eſt à ſecretis, ad ſe vocârunt, & vt tablinum, quod Cancellariam vocant, aperiret aut claues traderet, præceperunt. Cùm ille ſeſe excuſaret, vt qui ratione iuramenti id facere prohiberetur; Proteſtantes illi Canonici, aduocatis fabris ferrarijs, à ſecunda pomeridiana hora ad ſextam in effringendis tribus ianuis, duabus ligneis & vna ferrea, laborârunt, omni vi atque conatu vſi. concluſiones verò atque decreta Capituli è tablino abripientes abiêrunt. Id facinus Capitulum rurſùs Magiſtratui conqueritur, petitque per præſidium huiuſmodi impediant, & aduerſarios ædibus iſtis communibus expellant.

Canonici Proteſtantes cãcellariam vi aperiunt.

Epiſco-

Episcopus cùm audaciæ rebellium suorum Canonicorum nec finem nec modum esse cerneret, ad Senatum Argentinensem scribit, diligentiam suam in tollenda controuersia tam exhibitam, quàm adhuc exhibendam commemorat: ostendit etiàm si Excommunicati ad possessionem Canonicatûs & perceptionem fructuum admitti possent, non tamen eos vltra 1200. florenos percepturos. vendidisse autem præter auenam plus quàm 4000. modiorum frumenti, & singulos, vbì vna tantùm debebatur, quatuor aut quinq; portiones accepisse. Fieri quoquè posse vt, nisì maturè sopiatur priuata hęc cupiditas, etiàm in vicinarum regionum detrimentũ aliquandò redundet. Petit itaq; Episcopus, vt Senatus diligenter animaduertat, posśitne iure, si quod Diœcesis damnum acceperit, restitutionis cautio ab excommuricatis postulari: quam si negauerint, an'ne ad eam iuxta constitutiones Imperij queăt cõpelli? Ad quam quæstionẽ responsum Senatûs petens Episcopus, eundẽ modestè exhortatur, nullã deincèps vt vim in vrbe sua fieri permittant. *1584* *Episcopus Senatui Argentin. scribit.*

Cautionẽ postulari suo nomine prorsus indignum existimabant excommunicati: quarè inuectiuas literas in collegas Catholicos, in Episcopũ, in Pontificem, tam ad Doctorem Cæsareum, quàm ad Senatũ mittunt: Pontificem ipsum Satanam & Antichristum Romanũ, eius & adhærentium illi actiones latrocinia, & sanguinarias artes appellantes, lateq; suo se modo defendentes: cõcludunt, se ad cautionem præstandam non teneri. qua apologia apud amicum Senatum impetrârunt, vt iam Monocerotis cornu omnisque thesaurus à Catholicis per Senatum repeteretur; qui eam translationem ad suam ignominiam & detrimentum spectare contendebat: esse enim ornamenta Ecclesiæ, eaque nec Ecclesiæ subtrahi, nec posse alienari. Ad petitionem Collegij de prohibenda frumenti venditione & eijciendis excommunicatis ex Confraternitatis ædibus, ait Senatus: Se, vt exirent, à Comitibus illis postulâsse: sed responsum esse, se rationes suas habere cur istic maneant, nec vllo iure eijci posse. Senatui hoc responso satisfactum est, nec vlteriùs voluit eos vrgere. Hoc Senatûs fauore audaciores facti Excommunicati, nouas apologias ad oppida & nobiles mittunt, seseque quàm optimè possunt, defendunt. *Si quis Luterum hæreticũ appellet, putant principes eius doctrinæ se hæreticos appellari.* *Id scilicet hactenùs à Luteranis obseruatũ est.*

Cęsar intereà seriò, atque summa cum grauitate, per literas Senatui mandauit; vt excommunicationis sententiam in VVitgensteinium & suos complices latam *Cæsar Senatui Argẽt scribit*

1584 exequeretur, eosque Confraternitatis ędibus eijceret, nec quo minùs è Collegij sessione excludantur impediat. Senatus verò in excommunicatorum partes magis inclinans, facere quæ iubebantur, recusauit.

Hollandi muniūt vicina Antuerpiens. loca.

Hollandi atque Zelandi vt bellum à se in socios deriuantes, illud diutiùs extra suos fines alerent, Montes ad Zomam imposito præsidio muniêrunt, & Burgerholt (suburbium est Antuerpianum) Anglorum aliquot centurijs custodiendum demandârunt. Parmensis verò nihil intermittebat, quod ad nauigationem impediendam, & castra munienda faciebat.

Principis Parmensis laus.

Principis, in quo plurimum audaciæ ad pericula capessenda, plurimum consilij inter ipsa pericula erat, nullo labore aut corpus fatigari, aut animus vinci poterat: laboris & frigoris patientia par: vigiliarum somnique nec die nec nocte discriminata tempora: id quod gerendis rebus superesset, quieti datum est. ea neque molli strato, neque silentio accersita est: sed multi sæpè militari sagulo opertum humi iacentem inter custodias stationesque militum conspexerunt: sæpiùs princeps prælium inibat, vltimus confecto prælio excedebat: totaque hac hyeme non cum hominibus solùm, sed cum ipsis elementis, summa cum patientia, luctabatur, ęquam per omnia mentem conseruans.

Magnanimū Principis factum.

Cùm quēdam circa hoc tempus exploratorem emisissent Antuerpiani, isque captus ad Parmensem traheretur, nihilque iam ipsi præter laqueum sibi reliquum esse existimaret; Princeps placido vultu eum affatus, bono animo esse iussit. deindè eum omnia per loca munitiora ducens, ait, Reuertere nunc ad dominos tuos, & nuncia illis, quæ tibi ostendi. hic enim locus est aut victoriæ meæ, aut erit sepulturæ. Atque ità dimissum hominem in ciuitatem redire iussit. Paulò pòst aliæ naues ab Hollandis missæ ad vrbem incolumes peruenerunt.

Limburgū in Vvestphalia capitur.

Limburgum Vvesphaliæ castrum, ditionis Nuenarij Comitis, adhuc à Truchsesianis occupabatur. Præsidiarij excursionibus quotidianis omnem istius regionis tractum infestabant: quarè Ordines Vvestphaliæ iam pridèm illud obsederant. sed quia in altissimo monte extructum erat, difficulter potuit expugnari: donèc tandèm cuniculis ad fundamenta perductis, cùm Hessus quidam arcis præfectus, non leui coniectura periculum, in quo versarentur qui in arce erant, si ignis adhiberetur, cognosceret, deditionem certis conditio-

ditio-

ditionibus initio Nouembris fecit. Quo factum, vt tota nunc Vvestphalia Electori Ernesto pareat, eiectisque omnibus hostium copijs, alta pace fruatur. 1584

Interim Angli aliquot in castra Parmensis veniunt, qui humaniter excepti, quatuor signorum defectionem offerebant. Parmensis eodem tempore amicas & clementia plenas literas ad Senatum Antuerpiensem misit, omnem illis gratiam atque indulgentiam promittens, si ad gremium Ecclesiæ & Maiestatis redire velint obedientiam. Illi Parmensi gratias agunt, eius clementiam miris laudibus extollunt, dolere se simulant eius clementiam ipsis non anteà fuisse exploratam: fieri enim potuisse, vt iam pacem haberent. cæterùm cùm iam Regis Galliarum fidei sese dederint, fingunt se sinè summa leuitatis atque inconstantiæ nota, illum repudiare, & Regi Hispaniarum reconciliari non posse. Vide in fine libri correctionem.

Parmēsis Antuerpienses ad pacē hortatur.

Die Nouembris 12. Ioannes vnicus Philippi Catholici Regis Hispaniarum potentissimi filius, Madriti, magna cum solennitate, multisque cæremonijs Princeps totius Hispaniæ electus est. Maiestas Regia vnà cum Principe pridiè ad Sanctum Hieronymum venit, vbì aliquandiù hæserat Imperatrix Maximiliani II. vxor, & Regis soror. Postridiè ad eundem locum sorores Principis ambæ Regis Hispan. filiæ, à Castellæ præside, alijsque multis aulicis & regijs ministris ductæ fuerunt, & ad Regiam Maiestatem per portam D. Dominici intrârunt. Templum deniquè per ambitum cum Principe, cæterisque dominabus ingressæ, ad altaris partem meridionalem constiterunt. Hìc Cardinalis Toletanus sacrum auspicatus est. Episcopi verò de Placentia, de Salamanca, de Samorra, d'Auila, de Segouia, de Quenca, de Ciquenca, & de Osma, ad alterum altaris cornu sedebant. Habebat & hìc Cardinalis Granuellanus suas functiones: qui Suæ Maiestati Euangelium & Pacis osculum præbebat. Idem munus & Episcopus Placentinus erga regias filias obiuit. Sacro finito, Granuellanus Principem ad summum altare manu duxit, vbì à Toletano Sacramento Confirmationis munitus, atque indè oleo sacro perunctus, ab eodem Granuellano ad priorem locum reductus est. Hìc tum surrexit Armorum Rex, qui apud Hispanos magistratus est, & ad eam altaris partem, vbì Euangelium canitur, vbì & Legati, aulæque Præfecti, &

Hispaniarum Regis vnicus filius, Princeps Hisp. creatur.

1584 prætextati aſſeclæ, nobiliumque pueri ſtabant, ſe conferens, iuramentum quod Principi erat præſtandum, alta voce pronunciauit. Poſt quem Licentiatus Ioannes Thomas Regis Conſiliarius ſurgens, idem iuramentum latiùs explicauit, declarando etiàm, idem iuramentum ab Imperatrice, tanquàm Caſtellæ Infante, filiabusque regijs præſtari debere. quæ illud non recuſauerunt. Quo peracto, Legatus Regis proteſtatus eſt, id iuramentum ab Imperatrice, non tanquàm à Germaniæ Imperatrice, ſed tanquàm à Caſtellæ Infante poſtulari. Rex deindè cum Imperatrice ſorore ſua eum locum accedens, in quo Crux & Miſſale (vt vocant) iacebant, ſumma cum maieſtate acceſſit: præſtitoque iuramento, vbì Imperatrix Principem nepotem medium (cùm is manus deoſculandus præbere nollet) complexa, eumque deoſculata, vnà cum Rege ad priorem locum reuerſa eſt. Filias Regis ſurgentes, cùm illæ, officio præſtito, reluctantis fratris magnui oſculum impreſſiſſent, omnes Epiſcopi ſubſecuti ſunt, quibus per Marchionem de Aguilar iuramentum quoquè imperatum eſt. Poſt Epiſcopos illos iurârunt Hiſpaniæ Primates, ante alios Admiralius Caſtellæ, Marchio Billena, Dux de Paſtrama, Princeps de Aſcoli, & Marchio de Denia. Indè & reliqui in dignitate cõſtituti Domini, aulæ procuratores, Communitates de Burgia & de Toledo. A Marchione verò de Aguilar, idem iuramentum exegit Dominus de Oropeza: tandèm & à Cardinale Toletano id Epiſcopus Placentinus ſuſcepit.

Iaponiæ Regum legatio in Hiſpaniā venit.

Hunc tam ſolennem diẽ multò etiam lætiorẽ reddidit cæli ſumma ſerenitas, & triũ Iaponum Regũ ex vltimis in Oriente terrarũ orbis finibus magnifica legatio. Qui eam obibant, Regum, principumq; filij, hoc tempore ſuperueniẽtes, manus Regis atq; Imperatricis exoſculati, honeſtiſſimè excepti fuerũt. Erant illi colore albi, ſtatura mediocri, optimis ingenijs prędíti, ante paucos annos ad fidem Chriſtianã, gratia diuina, & Patrum Societatis Ieſu opera conuerſi: & nunc Romam, ad præſtandam ſummo Pontifici obedientiam, proficiſcebantur. De quibus latiùs in menſe Martio anni ſequentis agemus.

Telegnius Lanouij filius capitur.

Sub id tempus Telegnius Lanouij filius Antuerpia Lil[...]um cum decẽ nauibus & vna triremi nauigaturus, [...]oximè pontem in naues regiorũ incidit. commiſſum e[...] atrox prælium. Telegnius cùm ſe ſuperatum videret, literas quaſdam legationis ſuæ ſummam, atque alia arcana quædam conſilia, deque aggere Coudeſteinio occu-

cupando continentes, in fluuium proiecit : sed cùm adessent ex regijs qui id obseruârant, literas vndis extractas, Parmensi tradiderunt. è quibus omnia eorum consilia sunt detecta. Telegnius ipse cum nauibus, triremi & duodecim alijs Centurionibus in potestatem regiorum veniens, Gandauum, atque indè Tornacum missus est. quæ victoria regiorum animos vehementer erexit, & hostium econtrà labefactauit. Paulò pòst Parmensis perducta fossa ex Scaldi, iuxta munitionem Calloensem, in pratis portum seu stationem nauium suarum fecit; vt si tempestas exoriatur, eæ in flumine non periclitentur, sed tutò in portu possent consistere. Tunc & Gandaui & Brugis Reipub. facies cœpit reformari, Caluiniani è magistratibus eijci, Catholici viri surrogari, templa restaurari, arx Gandauensis reparari, omniaque ad meliorem formam institui. 1584

Bruxellenses verò etsi penuria commeatusque difficultate laborarent, tamen præfracti adhuc pacem respuebant. Erant quidem ex ciuibus permulti qui pacem bello anteponebant, sed Templij & præsidiariorum viribus oppressi, de pace ne mutire quidē audebant. Antuerpienses & Mechlinienses omnē opportunitatē captabant eis commeatū mittendi. Centū itaq; circitèr currus annona instructi quāto potuêre silentio in vrbem peruenêre: sed cùm reuersuri essent preciosa supellectile rursùs onerati, in manus regiorum inciderunt, ipsisque prædæ fuerunt.

Bruxellensium peruicacia.

Postridiè Calendarum Decembris Hollandi instructissimam classem iterùm Antuerpiam miserunt, vt operas Parmensis demolirentur, & aggeres Ternousæ conuellerent, omnem regionem Vvaseam marinis fluctibus cooperirent : fore enim hoc modo sperabant, vt Parmensis commeatûs inopia pressus, stationes deserere compelleretur. At ille risit eorum insaniam : venientes duas hostium naues depressit, & tres captas suæ classi adiunxit.

Hollandi rursus classem Antuerpiam mittunt.

Sub id Ericus Dux Bruinsuicensis princeps bellicosissimus, & multis expeditionibus, victorijsque clarus, in Italia vitam cum morte permutauit. Legitimam prolem nullam reliquit, illegitimas duas, masculam & fœmellam, quas tam tenerè adamabat, vt moriens ijs opulentissimas diuitias, & dominia quæ in Batauia possidebat, testamento dicatur reliquisse. Bruinsuicensium suarum ditionum aliquot vsumfructum vxori Duci Lotharingiæ fœminæ sanctissimæ reliquit: Sed Iulius Dux

Dux Ericus Bruinsuicensis moritur.

1584 testamentum hoc ratum non habens, hunc vsumfructum vxori denegauit. Postulatus est huius litis arbiter æquissimus Princeps Vvilhelmus Lantgrauius Hassiæ, & nisi maturè negocium componatur, timenda sunt arma, vicinorumque populorum interitus.

Selestadiensis conuentus, eiusq; decreta. Episcopus Argentoratensis hoc mense Decembri inferioris atque superioris Alsatiæ Ordines, vnà cum Capitulo suo Selestadium ad comitia conuocauit. Excommunicati Comites cùm se à conuentu excludi intelligerent, Petrum Scerrerum & Nicolaum Gerbelium eò cum literis & apologijs miserunt. Auditur Episcopi postulatum, leguntur Pontificis & Cæsaris mandata, proponuntur excommunicationis causæ; ostenditur Comites non tam quòd Catholicam religionem deseruerant, quàm quòd Coloniensi bello sese implicuerant, damnatos esse. E contrà auditur damnatorum legatio. Tandèm conclusum, Legatos ad Senatum Argent. mittendos, qui ei supplicent, eumque admoneant, vt mandato Cæsareo, totiès nunc reiterato, satisfaciat: præsidium ædibus Capituli impositum euocet: excommunicatos Comites benignè primùm, vt exeant, adhortetur: quòd si non obediant, secundùm Cæsaris mandatum viribus eijciant. Administratio verò domûs, fructuum atque prouentuum, Oeconomo & ministris constitutis restituatur. qui præstito iuramento, nulli Canonicorum, siue is Catholicus sit, siue Confessionista, aut etiam Excommunicatus, quidquam ex prouentibus porrigant: sed omnia fidelitèr congerant, atque custodiant, donèc controuersia omnis decisa sit. Prætereà vt Legati vtriusque Alsatiæ domum reuersi, relatione facta, omnem diligentiam adhibeant, quo Domini sui communibus votis Cæsari supplicent, vt tam in communis patriæ, quàm in partium dissidentium vtilitatem, Sua Maiest. Electores Moguntinum & Saxonem interpellet, mandetque illis, suos Consiliarios mittant, qui causam cognoscant, eamq; iudicent. Mandatum quoquè est vtrique parti, nè arma moueant, aut vim alteri inferant: quòd si quæ partium id fecerit, promittunt se ad Cæsarem id primùm relaturos; deindè etiam si opùs sit vim vi repulsuros. Hanc conclusionem Legati ad suos Dominos & Magistratus referãt, qui mensis spatio in conuentu Hagenouvvę habendo sententias suas dicẽt. intereà & partes, an hæc rata habere velint, aut irrita, deliberabunt. Cæterùm Excommunicati,

cati, siue quòd causæ suæ diffiderent, siue quòd commodo suo cedere noluerint, ad Satrapiam Hagenouvvæ scribunt, iustitiam causæ suæ multùm exaggerantes, orantesque nè Ordines decreta conuentûs Selestadiensis approbarent. Interìm illi qua possunt diligentia frumenta, vina, aliosque prouentus vendunt, & in proprias ædes transportant: adeò vt Catholici apud Senatum conquererentur, iam septiès mille & quingentos frumenti modios ab illis esse distractos. Sed Senatus ad hæc omnia conniuebat, & definitionem conuentûs Selestadiensis prolixo ad Ordines scripto missō se non approbaturum declarauit. Ad maiorem rei exulcerationem editum est Calendarium, (vt quotannìs fieri solet) in quo insignia, nomina, & tituli Canonicorum exprimuntur. In hoc Truchsesij insignia, cum galea, scuto, & titulo Electoratûs erant depicta. Nonnullorum quoquè nomina miniatis literis, aliorum furuis expresserant, & quosdam Canonicos omiserant. Quæ omnia cùm ad simultatem maiorem pertinerent, Collegium à Senatu petijt, exemplaria supprimeret, Impressorem captum, qua intentione hæc fecisset, interrogaret. Sed Excommunicati suam interponentes authoritatem, Impressorem defenderunt, & Senatui facilè satisfecerunt.

1585

Canonici Protestantes & Senatus Argoratens. decreta conuentûs Selest. contemnunt.

Holachius Comes huius anni nobis dedit catastrophen: is enim cum octingentis equitibus commeatum Bruxellensibus aduecturus, in aliquot equitum turmas, qui sub Conradino Italo Regi militabant, incidens, magna suorum ignominia, maximoque detrimento pugnauit. captis etenim 250. & ducentis circitèr occisis, cæterisque vulneratis & in fugam versis, ipse equo celeri elapsus, in Campiniam incolumis peruenit. Hæc clades D. Merodio occasionem dedit, vt Bruxellensibus, propositis diuersis in quibus erant difficultatibus, pacem à Rege petere suaderet.

Holachius iterùm cæditur.

ANNO 1585. die 4. Ianuarij, Aldegūdus primarius Antuerpiensiū Consul, habita primū longa in concilio oratione, quatuor nouos ex infima plebe cōstituit Chiliarchas: quos Colonellos exotico vocabulo nunc appellāt; Arnoldū scilicet Helmannū, Franciscum Herequiū, Baltassarē Mucheronē, & rectorem quendā cereuisiæ, hominē etiām nomine obscurū, suis factionibus

Antuerpiæ noui chiliarchæ cōstituūtur.

1585 vtì & alij tres studiosissimum, & ad quæuis audendum promptissimum. Quo peracto, ij qui æstate præcedenti fuga elapsi, vrbem metu, contra edictum, reliquerant, publicè & nominatìm reuocantur. quo tempore nunciatum est, inducias vnius anni inter Cameracenses, Hannonienses, & Arthesios proclamatas esse.

Regiorum in Frisia victoria. Ordines in territorio Groningensi ad Amisiũ fluuium, pago cui Oterdom nomen est, propugnaculum anno præcedenti, magna cum celeritate construxerant. ex quo multum damni territorio inferebāt: & nè Embda commeatus in vrbem nauigio importari posset, impediebant, quia verò natura loci, fluxûs atque refluxûs maris beneficio, & arte esset munitissimum, oppugnari difficulter potuit. Quarè longa obsidione & fame, qui in eo erant, domandos esse Verdugius existimauit. Rem Nobili cuidam Vltraiectensi, iuueni robusto, imperterrito, & victorioso, nomine Rineueltio, toto hoc Frisico bello notissimo, multisque victorijs claro, demandauit. Is cùm extructis iuxta Geusiorum stationem alijs munitionibus aliquandiù commeatum excluserat, tandèm initio huius anni Hollandi apparatu facto commeatum nauigio in propugnaculum importare summa vi contendebant: Rineueltius id impedire, & se ad pugnam accingere, vtrinq; ad manus venire, fortitèr dimicare; Hollandi fugam capere, regij quatuor nauigia stellatura & commeatu onusta, & duas naues bellicas intercipere, spolijsque diuites in castra redire.

Ordines Buscoducũ per insidias ingressi eijciuntur. Dum Parmensis totus est in Scaldi occludendo, Geusij nè suis rebus deesse viderentur, insidias vrbi Buscoducensi struxerunt. Est autem Buscoducum vrbs ex quatuor Brabantiæ vrbibus primarijs vna, à syluis, quæ hoc loco olìm Duci fuisse creduntur, nomen habens, longè munitissima, ludo literario, magna ciuium & præstantissimorum ædificiorum frequentia, pugnacique populo, blando tamen & ciuili, nobilis. Mansit hæc vrbs in fide atq; officio Regis ab anno 1579. quo tempore Caluinianos felicitèr eiecerunt, vsque in hunc diem, quantumuìs diuersis insidijs, diuersis tēporibus, non sinè suorum dāno tentauerũt. Comes Holachius, quod hactenùs non successerat, feliciori vt sperabat euentu aggressurus, clàm ex Velua, diœcesi Vltraiectēsi, præsidijsq; finitimis quoscunq; potuit euocauit: & 19. die Ianuarij per dēsissimas tenebras, agmen ducēs, circitèr quatuor milliũ equitum atq; peditum, in insidijs proximè vrbem permansit,

ducen-

ducentos verò equites Germanos & aliquot sclopetario- 1585
rum manipulos ad portam, vulgò **de Duchterpoort** dictam, præmisit. Horum quinquaginta humiles quasdam ædiculas, portæ contiguas, in quibus interdiù custodiæ delitescunt, occupauerunt. Manè facto hora circitèr octaua, porta recluditur: emittuntur exploratores, & custodię disponuntur. Qui in prædictis ædiculis erant, erumpentes, magno impetu exploratores, excubitoresq; occidunt; & in vrbem ruunt. Ascendunt confestim turrem portæ imminentem, vt impedirent, nè quis cataractam impendentem in irrumpentes demitteret; inueneruntque senem quendam, cui huius cataractæ custodia erat demandata. Hunc multis vulneribus confossum, semiuiuum in cubiculum quoddam detrudentes, socijs signū dederunt, vt in vrbem accelerarent. Nec mora, confestìm ingentes copiæ irrumpunt, quæ bonam vrbis partem occupârunt. Erant fortè fortuna tunc temporis in vrbe aliquot hastati equites Itali, & Sequani, numero pauci, qui pridiè cum mercatoribus in vrbē venerant. Sed & Altipennius morbi curandi causa huc venerat, & necdùm prorsus conualuerat. hic itaque inermis primùm, pugione tantùm & scuto se protegens, equites istos hostibus obiecit, ciuesque in ordinem redegit. Interìm arma illi & equus adferuntur. Tunc cum Domino de Helmont equitibus & ciuibus in hostem irruens, acritèr pugnauit, hostesque locis quæ occupârant pasśim eijcere cœpit. Qui iuxta portam erant, triumphum ante victoriam canentes, acclamant socijs, vrbem iam captam esse. Quod elogium cùm, qui cataractam custodiebant, audiuissent, ad prædā festinantes, portam deseruerunt. Senex ille cruoris iam nimij effusione penè exanimis, cùm hostes decessisse intelligeret, spiritum resumens, ad ostium turris accurrens, illud occludit: & ablatis repagulis totam cataractam demittit. Holachius, qui mutato equo vrbe iterùm exierat, vt nouas copias adduceret, cum Domino Iselsteinio & magno comitatu reditum festinans, cùm portam obstructam videret, spem suam elusam & socios periclitari animaduertens, tristis reuersus est: euentum foris expectans. Interìm in vrbe magna cōtentione pugnatur. Sed cùm hostis cerneret à tergo nullos sequi, & portam occlusam esse, trepidantes fugam capessunt, seseque è mœnibus demittentes, aut vado enatârunt, aut limo infixi, suffocati sunt: ciues paucis parcere, omnes pasśim occidere. Erant inter cæsos multi viri nobiles, quod & torques, vestimenta, & orna-

Egregium Senis cuiusdā facinus.

1585 menta reliqua testabantur. Repertus est inter cadauera Ferdinandus Gebhardi Truchsesij Electoris nuper Coloniensis germanis frater, & quidam Marchettus Nobilis Atrebatensis. Cæsi creduntur hoc prælio ex hostibus citèr ducenti, & vltrà: submersi verò & ex fossis extracti 80. capti non pauci, ex quibus nōnulli posteà vltimo supplicio mulctati sunt. Nec ciuibus omninò hæc victoria fuit incruenta.

Ferdinandi Truchsesij mors.

Bruxellensium legatio ad Parmensem.

Bruxellenses extrema necessitate coacti, cùm fame passìm interirent, tandèm mittunt ad Parmensem, qui pacem flagitarent. Sed cùm nulla adferrent media, exploratores potiùs quàm Legati habiti, magna cum indignatione Parmensis remissi sunt. Antuerpienses, etsi iam naues ampliùs nullas reciperent, tamen non tantùm nil de sua pertinacia remiserunt, sed iuramentum de non facienda vnquàm pacis mentione renouârunt, & nouis, ijsque rigidioribus verbis amplificârunt. Interim Parmensis castra sua munit, & tormenta conuehit, materiamque ad fluuium iam tandèm claudendum comportat.

Bruxellenses maiori annonæ difficultate pressi, occasiones elabendi quærebant, & vicinis in locis victitandi. Sed Parmensis vrbis pertinacia offensus, quotquot deprætendit, aut in ciuitatem reiecit, aut laqueo necauit. Nunciatum est hoc tempore mulierem quandam numerosam prolem habentem, cùm omnia iam consumpsisset, & pueri assiduo ploratu atque eiulatu famelici & moribundi animum maternum cruciarent, venenum lethale sibi comparâsse, mixtoque poculo indè primam bibisse, & iam morituram, pueris suis propinâsse, miserrimaque morte omnes interijsse. Paulò antè in castris Illustrissimi Ducis Parmensis post trium dierum disceptationem, in militari iudicio, nouem signa Comitis Mansfeltij, quæ nuper, nulla impetrata missione, dilapsa erant, condemnantur: Authorum fugę numero 65. nomina patibulo palàm affiguntur, & si in posterū inter alia signa deprehendātur, decernitur vt ex aridis arboribus (eo quòd viridibus indigni iudicati sunt) absq; vlla alia sententia suspendantur. Post paucos dies septendecim mercatores, qui clàm vrbe relicta in Hollandiam fugam instituere decreuerant, à regijs capti sunt: qui de statu vrbis Antuerpiensis interrogati, tolerabilique lytro redempti, incolumes dimissi sunt.

Horrendū facinus.

Militari iudicio quidam cōdemnati.

Circa idem tempus Capitulum Metropolitanæ Ecclesiæ

clesiæ Argentoratēsis, patrocinium Senatûs implorabat, 1585
contra violentiā Vvitgensteinij, Solmensis & Vvinnenbergij excommunicatorum collegarū suorum, qui non cessabant frumenta atq; vina, quæ ad communitatē pertinebant, diuendere, alienare, & transportare. Frederici quoquè Ducis Saxoniæ Decani nuper electi prouentus, ex agro in vrbem per ciues aduectos similitèr distrahere, cæteris Canonicis annuos reditus negare, nihilq; non agere quod in præiudicium esset Collegij totius. Illi contrà sese Magistratui purgabant, petebantque vt Senatus aduersariorum querelas in posterum vt iniustas non admitteres. quod non grauatè à fautoribus suis impetrârunt.

Legatio Ordinum Belgicorū ad Regem Galliæ.

Aldegundus perniciosa sua eloquentia Antuerpianos in officio retinebat: eis felicissima queque paulò pòst successura persuadens, veramque opem Regis Galliarum promittens. Legati enim ex singulis Rebellium prouincijs in Galliam missi iam erant, qui Briela discedentes, & Diepam nauigantes, exorta tempestate Boloniam reiecti sunt. indè terrestri itinere Abauillam ad Regem venerunt. Antequàm ad colloquium cum Rege admissi essent, Mendoza legatus Regis Hispaniarum, Regi Henrico exposuit, saluo ipsum honore & dignitate homines rebelles ad suum colloquium admittere, vel causam illorum audire non posse. Omnium Principum totius Christianitatis interesse, si homines rebelles & seditiosi à Regibus audiantur, recipiantur, & iuuentur. Hoc modo pacem inter vtriusque Regis, Galliæ scilicet & Hispaniæ, Maiestatem initam, matrimonio & affinitate confirmatam, violari. Ad quæ Henricus respondisse dicitur: Se Belgarum Legatos auditurum, non vt Rebelles, sed Oppressos. Christianos Reges id nulli denegare vnquàm solere, debere, aut posse: præsertìm si ea faciant intentione, vt subditos suo Principi, & Principes suis subditis reconcilient. Belgas conqueri, sæpiùs per supplices libellos à suo Principe pacem flagitâsse, nunquàm verò æquam obtinere potuisse: ideoque à denegata iustitia licitum ipsis esse prouocare.

Legati itaque cùm Senlisij Regem salutâssent, ab ipso patienter auditi sunt, & posteà ad Reginam matrem remissi. Nauarræus, Protestantesque reliqui cum Angliæ Regina Legatorum petitioni maximoperè fauere dicebantur, & clàm omnem opem Regi polliceri, si Belgarum causam defendendam accipere vellet. Licèt nonnul-

1585 nonnullæ ciuitates Belgicæ, vt Enchusia, Horna, Nouiomagum, Venlona &c. in hanc legationem minimè consentirent. Venientes deindè legati ad Reginam matrem, benignè etiàm ab ea per duas horas cõtinuas auditi sunt. Senatus prouinciarum disertè Regi exposuerũt, eum nec debere, nec posse salua conscientia & honore, Belgas in suam protectionem accipere. Hinc factum, vt varij per Belgium de Regis sententia sermones circunferrentur. Catholici, Regem Legatorum postulata reiecisse; Caluiniani amplexum esse, dicebãt. quod eo magis creditum est, quia Rex Legatos Lutetię magnificentissimè excepit, & suis aluit expẽsis, eos familiarissimè habuit, & aliquotiès à conuiuio dimissos, suis rhedis & lecticis domũ deportari iussit. Sunt qui putent Regis animũ à causa Belgarum defendenda non abhorruisse: sed quia Principum suorum confœderationem, nouiq́ue belli incendia, in proprio regno metuebat, ausum non fuisse.

Fœdus sacrum Principum Catholicorũ in Frãcia.

Borbonij enim Guisij, alijq́ue Principes regni, cum maiori nobilitatis parte, cùm prolem nunc omnem Valesianam sinè hærede obijsse cernerent, solo Henrico superstite, à quo nulla soboles expectabatur; ideoq́ue regnum in aliam familiam fore transferendum: non obscuris argumentis colligebant Nauarræum regnandi cupiditate inflatum, coronam ambire. Sed cùm is Caluinianus esset, nec regnare in Gallia possit, qui Catholicam religionem non profitetur; cùm primum Regis inaugurandi iuramentum sit, se Catholicam Romanam Religionem defensurum: Principes isti fœdus inierũt, se nullo modo permissuros, vt vel Nauarræus, vel aliquis hæreticus, regnum Galliæ post obitum Henrici administraret. Coniecturæ verò, quæ studia Nauarræi suspecta reddiderunt, erant hæc: In regno Galliæ, alijsq́ue extra regnum locis copias militares colligebat; ciuitates, quas post certos annos, ex pacto vltimæ pacis redderet, ipse & sui confœderati non redderent, sed insupèr munirent, & legationes in Germaniam ad Protestantes mitterent, eosq́ue ad fœdus solicitarent, ad Catholicam religionẽ opprimendam. Sed & viuente & vidente Rege quotidiè opprimerent Catholicos, Regniq́ue ministros, qui Catholicæ religionis erant: vt ijs sublatis, tutiùs in Ecclesiam grassarentur, & sese, Anglorum exemplo, ex patrimonio Petri ditarent. Sed & notum erat Caluinianos quotidiè sese magis magisq́ue in amicitiam & familiaritatem Regis insinuare, eius authoritatem vsurpare, & sub vmbra Regis ami-

De hac legatione vide suprà fol. 1081.

gis amicitias & confœderationes Protestantium Germanorum aucupari: Principes & nobiles regni, immò consanguineos Regis, à Regis colloquio arceri, nec quēquam ad eum admitti, nisi qui eiusdem erant cum ipsis farinæ sæpiùs adlaboråsse. Eò iam vētum erat, vt nemo Catholicorum Principum officium suum facere, vel posset, vel auderet: cùm alij titulis priuarentur, alij relicto inani titulo, omni potestate exuerentur. Prouinciarum Gubernatores, vrbium atque arcium prçfecti, passim officijs destituebantur, & obtrusa pecunia, quæ præmij loco numerabatur, ipsi magistratibus abire, & in alios religionis hostes conferre, inuiti cogebantur. Quod exemplum erat in Francia inauditum: virum scilicet fortem & probum data pecunia officio destitui, quod ob egregias virtutes, gratis erat illi donatum. Hac via ambitiosi isti homines, terræ, marisque potestatem, omniaque Regni arma paulatìm in suam potestatem transferebant, & suæ factionis homines nouis quotidiè officijs exornabant. Eò etiam cupiditas hæreticorum progrediebatur, vt aperto Regis fisco, omne præsens aurum & argentum rapientes, in priuatos suos vsus transferrent: Canones & regalia dominia ipsi acciperent, aut qui accipere solēt, hos in suas partes pertraherent. quæ vnica erat via, ad coronā aliquandò perueniendi. Ijdem etiàm facilitate subditorum abutebantur, & nouas quotidiè indictiones imperabant. 1585

Cōquerebantur Catholici Principes, in vltimo conuentu Blesensi, optimam fuisse spem conceptam, optimasque inuentas esse rationes, omnes simultates regni semel penitùs extirpādi, pacemque Regni stabilem componendi. Sed hanc spem euanuisse, quorundam Dei atque Religionis hostium studijs, qui ad concilium vocabantur. Eos Regem nulli alij rei tunc incūbentem, quàm vt eiectis omnibus hæresibus, vnam Catholicam Religionem, omnia in regni loca reduceret; eam sartam tectam conseruaret, & secundùm eius præscriptum, vbiquè imperaret; eos, inquam, ab hoc sancto proposito Regem retraxisse, eique persuasisse, Regi eiusque Regno vtilissimum fore, si Catholicorum vires atque authoritas nonnihil attenuarentur. Conqueruntur ijdem Principes, prçcipuum regni membrum, Ecclesiasticos nimirùm, decessione decumarum suarum, & exactionibus nouis depauperari: Nobiles despici, continuisque indictionibus obrui, & communem plebeculam immoderatis vectigalibus opprimi, omnibusque fortunis spoliari.

1585 Has itaque ob causas, quæ in Principum scripto Gallico latiùs referuntur, Carolus Cardinalis Borbonius, Primas Regni, sanguine Regi proximus, cuius est aduigilare, nè quid Religio Catholica detrimenti in regno Gallico patiatur; cæteri Principes, Cardinales, Purpurati, Prælati, Palatina officia, Proreges, Dynastæ, Nobiles, Tribuni militum, & ciuitates Regni, die 24. Februarij Ianuillæ conuenientes, inter sese fœdus fecerunt: & post maturam deliberationem iurârunt, se opibus & sanguine sequentes 7. articulos propugnaturos: Vt Ecclesia Dei antiquæ integritati atque nitori restituatur, redintegretur, & Catholica religio reuocetur, atque vbiquè obseruetur. Vt Nobilitas suis priuilegijs sinè vllo impedimento, vt solet, in posterum fruatur. Vt in gratiam & refocillationem subditorum nouæ indictiones & vectigalia aboleantur; quæcunque post obitum Caroli noni populo erant imperata. Vt concilium prouinciale seu Parlamentum cogatur, restauretur, & ad solitam authoritatem redeat: & quilibet in eo sua dignitate gaudeat & potestate. Vt subditi omnes regni Gallici in suis Gubernaculis, Officijs, & Dignitatibus continuentur: nemo ijs priuetur, nisì aliqua trium istarum, quæ iam indè ab initio in vsu fuerunt, causarum subsit, eaque huiusmodi à Parlamento esse cognoscatur & iudicetur. Vt pecunia ex præcedentium annorum exactionibus collecta, & colligenda, in vsum defensionis Regni, aut alias in res necessarias expendatur. Vt comitia Regni sinè vllo impedimento, vt minimùm singulis triennijs, conuocentur, in ijsque liberum sit vnicuique suas proponere querelas, & aliorum iudicium postulare.

Articuli fœderis sacri. 1. 2. 3. 4. 5. 6. 7.

Hæc, aliaque adhuc suo loco & tempore proponenda, dicunt Principes summa esse capita, propter quæ arma induant: vt Regnum Galliæ pristino nitori restituatur, scelerati plectantur, boni defendantur. immò vt ipsi Principes, quorum aliqui paucos ante menses per clandestinam conspirationem ad necem quæsiti erant, securiùs viuant. Ostendunt etiàm se semper bella intestina odisse, sed necessitatem Regni, Catholicæ Religionis oppressionem, & propriam salutem, ea nunc postulare. Immò & tantoperè sese à bello abhorrere, vt si propria tantùm salus, & non etiàm Religio periclitaretur, ab armis adhuc abstinere vellent. Nunc verò nullam ipsis tam gratã fore sepulturam, aiunt, quàm quæ mortem ob tam honestam

&

& piam causam inflictâ sit subsecutura. Testantur etiàm 1585
ijdem Principes Catholici, se arma non in Regis perniciem, sed ad eius vitæ, honorisque defensionem sumpsisse: iurantq; sibi nihil fore sanctius, quàm fortunas cum vita & sanguine, pro eius Maiestatis authoritate non secùs atquè hactenùs fecerũt, etiamnùm profundere. sed & arma deposituros se promittunt, si Rex ea, quæ in præiudicium Religionis, bonorumque subditorum hactenùs irrepserunt, benignè velit abolere; cauere etiàm pro sua prudentia, nè post mortem ipsius, ob regni administrationem, discordia, tumultus aut bellum exoriatur. Orant itaque & Regem & eius matrem, cuius prudentiæ adscribunt, quòd regnum Galliæ hactenùs nõ interierit, vt Religionem Catholicam, & bonos omnes defendere pergant. Omnes quoquè Principes, Prælatos, Nobiles, & Ciuitates, qui huic fœderi nondùm adscripti sunt, deprecantur, vt eandem hanc causam defendant, & ad fœdus veniant. Quòd si verò deliberare velint, nec tam celeritèr conuocato concilio certi quid statuere possint; orant interìm, aduersarios, qui hoc Principum propositum in peiorem partem essent interpretaturi, non audiant, sed & suas vrbes, oppida, atque arces præsidijs impositis, contra aduersariorum insidias muniant. Declarant proindè Principes, quam militarem disciplinam obseruare, quos ad militiam adscribere velint: scilicet non vulgares homines, qui quæstûs gratia militare, sed qui zelo pietatis & amore Dei vltrò incitati velint pugnare: qui stipendijs contenti, nulli iniuriam, aut damnum cupiant inferre. Tandèm omnes Catholicos obnixè rogant, vt se, huiusque sanctissimi fœderis socios, pijs moribus, optima vita, & Sacramentorum vsu Diuinæ Maiestati commendent; assiduis precibus, solennibusq; supplicationibus opem cœlestem implorent, nè sacro huic proposito desit vnquàm. testantur vicissìm sese negocio non defuturos, arma non posituros, priusquàm illa, pro quibus sumpta sunt, obtinuerint, aut pro gloria Dei & amore patriæ, omnes ad vltimum vsque Francum occubuerint, & in sepulcrum fuerint illati.

Vigesimo verò quinto Februarij operæ Principis Parmensis perfectæ, & pons naualis in Scaldi stratus magna hominũ admiratione, & inaudito stratagemate est absolutus. cuius descriptionem ad insolitæ rei memoriam hìc subijcimus. In vtraque fluminis ripa, orientali seu

Pontis super Scaldin strati descriptio.

1585 ſeu Brabantica, & occidentali ſiue Flandrica, munitiſſimum erat ædificatum propugnaculum: illud munitio Ordamnenſis, hoc Calloenſis à vicinis pagis dicebatur. erantque in hoc 12. in altero 15. maxima tormenta, quæ Quartones vocantur, ordine diſpoſita. Ex vtraque munitione pons ſublicius in Scaldin ad quadringentos aut quingentos pedes procurrebat, cuius extremæ trabes pedum erant quinquaginta. quod fluminis reliquum erat, altius erat, quàm vt vado trabes vllæ inſigi poſſent. In extremitate vtriuſque ſublicij pontis, alia munitio erat multis etiàm tormentis armata. Inter vtranque hanc munitionem, in ipſa fluuij profunditate, 31. maiora nauigia, recta ſerie erant diſpoſita: quorũ puppes puppibus, & proræ proris catenis ferreis, & maximis rudentibus erant copulatæ, atque deuinctæ: fori verò aſſeribus latè conſtrati, per pontem ſublicium, in vtranque munitionem commodiſſimum tranſitum præbebant. Singulæ naues in duabus anchoris, vna ex prora, altera ex puppi proiecta ſtabant, duoque ſingulæ maiora tormenta & 30. milites habebant. Ad defenſionem verò nauiũ iſtarum, ſeu pontis iſtius naualis, nè ab hoſtili claſſe diſſolueretur, ab vtraque parte qua pons Antuerpiam, & qua mare reſpicit, aliud opus ex quingentis & vltrà malis, qui haberi poterant maximis, cõcatenatis compaginatiſque, ex duodecim anchoris natabat, ſpatio inter hanc molem & pontem 1000. pedum intermedio, vt impetus aduenientis claſſis, antequàm ad pontem veniret, hîc retardaretur. Totius verò pontis tam ſublicij quàm naualis longitudo erat pedum mille nongentorum nonaginta octo, quo ſpatio propugnacula à ſe inuicèm diſtabant. Ab vtroque verò vtriuſque propugnaculi latere decem præſidiariæ naues, omni apparatu bellico inſtructæ ſtabant, ad omnem expeditionem paratæ. Habebat & Parmenſis ab vtraque pontis parte, in vtraque fluminis ripa plures munitiones, nec pauciores hîc illic Antuerpienſes & Hollandi habebant.

Nouiomagenſes Catholici Geuſios expellũt.

Nouiomagum vrbs Geldriæ inſignis, quam veteres Regnum aliquandò, aliquãdò verò Baſim Imperij appellant, vna eſt earum, quas olìm Carolus Magnus ſibi ſedes elegit: inter enim Aquiſgranum & Theonis villam hæc ſecunda dicebatur: à Mago potentiſſimo Gallorum rege primùm, vt creditur, ædificata & Magum appellata. deindè à Batone Cattorum regulo aucta & renouata, vndè Nouiomagum vocari cœpta; à cuius filio Heſſo montem

tem Hessium dictum esse, nonnulli contendunt. Sita est 1585
inter veterũ Menapiorum fines, ad Rheni brachium occidentale, quod Vvahala incolis nuncupatur: quo loco fluuius & latissimus est, & profundissimus. Vrbs hęc cùm iam Caluiniani iugi & impotentis Geusiorum dominatûs esset pertæsa, de naturalis Principis sui clementia, & quomodò sese à tyrannide Auraicorum expedire posset, cogitare cœpit. Non ignorabat hoc irreptitius vrbis & prouinciæ Gubernator, Comes Nuenarius, qui eò profectus, omnem mouebat lapidem, vt præsidiũ quod in vrbe erat 300. peditum & 200. equitũ, nouis adductis copijs augeret. Tentauit id frustrà secundò, & tertiò. cumque animaduerteret ciues maius præsidium non admissuros, aliam viã ingressus, cœpit nonnullos sibi suspectos relegare. id quod illi in tribus aut quatuor feliciter successit: iamq; multos alios in albũ relatos, viros Catholicos, & Regiæ Maiestatis causæ studiosos eijciẽdi opportunitatẽ captabat. quo pastore atq; Molossis sublatis, tutiùs in oues innocuas sæuire posset. Ciues contrà & de Comite & de suis præsidiarijs expellendis consiliũ inierunt: opus sanè arduum, & periculosum, propter frequentem aduersariorum numerum aggressi. Quindecim huius consilij factique authores longo æuo digni tantùm recensentur. quorum primus Vvilhelmus Arenbergius, Dominus de Dornic & Resse. Cæteri verò ordine fuêre Ioãnes Groetfeltius, Theodorus Vvijntgẽs, Ioãnes Canisius, Ioãnes Vvees, Henricus Falkenburgius, Theodorus Drijl, Adamus Heterẽ, Franciscus Heteren, Bernardus Kerckhof, Reinerus Bongerts, Ioannes Dijc, Ioannes Draco, Gosvvinus Vermaen, & quidam Ioannes Sartor. Dictus dies est primus Martij secundùm stylũ Calendarij antiquũ, ipsumq; diei crepusculũ matutinũ. sed cùm iam dies iste adesset, institutũ hoc (nescio quomodò) est impeditũ. Vtebantur consilio cuiusdã veterani militis, qui clàm regium militem aduocandũ esse censebat: sinè huius enim auxilio rem felicem euentũ non habituram. Sed reiectum est illud consiliũ, eò quòd ciues stratagematis ignaros, alacriores in regijs repellendis, quàm proprijs eijciendis, fore nonnulli existimabant. elapsus itaq; re infecta dies ille constitutus. Catholici tam ij qui strategematis dicti sunt authores, quàm omnes reliqui quibus communicârant initum cõsilium, (quippe quòd eorũ omninò strenua opera egebant) in magno hærebant metu, nec immeritò: expectandus enim erat iam dies quintus, antequàm ea ciuiũ signa excuba-

1585 excubarent, in quibus authores huius facti erant. metuebantq; plurimùm, nè consilium detegeretur. quod si detectum esset, de vita omnium Catholicorum actum fuisset. Ieiunant quotidiè, in orationibus assidui, per confessionis atq; sacrę Synaxeos sacramenta Deo recōciliantur, pane ac cereuisia vltimo die victitant. Constitutū tempus iterùm aderat. decuriones de stationibus sortiuntur: singulis, diuina profectò disponente prouidentia, ea sorte veniunt loca, quæ, si optio fuisset, ipsi Catholici spontè elegissent. Hoc diuinæ voluntatis argumentum, mirum in modū Catholicorum animos corroborauit. Post galliciniū, dato signo, Catholici præsidiarios, qui in mœnibus erant, cōpræhensos turribus includunt: armamentariū, & loca in quibus nitratus puluis asseruabatur, occupant: forum paucis alijs erat demandatum. Ciues, audito tumultu, ad forū præcipites currunt, quibus à Catholicis interceptis persuadetur; Pręsidiarios proditionem moliri, sociū militem aduocâsse, vrbē diripere decreuisse; maiorem ciuiū partem in armis esse, vt hanc violentiā comprimant, sese, vxores atq; liberos, cum dulci patria tueantur. Proindè se quoquè protectoribus suis iungant, & sceleratum militē exturbent. Ciues his verbis accensi, communibus viribus in pedites primùm irruunt, eos cum aliquot ciuibus factiosis armis spoliāt, vrbe eijciūt: indè & equites (de quibus minor erat, ob catenas trāsuersas, quibus plateæ claudebantur, metus) expellunt. Tandèm exauctorato Senatu Caluiniano, Catholicū Magistratum elegerunt. Omnibus peractis, hora iam pomeridiana secunda, summa erat in vrbe tranquillitas, altumq; silentium: nec præter diuinas gratiarum actiones, atq; ciuium inter se congratulationes, quicquam audiebatur.

Legatio Nouiomagensiū ad Parmensem.

Formata iam atque constituta Repub. ex toto Magistratu, Dominum Alardū Bemmelium Cōsulem, Guilielmum Dornichium, Iacobum Vveniū Scabinos, Theodoricum Haeps, & Vvilhelmum Selle Tribunos plebis, Ioannem Hanium secretarium, ad Principē Parmensem legârunt, vt conditionibus quibus optimè possent, cum ipso paciscerentur. Vt autē legatio maioris esset authoritatis, Altipennius regulus, Regiæ Maiestati per omnia fidelissimus, legatis sese coniunxit.

Nienbeeck & Hacfortum à regijs occupantur.

Intereà dum hæc Nouiomagi fiunt, Taxius propræfectus Frisiæ Nienbeeck Veluvvæ castellum, & Hacfortum vltra Iselam ad deditionem faciendā compulit. Sed quia præsidiarij petulantiores erant, atque diutiùs oppugnati-

gnationem sustinuerant, nullis conditionibus in potestatem Taxij iam coacti venientes, qui in Hacfort reperti sunt, omnes occidebãtur; vnico Centurionis secretario, intercessione cuiusdam Canonici, pecunia mulctato. eorum qui in Nienbeeck erant, quidam dimissi, quidam ex vicinis arboribus suspensi sunt. *1585*

Doesburgum, Comitatûs Zutphaniæ non ignobile oppidum, ad Orientalem Iselæ ripam situm, vbì quidam fossas Drusianas constituunt, oppidumque ad rei memoriam Drusoburgum appellare malunt, cùm prosperam Parmensis fortunam, nouis quotidiè victorijs cumulari cerneret, Nouiomagensium exemplum imitatum, eiectis aduersarijs, 29. Martij, ad pacem cum Rege incundam aspirauit, quam eodem cum Neomago tempore consecutum est. *Doesburgẽses, expulsis Geusijs, Parmensi sese dedunt.*

Intereà Nuenarius Arnhemij morabatur, solicitus quomodò introductis maioribus copijs, vrbem istam in fide sua retinere posset. nutabãt enim ciues, & Nouiomagensium institutum ipsis perplacebat: quarè & opportunitatẽ captabant, sese quoquè præsidio exonerandi. Nuenarius clàm ad portam milites in insidijs collocari noctù iubet, vt manè porta adaperta, irrumperent. Excubitore speculario, siue quòd corruptus esset à Comite, siue quod malè à ciuibus obseruaretur, signum dante, classicumque canente, manè dum portæ aperiuntur, ciues neglecta porta vbì insidiæ erant dispositæ, ad aliam concurrunt: atque intereà insidiatores impetu in excubitores facto, eos repellunt, vrbemque magno ciuium mœrore inuadunt. Nuenarius, re felicitèr peracta, aduersarijs suis insultans, inquisitionem in Catholicos instituit, atque optimos quosque in exilium eiecit. atque ità Arnhemium, fortè ob præcedentes petulantias (vt multi interpretantur) tam leni gratia indignum, absoluto Nuenarij imperio est subiectum. *Nuenarius Arnhemiũ præsidio munit.*

In Brabantia vicissìm cum Bruxellensium peruicacia fame iam satìs esset refrenata, certis tandèm conditionibus vrbs in Parmensis potestatem venit. Omnia ciuibus sunt condonata: templa & Procerum quorundam ędes restaurarent: priuilegia omnia, ijs exceptis qui rebellionis occasionem dederant, reseruarent: Biennium Caluinianis, vt sua disponant, permanere concessum. E Regis sacello, Cardinalis itẽ Granuellani, & Comitis Mãsfeltij ædibus ablata redderẽt: Vectigalia iã pridèm imposita deincèps tolerarẽtur, donèc ea quę debebãt soluissent. *Bruxellẽses sese Regi dedunt.*

1585 Antuerpiani & Mechlinienses iisdem conditionibus gauderent, si temporì ad clementiam Regis reuerterentur. Externus miles abiret, trium mensium spatio contra Regem arma non sumeret. Templius & alij tres chiliarchi sex mensibus à bello feriarentur. Præsidiarijs, qui sub duobus & triginta signis erant distributi, quatuor mensiū stipendia annumerata esse, tunc fama erat. Quibus vtrinquè transactis, & confirmatis, Richardotius Arthesij præses, vir magni consilij atque authoritatis, & Gernerius Parmensi à secretis, in vrbē venerunt, & Remp. reformârunt.

Nuptiæ Ducis Sabaudiæ cū filia Regis Hisp.

Dum hæc Bruxellæ fiunt, maximus in Hispanijs nuptiarum fit apparatus. Dux enim Sabaudiæ filiam Regis Hispaniarum natu minorem ducturus, paulò antè cum magnificentissimo Allobrogum, Insubrium, & Genuensium comitatu Barzeloniam vrbem Cataloniæ maritimam appulsus, secundo die Martij indè Saragosam profectus est. Deduxit illum Prorex Cataloniæ, vsque ad fines regni Arragoniæ. Omnibus in oppidis magnificentissima pompa, omniúque ludorum genere, non alitèr atquè Rex ipse præsens adfuisset, exceptus est. hoc enim Regia Maiestas ministris suis demandârat. Sexto deindè Martij Heridam vrbem Arragoniæ intrauit: vbi Proregem regni istius obuium habebat. Octauo die Dux per Confessiōnis sacramentum Deo sese reconcilians, decimo, qui dies Sabbathi erat, summa cum pietate sacrosanctam Eucharistiam percepit, quod & Serenissima Domina Catharina eius sponsa eodem tempore fecit. Postridiè Dux Saragosam venit, vbì Rex Hispaniarum Ducem in campo suburbano expectabat. Ingens circa Regem Principum, Nobilium, Aulicorum & ciuium erat exercitus, qui semicirculari figura Regem cingebant. ipse generoso insidens equo totum Ducis comitatum, sexcentos circitèr equites, iussit suo in conspectu transire: donèc Ducem appropinquantem videret. Dux eminùs conspecto Rege ex equo desiliens, ad Regem pedes peruenit. Rex quoquè ex equo descendens, Illustrissimum Ducem ad se venientem, & flexis genibus procumbentem, humanissimè excepit, eleuauit, amplexus & deosculatus, alta voce interrogauit: quomodò Sua Celsitudo valeret? Post breue colloquium omnes Principes Genuēses, & ipse Amudæus Regis manus deosculati sunt. Indè iterùm equos ascendentes, in vrbem paritèr proficiscebantur. Hispaniæ nobilitas nobilitati Sabaudicæ erat permixta, Regisque

latus

latus dextrum Dux ipse claudebat. Cumque ad pontem Ebron ventum esset, Serenissimæ Regis filiæ clàm ex palatij fenestris illustrem hanc pompam intuebantur. Iuxta palatium Principes Hispaniæ aduenietem Ducem tubis, lituis, classicis, buccinis, omnique instrumentorum musicorum genere, exceperunt. Regia verò Maiestas eum ad hospitij locum deduxit. Cumque in atrium venissent omnes Hispaniæ Principes, Duci gratulabãtur, & Sabaudi vicissim, atque inter eos primus Baro de Sphondrato, Regi manus ordine osculabantur. Posteà cùm per duas horas in quodam cubiculo moram traxisset cum Duce Rex, in aulã deducti sunt: vbì nobilitas omnis erat congregata. Mox per aliam portam Princeps Hispaniarum, cum sorore vtraque ingressus est. cumque eleuatioribus locis consedissent, Cardinalis Granuellanus accessit, & præsentibus Cardinale Siuiliæ Nuncio Apostolico, Archiepiscopo Saragosano, & Legato Venetûm, ritus matrimoniales celebrauit. Quibus peractis, Regia Maiestas surgens cum omnibus Principibus totaq; nobilitate, nouis nuptis multum felicitatis imprecata discessit: omnique ea die conuiuijs, ludis, choreis, omnique lætitiæ generi indultum, nec ante multam noctem discessum est. Sequenti die Regia Maiest. nouũ Generum ad templum deduxit: Princeps & filiæ subsequebantur, eodem paritèr modo vestiti. Sacrum R. Archiepiscopus celebrauit, spõsamque de more Hispanorum velauit. Cumque Dux sponsam obuiam haberet, pudico vterque rubore perfusus est. Sacro peracto, eodem quo venerant ordine ad aulam reuertuntur, & paulò pòst ad prandium accedunt. Rex priori loco sedẽs, sponsum iuxtà sedentem, ille sponsam, sponsa sororem Isabellam proximam habebat. Peracto prandio, Rex Generum ad hospitium perduxit, vbì ad vesperem permanẽs, à Socero Rege iterùm ad cœnam adductus est; qua sumpta, matrimonium ea nocte felicitèr est consummatum. 1585

Vigesimosecundo Martij præsidiarij Bruxellẽses dimissi iuxta castra Principis Parmẽsis longo agmine trãsibant. qui in Stabroieck, alijsq; locis stationes habebant, omnes armati excubabant, metuẽtes nè quam in partem castrorum impressionem facerent. sed regiorum arma metuentes, temerè periclitari noluerunt.

Sub hoc tempus Regũ Iaponiæ legati & consanguinei, ex vltimis terris Romam venerunt, vt Pontifici Romano obedientiam præstarent. Est autem Iaponia insula longa

Iaponum Regũ Legati Romã veniunt.

1585 longa & lata in Oriente, vltra Sinarum populos, in gradu longitudinis 170. latitudinis verò 31. sita, veteribus ignota, à Paulo Veneto Chrise dicta, in varia regna distincta, & à Francisco Xauerio Societatis Iesu Theologo ad fidem Christianam nostra ætate adducta. Huius incolæ etsi Christianismum magna ex parte iam dudùm amplexi essent, Reges tamen & Principes difficulter induci potuerunt, vt Christo crederent: Anno tandèm 1580. omnes Christiani facti, tres eorum, Franciscus nimirùm Bungi Rex, Arimanorũ Rex Protasius, & Bartholomæus Princeps Omuranorum, in Ianuario anno 1582. insignem legationem ad Pontificem Romanũ miserunt. Bungi Rex Regis Fiungæ, sororisque suæ filium legare decreuerat: sed quia is absens erat, eius consobrino D. Mancio legationem dedit: Arimanorum Regis D. Michael patruelis ipsius, & Omuranorum Principis idẽ eius ex fratre nepos legationẽ obiuit. Hi Principes cũ Visitatore è Societate Iesu sacerdote, initio anni 1582. soluẽtes è Iaponia, primũ ad Sinarũ portus, indè in Aureã Chersonesum, & tandèm in Indiã venerunt. Ex India nauigantes, Africæq; sinuosa littora legentes, sub anni 1584. finem in Lusitaniã appulsi, atq; ibidèm à Rege & Principibus honestissimè excepti, tandèm Romã incolumes venerunt. Vigesimo verò tertio die Martij, sub horis matutinis in aulã vbì Pontifex Gregorius eius nominis XIII. cum amplissimo Purpuratorum principũ Senatu sedebat, summo omniũ ordinum studio, & celeberrimo comitatu introducti Legati ambo, & alij quidã præcipuæ nobilitatis Iaponicæ, eorũ socij, post solennẽ summi Pontificis venerationẽ, & beatorũ pedum oscula, ab eodẽ eximia cũ significatione beneuolentiæ charitatisq; excepti, & præparatis, destinatisque locis sedere iussi, Principũ suorum literas, ex Iaponico sermone in Latinũ versas, de sinu depromptas, in Patrũ consessu legẽdas obtulerunt. Mancius primùm Regis Bungi literas protulit, Adorando, & cæli Regis locum in terris obtinenti, magno & sanctissimo Papæ, inscriptas: quas ad inusitatæ & ab Vrbe cõdita inauditæ rei memoriam, hîc subiungere voluimus: Summi (inquit Rex) Dei auxilio suppliciter implorato, magna cum humilitate ad Sanctitatẽ vestrã scribere aggredior. Dominus rector cæli terræque, cuius imperiũ super solem, lunã & stellas, ignoranti mihi, & profundis immerso tenebris, claritatis suæ lumen iussit splẽdescere, ac nostratibus præcipuè populis reserans arcã suæ misericordiæ atq; gemmarum, dignatus est

Bungi Regis literæ ad Pontificem Rom.

est ante annos ampliùs quatuor & triginta destinare in 1585
hæc Iaponis regna Patres è Societate Iesu; quorū è salutari ac diuina semente, nonnihil in meū quoquè, Dei benignitate, cecidit pectus. Quod tam insigne beneficium, aliaq; multa, ô Sanctissime totius Christiani populi parēs, vestræ potissimùm precationi meritisq; accepta equidem refero. Ac proindè, nisì me bella, senium, & affecta valetudo impedirent; conferrē ipse me ad visenda ac veneranda sacratissima isthæc loca. ac simul obedientiā exhibens; pedes V. Sanctitatis, post pia ipsorū oscula, capiti meo superimponerem, & sanctissima vestra manu pectus meum signo Crucis muniendū curarem. Sed quoniā ijs quas dixi causis impedior, sororis meæ filiū D. Hieronymum Regis Fiungę filium cogitabam legare pro me. Verùm quandò is in præsenti longè abest, & P. Visitatoris instat profectio; D. Mancium, eius consobrinum, eodem nomine mittere visum est. à V. Sanctitate magni beneficij accipiā loco, si pro ea qua fungitur in terris Dei vice, meq; & Christianum hunc gregē, vtì facit, fouere atque adiuuare perrexerit. Reliquiariā thecam, per eundē P. Visitatorem à V. Sanctitate mihi dono transmissam, accepi libens, ac meo vertici venerabundus imposui; atq; ob id V. Sanctitati gratias ago habeoq; tantas, vt explicandis ijs nullæ neq; linguæ neq; ora sufficiant. Non ero longior; quippe tum de regni huiusce rebus, tū de me ipso coràm ex P. Visitatore, & ex D. Mancio plura cognoscet Sanctitas V. quam ego verè & ex animo adorans, multo cum timore ac tremore hascè literas exaraui xj. die Ianuarij, anno post Domini aduentum M. D. lxxxij.

Regis Arimanorum literæ ad Pontif.

Indè Protasij Regis literæ (quarum inscriptio erat hæc: Reddatur epistola magno illi, & sancto Domino, quem adoro Dei vices gerentem.) lectæ fuerunt, in hæc verba: Cum Dei gratia demissè & humilitèr hasce literas offero Sanctitati V. Ante hoc biennium, qui fuit annus ab aduentu Domini 1580. per Quadragesimam, quibus maximè diebus preciosa passio Domini nostri Iesu Christi recolitur; in magnis belli tumultibus, magna mearum rerum, familiæque meæ perturbatione, deniquè in profundo Gentilium tenebrarum iacenti mihi, dignatus est pater misericordiarum, lucem veritatis, & rectum ad salutem iter ostendere per venerabilem Visitatorem, aliosque verbi Dei prædicatores è Societate Iesu, qui enixè me adiuuerunt, perque baptismi sacramentum, super me meosque diuinæ gratiæ rorem è cælo

1585 deuocârunt. Pro quo tali ac tãto beneficio mirè lætus, infinitas Regi cælorum ago gratias. Cumq; Sanctitas Vestra Christianum gregẽ vniuersum moderetur & pascat; valdè mihi fuit optatũ, istuc venire, coramq; humi stratus magna cũ submissione exhibere illi obedientiam; & post pedũ oscula beatorũ, eosmet meo capiti superimponere. Sed quoniam rebus varijs impedito id mihi non licet; mitto cum eodem P. Visitatore, patruelem meũ D. Michaelem, vtì pro me hoc munere pietatis officijq; fungatur. Ex eo ipso mea vota, & alia cognoscet V. Sanctitas: ac proindè non ero fusior. Quam ego ex animo sincero & humili venerabundus adoro. Die viij. Ianuarij, anno post Domini aduentum M. D. lxxxij.

Barptolemæus verò Omuranorũ Princeps, qui primus inter Iapones fidem Christianã cum baptismo recepit, tanto animi feruore & studio, vt deiectis vbiq; Idolorum statuis, eiecta ex suis vrbibus superstitione, multis ob eam causam periculis aditis, toto ferè Principatu expulsus, non solùm à religione suscepta nõ discesserit, sed incredibili animi fortitudine ac præsentissimo Dei numine recuperata ditione, multò etiàm quàm anteà cõstantius in sententia perseuerârit. Is in inscriptione, sublatis manibus adorãs, literas Sanctissimo Domino Papæ, magni Dei vices gerẽti, has literas offert: Vereor nè crimẽ audaciæ subeã. attamen cum Regis cælorũ gratia, rudem hanc epistolã offero Sanctitati V. Quæ cùm in terris locũ obtineat Dei, ac simul ex ipsius doctrina & magisterio, Christianus populus pendeat vniuersus, æquũ sanè fuerat, memet maria transmittere, ipsumq; ad V. Sanctitatem inuisendam venire, sacrosq; eius pedes post pia illorũ oscula super meum caput imponere. Sed quo minùs hoc fungar officio, multæ me hoc tempore prohibent causæ. Nuper ad hæc tam remota loca lustranda P. Visitator è Societate Iesu contendit, multisq; rebus piè ac laudabilitèr institutis, iam nunc redit in patriã. qua ego tam præclara occasione inuitatus, deesse nolui, quin fratris mei filium D. Michaelem cum eo mitterem isthuc, qui licèt muneri tanto sit impar, tamen gratissimum fuerit mihi, si eũ V. Sanctitas ad beatorum pedum oscula admiserit. Intereà V. Sanctitatem supplex oro, obtestorque, vt meî memoriam conseruare, meque & Iaponios hosce Christianos fouere dignetur. Id vnum in votis est mihi. Reliqua ex P. Visitatore, & ipso D. Michaele coràm cognoscet Sanctitas V. quam ex animo adorans, cum timore scripsi.

Principis Omuranorum literæ.

Die

Die xxvij. Ianuarij, anno post Domini aduentum M.D. Lxxxij. 1585

Lectis his literis & silentio indicto, Regum & Legatorum nomine Gaspar Consaluus Lusitanus insignem habuit orationem: ad quam Antonius Buccapadulius, Summi Pontificis nomine, hoc modo respondit: Sic me vestræ orationi iubet respondere Sanctissimus Dominus noster, iuuenes nobilissimi. Quòd Franciscus Bungi Rex, & Protasius Arimanorum, Protasijque patruus Bartholomæus Omuræ Princeps, ab Iaponiorum Insulis remotissimis vos suos propinquos huc ad se miserint, eius quam obtinet Dei benignitate potestatis coràm venerandæ causa, piè illos sapienterq; fecisse. Esse enim vnam fidem, vnam Ecclesiam Catholicam, vnum huic ipsi Ecclesiæ præfectum, Christique gregis vniuersi, hoc est Catholicorum omnium, qui vbique terrarum sunt, Petri successione pastorem, Romanum Pontificem. Hoc illos vnà cum cæteris fidei orthodoxæ mysterijs agnoscere & profiteri lætatur, immortalesque agit gratias diuinæ bonitati Sanctissimus Dominus noster, iudicatque hanc esse lætitiam verissimam à Dei gloriæ, atque animarum salutis studio profectam. Itaque libentissimè vnà cum his Venerabilibus fratribus suis sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus, hanc illorum fidei, obedientiæ, deuotionis testificationem amplectitur. Optat atque orat, vt illorum exemplo, cæteri quoquè illarum Insularum, totiusque orbis Reges & Principes, omni idolorum cultu atque errore abiecto, cognoscant Deum verum, & quem ille misit Iesum Christum. hæc est enim vita æterna.

Omnibus hoc modo peractis, conuentus Patrum dimissus est. Legati cùm Summum Pontificem in ædes interiores de more deduxissent, ab illustrissimo Cardinale S. Sixti, Summi Pontificis ex fratre nepote, amicitiæ & honoris causa conuiuio primùm excepti, deindè ad ipsius Pontificis priuatum ac familiare colloquium intromissi, multa cum eo de itinere, ac de religione per interpretes contulerunt. Posteà ad S. Petri Basilicā summa cum pietate profecti, sacra Apostolorum limina venerabundi salutârunt, & sub vesperam honorificè in hospitium reducti sunt. Ità Regnum Dei, quod ab Europæis aufertur, gentibus datur: ità gentes quæ Ecclesiam non nouerunt, ab Oriente, & ab extremis terræ finibus ad Ecclesiam currunt: hanc Reges & Principes terræ, tantis itinerum interuallis dissiti, proni venerantur & adorant,

1585 quam tantis conuitijs scelerati nostri hæretici, quisquiliæ & feces hominum, virulentis suis linguis proscindunt, sacrilegisque manibus conuellunt.

Terlonius capitur. Archithalassus Zelandiæ, & Gubernator in Vualcheren, insula Zelandicarum vna, Guilielmus de Bloys Terlonius, qui cum Lumęo Comite anno 1552. Brielam occupauit, hoc tempore in suspicionē proditionis veniens, ab Ordinibus cōpræhensus & in vincula cōiectus est. Cum Rege enim Hispano aurei Velleris ordinē torquem, & insignia pactus dicebatur, ea lege, vt portus atq; maritimas aliquot ciuitates Regi redderet. In Oceano itaque cum classe degens, ab Ordinibus sub specie concilij conuocandi Mittelburgum euocatur. quò cum venisset, nihil sibi metuens, vnà cum septem classium Ducibus, & alijs tredecim Ordinum ministris, Vlissingæque Præfecto captus est, & statìm obiectum, quòd de industria non impediuerat operas à Parmensi in Scaldi iam perfectas. Terlonius hic ex diuturna maris deprædatione ingentes iam thesauros congesserat, ità vt nonnulli eum in numerata pecunia, plus quàm quinquiès centena aureorum millia habuisse cùm caperetur, & non illius proditionem, sed Ordinum cupiditatem, qua in hos thesauros ferebantur, causam captiuitatis fuisse, audeant affirmare.

Stratagema Antuerpiensium. Aprilis die quarto Antuerpienses pontem à Parmensi in flumine factùm conuellere nisi, ingentem nauim in eum demiserunt. Erat hæc nauis tecto testudineato, fornicis in modum, ex sarcophagis, lapidibus molaribus, alijsque grandioribus saxis facta. in alueum verò nauis multa pulueris tormentarij vascula erant immissa, eisque fomentum igniarium additum tantæ longitudinis, quanta comburi posset intereà dum nauis in itinere esset: vt cùm iam ad pontem deuenisset, ignis ad puluerem proserpens eum incenderet. quod & factum est. Puluis enim ab igne incensus, vi flammæ inclusæ tectum nauis dilacerauit, & saxa ingentia omnem in partem ad dimidiū & vltra miliare, tanto cum fragore disiecit, vt terram moueri, aut mundi machinam dissolui, hi qui in castris erant, existimarent. Multi qui in ponte erant, è saxorum ramentis perièrunt, & pons ipse multis in locis est dissolutus. Interièrunt hoc stratagemate Marchio de Rebaux, Dominus de Billy, cum alijs quindecim nobilibus & quinquaginta gregarijs militibus, quorum cadauera posteà partim reperta, partim in profluentē aquam

Marchionis de Rebaux & Domini Billij mors.

detur-

deturbata, & à fluctibus abrepta sunt. Horum obitū Parmensis ità luxit, vt in mortuis ostenderet, quantum eos viuos amauisset, & quanti eorum virtutem semper fecisset. Illucescente die, pontem restaurari iussit Princeps, tanta cum diligentia, vt paucis horis, inspectante & admirante exercitu, totum opus iterùm compaginatum, concatenatumque fit. 1585

Mottæus Ostendam occupat et rursùs eijcitur.

Eodem ferè tēpore Mottæus Ostēdę oppidi Flandrię maritimi bonā partem occupârat, eā scilicet quam veterem vrbē appellant: in ea templū excelsum est, è quo tela in omnes oppidi angulos torqueri possūt. Hęc vrbis pars cum nouo oppido ponte intermedio iungitur, cuius custodia Centurioni cuidam erat cōcredita; donèc reliqua classis, quę expectabatur, portum intraret. Sed Centurione illo cum suis prædæ intento, stationē deserente, oppidani cū præsidiarijs ex improuiso regios adoriūtur, fundunt, fugant, & oppido eijciunt. Centurio captus à regijs ad Parmēsem missus, & Mottæus victoria frustratus est.

Mors Gregorij XIII Pontificis Max.

Huic infortunio grauior Romæ iactura accessit. Decimo enim eiusdem mensis Aprilis die, Gregorius decimustertius, Papa verè Sanctissimus, post innumerabilia sua in Ecclesiam beneficia, cùm eam tredecim annos rexisset, in Domino placidè obdormiuit, & terrenum hoc exiliū, cælesti patria, pro qua tam heroicè per omnē vitā pugnauerat, tandèm commutauit. de cuius laudibus, etsi in anno 72. quædam diximus; tamen omnē eloquentiam eius encomio imparem esse, nō inuiti confitemur.

Classis Hollandica.

Intereà classis instructissima Hollandorū, Zelandorumq; Scaldis ostiū intrauit, iactisque anchoris ad Lilloum propugnaculum stetit, opportunitatē perrumpendi operas regias, & cōmeatum Antuerpiam importādi frustrà expectans. Nè tamen Hollandi nil agere viderentur, castellū quoddam non procùl à Lilloo, quod à regijs tenebatur, totis viribus aggressi, tanto cum impetu oppugnârunt, vt 23. Aprilis regij, cùm nec intùs tueri, nec foris auxilia, nisì cum summo periculo submitti possent, relicto castello, in tutum sese recipere cogerentur.

Sixtus V. Pontifex Max. creatur.

Exequijs Pontificis peractis, post quatuordecim dierum interregnum, quibus Sedes vacauit, indictis Purpuratorum Patrū, ad quos electio pertinet, comitijs, tandem vigesimoquarto Aprilis, communibus Cardinaliū votis, ad Apostolatûs apicem euectus est Dominus Cardinalis de Monte-alto, Ordinis D. Francisci, F. Felix Perenettus anteà dictus; qui cū electus esset, Sixti IIII. vltimi

1585 sui Ordinis Pontificis nomen assumpsit, & Sixtus quintut appellari voluit, Pontifex in ordine 235. Natus est in exiguo pago, nomine Alto-monte, in Marchionatu Anconatensi, parentibus tenuioris fortunæ, sed honestis, colonis. Puer studijs à parentibus traditus, tantum & virtute & eruditione profecit, vt à Pio V. ex ordine Seraphico S. Francisci euocatus, factus sit Cardinalis, & hoc anno, diuina absque dubio prouidentia, ex tot magnatum atque nobilium Collegio, natus iam 65. annos, Pontifex creatus. Robusto est corpore, & statura mediocri: omni verò genere eruditionis, disciplinarum atque virtutum ornatissimus; à quo non minora, quàm præcedentium Pontificum fuerunt, in Ecclesia beneficia expectantur.

Legati Belgici ex Francia reuersi.

Eodem mense Aprili Legatis Belgicis ex Francia redeuntibus, nunciatum est Regem Galliarum auxilia Belgis negare, nec integrum ipsi esse modò prouincias Belgicas in suam tutelam accipere. Ea tunc vbiquè fama erat, licèt Ordines responsum celarent, quantum potuerunt. Quod & eo verisimilius erat, quia Guisius & confœderati Galliæ Principes, vndiquè equites & pedites colligebant: Comes Vvestenburgius duas legiones peditum, Betsteinius 1500. equites conscribebat. Otto Plato & Caspar Schonbergius totidem equites; Ernestus verò Mandeloius, & Antonius Salmensis, tria equitum millia in vsum Principum istorum cogere dicebantur. Rex itaque Galliæ, re dubiè domi constituta, consultò externa bella detrectauit.

In Velua pugnatur.

Schenkius & Benthemius Stralēsis oppidi præfectus, è Batauia in Veluam traijcientes, cum copijs suis in Arnhemiensium conspectum venerunt: qui erumpentes cum hostibus prælium inièrunt. fortiter vtrinquè dimicatum est. Arnhemienses passìm cadebant, ex regijs quoquè multi desiderati sunt. Schenkius ipse grauiter sauciatus, & curru Neomagum deductus: pugna ipsa, victoria dubia, & in diuersam partem nutante, tandèm dirempta est. Quo tempore Erpraet castrum in Diœcesi Coloniensi, nuper à Truchsesianis occupatum, Bauaro deditione reddebatur.

Legatio Belgica in Angliam.

Belgæ cùm spe auxilij Gallici nunc excidissent, ad Angliæ Reginam legationes mittunt, eius opem implorantes, omnesque prouincias ei offerentes. quæ quid responsi datura sit, adhuc ignoratur. Taxius, regij apud Frisios exercitûs Vicarius, cum parte sui exercitûs, in diœcesin Vltraiectensem irruit, & in pago Emenessensi consedit,

sedit, ad vicinos pagos mittens, qui tributum exigerent: 1585
cumque Diœcesani passim venirent, & tributi indictionē acciperent, Goilandi sese armantes venire noluerunt. quarè Taxius exercitum in sex illorum pagos ducens, rusticos multos occidit, plures cepit, & cum ingenti præda captos abegit.

Initio Maij Antuerpienses arcem illam naualem, quam Finem belli appellabant, in conspectum propugnaculi Ordammensis, quod regij tuebantur miserunt: cumque eò iam appulsa esset, aquę penuria vado immota consedit, multosque dies eodem loco, nequicquàm repetentibus illam Antuerpianis, perstitit: donèc, vt infrà dicetur, à regijs capta, & in castra deducta est.

Holachius cū cæteris Hollandis cæduntur.

Septimo die mensis eiusdem, Comes Holachius & Iselsteinius cum triginta nauibus, quæ lectissimam militum manum, & multos fossores vehebant, ad aggerem Couvvensteinium appulsi sunt. Erat autem eis statutum aggerem istum perforare, vt nauigia minora iuxta Lilloum, per stagnantes agros, & hunc aggerem Antuerpiam, ponte & operibus Parmensis despectis, aut remulco trahere, aut remis impellere possent. quod ipsis factu difficile non fuisset, si aggere potiri potuissent. Expositis itaque ante auroram in terram militibus, & iam fodere incipientibus, Hispani superuenerunt, & manum cum hoste conserentes, trecentos trucidârunt, quadraginta compræhenderunt, & maioribus tormentis aliquot naues depresserunt. Quam iniquam belli fortunam cùm Holachius & Iselsteinius viderent, scapha elapsi, ad suos reuersi sunt.

Nouesium à Nuenario occupatur.

Nuenarius aliquot signa peditum, equitumque turmas è Geldriæ oppidis, & Berka, sub id tempus euocauit, ad Nouesium per insidias occupandum. Est autèm Nouesium insigne Diœceseos Coloniensis oppidum, non quidem in ipsa Rheni ripa, sed intermedijs aliquot pratis inter oppidum & fluuium positum: reliquijs S. Quirini, & longa Caroli Audacis obsidione nobile, multisque immunitatibus & priuilegijs ab Imperatoribus donatum. Archiepiscopus, quia hostes plurimùm huic oppido insidiabantur, iam pridèm præsidium Magistratui obtulerat, sed is suis viribus, oppidique fortitudine fretus, illud repudiabat. Prætereà partem muri iuxta Rhenensem portam ciues Senatûs imperio erant demoliti, vt vallum nouum ædificarent. sed & ciuium excubiæ minùs erant frequentes, negligentioresque quàm esse

solent.

1585 solent. Non latuit hoc Nuenariũ, quarè copias suas Nouesiũ ducens, 10. Maij intẽpesta nocte partẽ illarũ per riuulũ, quo mola voluitur, tranare, & sub ipsis mœnibus tacitè ad monasteriũ vsque, cui mons Mariæ nomẽ est, adrepere iussit. Quibus hoc mandatũ erat, admota scala quẽdam, vt aiũt, muros ascẽdere, & quid in vrbe ageretur explorare præcipiũt. Is tractum illũ obambulans, neminem inuenit: eratq; altũ in oppido silentiũ. dato igitur signo, socios vocat. qui plurimis admotis scalis, muros superãt, & in oppidũ pręcipites sese demittũt, portam confestim, martulis malleolisq; seris disiectis, aperiẽtes. Nuenarius cum equitatu in suburbio portã obseruabat. Audito verò signo, & viã sibi videns patefactã, celerrimo cursu in vrbẽ aduolauit. Ciues equorũ hinnitu atq; strepitu, hostiumq; clamore excitati, arma quæq; obuia rapiẽtes, seminudos hostibus sese obijciebãt. Equites ad portã Honoris properantes, à collectis ciuibus, qui ex curribus vallum obiecerant, impediti forũ occupârunt. Ciues diuersis locis extra ordinẽ pugnabãt, quorũ 14. circitèr occidũtur, inter quos præcipui fuerũt, Consul Stalius, Arnoldus Fratius, Henricus Schirmer scholæ moderator, Melchior in Milendöck, & Hospes in Dulken. alij multi è mœnibus sese demittẽtes, perq; fossas natãtes, euadunt. hostes vrbe potiuntur. Res verò proditionis suspicione minimè carebat. Dispositis excubijs, manè iã facto in ciuiũ ædes ruunt, ciues capiũt, preciosa quæq; diripiunt, & in vtriusq; sexûs homines, nullo discrimine, inaudita truculentia desæuiunt. Pręter aurũ & argentum signatum & non signatum, factũ atq; infectum, præter omnẽ supellectilẽ, annonam, & mercimonia, quæ hostis rapuit, insupèr ciues suum, vxorũ & liberorũ suorum corpora, intolerabili lytro redimere, armaq; omnia penès hostes ipsos deponere, debuerunt. Nec id satìs erat, sed singulis penè septimanis præsidia mutârũt; vt prioribus præda iã onustis abeuntibus, noua succederẽt, quę magis magisq; ciues depilarẽt. Opulentissima, & penè incredibilis erat præda, quam in hac vrbe Nuenarij milites inuenêre. omnes enim rusticorũ opes, omnium nobilium & monasteriorum thesauri, cimelia atq; ornamenta, immò quorundam ciuium Coloniensium diuitiæ, hìc erant apud amicos deposita, quòd nulli tutiori loco quàm Nouesio hęc concredebãt. Ex solo monasterio Canonicorum Regulariũ, pręter annonæ magnã copiam, præter ornamenta preciosissima, præter argentea vasa plurima, etiàm 19. calices argenteos, atq; deauratos rapuêre. Erat hoc monasteriũ à primis funda-

toribus in agro suburbano quondàm ædificatũ, & anno 1585
1583. initio tumultûs Truchsesiani, ab ipsis Nouesianis, nè quid ex eo ciuitas caperet detrimẽti, dirutũ: vt etiàm cãpos suburbanos defenderent miseri, qui ne pomeria, ne mœnia, immò ne forum ipsum defenderũt. Quia verò in huius monasterij mentionẽ incidimus, eius antiquitatẽ ex annalibus liber hîc recẽsere. Cũ pagani Vbij has terras habitarent, hoc loco Libero patri sacellum extruxerant. quod, succedẽte Christianismo, in honorẽ D. Mariæ Magdalenæ, anno 690. sub Adelvvino, Archiepiscopo Colon. est consecratum. Anno deincèps 881. Nortmannorũ Reges Godefridus & Sigefridus Agrippinã, Bonnam, Tulpiacum, Nouesiumq; igne depopulantes, etiàm sacellum hoc in fauillas redegerunt. Posteà Nouesio reædificato, & sacellũ hoc restauratur; institutumq; ibidèm est à Sigevvino Archiepiscopo sacerdotum & clericorũ Collegium. Ad Collegiũ hoc quidam viri pietate & religione insignes, è metropolitano Collegio Coloniensi, approbãte hoc Reinaldo Archiep. cõmigrârunt. Philippus verò, Reinaldi successor, institutum horũ Collegarum confirmauit, voluitq; quindecim hîc fore sub vno Præposito Canonicos. Factus itaq; est anno 1161. primus Præpositus Sigevvinus, sub quo, & sub eius successoribus, multi Comites in hoc Collegio Dño Deo strenuè militârunt: donèc anno 1393. R.D. Petrus de domo Teutonica, Præpositus, Collegiũ hoc reformauit, & successorẽ Ioannẽ de Puteo constituit. quæ reformatio posteà à Frederico Archiepiscopo Colon. in oppido Zontino cõfirmata est. Cuius tandèm tẽpore, anno scilicet 1430. Capitulũ hoc Nouesiense, Capitulo Vvindesemẽsi, Brilis Hollandorũ congregato est vnitũ: eiq; datum, vt in ordine esset à Vvindesemensi monasterio primum. tunc habitũ Canonicorum Regularium collegæ suscipiẽtes, anno pòst quarto Egidium Bocherolũ Rẽmersvvalensem primum suum Priorem, in Concilio Basiliensi postulârunt. qua in disciplina ad annũ 1583. quo tempore (vt diximus) monasteriũ dirutum est, vixerunt. Porrò cùm eodem penè tẽpore Abbatia Tuitiensis quoq; incensa igneq; depopulata esset, Abbas, vt eiusdem instituti Canonicorum Regularium in vrbe Coloniẽsi monasterium, quod à Corpore Dominico nomen habet, Canonicis submotis, aut ad suũ Ordinẽ suscipiendũ compulsis, occupare posset, plurimũ apud monachos & Magistratũ, deindè apud Archiepiscopũ, & tãdèm in curia Romana laborauit. Marcellus verò Lẽtius Prior Gene-

Antiquitas monasterij Canonicorũ Regularium in suburbio Nouesiano.

Regino Abbas Chron. lib. 2.

1585 Generalis Capituli Vvindesemensis, nè hoc modo vtrũque monasterium, & Nouesianum & Coloniense amitteret, volens vtrunque conseruare, institit apud suos, vt Nouesiani Coloniam commigrarent, eidemque monasterio iungerentur. in quã tandèm Vnionem vtriusque cœnobij Religiosi 16. Maij præsentis anni consensere, communibusque votis postridiè Priorem R.D. Vvernerum Titianum in Nouesiano monasterio professum, sed ob singulares animi dotes, in superiori Alsatia prope Colmariam monasterio Marbacensi præfectum, elegerunt. Hęc ideò latiùs referri volui, quòd ex his monasterijs ità combinatis, magnum in Christiana Repub. fructum expectamus, ob seminarium vtriusque sumptibus, pacatis rebus, ibidèm erigendum: Tum etiàm, quia hæc historia faciat ad oppidi Nouesiani, in cuius infortunio narrando versabamur, antiquitatem.

Ernestus Archiepiscopus Colon fit Episcopus Monasteriensis.

Illustrissimi Guilielmi Cliuiæ, Iuliæ, ac Montium Ducis filius, Ioannes, Episcopus vel administrator Diœceseos Monasteriensis, ducturus vxorem, Episcopatui renunciauit. Henricus Lovvenburgius Bremensis Episcopus successionem ambiuerat: sed is paulò antè è viuis emigrârat. quarè Canonici in diem 18. Maij omnes, ad quos ius nouum Episcopum eligendi pertinet, euocârunt, qui inuocato Spiritûs sancti numine, eodem illo die, Bauariæ Ducem Ernestum, Archiepiscopum Coloniensem, elegerunt.

Verdugij in Transiselania victoriæ.

Verdugius Frisiæ præfectus, cùm paulò antè Rha, Rechteren, & Rutenbeec in Transiselania occupâsset, duo maiora tormenta ad arcem Sculenburgensem, loco & arte munitam, attrahi iubet: sed præsidiarij trepidantes, deditionem fecerunt. Dum in hac expeditione esset Verdugius, Caninefates, nunc Vvaterlandi dicti, & Frisij, aliam arcem inter Steenvvichium & Kuineram sitam, (Slikenburgum ab incolis vocatur) oppugnant. Regij qui in ea erant, hostium vim & castri imbecillitatem ponderantes, oppugnatoribus sese vnà cum castro dediderunt. Erat hic locus regijs peropportunus, ad tributum Septemsyluis imperatum statis temporibus cogendum.

Cùm Holachius cum suis Hollandis Principem Parmensem castris exuere non posset, conducta est duorum proditorum flagitiosissimorum hominum opera, qui Parmensem ex inopinato in proprijs castris interficerent. Qui cùm in castra venissent, & ex suspicione obserua-

seruarentur, tandèm institutum eorum detectum est, & ipsi in vincula coniecti, debitas pœnas daturi. *1585*

Sub hoc in Gallia Regina mater, Archiepiscopus Lugdunensis, Dominus Lansaccius, & Mæleius Regis Medicus, Catalaunij, Serreidæ, alijsque in locis de pace inter Borbonios Guisianos, aliosque principes Catholicos, & ipsum Regem continuanda laborauerunt. Guisiani iam in armis erant, & copiosum in campis exercitum habebant: aliquot ciuitates, vtì Verdunum, Tullũ, &c. suis præsidijs muniri, & bellum in Hugonotas mouendum postulare dicebantur. Rex inermis adhuc Lutetiæ agebat, ciues autem & incolæ publicè Guisianis fauebant: Regi omnem opem contra Guisium, quem toti regno fidelem & vtilem esse dicebant, denegantes: immò portas sese illi, quotiès id Dux peteret, aperturos palàm asseuerabant. Rex etiàm Nauarræ atque Condæus Rupellę latitabant, nullam in armis contra tam ingens Catholicorum fœdus spem ponentes. *Galli de pace inter se agunt.*

Rex Hispaniarum Philippus, aurei Velleris Ordinem à Philippo Burgũdiorum Duce anno 1429. institutum, & iam diuturnis bellis, sublatis penè omnibus eius Ordinis Principibus, collapsum, volens renouare, D. Ascenuillium arcani concilij sui cõsiliarium iampridèm in Germaniam miserat, vt inuictissimo Romanorum Imperatori Rudolpho, eiusque patruo, fratrique Ernesto Archiducibus, & Guilielmo Duci Boiorum id Vellus conferret, Ordinique isti celeberrimo asscriberet. Id tandèm ascensionis Dominicæ festo maxima cum solennitate peractum est. *Imperatori & alijs Germanis Principibus aureum Vellus confertur.*

Martinus Schenkius, quum iam annis aliquot Hispaniarum Regi militâsset, multaque certè fortissimo milite digna gessisset, clàm cum Comite Nuenario, & eiusdem Regis hostibus fœdus init, castrumque suum Blienbecanum eidem Nuenario 22. Maij tradit. Causa huius defectionis varia à varijs datur: verissima tamen hæc esse putatur, quòd indignè ferebat suam, quam maximè prædicabat, operam à Rege non satìs compensari. Petierat enim iam antè à Parmensi vrbium & prouinciarum gubernacula; sed quia fortè Parmensis eius fidelitati non satìs confideret, (etsi enim Regi Catholico militaret, eum tamen Catholicè non viuere omnibus erat cognitum) seu quòd alij digniores essent, obtinere quæ voluit, non potuit. Mirum sanè est, eum hoc tempore, quo Rex maiorem iam hostium partem deuicerat, *Schenck à Rege ad Nuenarium deficit.*

1585 tam diuitem & opulentum Principem, exulanti Comite permutâsse. Primum fidelitatis suæ testimonium Nuenario exhibuit, in detegendis nonnullis, qui in oppido Venlonensi tunc, cùm adhuc regias partes ipse sequebatur, clàm secum egerant de oppidi deditione. profectus igitur cum Nuenario Venlonem, hos in vincula coniecit. Secundum testimonium præstitit in eo, quòd proditionem in vrbe Neomagensi moliebatur. erant enim in visceribus eius Reipub. relicti Caluiniani aliquot, quibus nihil optabilius erat, quàm patriam suam suis hominibus iterùm prodere. Sed paulò pòst proditione detecta, authores capti sunt, & Schenkij studium elusum.

Neomagū proditione tentatur.

Insignis Antuerpiensiū strategematis descriptio.

Eodem die 22. Antuerpienses nouo strategemate pontem in Scaldi constructum perrumpere conati sunt. Eum in vsum sedecim naues compaginârant, & proras maximis ferris, forcipibus, rostris, dentatisque ferramentis, ad confringendas catenas, rudentesque, & soluendam trabeam molem ponti præstructam, peridoneis armârant. Has refluxu maris & vento secundo in operas præmiserunt, tanto cum impetu, vt moles ista, catenæ, rudentesque ruptæ sint atque disiectæ. quo tamen in opere vis aduenientium illarum nauium, ità fracta est, vt illæ nullo impetu ad pontem natantes, statim à regijs sint interceptæ. Has naues alia nauigia quatuor maiora subsequebantur, quorum alueis multa pulueris nitrati vasa arctissimè erant inclusa: fori verò, pergulæ, tabulata, & acroteria pice & resina illita, flammam ingentem & fumum excitabant. His ferentarij & nautæ aliquot, qui ad hoc operam suam Parmensi elocârant, attractis nauiculis occurrunt: vnumque arripipientes in conspectu propugnaculi, quod à rusticis nomen habebat, alligata anchora sistunt. quod paulò pòst, cùm puluis ab apposito fomento ignem concepisset, non sinè magna Antuerpiensium clade dissilijt. tria verò reliqua accenso puluere magno fragore, damno nullo illato, crepuerunt. Post hæc duo alia maiora sequebantur, quæ magno cum impetu in pontem ferebantur. quod cùm vidissent regij, naues aliquot, quibus pons imminebat, præcisis anchoris, subducunt, viamque nauigijs faciunt. cum verò transissent, fomento ad puluerem iam combusto, vnum illorum incensum, in minutissimas quoquè partes, nullo regijs illato damno crepans, disiectum est. aliud verò regij inse-

inſecuti capiunt, & aſcendentes fomentum quærunt, inueniuntque ignem iam penè ad puluerem perueniſſe. quarè ſubtracto fomento nauem in caſtra remulco trahunt, & tabulatis diſiectis, centum circitèr vaſa pulueris tormentarij, & ingentem ſaxorum impoſitorum aceruum inuenerunt. atque hoc modo ingenioſè illud excogitatum ſtratagema, nullo cum Antuerpienſium fructu, hoſtium verò ſuorum ſumma cum vtilitate diſſipatum eſt. Hollandorum Zelandorumque claſſis, in oſtio Scaldis, pontis diſturbationem expectabat. Sed cùm hoc ſtratagemate nil effectum eſſe cognouiſſent, in tutum velificabatur. Regij verò catenas, rudentes, & molem trabeam confeſtìm reparant, reductisque in ordinem nauibus, pontem iterùm magna celeritate claudunt. Quo tempore de quodā Centurione Italo ſumptum eſt ſupplicium, eo quòd propugnaculum, vulgò Lieffenshoeck dictum, hoſti nulla neceſſitate coactus dedidiſſet. Sunt qui ſcribūt 24. Maij regios iterùm aliquot naues tormentario puluere oneratas intercepiſſe. Poſtridiè verò Hollandus quidam miles in caſtra Regis venit, ſe à ſuis ad mortem quæri dicens, & vitam ab hoſte deprecans. Qui cùm examinaretur, fingebat ſe Comitem Holachium, ob prædam iniuſtè ſibi ereptam, ea nocte interfeciſſe. In cuſtodia igitur aſſeruatur, & cùm poſtridiè Holachium adhuc viuere cognitum eſſet, impoſtor ille ſuſpenſus eſt.

1585

Suppliciū de Italo cēturione ſumitur.

Temerariū factū.

Vigeſimusſextus huius menſis dies Antuerpienſibus fatalis erat. Cùm enim ſub veſperem diei pręcedētis, 12. naues in pontem miſiſſent, ſperantes eum impetu iſtarum nauium perfringi, aut diſſolui poſſe: nocte circa horam tertiam aliam claſſem in aggerē Couvvenſteinium impellunt. idem ab alia parte fecerunt Hollandi, qui ſub Lilloum in anchoris ſtabāt. Primùm enim incenſas aliquot naues, æſtu maris ſecundo, in operas Parmenſis immittentes, mox cum centum circitèr nauibus, veterano milite plenis, aggerē adoriuntur. tantā verò telorū globorumq; copiā, tantùm glandiū imbrē, ex iſtis nauibus in vtrunq; aggeris latus eiaculati ſunt, vt regij in plano atq; aperto aggere ſeſe tueri ampliùs nō poſſent: ſed multis è ſuis deſideratis ſtatiōes deſerere, & ad tutiora ſe recipere loca cogerētur. Intereà hoſtes appulſis nauib⁹ in terrā deſcendūt, & cùm multos ſaccos terra, lana, alijsq; materijs plenos aduexiſsēt, incredibili celeritate gerras, aliaq; ſepimēta caſtrenſia tumultuario opere extruxerūt, vt iā collo

Antuerpienſes & Hollandi inſigni clade cædun tur.

1585 tenus vallis & propugnaculis munirentur. Nauium deinde ope magis magisque progressi, plus quàm dimidium aggerem occupârunt, quem vndecim in locis perforare cœperunt. Stationes suas defendebant sex horas continuas, quibus ipsi victores regiorum fortissimos quosque milites & præfectos strauerunt. Tantam enim globorum vim, tãtamque copiam in regios immiserunt, vt propugnaculis eorum conuulsis, etiam tormenta ferè omnia lacerârint, inutiliaque reddiderint. Cùm iam regiorum res penè deplorata esset, Princepsque ipse vmbilico tenus in aquis stricto gladio milites suos in hostem cogeret, Hispanus quidam Petrus de Padilia, ex legione quæ sub Petro de Paz militârat, cum octo socijs resumpto spiritu in hostem primam iterùm impressionem fecit. qui pugnando occumbens, ab hoste dextera manu mutilatur. Aldegundus verò & Holachius qui pugnę intererant, in scapham desilientes, manũ hanc in victoriæ testimonium Antuerpiam aduexerunt. Intereà regij collectis viribus omni conatu in hostium munitionem, quam Antuerpienses extruebant, irruerũt, & tria tormenta quæ adhuc integra erant, in ea direxerunt. Erat initiò densissima nebula, quæ paulatim dissipabatur, ita vt tormentorum magister eminùs castra hostium videre, & certiùs in ea collimare posset. Bis regij munitionem hanc oppugnant, bis reiecti fuêre: tertiò tandem summa contentione pugnantes, vallum superârunt; & quidquid in munitione repertum est, id interfectum fuit. reliqui ad naues properantes, partim occisi, partim capti, partim etiam submersi sunt. Insignis in hoc prælio Germanorum virtus enituit, de quorum viribus iam penè desperabant omnes. Qui in nauibus erant, cedere nolentes, tam diù pugnârunt, vt tandem æstu recedente, naues aqua destitutæ, è vadis emergere non potuerint. Captis itaque trigintatribus nauibus, ingens hostium strages edita est, ingensque tormentorum, apparatusque bellici copia intercepta. Multa quoquè in nauibus cadauera inuenerunt, eorum qui ex aggere maioribus tormentis erant interfecti. Ex captiuis intellexerunt regij, 2000. Antuerpiensium pugnando occubuisse: multos etiam submersos esse: vnam nauim, quæ ditissimorum mercatorum filios vehebat, inter alias captam, defensoribus omnibus occisis. Ex Hollandis quoquè & Zelandis non pauci ciciderunt, inter quos Dominus de Haultam Zelandiæ Gubernator; duo Scotorum atque Anglorum

Cæsorum numerus.

Chili-

Chiliarchæ; quatuordecim alij Cẽturiones, & viginti- 1585
nouem ex nobili prosapia numerantur, Ex regijs quadringenti circitèr, aut vt alij trecenti desiderati sunt, Itali, atque Hispani: inter quos egregij belli duces, & militum præfecti, qui ex Hollandorum nauibus plerique lesi atque strati fuerunt. Dum enim Antuerpienses in ipso aggere aduersis frontibus pugnabant, Hollandi, qui se in nauibus continebant, regiorum latera maioribus tormentis impetebant. atque ità à tertia hora nocturna ad secundam circitèr pomeridianam pugnatum est. Caluiniani petulantiores hac victoria facti, Catholicis dira minabantur: quidam eos in fluuium proijciendos, alij suspendendos, alij iugulandos, quidam vrbe eijciendos esse suadebant. Intereà Holachius in vrbe magnificentissimo conuiuio excipitur, & à Caluinianis preciosissimis donarijs oneratur. aderant conuiuanti Holachio multæ virgines, & vt quidam captiui posteà retulerunt, easdem virgines omnes in sequentem diem inuitauit; dicens, se pinguem ex Hollandia vitulum aduexisse, eum se mactaturum. Cumque vna ingemiscens de sequentis diei lætitia se dubitare diceret, eccè repentè fama allata est, Regios victoriam consecutos, omnes Antuerpiẽses occidisse, nauesque eorum aut cepisse, aut depressisse. Vrbs repentè in tumultum versa est. Holachius sibi metuens, relicto conuiuio, tumultuantium ciuium manibus elabitur. Parmensis Princeps in propugnaculum Comitis Mansfeltij post pugnam profectus, in sacello quod ibidèm est, Domino Deo gratias egit, & sub vesperem bis omnia tormenta quæ in castris erant, exonerauit: picea vasa incendi fecit, aliaque multa lætitiæ signa exhibuit. Posteà in Beueren reuersus pius Princeps, ex equo descendens, statìm templum adijt, ibique Canticum Ambrosij & Augustini in gratiarum actionem Deo summa cum attentione decantari iussit.

Vigesimoseptimo Maij aliæ naues onerariæ commeatu plenæ, ad propugnaculum Lilloense appulsæ sunt. Putabant enim Hollandi & Zelandi victoriam penès suos esse, & nauigationem iam ampliùs non fore impeditam. sed cùm sese elusos intellexissent, ibidèm substiterunt. Postridiè, qui dies erat Dominicus, Carolus Comes Arenbergius, Comes Mansfeltius, & alij nobiles, gregarijque milites, postquàm relatum esset Antuerpienses cum tribus triremibus, & alio maiori optimeque instructo nauigio in procinctu esse, & arcem illam nata-

Fin de la guerra capitur.

1585 tilem, quam Finem belli appellant, exonerare decreuisse, quò sic è vado enatantem Antuerpiam reducere possent: cum aliquot nauibus hostibus obuiàm profecti, cōmisso prælio magnum illud nauigium, & duas tritemes superârunt, occisisque & captis qui in ijs erant, naues has, vnà cum arce ista lignea in castra adduxerunt. Cæterùm miles quidam malè custodito fomento suo igniario, puluerem tormentarium incendit, quo incendio Comiti Mansfeltio vestes cum facie ambustæ sunt: corpore alioquin illæso. quod infortunium nisì ex improuiso accidisset, nauim etiam prætoriam Antuerpiensium, quę intereà euasit, intercepissent.

Holachij petulantia.

Vltimo Maij Comes Holachius, cui Mars ventosa in lingua (vt ille ait) potiùs quàm in dextera est, Comiti Mansfeltio acipenserem piscem, quem alij sturionē vocant, secundò misit, (nam idem 12. Maij fecerat) eiq; contumeliosè nunciari iubet, se hunc illi piscem donare. petere eum coquat, se ad prandium venturum. Mansfeltius piscē quidem accepit, dantiq; renunciat, vt citò veniat priusquàm cibus iam coctus refrigescat. sed & priusquàm vinū in aqua positū calefiat. se Holachij aduentum expectaturum, atque illi, cùm venerit, si ferculum vigesimisexti diei non fuerit sufficiens, melius appositurum.

Galli de pace inter se agunt.

Sub hoc in Gallia Principes Catholici cum Rege, intercedente Regina matre, de cōditionibus pacis agunt, quo in negocio Rex Archiepiscopo Lugdunēsi viro disertissimo potissimùm vtebatur. Intereà dū Principes Regis responsum expectāt, Dux D'Aumalius (qui 6000. Picardorū in castris, ad vsum Catholicorū habebat) ad vrbem Remēsem 3. Iunij excurrit, & sub vesperē in castra reuersus est. Nec alij cōfœderati intereà feriabantur, sed omni diligentia, quæ ad bellum gerendū erāt necessaria, colligebant, cōportabantque.

Guisius Tullum & Verdunum occupat.

Intereà Guisius Tullū, atq; Verdunum occupauit, impositisq; præsidijs muniuit. quod & Rex in Mediomatricum vrbe fecit, in qua Hugonotæ animos iam erigere, & altos spiritus sumere videbantur.

Altipennius propugnacula quædā ad Grauiense oppidū coarctandū erexerat. Quarè Schēkius cū copijs suis eò conuolat, vt Altipenniū castris exutū cæderet, aut saltèm ità obsideret, nè quid cōmeatûs illi posset aduehi. Sed regij diuersis locis euocati, Schenkium circundatū intercipere gestientes, alacritèr eò contendebāt. Schenkius verò de eius aduentu certior factus, obsidionem soluit, elapsusque Arnhemium peruenit. Regij verò ducibus Ver-

dugio atque Taxio, propugnaculum in Capite Montensi, superioris Batauiæ loco constructum, oppugnârunt. 1585

Vndecimo die Iunij Comes Holachius è propugnaculo **Cteſkenshoeck** erumpens, munitionē vicinam, quæ à Centurione regio Vvitzleben defendebatur, oppugnauit. Regij verò acritèr ſeſe defendentes, nonnullos hostium ſtrauerūt. binos etiàm equos, quibus viciſsìm Holachius inſidebat, ſub ipſo interfecerunt. Cùm autem hæc pugna ad duas iam horas eſſet ſumma vi cōtinuata, Holachius receptui canit, & in caſtra ſua reuerſus eſt. Prædictos autem equos Holachius nuper in Arenburgij dominio Comiti abegerat. diſcedens itaque Arenburgio nunciari iubet, ſe nuper duos equos ab eo vſui ſuo accepiſſe: hos nunc reduxiſſe. Si repetere vellet, eos ad iſtam munitionem inueniret. Idem propugnaculum ſimili infortunio, vulnerato etiàm cēturione quodā, & 16. captis, decimoquarto eiuſdem menſis Holachius tentauit.

In Diœceſi Treuirenſi nō ità pridèm quidam Frederici Palatini ex filia illegitima nepos, poſtquàm duo tēpla ſumma temeritate violâſſet, atq; tandē ad monaſterium Dominicanorū perueniſſet, inuenta hierotheca, ſacras in ea hoſtias repertas, in terrā indignè effudit. Quarè cōpræhenſus, & in vincula cōiectus, initio Iunij, nequicquàm obſecrante atq; minitante Caſimiro, ad ignē condemnatur. Sed cùm genibus prouolutus mitius ſupplicium deprecaretur, capite, aſtantibus, eumq; confirmantibus duobus Societatis Ieſu Patribus, truncatus eſt. Sunt qui ſcribunt eum in carceribus ad Catholicam fidem conuerſum, confeſſum eſſe, & ſacram Synaxin è manibus Catholici Sacerdotis reuerenter accepiſſe. *Violator ſacrorum truncatur capite.*

Per idē ferè tēpus perſecutio in Catholicos per Diœceſin Vltraiectēſem recrudeſcere incipiebat. Nā prçterq̄ φ nup Vltraiecto R. D. Verburgi⁹ Decanus, cū fratre, Dreckvvertius, Amerongius, cū alijs nōnullis Canonicis collegij B. Mariç, & Harteueltio nobili relegati erant, etiàm Amorfortiæ, impulſore Vilerio, R. D. Iacobus Hezius, Theodorus Geinius ſacerdotes; Ioannes Vaneueltius & Iacobus Franciſcinus patritij, in exilium eiecti ſunt. qui Culenburgum profecti, ibidèm in tranquillitate viuunt.

Regij propugnaculū in Capite (vt vocāt) Montēſi exędificatū, poſtq̄ non ità diù oppugnâſſent, & iā cuniculos ſub ipſum vallum produxiſſent, tandèm deditione ceperunt. qui enim in eo erāt, vitę ſuæ metuentes, ſupplices fidem orabāt, nudiſq; capitibus & omnibus armis relictis,

1585 dimissi sunt. Et certè nisi precibus milites suos continuisset Verdugius, ad vnum omnes fuissent contrucidati. qua victoria parta, Verdugius Rhenum traijcit, & Montes, oppidulum paruum, vulgò Tsherenberg appellatum, obsidere se velle simulans, alio loco exercitum per fluuium traductum Arnhemium versùs ex inopinato sub Vicario suo Taxio misit: ipse Groningam contendit.

Dux Sabaudiæ cū coniuge ex Hispania redit.

Dux Sabaudię cū Catharina Infante Hispaniæ, vxore sua, Barcinone die Iunij 13. naues cōscendit, in suas ditiones rediturus. Rex antequàm discederet illi inter alia plurima dona, etiàm 13. generosissimos equos, phaleris, fiscellis atque ephippijs preciosissimis ornatos, donauit. Sed & omnem illius familiā equis, catenis aureis, varijsq; alijs cimelijs oneratā, à se dimisit; Ducemq; cum suis 40. triremibus ex Hispanijs Nicam, Prouinciæ vrbē, deduci mādauit. Ipse verò, postquā triremes orā soluissent, in Aragoniā reuersus est: Monconā enim nobilitatē, Ordinesque regni ad comitia euocārat.

Rex Hispan. classem parat

Eodem ferè tēpore concilium bellicū in Hispania Chiliarchas & Centuriones aliquot nominauit, ijsq; summa cū celeritate militē colligere precepit. Sed & naues omnes maiores, munitioresque Hamburgensiū & vicinarū ciuitatū; Hollandię quoquè, Zelandiæ atq; Angliæ, Vlyxibonæ, Flauiobrigæ, alijsque in portubus, locisq; maritimis Lusitanię, atq; Cantabrorū, mandato Regis detētæ sunt: quo verò fine, tempus, reique euētus ipse docebit.

Lapicida quidam se Regem Lusitaniæ fingit.

Lapicida quidam iampridèm ex insula Tercera in Lusitaniam venerat, qui se anachoretam mētitus, Sebastianum Regem Portugallię (quem in expeditione Barbarica cecidisse diximus anteà) esse fingebat: diuinaq; prouidentia ad salutē subditorū, à Maurorū viribus conseruatū, hactenùs in syluis & montibus errâsse dicebat. Is hoc anno per huiusmodi persuasionē Lusitanos multos, qui Castellæ Regis imperiū pro more gentis difficulter ferebāt, in partes suas pertraxit: iamq; 700. ferè in armis habebat. iussit circunquaquè se Regē Sebāstianū proclamari: omnia de more Regū officia, tam ciuilia, quàm palatina inter suos diuisit: & seditiones vbiq; in pagis concitauit. Cardinalis verò Archidux Austriæ, & Prorex Lusitaniæ, vt crescenti malo maturiùs occurreret, tres cohortes è presidijs euocauit, easq; in fictitium Regē, eiusq; copias immisit: quę primo impetu omnem ipsius comitatum deleuerunt. Regem verò eiusq; Vicarium, & qui à secretis erat, cum alijs præcipuis eius ministris & consiliarijs captos, Vlyxibonam adduxerunt.

xerunt. vbì ex mandato Regis in tormentis examinati, postquàm suam imposturam confessi essent, pœna tali flagitio digna è medio sublati sunt. Alius quidam Conimbricę eundem Sebastianum Regem nuper mentitus, captus, flagellatusque, ad remos damnatus est. *1585*

Per idem tempus Secretarius Tzestich Belga, Regi & Granuellano charus, in Hispanijs obijt: & Prior in Renthi Barcinone à Ioanne Funkio Amorfortio, rerum Belgicarum in Hispanijs præside, iussu Regis captus est: eò quòd liberiùs nonnulla de viris principibus locutus esset. qui in triremibus detinetur, donèc rei veritas magìs elucescat. *Prior in Rhenti capitur.*

Eodem mense Iunio Nauarræus Rex Henricus apologiam contra scriptum Cardinalis Borbonij edidit: in cuius initio quinque obiecta sibi crimina, quòd scilicet hæreticus, quòd relapsus, quòd persecutor Ecclesiæ, quòd perturbator Regni, & quòd inimicus esset Catholicorũ, proponit: quę ordine verbis magìs, quàm rationibus confutat. Tandèm deficientibus argumentis, impatiens conuitijs in Guisium Ducem inuectus, eum falsè & malitiosè mentiri dicit: & ligneo Ducem calopodio comparat. illud enim vtì corporis quod portat dolores non sentit, eò quòd de corporis substantia non sit: ità Ducem miserias Galliæ nõ sentire, ait, eò quòd Gallici sanguinis non sit, sed homo externus. cùm Guisiorũ non minora, quàm Nauarræorum in regno Galliæ extent beneficia. Tandèm ex iræ impatiẽtia, quasi in furorem versus, Guisium ad monomachiam prouocat, aut ad duorum, trium, aut decem (si velit) vtrinquè certamen. quasi ignoraret Catholico Principi optimo iure, grauibusq; censuris, omne huiusmodi certamen esse interdictum. *Nauarræus Rex apologiã edit.* *Nauarræi Regis in Guisium conuitia.* *Concil. Trid. Sess. 25. cap. 19*

Decimoquinto Iunij, cùm primùm Dusseldorpij fama increbuisset, Marchionis Badensis filiam Iacobam, Ioanni iuniori Duci Cliuiæ nupturam, incolumem in terram Montensem aduenisse; & iam in loco vicino, ab incolis Himmelgeist dicto, morari; repentè magnificus in vrbe factus est apparatus. Adducti sunt strati sericis phaleris equi generosissimi, plumis & cristis splẽdidè insigniti, terni & terni in ordine procedẽtes. Princeps sponsus cum Duce Bipontino, cæterisque Proceribus, quorum copia aderat infinita, solenni pompa sponsæ obuius equitabat. Vbì ad sponsam vẽtum est, sponsus ex equo in terram desiliens, illam Ducali consuetudine excepit. Ciues omnes in armis erant, & sponsum, sponsamque reduces *Nuptiæ iunioris Ducis Cliuiæ.*

1585 prestolabantur. Cumque iã vrbis portas subirent, sclopetorum ingens auditus est strepitus, grandiorumque tormentorum festiua tonitrua, & tela ex nitrato puluere confecta, artificiosè per aëra pasim peritiores quique eiaculabantur. nihil præter tormentorum reboatum, nihil præter equorum hinnitum, nihil præter tubarum clangorem tota vrbe resonabat. nec quicquam prætermissum est, quod ad tantæ festiuitatis magnificentiam pertinere videbatur. Tanto, tamq; vnanimi Procerum, Nobilium, vrbium, Legatorum, totiusque patriæ subditorũ applausu, sponsa cum sponso Dusseldorpium ingressa, ab Illustrissimo Duce Vvilhelmo, in arcem lætis complexibus recepta est.

Decimosexto deindè Iunij, matrimonium solenni ritu (Sponsa aureis fibulis & gemmis ornata, strictũ manu gladium tenente, qua cæremonia potestas regiminis illi conferebatur) in arce celebratũ est. Conuiuium mox secutum est apparatu regali exquisitissimum. In secunda verò mensa omnia regali magnificẽtia splendebant. Bellaria omnis generis, arbores, plantæ, oua, pyra, pruna, nuces, animalium diuersæ species, integræ venationes, diuersarum prouinciarum insignia, ex saccaro confecta, & viuis coloribus artificiosè expressa, discreta serie, atque optimo ordine disposita conspiciebantur. Magnus aderat Musicorum chorus, & varia Epithalamia, à doctissimis viris atque adolescentibus in honorem nouorum Coniugum composita, legebantur. Interfuerunt huic coniugio Principes, Principumque atque Vrbium legati diuersi. Hîc Cæsaris Rudolphi, Regisque Hispaniarum legati sedebant; illic Ferdinandi & Caroli, Ernesti etiàm, Maximiliani, & Matthiæ Archiducum Austriæ. post illos Ernesti & Guilielmi Bauariæ Ducum, Saxonis quoquè Vvimmariensis, & Prussiæ Principis legationes accumbebant. Aderat Dux Bipontinus cum coniuge & liberis: Badensis verò Marchio, cum Marchione de Rodemach. Comites verò plurimi, atque inter alios Comes de Leuchtenburg, Otto Comes Rheni, Harmannus Manderscheitius, Comes Lippius, Hohenzolre, Benthem, Geradstein, Falkenstein, & Lenningius, sua præsentia tam celebres nuptias condecorârunt. Nobilium verò & diuersarum vrbium atque oppidorum legatorum non erat numerus. Conuiuio peracto, vbì aliquandiù saltatum esset, sub noctem in Rheno insignis habita est naumachia, & ingens nauis pice,

Principes, Principumq; legati, qui nuptijs his interfuerunt.

pice, resina & bitumine illita, medio flumine concre- *1585*
mata.

Postridiè rursum conuiuijs, Musica & choreis aula *Spectacu-*
perstrepuit; & media nocte noua omnis generis specta- *la exhi-*
cula, maximis sumptibus in Rheno exhibita fuère. Vi- *bita.*
debatur ibi Infernus, Atlas cælifer, Cælum stelliferum,
Hercules, Draco septiceps, Cerberus triceps, Syrtis,
Lynx & Cete, mira industria atque artificio fabricata:
quæ sub finem huius solennitatis, in Rheno combusta
fuerunt.

Decimooctauo die Principes armati campo se Martio, sumpto iam prandio, commiserunt; & propositis aureis argenteisque brauijs, quorum magnus erat numerus, de annulo ferreo concitatissimis cursibus hastis excipiendo concertârunt. quo in certamine Sponsus primum victoriæ præmium sortitus est. Aderat hîc spectatorum magnus numerus. Mons Veneris hîc ingens præclaro ingenij acumine factus, in cuius vertice Orpheus & Amphion modulabantur, à multis viris inclusis, qui tamen videri non poterant, primùm ad Sponsam deportatus fuit: indè per omnem campum circunductus. Sequenti die in aula varijs ludorum generibus indultum est: foris verò factum est nihil, sed altum erat per vrbem silentium. Vigesimo verò die iterùm in campo Martio hastis & gladijs concurrentes Principes, acritèr pro gloria dimicârunt. hastæ verò quorundam post conflictum igne clàm concepto, ingentem flammam, fumosque ex puluere nitrato incluso euomuerunt. Sed & puluis tormentarius terræ diuersis locis singulari arte inclusus, iniecto igne tanto fragore atque mugitu erupit, vt cælum ipsum disrumpi putaretur. Omnibus in locis ciues armati aderant, & quæ huic lætitiæ celebritatique deesse videbantur, opera atque præsentia sua supplebant. His alijsque exercitijs per dies aliquot continuatis, nuptiæ tanti Principis felicitèr peractæ, & Principes, Principumque Legati in sua reuersi sunt. *Antuerpi-*

Ipso indiuiduæ Trinitatis festo Aldegundus & alij *enses de*
legati in castris Parmensis expectabantur; vt de pacis *pace cogi-*
negocio ageretur. sed nescio qua causa impediti consti- *tant.*
tuto tempore non venerunt. Die Iouis sequenti, sacro- *Piũ Prin-*
sanctæ Eucharistiæ sacro, venerabile Christi corpus *cipis Par-*
summa cum solennitate, iussu Principis, per omnia *mẽsis fa-*
castrorum loca circunferebatur. Princeps ipse cum *ctum.*
alijs

1585 alijs proceribus & maiori exercitûs parte, incredibili pietate, animique attentione subsequebatur. quo peracto, in honorem tanti sacramenti, omnia quę in castris erant tormenta, militari quadam congratulatione, displosa sunt.

Intereà Dauentrienses edicto publico (vt ferebatur) promulgant, licere regijs omnibus è locis commeatum & alia necessaria, quæ pecunia redimere velint, & possent, exportare; ciuibusque & subditis mandant, nè quis hæc ijs denegaret.

Nuenari9 & Schenkius cæduntur.

Nuenarius Comes & Schenkius in pago diœceseos Vltraiectensis Amerongen dicto, cum lectissimis militum copijs castrametabâtur. Verdugius verò collectis viribus Taxium eò misit, qui vigesimotertio Iunij partem equitum peditumque præmisit, partem in insidijs, in vicina, quæ pago imminet, sylua collocauit. Qui in pago erant Nuenariani, cùm hostem eminùs cernerent, collecti in ordinem hosti obuiàm procedunt. Regij paulatim pedem retrahunt, donèc Nuenariani iam omnes pago exierant, atque concitatiori in recedentes hostes animo ferrentur. Intereà qui in insidijs erant regij, è sylua erumpentes, à tergo hostium cuneos cingunt: & qui fugere videbantur, pedem sistunt. vtrinquè classicum canitur, signa conferuntur, & acerrimè dimicatur. Nuenariani à fronte & tergo cæduntur, donèc peditibus omnibus interfectis, & quadringentis equis, sessoribus occisis, captis, cæteri equites fugam capessèrent. Nuenarius & Schenkius vix elapsi Vltraiectum venerunt. Villerius vrbis & prouinciæ Vltraiectinæ Gubernator, cum alijs 33. præfectis & nobilibus capti, egregiam Taxio victoriam reliquerunt.

Huius victoriæ fama cùm per vicinas vrbes increbuisset, Geusij furore correpti, iram suam in Catholicos innoxios ciues acuerunt. Amstelredamenses statim 48. è primarijs ciuibus vrbe exturbârunt: cæteros dearmârũt. Idem & Amorfortiæ, alijsque in locis factum est. Nuenarius & Schenkius copijs suis denudati, Vltraiecti aliquandiù latuerũt, & propugnaculum inter Vltraiectum & Vianã in ipsa Rheni ripa, vbì traiectus est, erexerunt. Paulò pòst 50. circitèr equites regij, ex victoria redeuntes, dextrum Rheni cornu iuxta Telonium traijciebant. Præsidiarij qui in oppidulo Tsherenberg erant, audito illorum aduentu, centum & triginta emittunt, qui ex insidijs eos adorirentur. Regij detectis insidijs in cos inuecti,

Exilia Catholicorũ.

Geusij iterũm cæduntur.

uecti, vno solùm elapso, omnes trucidârunt. 1585

Circa idem ferè tempus Cardinales Borbonius & Guisius, cum Duce Guisiano, Paribus Franciæ, Domino de Bassompiere, Rosne, & Lessennenbergio, Espernorę in conclaui Reginæ matris congregati, de pace componenda diù multumque agebant. Aderant Consiliarij Regis Galliarũ, & Lotharingius Dux. Post multas deliberationes disceptationesque, tandèm pax inter confœderatos Principes Catholicos, & ipsum Regem, his cõditionibus inita est, & vtrinquè approbata. Nimirùm vt in vniuerso regno Galliæ vna tantùm sit religio, eaque Catholica, Apostolica, Romana. Vt arma vtrinquè collecta in Hugonotas conuertantur, & contra illos bellum geratur. Vt fœdus, quod Rex cum Geneuensibus hactenùs continuauit, abrumpatur. Vt Rex studium Principum approbet, arma in Suæ Maiest. defensionem accepta esse interpretetur, & militi à Guisianis collecto stipendia soluat. Vt exteri milites hinc indè collecti dimittantur. Vt Ministri Caluiniani vnius mensis spatio sedes suas deserant, regnoque excedant: Cæteri verò incolæ, eidem religioni addicti, tranquillè, citra Religionis tamen Caluinianæ exercitium, vsque ad Ianuarium proximum domi suæ viuant. quo tempore si ad gremium Ecclesiæ Catholicæ non reuertantur, in exilium abire compellentur. Vt tam ex Regis, quàm ex Sacri fœderis collectis copijs peditum 16000. equitum verò 3000. exercitus colligatur: cui absente Rege Dux Guisius præficietur. erit autem exercitus is expeditus ad occupandum ciuitates, quæ inuito Rege ab Hugonotis adhuc detinentur. Deniquè vt vrbes atque oppida, quæ modò parẽt Sacri fœderis proceribus, ea ipsis pro maiori securitate maneant: in eorum quoquè nonnulla, vt Sellõ, Verdunum, Tullum, Villã Francam &c. à Guisiano Duce præsidia imponantur.

Pax in Gallia inter Catholicos & Regem.

Conditiones pacis.

Sub finem mensis Iunij, Parmensis Dux aliquot copias misit, qui suburbanum pagum Antuerpiensiũ, Burgerholtz vulgò dictum, occuparent, quod & fecerunt. Cæterùm quia vires illarum debiliores essent, quàm vt locum cõtra vim hostium defendere possent, paulò pòst eum deseruerunt. Sed Parmensis sciens quanti Regis interesset, si eum locum cõtra hostes tueretur, eò quòd iam messis in herba esset, fruges etiàm & holera obsessis quotidiè victum præberent; vigesimooctauo die, contracto mille quingentorum peditum & quadringẽtorum equitum hastatorum agmine, attractisq; maioribus tormentis

Propugnacula suburbana Ant. occupat Parmẽsis.

1585 tis quatuor, ad prædictum pagũ secundò contendit. Erat in pago propugnaculum grãde & munitum, qui verò in eo erant, vires regias metuentes, stationes deseruerunt, & in fuga sibi præsidium collocârunt. Parmensis itaque 29. die inter octauam & nonam horam matutinam propugnaculum hoc, vno tantùm Centurione Italo, & cacula quodam Comitis Mansfeltij occiso, vno etiàm signifero vulnerato, occupauit, hostemque fugientem ad portas vrbis insecutus est. Circa meridiem misit qui munitum quoddam castellum, Sterkenshof appellatum, in fidem receperunt. Motis eodem die iterùm castris, sub vesperem aliam domũ, vallo fossaq; munitam, Berchemshof nuncupatam, obsederunt. Erant in ea 30. circitèr Galli, cũ suo Centurione. cæteri commilitones eiusdem signi alia duo loca, Cantacroy & Lanterne dicta, tuebantur. Præsidiarij isti deditionem facere cùm nollent, regij admotis tormentis, vallum conuellere cœperunt. qui intùs erant, nouem ictus sustinuerunt: deindè metu concepto, pacem postulârunt. Actum est cum Centurione, vt incolumis cum suis militibus, omnibusque impedimentis exiret, ea conditionè, vt alia duo castella, quæ (vt diximus) à suis quoquè defendebantur, simul dederet. quod & fecit. Postridiè, qui dies erat Dominicus, regij ad alias ædes prædictis fortiores consederunt. erat loci nomen Stallenshof. Qui in præsidio erant, initiò sese defenderunt. sed cùm admotis tormentis, vires hostiũ maiores esse, quàm vt ipsi sustinere possent, animaduerterent, sese dediderunt; relictisque armis & impedimentis, gladijs tantùm accincti, dimissi sunt. Omnia præsidia, quæ in dictis iam locis fuerant, Antuerpiam confluebant. sed cùm ab oppidanis excluderentur, Montes ad Zomam à Parmensi deducebantur. His ità peractis, Princeps misit magnã calonum, lixarumque manum, quæ frumenta in agris suburbanis secaret: holera, & quidquid edi poterat, radicitùs euelli, & in castra comportari; cætera pedibus conteri, & equorum vngulis conculcari præcepit, nè quid hac parte obsessi commeatùs vel alimenti sibi petere possent.

Burgerholt. *Sterkensshof.* *Berchemsshof.* *Cãtacroy.* *Lãterne.* *Stallensshof.*

Eodem die quo Princeps Parmensis in Stabroeck ad hanc expeditionem proficiscebatur, duo Legati ex vrbe Antuerp. in castra venerunt, Principisq; reditum ibidèm præstolabantur. quo reuerso, eodem Dominico die auditi, & postridiè in vrbẽ reuersi sunt, magnã regijs deditionis spem relinquentes. Fama enim in castris erat ab initio

Legati ex vrbe in castra veniunt.

tio Iunij huc vſque vulgus in vrbe, præter panem ex auena, byne, gluma & furfure coctum, non habuiſſe quo veſceretur: ità vt plebecula tumultuaretur, & vel panem bonum, vel pacem poſtularet. quod ſi vtrunque negaretur, aliam ſe rationem inituram, vociferabatur. Frequens quotidiè hac de re erat Senatus, ſed nihil ſtatuere ob ſententiarum diuerſitatem potuerunt. ex ſeptem enim Chiliarchis duo tantùm erant, qui pacis erant ſtudioſi, & ex 80. Centurionibus, ſex pacem improbabant, cæteri cum plebe eam promoueri cupiebant. Intereà plurimæ literæ Hollandorum, Zelandorumque ad Antuerpienſes, & horum ad illos miſſæ intercipiuntur, quarũ omnium idem ferè erat argumentum. Pollicebantur quidem obſeſſis omnem opem, quam militibus, nauibusque ſuis præſtare poſſent: hac lege, vt obſeſſi ſtipendia militi numerarent, omneſque impenſas refunderent: quod nonnulli pro re deſperata interpretabantur. 1585

Poſtridiè Calend. Iulij ſicarius quidam ad ſupplicium rapitur, & laqueo ſtrangulatur: eò quòd cum hoſte in necem Principis Parmenſis conſpirauerat. Eam enim ſolam eſſe viam vrbis defendendæ putabant Hollandi, ſi optimum Principem ſcelerata proditione è medio tollere potuiſſent. Sub id Marchio Del Guaſte in duas hoſtium turmas equeſtres incidit, commiſſoque prælio eas fudit, fugauitque: cecidêre in pugnæ loco 50. atque inter hos præfecti duo. cæteri aut capti ſunt, aut fuga ſibi ſalutem repererunt. Quo tempore Parmenſis Marchionem de Renti, Dominum de Mote, & V verbium Hyperenſium domitorem, cum expedita manu, tormentisq; bellicis Mechliniam miſit. qui ſumma cum celeritate V valem, Neckerſpoel, t'Blochuis, Tonxken, aliaq; vicina vrbi propugnacula partìm vi, partìm deditione occupârũt. Sed & nauis quædam Mechliniẽſis, quæ Antuerpiam ire ſtatuerat, à regijs eſt intercepta. captus eſt in ea Prætor Mechlinienſium, cognomine de Frein, infimæ conditionis homo, ſed pernicioſiſſimus & maximè ſeditioſus. Captæ ſunt & aliæ naues ab Antuerpienſibus Mechliniam cum commeatu miſſæ, in quibus ſeptẽ vel octo tormenta maiora inuenta ſunt.

Sicarij ſupplicium.

Propugnacula Mechlinienſium capta.

Ea clades Mechlinienſibus pacis petendæ occaſionẽ præbuit. Dominus enim Famaus vrbis præfectus in caſtra veniens, cum Marchione & alijs ducibus poſt longam diſceptationem deditionis conditiones compoſuit. quæ confeſtim Parmenſi miſſæ ſunt, vt eas vel probaret vel impro-

Mechlinienſes de pace agũt.

1585 improbaret. Ille cùm legiſſet, habita matura deliberatione, pro ſua incredibili clementia eaſdem approbauit.

Hanſeatici fœderis legatio ad Antuerp.

Poſt occupatas omnes ſuburbanas Antuerpienſium munitiones, Daniel quidam Glaſerus, mercium, quæ ex maritimis Germanorum vrbibus exportantur, inſtitor, in caſtra Regis, ex mandato vrbium Hanſeaticarum venit. Habebat is in mandatis, vt cum conſenſu Parmenſis in vrbem Antuerpienſem proficiſceretur, Magiſtratumque ad pacem amplectendam hortaretur. quam ſi repudiaret, poſtularet, vt omnes Hanſeatici fœderis mercatores, cum omnibus bonis ſuis incolumes dimitteret. Hæc legatio compulit obſeſſos, animum Parmenſis tentare, & pacis ſtudij documentum aliquod præbere. Nono enim Iulij Sant Aldegundus, Sconhouius, Merodius, qui & Dominus de Duffel appellatur, cum Heſſelio ſub veſperem in caſtra venerunt. Habebant honeſtum comitatum, omniſque eſculenti poculentique penu, vt ſi illiberaliùs à Principe habiti fuiſſent, ipſi vndè viuerent haberent. Sed Princeps eos ſumma cum beneuolentia excepit, & ad cœnam opulentiſſimam inuitauit. Cumque mero incaleſceret Aldegundus, poculum vino plenum leuâſſe, & Summo Pontifici Romano incolumitatem, longoſque annos precatus, ſingulis propinâſſe dicitur. Poſtridiè legati auditi ſunt. Orabat Aldegundus, prolixoque ſermone legationis cauſam, titubãs interdùm, exponebat. Quo finito, Parmenſis Princeps oratione æquè prolixa, eaque diſertiſſima legatis reſpondit. Paulò pòſt Aldegundus remotis arbitris, cum Principe ſolo colloqui petiuit. Non denegauit id Princeps clementiſſimus, eumque ſeorſim in cubiculum ſuũ introductum audiuit. vbi quid actum ſit, hactenùs ignoratur. Dimiſſus Aldegundus cùm foràs prodiret, confeſſus eſt, ſe quidem diſertiſſimos oratores audiuiſſe multos, ſed eloquentiorem Parmenſi nullum: ſed nec ſenſiſſe Principem vnquàm clementiorem. Legati, peracto negocio, cùm multa poſtulâſſent, quæ Parmenſi inhoneſta videbantur, in vrbem cum comitatu, commeatuque ſuo, à regijs militibus reducti ſunt. qui ab Antuerpienſibus exquiſitiſſimo epulo excepti & poſteà dimiſſi fuère. Aldegundus coacto Senatu quid actum eſſet retulit, & multis argumentis, pacem neceſſariò faciendam eſſe, demonſtrauit. ſed Miniſtri, & Caluiniani illi qui cæteris magis erant furioſi, pacem omnibus modis diſſuadebant. Eodem tempore in caſtris nunciatum eſt, Principem Auriam ex Hiſpanijs Genuam appulſum, duas

Legati Antuerpienſium ad Parmenſem.

Laus Principis ab aduerſario.

Auria Genuam appulſus.

duas auri Milliones (vt vocant) & 36. veteranorum Hispanorum signa, in vsum expeditionis Belgicæ secum adduxisse. 1585

Decimonono die Iulij, Mechlinienses inedia compulsi, dimisso seditioso suo milite, Regis præsidium, sub Præfecto Domino de Procuene, nobili Flandro, acceperunt. Ciuibus omnium delictorum concessa est venia: qui Catholico ritu viuere vellent, ijs in vrbe manere licuit. qui in suo furore Caluinistico mallent perseuerare, ijs permissum, bona sua diuendere, aut aliò transportare, & infra quindecim dies extra prouincias Regis commigrare. Fuerant in vrbe duodecim peditum signa, & equitum turma vna. his stipendia sunt à ciuibus numerata, ipsiq; dimissi liberi: sex verò signorũ milites, videntes res Ordinum deploratas, accepto à Parmensi vnius mensis stipendio, Regi sese sacramento obstrinxerunt.

Mechlinienses se Regi dedunt.

Sequenti nocte, dum Legati Antuerpiẽsium iterùm in castra venturi expectantur, Hollandi atque Zelandi tria maiora nauigia, clàm maximis sumptibus apparata, puluere tormentario plena, ad modum eorum, quæ iam bis ab Antuerpiensibus in operas regias missa fuerant, bitumine, pice & resina illita, æstu maris, ventoque secundo, in pontem miserunt. Quorum primum ardens, trabalis istius operis, quod ante pontem in anchoris natabat, partem combussit, atque soluit: sed ad pontem veniens, subducto vno aut altero nauigio, transijt. paulò autem pòst, puluere qui in alueo erat inclusus accenso, crepuit, nullo regijs illato damno. Secundum antequàm ad pontem venit, dissilijt. Tertium quoquè eodem, quo primum, modo, æstu maris per pontem, de industria solutum à regijs, actum, magno strepitu atque reboatu, vi pulueris accensi, disiectum est: nec quenquam læsit. Eluso itaque hoc Hollandorum, Zelandorumque stratagemate, paulò pòst Princeps in castra venit, & in lætitiæ signum, magnam tormentorum copiam displodi iussit.

Hollandi naues ardentes in pontem mittunt.

Henricus Francorum Rex pace, vt diximus, cum Principibus sacri fœderis inita, edicto publico mẽsis Iulij die 18. ostendit, quo esset in Religionem Catholicam Romanã animo affectus. In huius edicti initio commemorat suam fratrisque sui Caroli noni defuncti diligentiam, quam in extirpandis hæreticis regni adhibuerunt, non tantùm bella, suis suorumque subditorum fortunis & sanguine, hanc ob causam gesta, sed etiàm diuersa

Edictum Regis Galliæ contra hæreticos.

1585 mandata, pacisque conuentiones & pacta, vt experirentur, si quid mãsuetudine & clemẽtia impetrare possent, quod ad regni tranquillitatem faceret. Cæterùm clementia minùs quàm bello & seueritate profectum esse, experientia ipsa compertũ esse dicit; religionisq; diuersitatem in regno toleratã, maioris mali causam fuisse. De consilio itaque matris suæ Reginæ, multorumque Principum & Magnatum, definitum esse, ait: Vt posthàc nullum fiat nouitiæ Religionis exercitiũ: sed sola Catholica, Apostolica, Romana, in regno exerceatur. qui secùs fecerit, is cuiuscunque sit conditionis, & ordinis, capite plectatur, & bona fisco regio subijciantur: Non obstantibus præteritis pactionibus, admissionibus & contractibus, quæ omnia Rex se dicit reuocâsse, & præsenti edicto reuocare. Vt Ministri nouarum religionũ menstruo spatio regno exeant: Vt omnes subditi antiquæ Catholicæ Romanæ religionis professionem infra sex menses faciant. qui illam facere nolent, hos iubet Rex, diuenditis bonis suis, ex omnibus regni finibus discedere, & nouas sibique conuenientes sedes quærere. Vt omnes qui hæresi infecti sunt, in posterum ad nulla officia, nullasque dignitates promoueantur. Reuocat etiàm eodem edicto Rex omnia tribunalia, concilia, & iudicia in gratiam hæreticorum constituta, & hactenùs permissa. Vult vt ciuitates omnes, Hugonotis ad certum tempus pro maiore suî securitate permissis, statìm à promulgatione sibi, dimissis præsidijs, restituantur. Interdicit nè quis, cuiuscunque status sit, se defensioni Catholicæ Religionis opponat, aut eam impediat. præuaricatori statuit supplicium capitale. Approbat, & ab omnibus approbari mandat conatus & studia omnia Principum, aliorumque præfectorum Sacri fœderis: omnibus iudicibus, procuratoribus, alijsque causarum cognitoribus perpetuum silentium, contra eiusdem fœderis socios, imponit. Si quid iam contra illos determinatum sit, illud obliterari atque aboleri præcipit. Postremò omnibus Principibus, Paribus (vt vocant) Franciæ, Officijs palatinis, Consiliarijs, Ordinis equitibus, Gubernatoribus, Præsidibus, Senescallis, alijsque regni Ministris; Item Prætoribus, Scabinis, Corporibus & vrbium Communitatibus mandat, vt in Regium hoc suum edictum solenniter iurent, sacramento publico se omnia eius membra obseruaturos promittant, & vt iuramenta eorum in codicillos inter acta publica referantur, vt si

vt si quandò necessè sit, ad illa recurri possit. 1585

Dum hæc geruntur in Gallia, quidam literas Madriti in Hispanijs scriptas receperunt, in quibus magnifica legatio Turcarum Imperatoris, eiusque dona ad Regem Hispaniarum missa commemorabantur. Literarum summa erat hæc: Hely Soliman, Dominus Domus Otthomannicę, Imperator & Dominus vniuersalis omnium Regum & Principum mundi, dux & defensor legis Ala per Prophetam nostrum Mahometem nobis patefactæ: Gloriosissimo Principi omnium Principum Christianorum, defensori omnium causarum Nazarenorum, potenti & honorato Domino Regi Philippo, cuius finis sit felix, posteaquàm inter nos pax fuerit cum amicitia constituta, salutem mittit.

Legatio Turcica ad Regem Hispan.

Fama virtutum tuarum, Honorate Domine, quantumuis in tam diuersa religione, lucem mihi attulit, nè impedirem tuos gloriosos conatus, néve auxilio esse vellem, occultis tuis inimicis, qui cupiunt à me sibi subueniri; colligentes ex hac mea ab illis segregatione, te à me iuuari, quia non impediuerim tuos exercitus meis potentibus classibus, & magnis exercitibus, vt tuî exercitus consequantur victoriam, quam tibi in tuis regnis à Deo contingere opto. Et sicut ego qualibuscunque viribus victoriam contra meos hostes obtinere possum: ità etiàm & tu tuos eum in locum redige, nè tibi ampliùs sint molesti. quandoquidem per me non stabit, quo minùs perficiantur, quæcunque fuerint: Ex quibus tecum conueniet Bassa meus cubicularius, cui habebitur plena fides. Subscriptio erat: Dominus vniuersalis mundi Hely Soliman.

Vnà cum his literis misit Imperator Regi Philippo quatuor leones, cum torquibus aureis, in quibus sculpta erant Regiæ Maiestatis insignia, ex suis catenis aureis dependentia: duodecim gladios Damascenos Turcicos, cum suo ornatu, aureisque catenis. quatuor cultrorum thecas, cum aureis ornamentis: in singulis verò thecis quatuor erant cultelli, quorum manubria ex auro lapidibusque preciosis erant confecta. His duodecim monoceroton cornua, 16. palmas alta, aureis suppedaneis imposita, atque arma Regiæ Maiestatis ostentantia adiunxit. Aulæa quoquè viginti Attalica ex panno aureo, ad ornandum cœnaculum facta, in quibus victoriæ, quas classes atque exercitus Turcici sub hoc Imperatore obtinuerant, erant intertextæ: & lectulum, quo in

Dona Turcarũ Imp. Regi Hisp. missa.

1585 triremibus vtũtur, ex puro auro atque cryſtallo: in cuius cortinis & vmbella res ab hoc Rege Philippo feliciter geſtæ, affabrè elaboratæ conſpiciebantur. Miſit & duas ciſtas aureas, in quibus plumæ diuerſorum colorum erant impoſitæ: & alteram ciſtellam cryſtallinam, atque in ea 40. precioſiſſimas gemmas, quas Bezares vocant, ſingulas vnciarum ferè quatuordecim: Clypeos etiam Hiſpanicos, quibus in pugna arundinaria vtuntur, totumque corpus tegunt, ſex: in quibus victoriæ Caroli V. Imperatoris contra Luteranos & rebelles (vt aiunt) Imperij, erant ſingulari artificio depictæ. Sed & duos gradarios equos adiunxit, albo, nigro, & cæruleo colore natura diſtinctos; cum ſex Turcis, quibus leonum & equorum illorum cura erat demandata. Magnifica ſanè & regalia dona, de quibus multi dubitare meritò poſſent, niſi à viris optimæ fidei, qui ex Hiſpanijs ſcripſerunt, hoc ordine enumerarentur. Quæ verò Barbari poſtulatio ſit, nondum nobis compertum eſt.

Antuerpiani de pace agunt. Antuerpiani, extrema iam neceſſitate vrgente, cùm ſpẽ omnẽ ſubſidij abieciſſent, vigeſimoquarto Iulij ex Magiſtratu, Ordinibus Brabantiæ, anni ſuperioris Scabinis, Tribuniſque plebis, Decanis, vt vocant, ex opificiorum tribubus, Chiliarchis, & Centurionibus, legatos viginti, cum abſoluta authoritate de pace & reconciliatione vrbis cum legitimo ſuo Principe agendi, miſerunt. Qui cùm mandata ſua verbis primùm Principi expoſuiſſent, certos articulos pacis in vrbe conceptos, & in tabulas relatos, eidem obtulerunt. Remiſſi deindè ſunt à Principe ad Præſides & conſiliarios Pamelium, Aſſenuillium, Richardotium, & Burchium, diù multumque diſceptârunt. Plurimæ ſiquidem difficultates hinc indè exoriebantur, quibus Conſiliariorum prudentia ſublatis, certa pacis formula Legatis data eſt: miſſique in vrbem ſunt Legatorum nonnulli, qui eam Magiſtratui offerrent.

Egmondanus & Lanouius ex captiuitate liberantur. Intereà Comes Egmondanus, ab Ordinibus huc vſque in arce Rammekens detentus, & Lanouius qui ante aliquot annos à regijs in Flandria captus eſt, libertati, permutatione facta, reſtituuntur ea conditione, vt Lannouius quoàd vixerit, nec contra Regem Hiſpaniarum, nec contra Regem Galliarum militet, niſi fortè inter vtrunque Regem aperto bello decertandum eſſet. Huius conditionis ille data ſufficienti cautione dimiſſus eſt.

Initio Augusti Coloniæ Agrippinæ Indulgentiæ Sixti quinti promulgatæ sunt, quas sanctissimus ille Pontifex, octauo Calendas Iunij ex thesauro Ecclesiæ depromptas, Christifidelibus gratis largitus erat: tantùm vt cæteris pro more peractis, oraret populus, quò Deus lumen suum Pontifici ostendere, pares tanto oneri vires præbere, omnes actiones eius dirigere, ac hostiũ Ecclesiæ suæ conatus infringere dignaretur. Huius Ecclesiæ gratię tribus ad puluinaria supplicationibus, tanta hominum frequentia, tantaque pietate & religione Colonienses sese participes fecerunt, vt ab hominum memoria nemo maiorem in hac vrbe viderit pietatem. Omnibus his supplicationibus Illustris & Reuerendissimus Ioannes Franciscus Bonhomius, Episcopus Vercellensis, per vtranque Germaniam Nuncius Apostolicus cum potestate Legati de latere, princeps nullis muneribus corrumpendus, vitæ sanctimonia ac eruditione rara, interfuit: nonnunquàm inter famulorum manus, ob corporis imbecillitatem & venerandam illius senectutem deportatus. Vltimæ quoquè, quæ ipso D. Laurentij festo celebrata fuit, Amplissimus huius vrbis Senatus, cum fascibus, omniquè qua vti solet magnificentia, adesse dignatus est. Iucũdum erat Catholicis spectaculum, videre tot viros nobiles, tot diuites, partìm canitie venerandos, partìm in ipsa iuuentute senilem quandam grauitatem præ se ferentes, tanta itinerum spatia, trophæa Christi, tanta cum religione subsequi, tanta attentione interna mentes ad cælum eleuare, tanta humilitate ante Sanctorum reliquias prosterni; & tanta patientia, tam prolixo, quod omni musicorum genere ad Apostolos celebratum est, sacro interesse.

1585 Supplicationes Colonieñses et Indulgentiæ Sixti V.

Dum hæc fiunt Coloniæ, Schenkius cum Nuenario clàm ex præsidijs, quæ in Frisia erant, collectis mille ducentis circitèr peditibus, equitibusque ducentis, in Nienoort, non procùl ab vrbe Groningensi castrametati sunt. Henricus à Delden Centurio, qui non procùl hinc munitionem Regis nomine custodiebat, intellecto hostis aduentu, cum exigua manu erumpit, hostium numerum & studia volens explorare: sed multitudine illorum obrutus, in munitionem confestìm reuersus est. Illi fugientem insecuti, primo impetu vallum superare, & regios statione exuere se posse sperabant: sed fortitèr ab illis repulsi sunt. Intereà Nuenariani euentum proditionis vrbis, quam cum quibusdam Groningensibus pacti

Nuenarius & Schẽkius Groningam proditione tentant.

1585 erant, expectabant. Nuncius quidam hinc indè literas adferebat; & quas in vrbem inferebat, subscriptionem magistratûs Groningensis, quas efferebat, magistratûs Steenvvichiani habebant. Id cùm aliquotiès felicitèr successisset, iamque tradendæ vrbis tempus ferè adesset, quidam inter excubitores suspicione concepta, tabellarium comprehendunt, apertisq; & lectis literis, proditio detecta, modusque & authores illius cogniti fuerunt. Schenkius cum suis elusus disparuit, & in Frisiam reuersus est.

Antuerpienses in conditiones pacis consentiunt.

Acta sunt hęc mensis Augusti die nono; cùm paulò antè Legatorum Antuerpiensium nonnulli ex castris in vrbem cum conditionibus pacis, quas Parmensis Princeps offerebat, essent reuersi: vt eas Senatui, & his quorum intererat, probandas aut improbandas præberent. Decimo itaque mensis eiusdem Senatus frequentissimus in vrbe habitus est. Conditiones lectæ; à nõnullis probatæ, ab alijs repudiatæ. Dũ hoc modo in curia altercantur, ciues diuturnæ obsidionis pertæsi, byne omni, omniq; semine Canario in summa penuria consumpto, frequentes in forum concurrunt: mussitare, tumultuarique incipiunt, & elatis vocibus pacem se velle vociferantur. Quidam ex Senatoribus ex cancellis in forum prospiciens, rem ad tumultum spectare videns, ilicò in Senatum, quid foris ageretur, retulit. Hìc trepidantes omnes, & furorem inconditæ plebis metuentes, etiàm ij, qui paulò antè pacem impedire volebant, pacem nunc vnanimes approbârunt, missisque nonnullis ad populum nunciârunt, communibus in pacem sententijs itum esse.

Populus hoc nuncio accepto lætus, confestìm Alenconij Ducis insignia vbicunquè inuenta sunt disiecit, & Regis Hispaniarum substituit. Celeustas, epibatas, classiarios, mesonautas, focarios, & proretas classis suæ sacramento absoluunt. tormenta, armamentaque nauium in vrbem comportant, atque omnia faciunt, quæ ad pacis præludia spectabant.

Parmensis aureo Vellere donatur.

Vndecimo Augusti, dum hæc Antuerpiæ geruntur, Princeps Parmensis constructo in munitione Calloensi sacello, in ipsis castris, aureũ Vellus accepit. & rectè: neq; enim decet Imperatorem belli, & quidem talem, rerum fortitèr gestarũ pręmia alibì, quàm vbì ea promeruit, percipere. Intererant huic solennitati Comes Mansfeltius eiusdem aurei Velleris societatis collega; Assenuillius eiusdem collegij Thesaurarius, cum armorũ, vt vocant,

Heroldo.

Heroldo. Peractis cæremonijs quę in actu tam magnifico adhiberi solent, omnia tormenta minora atque maiora displosa sunt, tanto cum reboatu, vt terra fatiscere, cęlum cum aëre atque aqua misceri putaretur. 1585

Decimo tandem septimo mensis eiusdem, pacis conditionibus Antuerpienses atque ipse Princeps Illustrissimus subscripserunt: pollicitusque est Princeps, sese accuraturum, vt eadem spatio quatuor mensium propria Regis Hispaniarum manu subscribantur, & maiori eius sigillo muniantur. *Pax Antuerpiēsib. datur.*

Sub id in suburbano Coloniensi agro, Rustici quidam inuentam bigam, cuius equi à præmiatoribus erant abacti, dum scrutantur, repererunt vas adusto vino plenum. læti & ad bibendum proni, vini virtutis ignari fortè, in pileis suis promentes, incondita illud auiditate potârunt, sesequе adeò ingurgitârunt, vt post paucas horas, quatuor aut quinque ex illis nimio ardore extincti sint. Vidi literas, quæ idem in Austria Turcis nonnullis, ad Imperatorem hoc anno legatis, accidisse referebant. Horrendum verò, & execranda atque impia temeritate plenum, quod anno superiori in Apeldorn Veluæ pago notum est accidisse. Duo nobiles Germani, quorum nominibus parco, Ordinibus militantes, inter sese conuenerant, vt vino adusto sese tam diù ingurgitarent, donèc alter eorum expiraret. si quis prior surgeret, in eum diabolus potestatem haberet. Accidit, dum strenuissimè hac lege potarent, mercatorem illac fortè transire, quem vt se tertium adiungeret coëgerunt. inuitus ille huc inductus est, mortisque metu. Paulò post malignus spiritus locum vbi sedebant ingressus, vtrique ceruicem fregit: illi autem mortui liuida & horrenda facie elati, & in templo sepulti sunt. *Vino aduestoquidam extinguūtur.* *Horrendū exemplū.*

Cyriacus quidam Spangenbergius, Ioannis filius, Flacci Illyrici quondàm in peruertendo Belgio socius, nunc ex Comitatu Mansfeldensi profligatus, hoc tempore Hassiam doctrinæ suæ veneno inficere cœpit. Marpurgenses eum ad disputationem vocârunt. ille verò, contempta hac euocatione, insidiatur simplicibus in abscondito tanquàm leo in spelunca sua. *Nouus Apostolus Hassiæ.* *Psal. 9.*

Vigesimoprimo Augusti Antuerpiæ postquàm maxima vrbis campana hora vndecima meridiana pulsata, omnique instrumentorum genere aliquandiù cantatum esset, pacis conditiones de theatro, in eum vsum con- *Pacis conditiões Antuerpiæ promulgātur.*

1585 cto, promulgantur. Sunt autem hæ:

Articuli pacis Antuerpianæ.

I. Cùm Antuerpiani, renunciantes omnibus fœderibus & pactis vsque huc in præiudiciũ Regię Maiestatis compositis, eidem Maiestati, vt legitimo Duci Brabantiæ, sese humilitèr submittant: Rex eos benignè suscipit, eique placet vt fœdera, amicitias & contractus, olìm cum Sacro Imperio, Principibus & regionibus in negocio mercaturæ initos per omnia obseruent, & si opus sit renouent, pro vtilitate vrbis.

II. Rex omnibus & singulis, tam in vrbe præsentibus, quàm absentibus ciuibus, etiàm incolis ibidèm nunc cõmorãtibus, perpetuam omnium antecedentium flagitiorum, qualia & quantacunque ea sint, etiàm criminis lęsæ Maiestatis ἀμνησίαν largitur. Prohibet etiàm omnibus, nè illorum criminum quisquam aut inquisitionem, aut actionem instituat. qui secùs fecerit, hunc vult Reipub. perturbatorem habendum esse. Hac gratia fruituros non tantùm viuos, sed & mortuos: adcò vt nec hæredes ob defunctorum delicta vlla iniuria, damno, ignominia, aut molestia sint afficiendi. Interdicit etiàm Rex omnibus Procuratoribus, Iudicibus & Iustitiæ ministris, nè quam inquisitionem, persecutionem, accusationem, aut aliam molestiam contra hos exerceant. Compræhenduntur etiàm hoc articulo, qui belli huius tempore in bonis suis damnum aliquod senserunt ex actis, sententijs & iudicijs, contra ipsorum personas aut bona prolatis. licebit tamen huiusmodi contra illos, qui hæc propria authoritate, atque ob priuatum commodum fecerunt, actionem instituere.

III. Nè quis ciuium aut incolarum, qui hac pace compręhenduntur, cuiuscunq; sit ille conditionis, qui sub Archiduce Matthia, vel Duce Alenconio, in Ordinũ concilio, aut alio magistratu ciuili seu bellico fuerit; seu ærarij cuiusdã præfecturam, siue quæsturã exercuerit; in iudicio, vel extra illud inquiratur, aut actio in eundẽ instituatur, propter sententias, iudicia, edicta, & subsignationes in huiusmodi concilio & magistratu decreta. Neque huiusmodi compelletur ad satisfactionem debitorum, actionum & obligationum in eodem magistratu factorum; nisì in hoc, quod in priuatum illorum peculium venit.

IIII. Quia verò experientia docuerat, gratiam multis inquietis ingenijs datam, publica causæ obfuisse, de ciuita-

uitate in ciuitatem sese transferentibus, & ibidèm nouos tumultus excitantibus, ciuesque nè se dederēt persuadentibus; voluit Princeps, vt eiecti ex aliјs vrbibus, atque iј, qui datam sibi in aliјs oppidis gratiam repudiantes, vltrò Antuerpiam cōmigrârant, ex prouincijs Regijs aliò commigrarent. Tamen ob Antuerpiensium pro ipsis intercessionem, & spem vitæ posthàc trāquillioris, permittit eisdem securam in vrbe habitationem, si velint: aut abitum, bonorumque suorum mobilium, (si malint) transportationem: ea conditione, nè posthàc belli negocio sese implicent; aliquod officium Regi incommodum præstent; tranquillitatem, felicitatemque prouinciarum perturbent, aut directè, vel indirectè allaborent, nè cæteræ prouinciæ vel vrbes sese obedientiæ sui Regis submittant. quòd si quid horum fecerint, ab omni venia excludentur. 1585

V. Vt omnes ciues absentes siue præsentes, etiàm incolæ, qui ante reconciliationem Hannoniæ atque Arthesię ibidèm habitârunt, absolutè & tranquillè post hanc pacem proclamatā in bonorum suorū omnium, vbicunquè ea locorum Regiæ Maiestatis obedientiæ subiecta sunt, possessionem reuertantur. non obstātibus confiscationibus, venditionibus & alienationibus factis, neque ad hoc vllā aliam iuris viam, quàm quę hoc articulo data est, necesse erit vsurpare. Idem ius illis erit in actionibus & creditis seu debitis, quæ adhuc integra sunt, & de quibus sua Maiestas alitèr anteà non disposuit. Interìm absentes qui hac gratia frui volent, cogētur trimestri spatio post horū promulgationem hostiles terras deserere. Complectētur etiàm hoc articulo omnes Coloni, Rusticique Brabātiæ, qui ad belli iniurias euitandas, bonaque sua cōseruanda, relictis agris in hanc vrbem commigrârunt.

VI. Indulget Rex vniuersis ciuibus, vt tranquillè sinè vlla conscientiarum inquisitione, aut nouo causa Religionis iuramento, totum quadriennium in vrbe permaneāt: modò pacificè, sinè offendiculo viuant. Vt interìm secū deliberent, si iuxta præscriptū antiquæ, Catholicæ, Apostolicæ, Romanæ Religionis viuere cupiant. Si nolint, licitum erit illis intereà de bonis suis disponere: ea transportare, vendere, alienare, aut per alios ab ipsis constituendos administrare, prout videbitur illis. & si in prouincijs Regijs, aut extra illas mortē sinè testamento condito obierint, hæreditas omnis ad consanguineos proximos, siue in recta, siue in collaterali linea, deuoluetur.

1585 VII. Sed & Rex vicissim in possessionem suorum dominiorum, canonum, bonorū, iurium, & actionum redibit. Omnes etiam Prælati, Collegia, Monasteria, Templa, Nosocomia, Xenodochia, aliaq; pia loca; omnes personæ Ecclesiasticæ, & seculares, publicæ & priuatæ, quæ partes Regias secutæ sunt, vel in locis neutri partium addictis latuerunt; omnia bona sua, vbicunquè locorum ea inueniri poterunt, repetere, sibi vendicare, & securè tranquilleque vti frui poterunt, vt antè. etiam si ea vendita aut alienata essent. exceptis ijs, quæ vrbis munitionibus, plateis, nundinarum locis, aut alijs rebus publicis applicata sunt. in quibus arbitri constituentur, qui dominis illorum fundorum precia adiudicabunt, aut alitèr constituent, pro rei vel vtilitate, vel necessitate.

VIII. Quantum ad ædificia in locis & fundis ecclesiasticis constructa, qua in re difficultatem faciebāt Antuerpienses, cùm sinè oculari inspectione de ijs difficulter aliquid statui possit: Sua Celsitudo causam hanc sibi ad ingressum vrbis reseruauit: promisitque tunc se arbitros nominaturum, qui post inspectionem ædificiorum querelas, quorum interest, audient, & re cognita secundùm ius & æquitatem lites determinabunt.

IX. Gaudebunt ijdem omnibus quæ sibi debentur, siue ab ipsa Republica, siue ab Ordinibus Brabantiæ, territorij seu tractûs Antuerpiani. Immobilium verò prouentus atque fructus, redditusque qui ab hominibus priuatis erant persoluendi, & ab Ordinibus aut Magistratibus percepti sunt, non exigi poterunt, nisì ab his, qui in vsum priuatum eos conuerterunt. Mobilia verò vbicunquè deprædhendantur, tam ab his, quàm ab illis, repeti poterunt, iuris tamen beneficio, non facti violentia.

X. Nullos thesaurarios, ærarij præfectos, exactores, aut alios tributorum, canonum, oblationūm, indictionum, aut collectarum, bonorumque ab Ordinibus aut Senatu confiscatorum receptores, in ius vocare, aut vlla molestia exagitare licebit, causa illarum pecuniarū, quas demonstrare poterūt, se Ordinibus, eorum legatis, aut Magistratibus annumerâsse. nec ipsorū accepti & expensi tabulæ, vel commentarij vlli reuisioni, aut examini, erunt subiecti: nisì titulo malæ fidei, vel erroris in iisdem commissi. quod dissidium more solito, & ab ijs quibus id incumbit, componetur.

XI. Omnes lites inceptæ, iudicia, codicilli, literę gratiarum, & iustitiæ, aliaque acta huiusmodi, ab ijs qui Concilij Brabantici officium gesserũt, aut à Magistratibus & alijs Iustitiæ Collegijs ad id designatis, profecta, rata habebuntur. Licitum erit nihilominùs parti læsæ, per modum reuisionis, appellationis, aut reformationis (vt loquuntur) secundùm consuetudinem Brabantiæ causam suam prosequi: modò appellationi aut reuisioni constitutum tempus non sit elapsum. Sententię verò & iudicia contumaciæ titulo, vel in hos, vel in illos absentes lata, reuocabuntur, condemnatiq; in integrum restituentur. 1585

XII. Omnes exhæredationes, dispositiones, legationes, donationes inter viuos, aut causa mortis, ex odio diuersæ Religionis, aut tumultûs, bellique præsentis factæ, vtrinquè rescindetur, & nullius erunt momenti. Omnes quoquè successiones ab intestato intereà temporis factæ ad proximos & legitimos hæredes redibunt.

XIII. Quòd si Hollandi & Zelandi præfracti ad obedientiam sui Principis redire noluerint, & naues, merces, pecunias, aliaque ciuium, incolarum & mercatorũ Antuerpiensiũ detinuerint, fiscoq; suo subsignauerint: promisit Princeps, se, quandò cũ Hollandis & Zelandis de pace aget, causam etiàm Antuerpiensiũ acturũ, & vt damnũ omne resarciatur, bonaq; restituantur, procuraturum.

XIIII. De moneta, eiusque intertrimento pollicetur Princeps, se peractis rebus, per opportunitatem, de consilio Ordinum Brabantiæ, communicationeque Magistratûs, & primariorum mercatorum, rationem initurum eam, quę prouinciæ minùs erit inutilis, & subditis quàm maximè commoda. Interim omnis monetæ aureæ & argenteæ valor idem, qui nunc est, permanebit: nec cuiquam fas erit eundem adaugere.

XV. Vt autem mercatura omnis nitori pristino restituatur, pontes, portus, atque itinera omnia in posterum patebunt, tutaq; conseruabũtur. vectigalia interim omnia, & portitoria Regi fideliter persoluentur.

XVI. Quanuis autẽ exoptâsset Princeps Illustrissimus, vt omnes nouæ exactiones atq; indictiones posthàc cessare & abrogari potuissent, vt vel tandèm oppressi hactenùs, atque emuncti subditi nonnihil respirare potuissent: tamen vt facta nomina, debitaque sua immensa soluere possent, earundem exactionum cõtinuationem Antuerpiensibus permisit: ea cõditione, nè quid ex illarum collectionibus, Regiæ Maiest. hostibus numeretur.

XVII.

1585 XVII. Omnia Priuilegia, omnesq; immunitates vniuersales aut speciales, quibus ante exortum bellum gauisi sunt, sarta tecta ipsis conseruabuntur.
XVIII. Omnibus ciuibus & incolis, siue sacramento Reip. constrictis, siue liberis, post confirmationem huius tractatûs habitationem mutare, aut alterius rei causa ex vrbe proficisci volentibus, licitum erit terra, mariq; cum liberis, vxoribus, familijs, bonis mobilibus & mercimonijs, sinè vllo impedimento deprecando aut saluo conductu postulando, abire. Quinetiàm & ij, qui ad aliã prouinciam aut Regi parentem, aut neutri parti iuratam sese conferent, ire & redire, mercaturam in omnibus locis, sub obedientia Regis constitutis, exercere, de bonis suis pro voluntate disponere, aut ea aliorum, quorumcunque volent, administrationi concredere: redire quoquè & habitacula deserta repetere, sinè vlla maiori præter hanc licentia & cautione licebit.
XIX. Eadem libertas data est nautis vrbis Antuerpianæ, si qui sint, qui cum proprijs nauibus istinc discedere cupiant: nisì sua Celsitudo cuperet eos cum istis nauibus Regi militare. quo casu Princeps eas detinere, & secundùm æstimationem iustam precium illarum reddere ius erit.
XX. Ijs qui volent abire in prouincias aut vrbes nondùm ad obedientiam Regis reductas, vt de bonis suis ibidèm disponant, permittitur sex mensium spatio post pacis huius approbationem, in aliquam prouinciam Regi obedientem, aut neutri parti obligatam commigrare. in quibus ijsdem priuilegijs ac gratijs eundi, redeundi, negociandiquè, quibus supradicti, fruentur, absque omni alio consensu aut saluo conductu.
XXI. Cùm verò Antuerpiani demonstrarent, se, suaq; bona vbiquè iudicijs ob immensa ipsorum debita esse subiecta, & detineri posse: voluit Princeps, vt ipsorum corpora atque bona anno abhinc integro libera maneãt, nec vsquàm detineantur: vt interim ratio modusque inueniatur, illos iuuandi, & creditoribus satisfaciendi.
XXII. Porrò cùm ęquum sit, vt diruta atq; excisa templa ciuitatis reædificentur, nè perpetuæ ignominiæ macula posthàc ob oculos orbis vniuersi versetur; Magistratus vnà cum membris totius Reip. inter sese agent, quomodò cum minimo vrbis detrimẽto, eadem templa possint restaurari atque reædificari.
XXIII. Qui volent secundo fluuio, mariquè aliò se, suaque

ſuaque bona tranſportare, ijs nauium quarundam vſus permittetur: reddita priùs ſufficienti cautione, atque fideiuſſione, pro nautarum, nauiumque reditu à quibus tranſportabuntur. 1585
XXIIII. Captiui vtrinquè, de quorum lytro conuentum nondùm eſt, liberi dimittentur: ſumptus tamen atque impenſas ſoluent; excepto Domino de Tilligny, in cuius cauſa Sua Celſ. nil poteſt determinare. cauſam tamen illius Regiæ Maieſtati commendabit, vt liberetur; vtì & omnibus compertum eſt, Suam Celſ. in cauſa Lanouij patris illius feciſſe.
XXV. Antuerpienſes prædictis conditionibus confeſtìm omne armamentarium ſuum, omnem apparatum bellicum, omnes munitiones, nauesq; bellicas, quæ Reip. iuris ſunt, Illuſtriſſimo Principi Parmenſi tradent. qui in vrbem venturus eſt, ibique Reip. faciem renouabit, ordinemque rerum omnium conſtituet; duorum millium peditum, & cohortium equitum duarum præſidium ſecum adducet, atque per vrbem, quàm minimo fieri poterit ciuium detrimento, diſponet. Promiſit idem Princeps, ſi Hollandi atque Zelandi ad obedientiam ſuę Maieſtatis reuertantur, vrbem hanc, nec arcem, nec præſidium vllum habituram. Id ſi minùs contingat, Sua Celſitudo (quia tunc vrbs hæc erit limitanea) de conſilio Magiſtratûs, atque aliorum, qui ad huiuſmodi cauſas cōuocari ſolent, rationem inibit, quomodò vrbem eandem contra inſidias & ſtudia hoſtium munire poterit, atque tutari. Quantum ad cætera Brabantiæ præſidia, quàm primùm occaſio atque patriæ conſtitutio patiatur, ità cum ijs Princeps aget, vt Antuerpienſes non obſcuris argumentis diſcere poſſint, Suam Celſ. militem non habere ad ſubditos opprimendos, ſed ad legitimum patrimonium Regis Hiſpaniarum recuperandum.
XXVI. Quantũuis autem Sua Celſ. omni iure & ęquitate, bonam impenſarum in hac obſidione factarum partem à Repub. Antuerpiana repetere poſſet: Tamen vt omnibus perſpicuum ſit, eandem non optare vrbis interitũ, Antuerpienſes tantùm quater centena millia florenorum numerabunt. quę inter milites, tam longam & difficilem obſidionem perpeſſos, diſtribuentur. Vt autem commodiùs hanc ſummam colligant, dabitur illis terminus à ratione atque æquitate non alienus.
XXVII. Deniquè D. de SantAldegunda poſtquàm in ſua opinione, ſequendi partes quas hactenùs ſecutus eſt, ſperma-

1585 permaneat: visum est iuramentum ab eo stipulari, quòd anno integro post hanc conuentionem arma contra Regem Hispaniarum nulla portabit.

Quid post pacē proclamatā actum. His de theatro recitatis, venit armorum cognitor, quem Heroldum vocant, promissa veste, in qua insignia Regis Hispaniarum elaborata erant, indutus, vnaque secum tubicines Principis Parmensis in theatrum adduxit. qui cùm aliquandiù insigne epiniciū, singulari quadam harmonia, cecinissent; Heroldus protensa in altum manu, ter, Viuat Rex Hispaniarum, exclamauit. quem pari numero omnis, quę aderat, multitudo elatis vocibus est insecuta. Dimisso deindè populo, proceres vtrinquè in curiam ad exquisitissimum Epulum conuenerunt. Intereà Catholici qui in vrbe erant, cum quibusdam Religiosis, qui recèns aduenerant, templum occupant, & præmisso D D. Ambrosij & Augustini hymno, vespertinas preces, Deo gratias agentes, cecinerunt.

Parmensis Princeps Antuerpiā ingreditur. Tandèm vigesimoseptimo Princeps Parmensis, præmissis in vrbem 2400. peditibus Germanis & Gallis, quadringentis verò equitibus, & ducentis nobilibus, inter quos Comes Egmondanus & D. Champagnius fuerunt, vrbem summo cum triumpho ingressus est. Magistratus ingredienti Illustrissimo, victoriosissimoq; Principi claues vrbis, aliamque clauem ex auro purissimo cōfectam, per pulcherrimæ virginis manus obtulerunt. Princeps auream clauem accipiens, eam aureo quod in pectore radiabat Velleri addidit, & progrediens vlteriùs varia spectacula, arcusque triumphales ingeniosissimè factos, vidit: licèt ipse pridèm interdixerat, nè sumptus inutiles facerēt, exorbitantesque impensas profunderent. Palatium illi in arce quondam ab Albano Duce magnificentissimè extructa, & posteà à rebellibus ex parte euersa, regio apparatu adornatum est: in quod clementissimus Princeps ingressus, honorificentissimè ab omnibus salutatur. Catenæ verò, quibus plateæ claudi solent, sublatæ, ciuesque in ordinem redacti sunt. Atque ità munitissima vrbs, totiusque Europæ Emporium celeberrimum, in potestatem benignissimi sui Principis, cuius iugum præ nimio luxu, animique petulantia & lasciuia iam pridèm excusserat, Illustrissimi Principis Parmensis auspicijs redactum est. in cuius rei memoriam hoc distichon lusimus, in quo mensis & annus continetur:

VIrgo LegIt spICas, AntVVerpIa CoLLa potentIs
PrInCIpIs HIspanI sVbIICIt IMperIo.

Hac

Hac tam celebri victoria Commentarium nostrum, 1585
beneuole lector, concludere iam pridèm gestiebamus: fauitque benignus Deus votis nostris. Faxit idem, vt cæteræ prouinciæ, vrbes atque oppida, animi feritate & pertinacia deposita, tyrannorumque quorundam priuato commodo studentium, & miserrimæ plebeculæ scrinia intolerabilibus exactionibus compilantium, iugo excusso, ad obedientiam & protectionem optimi clementissimique sui Principis & Regis, vel tandèm reuertantur.

FINIS.



NOTA.

Regis Hispan. filium, quem fol. 1139. *linea* 18. Ioannem *malè nominauimus: non* Ioannem *appellari, sed à patris vel aui paterni nomine* Philippum *appellatum posteà didicimus, ab alijs melius instructi.*

Pag. 631. *lin.* 43. *lege* fraudis 758. 39. Rineriano 804. 38. admonebatur 816. 24. cultum

